R. P. M. IO. BAPTISTÆ DELEZANA, HISP. MATRITENSIS,

SOCII GENERALIS CARMELITARVM,
S. CONGREGATIONIS INDICIS CONSVLTORIS,
Beneficiorum Examinatoris, ac in Romana Sapientia Publici Lectoris.

SVMMA QVÆSTIONVM REGVLARIVM,

SEV

DE CASIBVS CONSCIENTIÆ

Ad Regulares vtriusque sexus valdè spectantibus.

Iuxta noua Decreta, Constitutiones, & Declarationes Summorum Pontificum, & sacrarum Congregationum, ac sacræ Rotæ Romanæ Decisiones, ipsorumq; Regularium Priuilegia; Ex tota fermè Theologia Morali deprompta.

TOMVS TERTIVS duobus Partibus comprehensus

de la Libreria del Colegio de Sn Alberto de Sevilla

Super Mare Magnum Ordinum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum cum ipsorum Regula, Seruitarum, Minimorum, Ordinis SS. Trinitatis, & S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.

EDITIO NOVISSIMA, ET AVCTIOR.

LVGDVNI,
Sumpt. PHILIPPI BORDE, LAVR. ARNAVD, & CLAVD. RIGAVD.
M. DC. LVI.
CVM SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO PRINCIPI, *ET REVERENDISSSIMO DOMINO,*

D. CARDINALI CORRADO SS.D.N. ALEXAND.VII. DATARIO DIGNISSIMO.

Fr. IOANNES BAPTISTA DE LEZANA *Carmelita humilis cliens.*

PIETATEM *ad omnia vtilem* esse Apostolico Pauli præconio docetur Ecclesia. Et iure sanè cum ea virtus secundùm Chrysostomum *rectissimæ viæ norma* sit, & *conuersationis optimæ disciplina.* Colludit namque cum sancto Dei Timore, qui omnium charismatum apex veluti est. Idcirco enim 70. illi seniores, *Interpretes* vulgò nuncupati *pietatem* & Dei *timorem* sic consociant, vt vnum pro alio Iob 28. & Prouerb. 9. vertendum arbitrentur. *Pietas* verò *cum sufficientia* copulata *Quæstus magnus* ab eodem Apostolo in eadem Epistola prædicatur. *Quæ Tibi*, EMINENTISSIME PRINCEPS, concinnè aptari, nullus qui *Te* nouit nescire poterit. Pietas etenim animo *Tuo* ab incunabulis penè insita omnibus *Te* amabilem, venerabilem etiam, ne admirabilem dicam, meritò exhibuit; quo *Tibi* aditus ad summa Ecclesiæ fastigia conscendenda patefactus est. Hæc enim ad S. Rotæ subsellia meritis coruscantem, & vtriusque Iuris litteratura exuberantem, Vrbano VIII. summo Hierarcha auspicante, ex Ferrariæ inclyta vrbe, vbi sapientiæ radiis collucebas, condignè prouexit. Rapuit & Innocentij X. Vrbani successoris mentem, sola Dei obstetricante gratia, vt Cardinalitia dignitate decoraret, quem tot charismatum dona, non mundi lenocinia, aut aliqua humanitatis scintillula, promouendum vrgebant. Etenim (vt cum Tullio dicam) *Suis Te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus.* Obstrinxit & Sanctum SS. Alexandr. VII.

 fœli

fœliciter nunc regnantis zelum , vt *Te* etiam Datarij munere cohonestaret. Quò sic *Te* geris; solerti ingenio, pia industria, & diligentia, vt æquitatis, & iustitiæ speculum, quin & idea conspiciaris. Etsi enim Romanæ Curiæ virtutum omnium satellitio stipatus illuceas ; Astræa tamen illa è cælo demissa *Tibi* præ oculis semper adest : quæ radiis suis omnia illustrans in Ecclesiarum muniis distribuendis, quid in vnoquoque solidum, quid sincerum , & quid fucatum sit agnoscit; & sic vnicuique suum, omnibus pondus, & mensuram constituit. Optatum sanè illud Senecæ in *Te* idcirco completum cernitur , *In eo statu sis , quo semper beneficia distribuas, nunquam desideres.*

Porrò, si *pietatis* nomine eo loco Pauli cum Ambrosio, & aliis misericordiam, & beneficentiam capiamus, *Tibi* etiam aptari, quod *pietas ad omnia vtilis* sit, in propatulo est; cum, præter singularem illam, & benignam comitatem, qua cunctos audis, neminem respuis, omnes sed recipis , quæstuosissima illa omnium ars eleemosyna Antistitum corona, sic tuam Purpuram cohonestas vt veluti sydus fulgentissimum in S. Ecclesiæ firmamento collucere faciat. Experta loquitur S. Mariæ Transpontinæ *Tibi* Titulari optimo Ecclesia concredita , in qua huius tuæ munificentissimæ virtutis pretiosa signa resplendent : loquuntur & plures egeni, quorum indigentiis subueniendis, boni & sancti Episcopi partes exequendo, compatiens opitulator adfuisti.

Hæc igitur , Princeps Eminentissime , annexa quoque singulari in me beneuolentiæ , qua meis precibus sæpius inclinatus , postulata elargiendo , benignè annuisti , *Tibi* bonarum litterarum Asylo , has meas lucubrationes sacrandas coëgerunt; eo vel etiam, quod in eis plura sunt ex Pontificiis & Imperatoriis iuribus excerpta , quæ in *Tui* perfectoris scrinio, veluti ditissimo gazophilatio recondita seruantur. Excipe iam eas benignitate qua soles , & qui cuncta ingenij præstantia despicis, ne despicias , sed tui nominis splendore vt Orbi clarescant, illustrari patiaris. Foue, & protege.

Fr. Leo

Fr. LEO BONFILIVS *Magister, ac humilis Prior Generalis Carmelitarum antiquæ Obseruantiæ Regularis.*

AVCTORITATE nostra, tenore præsentium, licentiam concedimus R.adm.P. M. Ioanni Baptistæ de Lezana nostræ Prouinciæ Castellæ professo Sacerdoti, Prouinciali Terræ sanctæ, in Romana Sapientia Sapientiæ Professori, & Socio nostro, vt typis mandare valeat librum, cui titulus est, *Tomus Tertius Quæstionum Regularium*, à Magistris Theologis, quibus id commisimus, lectum, & approbatum. Horum fide. Datum Messanæ die 26.Maij 1646.

Fr. LEO BONFILIVS *Generalis antiq.Obseru.Regul.*

Fr. ÆMILIVS IACOMELLI *Secret.Ordinis.*

TOMVM Tertium Summæ Quæstionum Regularium, qui est Commentarius super Mare Magnum Ordinum Regularium, *Authore adm. Reu.P.M.Ioan.Baptista de Lezana Prouinciali Terræ Sanctæ, & Assistente Generali nostri Ordinis Carmelitarum, Sacræ Congregationis Indicis Consultore, & in Romana Sapientia publico Lectore, sedula, qua potui, & debui diligentia perlegi, & accuratè euolui. In hoc, vt in cæteris operibus, sibi semper similem inueni Authorem: sanam, & solidam eius doctrinam, Vrbi, & Orbi sæpius probatam, genuine exarantem. In quo pariter veri soluit Regularis partes, & magno cum Regularium, an dicam fructu, aut verius debito? hæreo. Habent enim hinc Regulares vnde possint suos, & alios sanè erudire, & contradicentes securè arguere, & securiùs concludere. Concludam, omnibus, de Republica, præsertim Regulari, benemeritis, censeo fore perutile, si Typis mandetur. Romæ die* 28.*Martij* 1646.

Fr. HYPP. SESOLDI Procur.& Commiss.Gen.Carm.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P.Mag.Sac.Pal.

A. Sacratus Episcopus Comacl.Vicesgerens.

IVSSV Reuerend. P. F. Vincentij Candidi S. P. A. Magistri. Vidi *Tomum Tertium Quæstionum Regularium*, à Reu. adm. P. M. Ioanne Baptista de Lezana Sacri Ordinis Carm. &c. compositum, qui doctrinam continet solidam, vtilem, & securam. Authoris propriam sæpe iam Tomis præcedentibus commendatam, & quod mirabile est, multa Maria, non quidem contracta, sed explicata bene, in loco paruo & breui libro concludit. Quare dignum iudico, quòd publici iuris fiat, ex eo vel maximè vt hic etiam euidenter appareat cumulatissimum præmium, quo Religiosi labores impensi fructuosè in Vinea Domini à Sede Apostolica compensantur. In Collegio Soc.IESV Pœnitent. DD.PP.die 10.Apr.anno Domini 1646.

FRANCISCVS GONZALEZ *Soc.Iesu Pœnit.Hisp.*

Imprimatur.

Fr. VINCENTIVS CANDIDVS, *Sacr.Pal. Apost.Mag.*

APPROBATIO.

ADDITIONES ad *Tertium Tomum Summæ Quæstionum Regularium*, à Reuerend. adm. P. M. Ioanne Baptiſta de Lezana Prouinciali Terræ ſanctæ factas, iuſſu Reuerend. adm. P. M. Rocij Procuratoris, & Commiſſarij Generalis legere potui, nihilque in ipſis reperi, quominus typis mandari poſſint. In fidem, &c. Romæ apud Tranſpontinam 26. Decembris 1655.

Fr. CAROLVS BONNOMEVS *Prouincialis Hiberniæ.*

Facultas Ordinis.

FRATER Benedictus Roccius S.T.D. ac Procurator, & Commiſſarius Generalis Carmelitarum, Antiquæ Obſeruantiæ Regularis, auctoritate noſtra, & harum ſerie facultatem concedimus, vt ſeruatis alias ſeruandis, Typis mandari poſſint additiones ad *Tertium Tomum Summæ Quæſtionum Regularium*, à Reuerend. adm. P. M. Ioanne Baptiſta de Lezana, Prouinciali Terræ Sanctæ factæ, & ex Commiſſione noſtra recognitæ, & approbatæ. In quorum fidem præſentes dari iuſſimus Romæ die 26. Decembr. 1655.

Fr. BENEDICTVS ROCCIVS *Procurator, & Commiſſarius Generalis Carmelitarum, Antiquæ Obſeruantiæ Regularis.*

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. M. Sacri Palatij Apoſt.

M. A. ODDVS Viceſgerens.

Imprimatur.

FR. GEORGIVS RAYNOLD. Mag. & Reu. P. FR. RAYMONDI CAPISVCII Sacr. Apoſt. Palat. Mag. Socius Ord. Prædic.

INDEX

INDEX

Præcipuarum Materiarum, quæ in hoc Tertio Tomo, in priori & posteriori parte ipsius tractantur,

Locis referendis in Indice rerum magis notabilium.

A

ABsolutio Religiosorum.
Alienatio bonorum Regularium.
Altaria pro Regularibus.
Apostatæ Regulares.

B

BEneficia, & beneficiati inter Regulares.
Bona Regularium.
Bona Monasteriorum.
Bullæ.

C

CAnonica portio.
Cappella, & Cappellani Regulares.
Clausulæ Priuilegiorum, & Bullarum Regularium.
Commissi, seu Commissæ personæ.
Communicatio Priuilegiorum Regularium.
Concionatores Regulares.
Confessiones, & Confessores inter Religiosos.
Confirmatio Electionum.
Confirmatio Priuilegiorum.
Conuentus, præsertim Reformati.

D

DEbita Nouitiorum.
Decimarum exemptio.
Dictiones in Bullis, seu Priuilegiis.
Diffinitores.
Dispensationes.

E

ECclesiæ Regularium.
Eiecti à Religionibus.
Electiones Regularium.
Eleemosynæ postulatæ à Religiosis.
Episcopi quoad Regulares.
Exemptio Regularium.

F

FAmuli, seu familiares Religiosorum.
Fugitiui Regulares.
Fundatio Monasteriorum.

G

GAbellarum exemptio.
Generales Religiosorum.
Graduati in Religionibus.

H

HAbitus Religiosorum.
Hæreditaria successio.
Horæ Canonicæ.
Hypotheca bonorum.

I

IEiunia pro Regularibus.
Immunitas Ecclesiarum ipsorum.
Indulgentiæ Religiosorum.
Inquisitores S. Officij ex Regularibus assumpti.
Interdictum.
Irregularitates.
Iudices Conseruatores.

L

LEctores Religionum.
Legata Regularibus relicta.
Legatorum Sedis Apostolicæ in Regulares

gulares authoritas.
Litteræ Apoſtolicæ.
Loca pro conſtruendis Monaſteriis.

M

MAgiſtri in Religionibus.
Mare magnũ Mendicantium.
Mendicantes.
Miſſæ celebratio.
Monaſteria.

N

NOn obſtantiæ poſitæ in Priuilegiis.
Notariorum munus.
Nouitij.
Nunciorum Apoſtolicorum authoritas in Regulares.

O

OBlatæ perſonæ.
Oblationes.
Officia.
Oratoria.
Ordinarij quoad Regulares.
Ordines quomodo ſuſcipiendi à Regularibus.

P

PArochi Eccleſiæ.
Paupertas Religioſa.
Penſiones.
Pœnæ impoſitæ Regularibus.
Praxis ipſorum.
Prælati, ſeu Superiores.
Priuilegia.
Priores.
Procuratores.
Profeſſio.
Protectores.

Q

QVæſtores, ſeu Quæſtuarij Regulares.
Quarta funeralis.

R

REcedentes à Religionibus.
Reformati, ſeu Reformatio.
Regula.
Regulares.
Rotæ deciſiones.

S

SAcramenta.
Sepulturæ libertas inter Regulares.
Statuta.
Syndicus.

T

TErtiariæ perſonæ.
Tortura.
Tranſeuntes ex vna Religione ad aliam.
Tranſlatio Monaſteriorum.
Tranſumpta Priuilegiorum.

V

VIcarij.
Viſitatores.
Vnio beneficiorum.

SVMMÆ QVÆSTIONVM REGVLARIVM,

SEV

DE CASIBVS CONSCIENTIÆ, AD REGVLARES VTRIVSQVE sexus valde ſpectantibus:

TOMVS QVINTVS.

MARE MAGNVM FF. Ordinis Prædicatorum, A SIXTO IV. COMPILATVM.

SVMMARIVM.

1 *Quod Magiſter Ordinis, poſtquam electus fuerit, plenè exerceat officium Magiſterij.*

2 *Quod Magiſter Ordinis Prædicatorum à Diffinitoribus Capituli generalis amoueri poſſit, & num. 3.*

4 *Quod Fratres deputati in Lectores poſſint liberè legere in domibus, niſi ibi fuerit ſtudium generale.*

5 *Quod circa Statuta nullum præiudicium Fratribus eueniat à diœceſanis.*

6 *De prouiſione Prioris Conuentus, vel Prouincialis, quando electio electi ex aliqua cauſa contingit, non confirmari.*

7 *Quod non coarctantur Fratres electores Prouincialium, & generalis regulis iuris in tempore electionis.*

8 *Quod poſſint Fratres ordines recipere per quoſcunque Epiſcopos abſque examinatione, & promiſſione aliqua.*

9 *Quod poſſint habere in Oratoriis ſuis altare portatile.*

10 *De celebratione diuinorum, & adminiſtratione Sacramentorum tempore generalis interdicti.*

11 *De familiaribus circa ſepulturam, & ſacramentorum adminiſtrationem.*

12 *Quod pueri, & negotiorum procuratores poſſint audire diuina, tempore interdicti.*

13 *Quod inter excommunicatos poſſint Fratres morari, & ab excommunicatis neceſſaria recipere.*

14 *De authoritate Prælatorum circa abſolutionem, & diſpenſationem Fratrum.*

15 *De authoritate Confeſſorum Fratrum circa abſolutionem, & diſpenſationem Prælatorum.*

16 *De authoritate circa abſolutionem, & diſpenſationem volentium Ordinem intrare.*

17 *Quod non poſſint cogi Fratres ad comparendum coram aliquo, neque conueniri, nec ad colligendas pecunias, & ad alia pleraque etiam per litteras Apoſtolicas non facientes mentionem de hoc indulto, & ordine.*

18 *De Fratribus prouiſis, vel prouidendis Prælatis, & aliis in ſocios.*

19 *De Fratribus deputatis ad prædicandum Cruciatam, vel inquirendum de hæretica prauitate.*

20 *De Fratribus egreſſis ab Ordine poſt profeſſionem, & de retinentibus eos ſine licentia.*

21 *De Fratribus habentibus licentiam tranſeundi ad alios Ordines, ſi intra duos, vel tres menſes non tranſierint, & habitum ſumpſerint, ſed ante profeſſionem reſilierint, vel poſt profeſſionem ad latiorem, vel ſeculum reuerſi fuerint. & num. 22.*

23 *De apoſtatis incarcerandis.*

24 *Quod eiecti, vel egreſſi ab Ordine non poſſint prædicare, docere, nec confeſſiones audire.*

25 *Quod non liceat ferre habitum Prædicatorum, aut ei ſimilem, ita vt Frater Prædicator credi poſſit.*
26 *De decimis non ſoluendis, de hortis, & virgultis.*
27 *Quod bona reſtituenda incertis perſonis ab ingredientibus Ordinem liceat Magiſtro, Priori & Vicario in pios vſus conuertere.*
28 *De libertate ſepulturæ & celebratione in Eccleſia Fratrum.*
29 *Quod non ſit licitum Fratribus confiteri peccata, niſi Prælatis, vel deputatis à Prælatis.*
30 *De libertate, & exemptione Fratrum à Prælatis Eccleſiæ.*
31 *Quod non prohibeantur Fratres accedere ad loca, & ibi ædificare.*
32 *Exemptio à ſolutione Canonicæ portionis.*
33 *Quod materiam ædificiorum, & ſupelletilia omnia ſecum transferre Fratribus licet, cum ad alia loca ſe transferunt, & ædificia cum ſolo præter Eccleſiam vendere.*
34 *Inhibetur Eccleſiarum Prælatis, & aliis talia ſibi vendicare.*
35 *Quod non teneantur Fratres ad ſolutionem quarumcumque exactionum, & prætextu litterarum Apoſtolicarum, niſi de indulto, & ordine fecerint mentionem.*
36 *Quod ratione delicti, contractus, ſeu rei, de qua agitur non poſſint Fratres coram Ordinariis conueniri.*
37 *Declaratio huius clauſulæ,* ſalua tamen iuſtitia Eccleſiarum, *à quibus corpora aſſumuntur, proponitur.*
38 *Confirmatio, & de nouo conceſſio omnium prædictorum.*
39 *De extenſione conceſſionis altaris portatilis ad loca congruentia & honeſta.*
40 *Licet admittere ad diuina tempore interdicti Fratres, & ſorores tertij Ordinis.*
41 *Declaratio caſuum, propter quos ſunt Fratres merito ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi.*
42 *De patientibus defectum natalium, & irregulabus diſpenſandi.*
43 *De expoſitione huius clauſulæ,* ſalua tamen iuſtitia Parochialis Eccleſiæ, *& de libertate ſepulturæ.*
44 *De candelis quæ ad manus dantur.*
45 *Quod per litteras Apoſtolicas non eſt detrahenda decima à piis legatis, & relictis ipſis Fratribus.*
46 *Quod nulla ratione locorum Ordinarij aliquam iuriſdictionem, vel ſuperioritatem ſibi vendicent, etiam eorum exemptione non alioer allegata.*
47 *Quod poſſint Fratres, Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis ſibi confitentibus miniſtrare, Eccleſiarum Rectoribus negantibus, vel malitioſè differentibus.*
48 *De bonis Monaſteriorum Monialium deſtructorum.*
49 *De eligentibus ſepeliri cum habitu Ordinis.*
50 *Exemptio Capellani, & Eccleſiarum curatarum, apud quas conſtruuntur domus Fratrum.*
51 *De extenſione facultatis ad inquiſitores hæreticæ prauitatis contra aſſerentes confeſſos Fratribus ad confeſſionem Rectoribus Eccleſiarum faciendam teneri.*
52 *De communicatione priuilegiorum inter Prædicatores, & Minores.*
53 *Pœnæ quas incurrunt moleſtatores Fratrum.*
54 *Auctoritas conſeruatorum Ordinis ad prædicta, & alia quæcumque.*
55 *Ponuntur non obſtantiæ multæ.*
56 *Facultas transſumendi has literas proponitur.*

SIXTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Regimini vniuerſalis Eccleſiæ meritis licet inſufficientibus diſponente Domino præſidentes curis vrgemur aſſiduis, vt iuxta creditæ nobis deſuper diſpenſationis officium, quieti ſubditorum quorumlibet, præſertim ſub Religionis Prædicatorum habitu ſtudio vacantium piæ vitæ, in quorum vtique proſperitate reficimur, iugi quantum nobis ex alto conceditur, ſolicitudinis ſtudio intendamus, & vt ea, quæ pro diuini cultus dictæ Religionis incremento, animarúmque ſalute à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus prouidè facta ſunt, ſublatis ambiguitatibus, quæ exinde emerſiſſe noſcuntur, in ſua integritate perſiſtant, noſtri miniſterij partes interponimus efficaces. Dudum ſiquidem à felicis recordationis Eugenio Papa IV. prædeceſſore noſtro emanauerunt litteræ tenoris ſequentis. Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex, in quo poteſtatis plenitudo conſiſtit, ad ſtatum Eccleſiaſticarum perſonarum ſuarum, præſertim mundanis abiectis illecebris, ſub ſacro Religionis iugo Altiſſimo vota reddentium, & circa fidelium animarum ſalutem, necnon hæreticorum, & aliorum infidelium quorumlibet debitam conuerſionem prædicationibus & doctrina continuè laborantium libenter intendens, nonnunquam per ſuos prædeceſſores in earum fauorem geſta innouat, & approbat, & confirmat, prout illud conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Hinc eſt, quòd vos dilecti filij Bartholomæi Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac Theologiæ profeſſores, necnon Generalis totius Ordinis huiuſmodi Magiſtri deuotis in hac parte ſupplicationibus inclinari, quaſdam felicis recordationis Gregorij XI. ad inſtar nonnullorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum ſuorum dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus vniuerſis eiuſdem Ordinis per eum conceſſas, necnon alias Martini V. prædeceſſorum noſtrorum, & conceſſas huiuſmodi confirmatorias literas, quas diligenter inſpici, & examinari, quarúmque tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, authoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia innouamus, & confirmamus: ac præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor verò ſingularum prædictarum litterarum talis eſt. Martinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus vniuerſis Ordinis Prædicatorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ex Apoſtolicæ Sedis prouiſione, ac perſonarum Deo deuotarum, præſertim ſub Regulari obſeruantia, & in fauorem fidei Catholicæ Domino famulantium ſtudio piæ vitæ deuotione prouenire dignoſcitur, vt Romanus Pontifex quandoque prædeceſſorum ſuorum, Romanorum Pontificum geſta innouet, & innouatione reſtauret, & authoritate fulciat innouata. Hinc eſt, quòd nos de veſtris deuotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, quaſdam literas felicis recordationis Gregorij Papæ XI. prædeceſſoris noſtri ad inſtar nonnullorum Pontificum aliorum prædeceſſorum noſtrorum vobis, & Ordini veſtro conceſſas, quas diligenter inſpici, & examinari, quarúmque tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus,

mus, authoritate Apostolica tenore præsentium ex certa nostra scientia, innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor verò dictarũ literarum talis est. Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Magistro, Prioribus, & Fratribus, & vniuersis Ordinis Prædicatorum salutem & Apostolicam benedictionem. Virtute conspicuos sacri vestri Ordinis professores, qui contemplationi cœlestium feruenter inuigilant, & piæ vitæ studio sine intermissione desudant, decet per Apostolicæ circumspectionis auxilium sic prouidè, ac solicitè confoueri, vt alicuius prætextu calumniæ nullum internæ pacis excidium, nullumq; Religiosi status perferant detrimentum, sed in his robur, & vigorem habeant, per quæ circa cultum diuini nominis deuotis, & quietis mentibus inualescant. Hinc est, quod cum, sicut à nobis exponere curauistis, tu fili Generalis Magister, & prædecessores tui, iuxta eiusdem Ordinis consuetudinem
1. obseruatam hactenus, ac à Sede Apostolica toleratam, statim postquam electi secundum prædicti Constitutiones Ordinis extitistis, Fratrum curam gesseritis, magisterij officiũ plenè ac liberè in omnibus exercentes, iidemque Fratres vobis deuotè, ac humiliter obedierint, & intenderint reuerenter,
2. ac in eodem Ordine sit statuum, vt Magister ipsius, qui pro tempore fuerit, à Magisterij officio amoueri valeat à Diffinitoribus Capituli Generalis. Nos volentes ambiguitatis scrupulum de hac parte de vestris cordibus amputare, ac Ordinem ipsum præfatæ Sedi immediatè subiectum à Sede Apostolica approbatum eadem honestate floridũ, præclarum scientia, & virtute fœcundum priuilegio Apostolicæ gratiæ attollere singulari, vestris supplicationibus inclinati deuotioni vestræ adinstar fel. record. Bonifacij VIII. & Benedicti XI. Romanorum Pontificũ prædecessorũ nostrorũ, vt successores tui, fili Magister, qui erunt pro tẽpore, statim postquam electi secundum Constitutiones fuerint supradictas, eo ipso veri eiusdem Ordinis Magistri effecti curam animarum Fratrum ipsius Ordinis planè habeant, & liberè gerant: ipsosque Fratres authoritate propria ligare, ac soluere, nec non in eodem Ordine agere valeant, quæ ipsi, & præfati Ordinis Diffinitores iuxta prædictas Constitutiones eidem Ordini, & Fratribus secundum Deum viderint expedire, aliasque possint officium Magisterij in omnibus exercere, iidemque Fratres tibi Magistro, & successoribus tuis deuotè, & hu-
3. militer obediant, & intendant. Et præfati successores, & tu Magister à Diffinitoribus Capituli Generalis Ordinis ipsius secundum Ordinis Constitutiones eiusdem absolui, & amoueri possitis, authoritate Apostolica indulgemus, ratum habentes, & firmum, quidquid super præmissis per te Magister, dictosque prædecessores factum, & obseruatum est hactenus, concessa tibi exequendi Magisterij officium quoad præmissa omnia, & alia libera facultate. Fratres verò de Ordine vestro, quos
4. secundum Constitutiones ipsius Ordinis Conuentibus vestris deputandos duxeritis in lectores, sine alterius cuiuscunque licentia liberè in domibus prædicti Ordinis legere, & docere valeant in Theologica facultate, illis locis exceptis, in quibus viget studium generale, ac etiam quibus in facultate ipsa docturus, vt magister incipere solemniter con-
5. sueuit: Et licet Episcopis, & diœcesanis debitam, & deuotam obedientiam impendatis, nolumus tamen quod circa instituta, & præcipuè super institutione, & destitutione Priorum eiusdem Ordinis ex hoc præiudicium aliquod incurratis. Quando 6.
verò in aliquo Capitulo, vel Conuentu vestri Ordinis de Prouinciali, vel Conuentuali Priore occurrit electio facienda: si ex aliqua causa factam electionem à Fratribus eiusdem Ordinis, quorum interest, non contingat forsitan confirmari, Superior, ad quem confirmatio electionis huiusmodi pertinet, aliquem de illis Fratribus, quos ipsi electores, vel maior pars eorum per literas suas ab eo petierint, quando ad ipsum pro electi confirmatione transmittunt, eis de nostra licentia concedere valeat in Priorem. In electionibus quoque eorundem Magistri, & Priorum Prouincialium ipsius 7.
Ordinis Fratribus, qui debent electionem huiusmodi celebrare, cum eos frequentes de remotis partibus oporteat conuenire, tempus super hoc statutum à iure non currat, nec ipsi in hac parte iuris regulis coarctentur. Et quia eiusdem Ordinis
Fratres, de locis ad loca ipsius Ordinis sæpius trãsmittuntur, propter quod stabilem, & perpetuam in certis, & determinatis eiusdem Ordinis Fratres domibus non faciunt mansionem, quia etiam bonos, & idoneos, ac probatos à vobis Fratres facitis ad ordines promoueri, liceat vobis ordinandos Fratres eiusdem ordinis quibuscumque malueritis Catholicis Pontificibus communionem, & gratiam Sedis Apostolicæ habentibus præsentare, ipsisque Pontificibus præsentatos à vobis Fratres sine qualibet examinatione per eosdem Pontifices facienda, & absque omni promissione, vel obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum ad ordines 8. 9.
promoueri. In locis autem, in quibus degitis liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum altari portatili possitis Missarũ solẽnia, & alia diuina officia celebrare, ac etiã recipere Ecclesiastica Sacramenta. Cum autem generale interdictum fuerit, in Ecclesiis, & Oratoriis vestris, & aliis quibusque, cum ad loca perueneritis Ecclesiastico supposita interdicto, clausis ianuis, interdictis, & excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa 10.
voce liceat vobis celebrare diuina, & Ecclesiastica recipere sacramenta, dummodo causam non dederitis interdicto, nec contingat vobis specialiter interdici, neque Ecclesiæ, vel Oratoria ipsa fuerint 11.
specialiter interdicta. His verò qui in vestris morantur obsequiis, cuncta liberè ministrare possitis Ecclesiastica sacramenta, & ipsos, cum decedunt in vestris Oratoriis sepelire. Si quando autem in terras, in quibus residetis, vel in earum personas excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri vestris seruitiis deputati, negotiorumque vestrorum procuratores, & operarij, qui in vestris locis eorum operibus personaliter continuè institerint; huiusmodi sententiis obnoxij minimè habeantur: ibique possint audire diuina iuxta formam, quæ locis ipsis eo casu à Sede Apostolica est concessa, nisi iidem causam dederint, vel excommunicari specialiter, seu interdici contingat eosdem. Et quia vos extremam patientes pro Christi nomine paupertatem, & hortationis pio studio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter reuocatis, concedimus, vt in excommunicatorum terris liberè cõmorari, & ab eis tunc etiam, cũ vos per ipsas transire cõtigerit, necessaria vitæ deposcere, ac recipere valeatis. Magister quoq; & singuli Priores Prouinciales, Conuentuales, ac vices eorũ gerẽtes in prouinciis ac locis sibi cõmissis prædictis Fratrib. constitutis ibidẽ, nec nõ & Fratribus aliis eiusdẽ Ordinis interdũ ad eos declinantibus vndecumq; abso- 12. 13. 14.

lutione, & dispensatione indigentibus, siue antequam intrauerint Ordinem, post, in casibus quibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrerint sententias à Iure, vel à Iudice generaliter promulgatas, & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis sup-
15. positis Ecclesiastico interdicto diuina officia celebrantes, vel suscipientes ordines sic ligati notam irregularitatis incurrerint, absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impartiri: nisi adeo grauis fuerit, & enormis excessus, quod sint ad eandem Sedem merito destinandi. Fratres etiam vestri, quos pro tempore vos Magistri, & Priores tam Prouinciales quam Conuentuales, nec non & vices vestras gerentes in proprios habueritis confessores, absolutionis & dispensationis beneficium vobis, cum expedierit, valeant impartiri: iuxta formam concessionis super absolutione, & dispensatione Fratrum eiusdem Ordinis superius vo-
16. bis factæ. Adhęc volentibus vestro aggregati Collegio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententiis à iure vel à Iudice promulgatis generaliter sunt legati, absolutionis beneficium seruata forma Canonica, impartiri, ipsosque in Fratres recipere, atque vos qui post assūptum habitum vel professionem emissam recoluerint se talibus in sæculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam ipsam vos Magistri, & singuli Priores, Prouinciales, ac Conuentuales, ac vices vestras gerentes valeatis absoluere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis diuina præsumpserint officia celebrare, vel ordines susceperint: ita tamen quod si aliqui ex huiusmodi eisdem sententiis propter debitum sint adstricti, sa-
17 tisfaciant, vt tenentur. Porro quieti vestræ prouidere volentes, quod per literas Apostolicæ Sedis, aut legatorum, seu delegatorum ipsius conueniri à quoque minimè valeatis, & quod ad pecuniam colligendam cogi non possitis inuiti per litteras ipsius Sedis de cætero impetrandas. Quodque nullus vestrum correctionis seu visitationis, vel inquisitionis officium Monasteriis, siue quibuscumque personis impendere, vel ad cognitionem causarum, citationes partium, & denunciationes sententiarum interdicti, & excommunicationum procedere, aut recipere curam Monialium cuiuscumque Ordinis teneatur per Apostolicas litteras impetratas, aut in posterum impetrandas, nisi huiusmodi Apostolicæ de hoc indulto, & Ordine vestro expressam fecerint mentionem, authoritate vobis Apostolica indulgemus. Concedimus etiam, vt ad visitandum aliqua Monasterij monialium cuiuscumque Ordinis compelli aliquatenus, non possitis, aut recipiendum commissiones causarum, seu sententiarum executiones, vel alia contingentia causas ipsas per litteras præfatæ Sedis, in quibus facta non fuerit de indulgentia huiusmodi mentio specialis, siue per legatos; siue per delegatos ipsius. Nullus insuper Archiepiscopus, vel Episcopus, nullusque alius Prælatus Ecclesiasticus, vel eorum Vicarij, vel officiales ad portandum, vel deferendum litteras, vel exequendum, aut denunciandum sententias contra Principes sæculares, communitates, populos, seu quoscunque benefactores vestros, nullusque delegatus vel ordinarius Iudex ad faciendum citationes, vel commissiones recipies, siue quod sitis in causis aliquibus assessores, seu ad alia contingentia lites, & controuersias in causis, quæ coram ipsis tractantur, quemquam vestrum compellere valeant sine prædictæ Sedis mandato, vel licentia speciali, expressam facientes de hac indulgentia mentioné, nec quisquā vestrum parere, vel intendere teneatur super his monitionibus, & mandatis, aut iussionibus eorumdem, aut facere vel implere, quod in hac parte duxerint iniungendum. Cæterum Magister, & sin- 18.
guli Priores Prouinciales, ac ipsorum Vicarij illos ex Fratribus, de quibus authoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel legatorum ipsius Archiepiscopis, & Episcopis, vel aliis quibuscunque prouisum extitit, vel in posterum contigerit prouideri, corrigere, ac non obstante contradictione aliqua, possint ad suum Ordinem reuocare: neque per litteras eiusdem Sedis, seu legatorum ipsius iam obtentas, vel de cætero obtinendas aliquos de Fratribus ipsius Ordinis præfatis Archiepiscopis, & Episcopis, aut aliis teneātur in socios deputare, nisi dictæ litteræ Apostolicæ obtinendæ de indulto huiusmodi, Ordine ipso expressam fecerint mentionem, & aliàs id honestati Ordinis, & illorum saluti viderint expedire. Nullus autem legatus nisi de latere nostro missus authoritate litterarum Sedis Apostolicæ specialem de hoc indulto, & Ordine vestro non faciente mentionem, nullusque Prælatus, aut aliqua persona Religiosa seu sæcularis de Fratribus eiusdem Ordinis, seu Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, ad sua, seu Ecclesiæ negotia procuranda, vel secum manendo aliquos assumere valeat: nisi quos Magister, vel Prior Prouincialis ipsorum tamquam idoneos, & discretos sibi duxerint assignandos: quos etiam volumus subiacere Ordinis disciplinæ. Illos verò Ordinis ipsius Fratres, qui ad præ- 19.
dicandum crucem, vel inquirendū contra hæreticam prauitaté, seu ad alia huiusmodi negotia sunt vel fuerint deputati vbicunq; à Sede Apostolica, tu fili Magister, tuique successores remouere seu reuocare, & penitus trāsferre, ipsisque quod supersedeant, iniūgere, aliosque substituere, cum expedire videritis, licitè, & liberè valeatis, ac in eos, si contrauenerint, censuram Ecclesiasticam exercere, ac quilibet Prouincialis vel eius Vicarius eiusdem Ordinis illud ipsum in sua Prouincia circa Fratres ipsius Ordinis, quibus ab eadem Sede similia contigerit in illa committi, facere possit, non obstantibus aliquibus litteris vel indulgentiis Apostolicis impetratis, vel in posterum impetrandis, quæ de hoc non fecerint mentionem. Inhibemus quoque ne quis post professionem in Ordine vestro 20.
factam, ab ipso Ordine sine sui Magistri, seu Prioris licentia decedat, decedentem vero absque cautione litterarum alterius ipsorum prætextu alicuius priuilegij Apostolicæ Sedis nullus audeat retinere, quod si fortè retinere prēsūpserint, vobis Magister, & singuli Priores dūtaxat, & vestris Vicariis licitū sit in ipsos decedentes Fratres excōmunicationis sententiā promulgare: detinētes verò eosdē secū vel Monasteriis, seu Ecclesiis suis, nisi eos eiecerint postquam eis denunciatum fuerit, excommunicationis sententiæ volumus subiacere, non obstantibus quod excommunicati, suspendi, vel interdici non possint per litteras Apostolicas nō fa- 21.
cientes plenā, & expressam de indulto huiusmodi mentionem. Si verò aliqui de Fratribus vestri Ordinis post obtentam licentiā à Sede prædicta: aut à vobis ad Religioné aliā transeundi, infra duos, vel tres menses se ad illā Religioné suæ saluti congruā non contulerint, & ipsius non susceperint habitum Regularem, licitū sit vobis singulis Magistro, Prioribus, & vices vestras gerentibus, contra ipsos tanquam

quam contra alios vestri Ordinis apostatas procedere, secundum quod honestati dicti Ordi-
22. nis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius Religionis intra tempus probationis nulla professiones facta, inde præsumpserint resilire, aut etiam si post professionem huiusmodi ad Religionem laxiorem seu mitiorem Ordinem transierint, vel, quod absit, ad seculum reuertantur, vos volumus contra ipsos rigorem vestri Ordinis exer-
23. cere. Apostatas quoque vestri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare vel alias subdere disciplinæ rigori possitis per vos, atque etiam alios, in quocunque habitu contigerit eos inueniri, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Inhibemus etiam, vt Fratres, quos
24. ab Ordine vestro pro suis culpis per Magistrum, & Priores, ac eorum Vicarios expelli contigerit, vel qui egressi fuerint proprio suo motu, prædicare, confessiones audire, seu docere præsumant, nisi ad alium Ordinem, in quo licitū huiusmodi exerceantur officia, transire de nostra, vel Magistri, seu Prioris, vel Vicariorum ipsorum licentia speciali contigerit: quod si forte ipsi contra huiusmodi inhibitionem nostram, aliquid super præmissis temere attentare præsumpserint, vos Magistri, & & singuli Priores, vel vestri Vicarij in illos, quos infra fines prædicationis suæ iuxta consuetudinem Ordinis vestri distractos inueneritis, talia præsumentes monitione præmissa, authoritate nostra excommunicationis sententiam valeatis promulgare. Eiectos autem de Ordine vestro, vel egressos, qui receptione in eodem Ordine suis culpis exigentibus reddiderint se indignos, & alios Fratres eiusdem Ordinis ex rationabili causa ad quoscumque Ordines approbatos, præterquam ad Beati Augustini, Hospitaliorum, & aliorum Religiosorum arma portantium, ad vitandam occasionem euagandi vos Magister, & singuli Priores, seu vestri Vicarij cum testimonialibus litteris authoritate nostra licentiandi liberam habeatis facultatem. Nos enim districtius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter transire, vel aliqui eos recipere seu tenere præsumant absque licentia speciali Sedis Apostolicæ faciente de hoc plenam mentionem. Inhibemus etiam vt nulli siue sit in Religio-
25. nis Ordine, siue extra Ordinem constitutus, habitum vestrum aut ita consimilem, quod propter eum Frater Prædicator credi possit, deferre liceat absque mandato Sedis Apostolicæ speciali. Et vt dicta inhibitio maiorem consequatur effectum, statuimus vt hi, qui habitum vestrum, aut sibi consimilem in prædicto modo deferre præsumpserint, ad deponendum ipsum per diœcesanos locorum, cum à vobis requisiti fuerint, monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam appellatio-
26. ne postposita compellantur. Cæterum cum humilitas vestra sibi de latitudine orbis terræ, nihil præter domos, & hortos cum virgultis præmiorum obtentu cœlestium duxerit reseruandum nos piè volentes, quod illorum fructus vestræ paupertatis vsibus applicentur: vt de dictis hortis, & virgultis vestris nulli decimam teneamini exhibere, vobis authoritate præsentium Indulgemus, districtius inhibendo, ne quis à vobis de præmissis ali-
27. quid exigere, vel extorquere præsumat. Quia vero nonnulli vestræ Religionis habitum assumentes diuersis personis, quæ sciri, & inueniri non possunt, aliqua bona restituere interdum tenentur, vobis Magistro, & Prioribus, ac Vicariis prædictis concedimus, vt singuli vestrum in locis sibi commissis bona ipsa in pios vsus conuertere valeant, provt secundum Deum viderint expedire. Sepul- 28.
turam quoque in locis, cœmeteriis, & Ecclesiis vestris concedimus, & eam liberam esse censemus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati. qui se illic sepeliri desiderauerint (nisi excommunicati, & interdicti, aut etiam publici vsuratij fuerint) nullus obsistat, salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorū corpora assumuntur. Districtius inhibentes, vt nulli Religiosi, vel sæculares, vobis inuitis, aliquorum corpora defunctorum in vestris cœmeteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris Missarum solemnia, vel pro animabus ipsorum, qui ad loca vestra tumulandi feruntur; ibique exequias celebrare sine vestro assensu, & voluntate præsumant. Inhibemus insuper vniuersis Fratribus Ordi- 29.
nis vestri, ne aliqui eorum aliis, quàm Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, nisi necessitatis vrgente articulo: vel nisi forte Magister, vel Prior proprius alicui Fratri dederit Fratri alteri eiusdem Ordinis licentiam confitendi. Vniuersis autem Ecclesiarum Prælatis, & aliis inhibemus confessio- 30.
nes vestras vobis inuitis audire, vel compellere ad Synodos, vel conuocationes suas accedere, vel cum eis extra ciuitatem, vel intra processionaliter exire, aut suis Constitutionibus subiacere, vel Capitula, Scrutinia, vel Inquisitiones in locis vestris vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem iuramēto firmatam, & annualem obedientiam à Prioribus, & superioribus vestris exigere, aut de ipsorum institutione, vel destitutione, seu statutis vestri Ordinis se aliquatenus intromittere, seu prohibere, ne ad ciuitates vel villas, vbi religiosè, & honestè commorari possitis, à populis euocati audiatis accedere, ibique pro vestris vsibus construere ædificia, Ecclesias, seu Oratoria, aut in accedentes Fratres 31.
seu construentes huiusmodi, vel receptatores ipsorum excommunicationis sententiam ferre præsumant. Concedimus quoque vobis, vt de illis, quæ in ornamentis, vel pro eis aut libris, fabrica, aut luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, 32.
trigesimo, siue aliis ad perpetuū cultum diuinum, seu pro pitantiis, aut victu ad sustentationem vestram, vel indumentis, nec non pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquæ domus vestri Ordinis obligari noscuntur, vel de domibus, prædiis, & hortis, aliisque locis vestris secundum Instituta vostri Ordinis opportunis, aut de his, quæ pro huiusmodi domibus, prædiis, hortis, & locis emendis vobis legantur (dummodo præmissa non conuertantur in alios vsus, sed in illos duntaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac concessione, vel indulgentia continentur) nulli canonicam portionem aliquam tentamini exhibere. Et nequis à vobis, vel vltimarum executoribus voluntatum, seu decedentium hæredibus de præmissis aut de his, quæ vobis in vltimis voluntatibus absolutè legantur, vel alias pro vestris necessitatibus conferantur, aliquid exigere. vel extorquere præsumat, districtius inhibemus. Adhæc li- 33.
ceat Fratribus vestri Ordinis, cum de prioribus locis suis ad alia loca se transferunt, tam ædicifiicia, quam omnem ædificiorum materiam locorum, quæ dimittunt (dedicatis Ecclesiis duntaxat exceptis) quàm libros, calices, & paramenta secum ad alia loca transferre, ac ædificia ipsa cum loco, & aliis ad eadē loca pertinentibus, præter Ecclesias, per personas ad hoc à Sede Apostolica deputatas vendere, ipsorumque pretium in aliorum loco-

rum, ad quæ dicti Fratres se transferunt, ædificationem, seu alias in eorum vtilitatem conuertere, secundùm quod eis videbitur melius expedire. Et
34. ne aliqui Episcopi, vel Archiepiscopi, aut alij Ecclesiarum Prælati, seu quæuis alia persona Ecclesiastica, vel sæcularis prædicta loca, seu bona occupare, accipere, vel vsurpare, aut quoquo modo sibi vendicare præsumant absque dictæ Sedis licentia speciali, districtius inhibemus. Indulgentes vobis, vt ad præstationem procurationum legatorum prædictæ Sedis, vel nunriorum ipsius, seu dioecesanorum locorum, aut exactionum vel collectarum, seu subsidiorum, vel prouisionum quarumcumque minimè teneamini, nec adeo soluenda per litteras dictæ Sedis, aut legatorum, aut nunciorum eiusdem, seu rectorum terrarum Ecclesiæ Romanæ impetraras, seu in posterum impetrandas cuiuscumque tenoris fuerint, in perpetuum compelli possitis, nisi dictæ Sedis litteræ impetrandæ plenam, & expressam de indulto huiusmodi, & dicto ordine fecerint mentionem. Cæterum cum felicis recordationis Innocentius Papa IV. præde-
35. cessor noster olim duxerit statuendum, vt exempti quantocumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, seu contractus, aut res, de qua contra ipsos agitur, ritè possint coram locorum Ordinariis conueniri, & illi quoad hoc suam in illis iurisdictionem, prout ius exigit, exercere. Nos vobis, vt occasione Constitutionis huiusmodi nullum libertatibus, & immunitatibus vobis, & Ordini vestro per priuilegia, & indulgentias à Sede Apostolica concessis, vel in posterum concedendis præiudicium generetur, authoritate præsentium indulgemus, decernentes vos, seu personas vestri Ordinis in prædictis casibus Ordinariis ipsis minimè subiacere. Decernimus ergo irritum, & inane, quidquid contra tenorem concessionum, & inhibitionum huiusmodi per quoscumque fuerit attentatum, & interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas contra concessiones, constitutiones, & inhibitiones easdem in vos, vel vestrum aliquos vel loca vestra, seu benefactores, vel executores, aut hęredes prædictos, in posterum promulgari contigerit, penitus non teneare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum concessionum, & inhibitionum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auinioni II Non. Martij Pontificatus nostri anno IV.
36. Cæterum vt earundem litterarum tenor sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, authoritate Apostolica decernimus, vt illud idem robur, eamque vim, & eundem vigorem tenor ipse per omnia habeat, quæ haberent originales litteræ supradictæ, & eadem prorsus huiusmodi tenori fides adhibeatur, quandocunque & vbicumque siue in iudicio, siue extra, vel alibi vbi fuerit exhibitus, vel ostensus, & eidem stetur firmiter in omnibus, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur; ac sicut eis staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, neque per hoc originales litteras dicti Gregorij, seu Bonifacij, aut Benedicti, ad quarum instar illæ sunt editæ, producere seu ostendere teneamini. Verum ne dubitationes ac controuersiæ, quæ aliàs vos pluribus laboribus, & expensis vexauerunt, de cætero vobis fiant, & ex certa scientia decernimus, vt dictum priuilegium Gregorij Papæ XI. in iudicio, & extra in qualibet sua dispositione inuiolabiliter obseruetur; non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, illa præsertim felicis recordationis Clementis Papæ V. prædecessoris nostri edita in Concilio Viannensi, quæ incipit, *Dudum*, necnon priuilegiis, gratiis, & concessionibus Apostolicis genere vel specie quibuscumque Ecclesiis, personis siue locis sub quauis forma vel expressione verborum; etiamsi de his habenda esset in præsentibus mentio specialis, seu per quæ præsentibus non expressa, aut totaliter de verbo ad verbum non inserta, earum in toto, seu in aliqua parte sui effectus posset aliqualiter impediri & aliis contrariis quibuscumque. Nos autem ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his aut eorum aliquo à quoquam quauis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.
37. Declarantes clausulam illam, videlicet, *Salua tamen iustitia Ecclesiarum illarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur*, in omnibus aliis debere intelligi, præterquam in illis, de quibus in ipso priuilegio specialiter cauetur, quod canonica portio minimè exigatur. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud sanctos Apostolos XII. Kal. Iulij. Pontificatus nostri anno X. Cæterum vt quarumlibet litterarum earundem tenor sic insertus omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, authoritate Apostolica prædicta decernimus, vt illud idem robur, eandémque vim, & eundem vigorem tenor ipse omnia habeat, quæ haberent singulæ originales litteræ supradictæ, & eadem prorsus huiusmodi tenori fides adhibeatur, quandocumque & vbicūque, siue in iudicio, vel alibi, vbi fuerit exhibitus, & ostensus ac eidem stetur firmiter in omnibus, quæ singulis eisdem originalibus litteris adhiberetur, ac sicut eis staretur si forent exhibitæ, & ostensæ, nec originales litteras Gregorij, seu Bonifacij, Benedicti, vel Martini huiusmodi præfati Magister, Priores, & Fratres producere, seu ostendere teneantur, volens etiam authoritate Apostolica, & scientia supradictis, harum serie decernentes, quod priuilegiū Gregorij Papæ XI. huiusmodi in iudicio, & extra in qualibet sui dispositione inuiolabiliter obseruentur. Non obstantibus Constitutionib. Apostolicis, illa præsertim piæ memoriæ Clementis Papæ V. etiam prædecessoris nostri in Concilio Viennensi edita, quæ incipit, *Dudum*, necnon priuilegiis, & gratiis, & concessionibus Apostolicis in genere, vel in specie quibuscumque personis, Ecclesiis, seu locis sub quauis forma, aut verborum expressione concessis, etiamsi de illis præsentibus habenda foret mentio specialis, seu per quæ præsentibus non expressa, aut totaliter non inserta earum, in toto, seu in aliqua parte sui effectus posset aliqualiter impediri, & aliis contrariis quibuscumque. Nos enim ex hunc irritum decernimus, & inane, si secus super his vel eorum aliquo à quoquam quauis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo, &c. Datum Florentiæ anno Incarnationis Domini millesimo quadringētesimo quadragesimo tertio Idib. April. Pontificatus nostri anno XI. Nos igitur qui dicti Ordinis FF. Prædicatorum, & personarū eius statū prosperum & tranquillum propter vberes fructus, quos Ordo ipse multa præfulgēs gloria meritorū, & gratia sanctitatis in agro militantis Ecclesiæ in propagationem fidei Orthodoxæ hactenus produxit vtiliter, ac producit, & in futurum productū fore spe firma tenemus, palmites suos à mari vsque ad mare, & etiam ad Barbaras extēdendo nationes intensis desideramus affectibus, Gregorij, Martini, &

& Eugenij, ac aliorum prædecessorum nostrorum,
qui Ordinem prædictum Fratrum Prædicatorum
aliis variis priuilegiis non immeritò decorarunt,
vestigiis inhærentes, motu proprio non ad eo-
rum dicti Ordinis Fratrum, professorum, vel al-
38 terius super eis, Nobis super hoc oblatæ petitio-
nis instantiam, sed de mera nostra voluntate, &
deliberatione, ac certa nostra scientia prædictas
Gregorij, & quascunque alias quorumcumque
Romanorum Pontificum prædecessorum nostro-
rum litteras dicto Ordini Fratrum Prædicatorum,
& illius domibus, & professoribus in genere, sub
quacunque verborum forma concessas, quas ac si-
de verbo ad verbum vna cum prædictis litteris
Eugenij prædecessoris præfati insertæ forent, ha-
beri volumus pro expressis, & omnia singula in
illis contenta authoritate Apostolica tenore præ-
sentium approbamus, & robur perpetuæ firmitatis
obtinere decernimus, ac pro potiori cautela om-
nia, & signacula per Gregorium, & Martinum, &
Eugenium, aliosque prædecessores prædictos in
eisdem litteris pro & in fauorem dicti Ordinis
Fratrum Prædicatorum, quomodolibet ordinata,
statuta, decreta, concessa, & indulta fieri, & con-
seruari debere authoritate, motu scientia prædi-
ctis, de nouo ordinamus, statuimus, atque decer-
nimus, & eidem Ordini Prædicatorum, illiusque
domibus, & professoribus concedimus, & indul-
gemus. Et quia, sicut accepimus, nosque ipsi ex-
perientia didicimus in minoribus constituti, circa
litteras, & priuilegia huiusmodi nonnulla dubia
postmodum sunt exorta, habita super his conside-
ratione decenti, motu, authoritate, & scientia
prædictis litteras eiusdem Gregorij prædecessoris
39 ea in parte, in qua concedit dicti Ordinis professo-
ribus: vt liceat eis in locis, in quibus degunt, ha-
bere Oratoria, & in eis cum altari portatili etiam
tempore interdicti, ianuis clausis, Missarum so-
lemnia, & alia diuina officia celebrare, & quod
eorum insistentes obsequiis censuris generaliter
promulgatis non ligentur; cùm contingat eos
persæpe requiri, vt etiam extra oratoria super hu-
iusmodi altari portatili celebrent officia diuina, &
ad illa interdicti tempore tertij Ordinis sancti
Dominici de pœnitentia nuncupati Fratres & So-
rores, ac suos, & illorum procuratores admittant,
extendentes, concedimus eisdem Fratribus, vt non
solum in Oratoriis, & locis, in quibus degunt,
sed etiam in quouis alio loco congruenti; & ho-
nesto possint super altari portatili huiusmodi Mis-
sas, & alia diuina officia liberè, & licitè celebrare:
40 exceptis Ecclesiis ab Ordinarij iurisdictione non
exceptis, quoties illud eisdem Fratribus per Or-
dinarios ex causa contingeret inhiberi. Et vt liceat
eis tempore interdicti Fratres, & Sorores dicti
Ordinis beati Dominici de Pœnitentia nuncupati,
necnon ipsorum Fratrum Prædicatorum, ac Fra-
trum, & Sororum dicti tertij Ordinis procurato-
res, & negotia gerentes vtriusque sexus admittere
41 ad diuina. Præterea quia idem Gregorius præde-
cessor in dictis suis litteris Magistro, & Prioribus
Prouincialibus, & conuentualibus, & eorum Vica-
riis absoluendi Fratres eiusdem Ordinis, necnon
Fratribus dicti Ordinis, quos ipse Magister, Prio-
res Prouinciales, & Conuentuales habuerint pro
tempore in Confessores absoluendi ipsos Magi-
strum, Priores Prouinciales, & Conuentuales, ab
excessibus, & censuris, nisi talia forent propter
quæ essent ad Sedem Apostolicam meritò desti-
nandi; ac cum eis desuper dispensandi concedit;

& propterea qui sunt destinandi, persæpe reuoce-
tur in dubium, vt absoluentium, & absoluendo-
rum, dispensantium, & dispensatorum pro tem-
pore puritati conscientiæ consulamus; declaramus
hæreticos relapsos, schismaticos, & qui litteras
Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibi-
ta detulissent, duntaxat esse ad Sedem Apostoli-
cam meritò destinandos, reliquis verò omnibus 42
etiam simoniæ qualitercunque irretitis posse per
illos, quibus inibi conceditur absolutionis benefi-
cium, & dispensationis iuxta casuum indigentiam
impartiri. Et vt dicti Ordinis professoribus omni-
bus vagandi tollatur occasio, & ad Sedem Apo-
stolicam recurrendi subtrahatur pro posse necessi-
tas Magistro, & Prioribus Prouincialibus, & Con-
uentualibus ac illorum Vicariis defectum nata-
lium ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis
alio nefario, & illicito coitu prouenientem pa-
tientibus, necnon cum his, qui ex quauis causa
præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mu-
tilationis membrorum irregulares forent, dispen-
sandi cum dicti Ordinis Prædicatorum professori-
bus, postquam ipsum Ordinem professi fuerint, vt
defectu, & irregularitate huiusmodi non obstante
irregulares, ipsi ad quoscunque etiam sacros Or-
dines; & in illis etiam altaris ministerio ministran-
tes, & tam ipsi irregulares, quàm defectum nata-
lium patientes prædicti ad quæcunque admini-
strationes & officia eligi, recipi, & assumi, illaque
gerere, & exercere libere, & licitè valeant, motu, 43
scientia, & authoritate prædictis concedimus per
præsentes. Eam verò partem litterarum eiusdem
Gregorij prædicti, in qua sepulturam in Ecclesiis
Fratrum dicti Ordinis liberam esse voluit, salua
iustitia Ecclesiarum, à quibus corpora assumuntur,
declarantes libertatem huiusmodi intelligi debere
etiam, quoad hoc, vt Fratres ipsi nullius super
hoc petita licentia, Parochias, in quibus corpora
prædicta forent, cum cruce processionaliter ingre-
di; & corpora ipsa leuare, & ad eorum Ecclesias
sepelienda deferre possint, vbi hoc consuetum fo-
ret: vel Presbyteri de eleuatione requisiti hoc fa-
cere recusarent. Nec cogantur inuiti etiam prætex- 44
tu cuiuscunque consuetudinis ipsi vel defuncto-
rum consanguinei illa ad Parochiales Ecclesias, vel
ad alia loca deferre, & cum illis vel sine inibi ce-
lebrare vel celebrari facere pro eisdem defunctis
aliqua diuina officia, ante, vel post sepulturam ea-
rundem. Iustitiam verò Ecclesiarum, à quibus
corpora ipsa assumuntur, iuxta Martini prædicti
prædecessoris nostri voluntatem, saluam esse de-
bere decernimus in omnibus aliis casibus præter
eos, in quibus eorundem Gregorij, Martini, &
Eugenij prædecessorum nostrorum specialia priui-
legia Fratres ipsi ab huiusmodi solutione quartæ
sunt exempti. Nec in aliquo casu de candelis, quæ
ad manus Fratribus dantur, quarta aliqua quomo-
dolibet detrahatur. In reliquis verò casibus, quàm
in præmissis, in quibus quarta ipsa soluenda ve-
nerit, conuentiones, si quæ sunt inter Fratres præ-
dictos, & locorum Ordinarios, ac Ecclesiarum Re-
ctores initæ laudabiles, & honestæ, in posterum
obseruentur. Et si fortè per Nos, vel Sedem Apo-
licam de piis legatis dispositis, & relictis in gene-
re, vel in specie decima, vel alia portio, seu quarta
alteri piæ vel non piæ causæ ex quauis causa ha-
ctenus concessa foret, aut in futurum concedi, &
solui, aut dari mandari contingeret, Fratres præ-
dictos, atque illorum domos, & eis legata, & reli-
cta, aut aliàs in eorum fauorem exposita in con-

cessionibus, & mandatis huiusmodi decernimus, atque volumus non includi, nisi de ipsis Fratribus, ac præsenti decreto, ac voluntate nostris non per generales clausulas, quæ etiam per specialem mentionem importare viderentur, sed vera, & specifica mentio fiat de eisdem. Indultum verò eiusdem Gregorij prædecessoris de decimis non soluendis, ad quæcunque bona dictorum Fratrum, & quascunque decimas etiam quas vulgus Papales appellat, & Apostolica Sedes pro Christianæ fidei de-
45 fensione, aut aliis imminentibus persæpe necessitatibus indicit, & quæcunque alia onera motu, & scientia prædictis extendimus. Decernentes Fratres ipsos Prædicatores, etiamsi per quascunque exemptos etiam Mendicantes solui mandarentur cum quibusuis derogatoriis, & fortioribus clausulis ad earum solutionem non teneri, & in illorum solutione cessando censuras, & pœnas aliquas non incurrere, nisi præsentibus, non per generales, & alias clausulas specialem mentionem importantes, non aliàs sit derogatum specificè, eo-
46 rum de verbo ad verbum inserto tenore. Et ne prætextu Constitutionis Innocentij IIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, *Volentes*, locorum diœcesani, & alij Ordinarij; ac alij quicunque in personas, & loca Fratrum Prædicatorum contra eiusdem Gregorij prædecessoris ordinationem sibi quamcunque iurisdictionem, & superioritatem vendicare præsumant districtius inhibemus, ne quispiam absque dictæ Sedis speciali commissione, & authoritate in personas, domos, & loca dicti Ordinis Prædicatorum, vtpote prorsus exempta, aliquas excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias specialiter vel generaliter quomodolibet promulgare, aut in personas, domos, & loca huiusmodi aliquam præeminentiam, superioritatem, & iurisdictionem quomodolibet exercere præsumat, etiam ratione contractus vel delicti, seu rei de qua contra ipsos ageretur, vbicunque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat. Decernimus quoque ex nunc quaslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscunque processus, quasuis pœnas, & sententias generales vel speciales continentes, quos vel quas promulgari, vel haberi, & omnia quæ contra Fratres, domos, & loca dicti Ordinis quomodolibet fieri contigerit, etiam eorum exemptione, vtpote notoria non aliter allegata, nullius roboris, vel momenti esse, & pro infectis haberi debere. Præterea quia Parochia-
47 lium Ecclesiarum Rectores præfati erga illos, qui dicti Ordinis Prædicatorum Fratribus eorum peccata confitentur, persæpe in exhibitione Eucharistiæ, & extremæ vnctionis se reddunt difficiles, concedimus ipsius Fratribus Ordinis Prædicatorum, vt personis eis confessis, quibus Rectores præfati sine rationabili causa denegarent, seu malitiosè distulerint Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis Sacramenta ministrare (super quo eorundem confessorum assertioni stari debeat) illa petenti-
48 bus possint impunè exhibere. Et cum aliquando contingat Monasteria Monialium sancti Augustini sub cura, habitu, & Constitutionibus Fratrum Prædicatorum degentium Monialibus destitui, adeo vt de eorum reformatione spes nulla supersit, conuenientiusque sit, quod illorum sic destitutorum bona ad ipsos Fratres deueniant, quorum erant curæ commissa, quàm ad alios, illa quæ sic destituta existunt, & destrui contigerit, in futurum cum eorum bonis omnibus in perpetuis vsibus Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum, quibus ex forma regiminis ipsius Ordinis competit, applicamus, ita vt Fratres ipsi possint de illis, & eorum Monasteriorum structuris, & ædificiis pro eorum voluntate disponere, prouiso, quod illorum Ecclesiæ, & Oratoria ad profanos vsus non redigantur, sed in illis quandoque diuina celebrentur officia. Insuper cum nonnulli ad Ordinem prædictum Fratrum Prædicatorum specialem gerentes deuotionis affectum ordinent eorum cadauera cum habitu Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum, aut sororum dicti Ordinis de Pœnitentia sepeliri: ne ex eorum corporum delatione ad aliqua loca, Ordini, & Fratribus prædictis iniuria irrogetur, decernimus tales apud Fratres ipsos esse sepeliendos, etiamsi alibi suam elegissent sepulturam: nec posse etiam in loco per eos electo cum habitu prædicto quomodolibet sepeliri, aut ad sepeliendum portari, absque Fratrum domus, loci, in quo tales decesserint expressa licentia, & assensu. Cæ- 49
terùm, ne si ratione Parochialium Ecclesiarum, apud quas eorum Fratrum domus constructæ fuere aut construerentur, in posterum locorum Ordinarij in eorum Fratres aliquam superioritatem sibi vendicare tentarent, Fratrum eorundem quies in aliquo perturbaretur, concedimus eisdem Fratribus, vt in sic concessis, & quas eis concedi contigerit, curatis Ecclesiis possint per Capellanum per eos pro eorum nutu ponendum, & amouendum curam huiusmodi exercere, qui quandiu capellanatus huiusmodi fungetur officio, ac si dicti Ordinis Prædicatorum professor existeret, dictorum Fratrum Prædicatorum libertate, & exemptione vbique fruatur: Ecclesiæ verò prædictæ, & illarum bona illa, qua domus dicti Ordinis prærogatiua lætentur. Rursus intelleximus, quod & si 50
bonæ memoriæ Ioannes vigesimus secundus prædecessor noster illorum opinionem, qui asserebant, quod confessi Fratribus prædictis, vel aliorum Mendicantium ad audiendas confessiones iuxta Iuris dispositionem deputatorum pro tempore, tenebantur eorum peccata Rectori eorum Parochialis Ecclesiæ iterum confiteri, reprobauerit, & deinde præfatus Eugenius prædecessor reprobationem huiusmodi approbans contra talia asserentes, tanquam de hæresi suspectos per locorum Ordinarios inquiri, & procedi mandauerit, ac successiuè piæ memoriæ Nicolaus Papa V. similiter prædecessor noster gesta in præmissis à Ioanne, & Eugenio prædecessoribus robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreuerit, nihilominus adhuc nonnulli eorum adhærentes proteruiæ, opinionem prædictam, & desuper factos damnatos, & malè sonantes, ac reprobos articulos veros esse affirmare non verentur: vt talium superstitiosa temeritas tanto minus inualescat, quanto erit superiorum correctione damnata, concessam contra tales per eiusdem Eugenij prædecessoris litteras locorum Ordinariis facultatem ad inquisitores hæreticæ prauitatis extendimus, ac volumus, quod inquisitores ipsi quicunque fuerint, eadem qua Ordinarij contra tales authoritate fungantur. Postre- 51
mo cum Fratres Ordinis Minorum, sicut & prædicti Prædicatorum Ordinis professores pro fidei Catholicæ dilatione continuò indefessi laborent, fructusque afferant in Dei Ecclesia salutares, & 52
propterea fuerint variis per Sedem prædictam priuilegiis decorati, vt quos par labor, pariaque merita coniungunt, paria coniungant priuilegia, & fauores, concedimus eisdem professoribus Ordinis

Prædi

Prædicatorum, vt concessis Fratribus Minoribus, & eisdem Ordinis Minorum Fratribus præmissis, & aliis concessis prædictis Fratribus Prædicatoribus priuilegiis, indulgentiis, gratiis, fauoribus, & indultis, tam spiritualibus quam temporalibus à prædictis, & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, aut aliis authoritatem habentibus, quæ omnia ac si nominatim exprimerentur, haberi hic volumus pro expressis, & nostræ approbationis munimine solidamus, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere, potiri, & gaudere possint, & debeant perpetuis futuris temporibus in omnibus, & per omnia prorsus, & sine vlla differentia, proinde ac si quæ vni ex Ordinibus prædictis sunt concessa, vtrique simul nominatim concessa fuissent aut concederentur in posterum. Et quæ de Magistro Generali, & de Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, ac eorum Vicariis, necnon Monasterio Monialium sancti Augustini sub eorundem Fratrum Prædicatorum cura, & secundum ipsius Ordinis Prædicatorum instituta viuentium sunt instituta, in Generali, & Prouincialibus Ministris, ac Vicariis dicti Ordinis Fratrum Minorum, necnon & Monasteriorum Sororum sancti Damiani nuncupatarum censeantur esse instituta. Districtius inhibentes eisdem locorum Ordinariis sub interdicti ingressus Eccle-
53 siæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & aliis quibuscunque sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem Parochialium Ecclesiarum, ac omnium aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in posterum pœnis eo ipso per eos, qui contra fecerint, incurrendis, ne Ordines prædictos Fratrum Prædicatorum, & Minorum ac illorum domos, & professores præter, aut contra Martini, Grogorij, & Eugenij aut aliorum quorumcumque prædecessorum nostrorum, & præsentium nostrarum litterarum tenorem inquietare, seu molestare, & eos, aut testamentorum, vltimarumque voluntatum executores, & hæredes prædictos seu quoscunque alios directè, vel indirectè ad solutionem alicuius quartæ Parochialis seu Canonicæ, vel alterius portionis, seu oneris; & faciendum celebrari aliquod officium in eorum Ecclesiis, vel alibi; dum apud ipsos Fratres decedentium cadauera tumulantur, ante vel post eorum sepulturam cogere, nec confessis dictis Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus pro tempore Eucharistiæ, seu Extremæ vnctionis Sacramenta sine rationabili causa denegare, vel illorum exhibitionem malitiosè differre: aut eorum Parochianis, ne dictis Fratribus Prædicatoribus, vel Minoribus confiteantur, prohibere, vel persuadere: nec etiam ad præmissa, seu aliquod præmissorum auxilium, consilium, vel fauorem directè, vel indirectè quoquo modo dare præsu-
54 mant. Et nihilominus cuilibet in dignitate Ecclesiastica constituto & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ Canonico per vniuersum orbem, qui desuper per prædictorum Ordinum Priores, Guardianos, & Fratres, ac illorum, seu ad commodum eorum Romanæ Ecclesiæ Syndicos desuper fuerint requisiti per Apostolica scripta in solidum mandamus, quatenus per se, vel alium seu alios præmissa, vbi, & quando opus fuerit, publicantes: ac eisdem Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus, ac illorum domibus, & professoribus, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eos pacifica possessione, vel quasi, priuilegiorum, & concessionum huiusmodi gaudere: non permittentes eos, seu testamentorum executores, & hæredes prædictos contra illorum tenorem per Ordinarios, & Rectores prædictos, & quoscunque alios indebitè molestari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari; ac etiam summariè, & de plano sine strepitu, & figura iudicij sola facti veritate inspecta contra quoscunque cuiuscunque qualitatis, vel conditionis existant, & quacunque Ecclesiastica, & Patriarchali, Archiepiscopali, vel Episcopali, vel mundana forent dignitate & exemptione muniri, in quibuscunque causis per eos mouendis quacunque ratione vel causa, quæ excogitari possit, eis ministrent iustitiæ complementum, exequendo quod per eos fuerit ordinatum. Et illos quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit, irretitos esse declarent, ac faciant, & mandent interdictos, suspensos, & excommunicatos publicè nunciari; ac ab omnibus arctius euitari; ac legitimis super his habendis seruatis processibus, illos quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauare procurent. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus constitutionibus Bonifacij, quibus cauetur, ne quis extra suam ciuitatem, & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur; seu, ne Iudices à Sede Apostolica deputati extra ciuitates, & diœceses, in quibus deputati fuerint, contra 55
quoscunque procedere, aut alij, vel aliis vices suas committere præsumant; & de duabus dietis in Concilio generali, necnon quæ incipit, *Super Cathedram* Bonifacij, & *Dudum* Viennensis Concilij, ac Callisti Papæ III. etiam prædecessoris nostri litteris, aliisque Apostolicis, ac etiam in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus: necnon Othonis, & Othoboni olim in Regno Angliæ Apostolicæ Sedis legatorum Constitutionibus; Ecclesiarum quoque atque locorum quorumlibet statutis, & consuetudinibus, & inter quoscunque dictorum Ordinum Fratrum Prædicatorum, & Minorum professores, atque locorum Ordinarios, seu Rectores prædictos initis, & conclusis, ac hactenus obseruatis pactis, & conuentionibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis, necnon omnibus illis, quæ Gregorius, Martinus, & Eugenius præfati prædecessores in prædictis eorum litteris voluerunt, non obstantibus contrariis quibuscunque: quibus omnibus illa ac si de verbo ad verbum insererentur, ac derogatoriarum derogatorias clausulas in se continerent, præsentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, quoad præmissa specialiter, & expresse derogamus. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Rectoribus præfatis, seu quibusuis aliis communiter, & diuisim à Sede præfata indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut vltra, vel extra certa loca ad iudicium euocari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat

leat quomodolibet, vel differri, & de qua cuiusque tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim ex nunc illa, & quæcunque alia, quæ in futurum per Nos, vel Sedem Apostolicam quomodolibet concedi, statui, decerni, vel ordinari contigerit contra Gregorij, Martini, & Eugenij, aliorumque prædecessorum nostrorum prædictorum, & præsentium litterarum huiusmodi tenorem; necnon si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irrita, ac inania, ac nullius roboris, vel
56 momenti esse decernimus. Et quia difficile foret præsentes litteras ad singulas Prouincias originaliter destinare, volumus, & dicta authoritate decernimus, quod transumptis earum manu notarij publici, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, aut alicuius Archiepiscopi, vel Episcopi, seu dictorum Ordinum Magistri, & Generalis Ministri sigillo munitis, eæ prorsus in iudicio & extra vbicunque exhibitæ, vel ostensæ forent, fides adhibeatur ac si ipsæ originales litteræ forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, inhibitionis & constitutionis, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, pridie Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno quarto.

COMMENTARIVS IN MARE MAGNVM FF. Prædicatorum.

SVMMARIVM.

*Mare magnum Prædicatorum vbi extat.num.*1.
Cur vocetur hæc Bulla Mare magnum.*num.*2.
*De Antiquitate, Institutione, Excellentia, & Laudibus Ordinis Prædicatorum.num.*3.
*Sixtus IV. Author huius Maris magni quis, & quando ad Papatum assumptus.num.*4.
*Generalis Prædicatorum statim ac est electus, est confirmatus.num.*5.
Idem priuilegium habent alij Mendicantes.ibid.
*Casu quo non vtantur illo, confirmatio debet peti à Papa.num.*6.
*De iis, quæ spectant ad confirmationem electionum remissiuè.num.*7.
*Generales absolui, & amoueri possunt à diffinitoribus Capituli generalis.num.*8.
Attendendum ad constitutiones Ordinum, ibid.
*An Generales, vel saltem Capitula generalia possint erigere, diuidere, aut vnire Prouincias, num.*9.
*Generales nequeunt id facere, nisi cum Capitulo generali, num.*10.
Erectio Prouinciæ Patrum Primi Instituti *appellatorum.ibid.*
*Diuidi debent Prouinciæ, quando commodè visitari non possunt, & propter alias rationes.n.*11.
*Priuilegium de Lectoribus pro Theologia non impediendis à suo munere.n.*12.
Alia circa tales Lectores.ibid.
*Alia remissiuè, num.*13.
*Priuilegium de Ordinariis non se intromittendis in institutis, & Prælatis Ordinis.n.*14.
*Facultas ad prouidendum de Prælatis sine electione, quando ipsorum electio confirmanda non venit.n.*15
*An extendatur ad Prouinciales.num.*16.
*In electionibus faciendis non obligantur Fratres omnibus iuris Regulis.n.*17.
*Priuilegium de Dimissoriis concedendis pro Ordinum receptione à quocunque Episcopo Catholico.n.*18.
An reuocatum sit per Concilium Tridentinum, & sacram Congregationem.ibid.
*Quas pœnas incurrunt contra talem reuocationem aliquid facientes.n.*19.
*Præsentati ad Ordines suscipiendos, num semper examinandi.n.*20.
*Absque omni promissione, vel obligatione admittendi. num.*21.
*Alia remissiuè.n.*22.
*Priuilegium de habendis Oratoriis, & in ipsis celebrando cum altari portatili.n.*23.
Nomine diuini Officij quid intelligatur. ibid.
*Priuilegium celebrandi, & recipiendi Sacramenta tempore interdicti.n.*24.
*De ministrandis Sacramentis, & concedenda sepultura familiaribus.n.*25.
Quomodo id intelligendum.ibid.
*Alia remissiuè.n.*26.
*Quod familiares non comprehendantur censuris, & sententiis generalibus.n.*27.
Dictio continuò, *vel* continuè, *quomodo intelligenda, num.*28.
*Alia remissiuè.n.*29.
*De facultate commorandi inter excommunicatos, & ab eis necessaria vitæ postulandi, n.*30.
De quibus excommunicatis id intelligendum.ibid.
Quomodo liceat ab eis necessaria vitæ postulare. numero 31.
*Qualiter se gerere debeant Religiosi cum hæreticis in eorum terris commorantes.n.*32.
*Quid si sint nominatim excommunicati.n.*33.
*An possint ire Religiosi ad terras hæreticorum, seu infidelium.n.*34.
An Hierosolymam sine Papæ licentia.ibid.
*Priuilegia Religiosorum pro conuersione Infidelium laborantium.n.*35.
*Alia specialia pro Indiis, & Religiosis in Indorum conuersione occupatis.n.*36.
*De facultate absoluendi Religiosos à censuris, & dispensandi cum illis in irregularitatibus.n.*37.
*De facultate absoluendi, & dispensandi circa volentes ingredi religionem.n.*38.
*An extendatur ad vtrumque Forum.n.*39.
Quid intelligatur per clausulam, Seruata forma canonica, *n.*40.
*De exemptione Fratrum Prædicatorum à Litteris Apostolicis, à Collectis, acceptatione visitationis Monialium, & similibus.n.*41.
Per Litteras Apostolicas, *quid intelligatur, n.*42.
*Quomodo eximi possint Religiosi ab ipsis exequendis. n.*43.
*Ordinarij iudicis nomine qui veniant.n.*44.
An Legati, aut Nuncij Apostolici.ibid.
*Legati sunt in triplici differentia.n.*45.
*Alia remissiuè.n.*64.
*Facultas Prælatorum supra Religiosos pro seruitia quarumcunque personarum extra religionem viuentium.n.*47.
Alia pro Fratribus sanctæ Mariæ de Mercede.ibid.
*Congruit iuri communi, & præsertim Concilio Tridentino.n.*48.
*Nequeunt Religiosi commorari extra claustra sine approbatione Sedis Apostolicæ. num.*49.
*Alia remissiuè. num.*50.
Facultas Prælatorum supra Fratres designatos pro Cruce

Cruce prædicanda, vel inquisitione contra hæreticos facienda. num.51
An Commissarius generalis Cruciatæ possit applicare Religiosum ad sui obsequium. num.52.
Nequeunt Prælati hoc tempore remouere Inquisitores Regulares à suo munere. num.53.
Aut substituere alios pro ipsis. ibidem.
An Inquisitores ex Regularibus assumpti possint ab eorum Prælatis si deliquerint puniri. num.54.
Alia remissiuè. num.55.
Facultas Prælatorum ad promulgandum sententias contra Fratres ab Ordine decedentes. num.56.
An excommunicationem incurrant eos detinendo. num.57.
De Apostasia, remissiuè. num.58.
Apostatæ an excommunicationem incurrant, saltem ex priuilegiis. ibid.
An ex Paulo IV. & Pio IV. num.59.
Quid sentiendum de excommunicatione imposita contra detinentes Fratres apostatas. num.60.
Excommunicatio imposita contra Religiosos sine licentia discedentes, vbicunque sint, illos comprehendit. num.61.
Facultas Prælatorum ad procedendum contra Religiosos exeuntes cum licentia transeundi ad aliam Religionem, & id non facientes. num.62.
Iure communi videtur concessa. num.63.
Quid nouo iure S. Congregationis sub Vrbano VIII. propterea statutum sit. num.64.
Alia remissiuè. num.65.
Facultas procedendi contra Apostatas, quo iure competat Prælatis. num.66.
Praxis, & modus procedendi contra illos, capiendi, ligandi, &c. num.67.
Clausula, inuocato auxilio brachij secularis, implicitè continetur in litteris Apostolicis. num.68.
Alia remissiuè. num.69.
Eiecti ab Ordine non prædicant, aut docent, aut confessiones audiunt. num.70.
Licentiari an possint ad alias Religiones. num.71.
An ad laxiorem Religionem licentiari aliqui possint. num.72.
Processus facti pro eiectione an comburendi, vel lacerandi. num.73.
Habitus huius Religionis ab aliis non importandus num.74.
Exemptio à decimis. num.75.
Quid sit hortus, & virgultum. num.76.
Religiosi omnes exempti sunt à decimis de nonalibus. num.77.
Derogatio cap. nuper, de decim. necessaria pro exemptione à decimis. num.78.
Quæ Religiones id habeant. ibid.
Alia remissiuè. num.79.
Fratres Prædicatores succedere possunt in temporalibus bonis. ibid.
Bona incerta Nouitiorum applicanda Monasteriis. ibid.
Iure communi an id sit concessum. num.80.
Nouitij grauati debitis incertis an recipiendi. n.81.
Alia remissiuè. num.82.
De sepulturæ libertate. num.83.
An possint Regulares intrare Parochias cum Cruce non expectato Parocho. num.84.
Qui possint pro filiis impuberibus sepulturam eligere. num.85.
Alia remissiuè. num.86.
Fratrum confessiones solùm Prælatis, & aliis ab eis designatis faciendæ. num.87.
Prælatorum Regularium hæc iurisdictio à quo ipsis competat. num.88.
Delegabilis etiam Fratribus aliarum Religionum. num.89.
Alia remissiuè. num.90.
Prælati sæculares non audiunt confessiones Fratrum. num.91.
An illos compellere possint ad Synodos, processiones, &c. ibid.
Qui regulares tenentur accedere ad Synodos Episcopales. num.92.
De exemptione Regularium declaratio sacræ Congregationis. num.93.
De Canonica portione non soluenda. num. 94.
Quomodo id intelligendum iuxta Concilij Tridentini Decretum. num.95.
Legata an conuertenda in alios vsus, donanda, seu transferenda. num.96.
Alia remissiuè. num.97.
Bona Monasteriorum desertorum quibus applicanda. num.98.
Non occupanda à Prælatis Ecclesiarum. num.99.
Translatæ Ecclesiæ iura ad quem pertineant. n.100.
Non cogendi Religiosi ad onera præstanda pro Legatis, Nuntiis, Diœcesanis, &c. num.101.
Procurationes, exactiones, collectæ, quid importent. num.102
Suffragantur priuilegia Religiosis possidentibus bona contra sua instituta. num.103.
Alia remissiuè. num.104.
Exemptio à constitutione cap. volentes. num.105.
Quid statuerit Innocentius IV. in eo cap. volentes. num.106.
An sint reuocata priuilegia ista per Concilium Tridentinum. num.107.
Alia remissiuè. num.108.
Clausula, salua iustitia Ecclesiarum, quid importet. num.109.
Quantitas Canonicæ portionis quæ sit. num.110.
Quis sit sensus dictæ clausulæ, salua iustitia, &c. num.111.
Approbantur à Sixto IV. priuilegia Prædicatoribus concessa. num.112.
Clausula, motu proprio, quid importet. num.113.
Clausula, ex certa scientia, quantum valeat. num.114.
Clausula, motu proprio, certa scientia, de plenitudine potestatis, an habeant vim specialis expressionis. num.115.
Alia remissiuè. num.116.
De priuilegio celebrandi in Oratoriis cum altari portatili. num.117.
An abrogatum per Concilium Tridentinum. n.118.
Alia priuilegia ad intentum. ibid.
De facultate admittendi ad diuina tempore interdicti aliquas personas. num.119.
Alia remissiuè. num.120.
Facultas concessa Prælatis ad absoluendum sibi subditos ab omnibus casibus, paucis exceptis. num.121.
An absoluant ab hæresi, aut alio casu Bullæ Cœnæ. num.122.
An schismaticos. num.123.
An falsarios litterarum Apostolicarum. num.124.
An deferentes ad infideles prohibita. num.125.
Alia remissiuè. num.126.
De facultate dispensandi in irregularitatibus. n.127.
An extendatur ad illam, quæ incurritur propter homicidium. num.128.
An ad bigamiam. num.129.
An ad eam quæ incurritur propter mutilationem membrorum. num.130.
Alia remissiuè. num.131.

*De iustitia Ecclesiarum salua conseruanda. n.*132.
Per eam denotatur quarta funeralis.*num.*133.
*Quid de illa Sacra Rota deciderit.n.*134.
*Alia remissiuè.n.*135.
*Quomodo non soluenda de candelis, quæ ad manus Fratrum dantur, & pacta circa ipsam obseruanda. n.*136.
*Quid de candelis habeatur ex iure communi. n.*137.
*Quomodo pacta, & conuentiones seruari debeant. num.*138.
*Alia remissiuè.n.*139.
*Portio non soluenda de piis legatis, ac de exemptione à decimis etiam Papalibus.n.*140.
*Legata Fratribus relicta libera sunt, & exempta. num.*141.
*A quibus decimis eximantur Fratres Prædicatores. n.*142.
*Alia remissiuè.n.*143.
Quid Sacra Rota in materia Quartæ, *decreuerit. n.*144.
*De exemptione istorum Religiosorum ab Ordinariis. n.*145.
*Quam antiqua sit in Ecclesia.n.*146.
*Iura Episcopalia quæ sint.n.*147.
Authoritas Episcopalis diuina in legem Diœcesanam,*& legem* iurisdictionis.*n.*148.
Quid vtraque sit.ibid.
*Qualiter non possint Ordinarij censuras in religiosos priuilegiatos ferre, etiam eorum exemptione notoria non allegata.n.*149.
*Quid de hoc habeatur iure communi.n.*150.
*De facultate administrandi Eucharistiam, & Vnctionem secularibus sibi confessis.n.*151.
*De schedulis attestatricibus confessionis.n.*152.
Dictio fine *quid importet.n.*152.
An in articulo mortis, vel quando instat necessitas communicandi in Pascha.ibid.
*De bonis monasteriorum Monialibus destitutorum n.*153.
Dictio quandoque *quid importet.n.*154.
*Alia remissiuè.n.*155.
*De iis, qui volunt sepeliri cum habitu huius religionis. n.*156
*Alia remissiuè.n.*157.
*De Capellano instituendo in Ecclesiis Parochialibus huius Ordinis.n.*158.
*An Ecclesiæ Parochiales illis concedi possint. n.*159.
*Capellanus ille qualis esse debeat.n.*160.
Cum Ecclesia conceditur Regularibus cum omnibus suis pertinentiis, *quid hac clausula denotetur. n.*161.
*Inquisitores hæreticæ prauitatis procedunt contra dicentes, quod confessi Mendicantibus teneantur iterum Parocho confiteri.n.*162.
*Errores Ioannis de Poliaco, quoad hoc qui fuerint. n.*163.
*Quid alij Doctores senserint de hac materia.n.*164.
*Alia remissiuè.n.*165.
*Communicatio priuilegiorum inter Prædicatores, & Minores.n.*166.
*Notanda circa illam.n.*167.
*An extendatur ad priuilegia concedenda.n.*168.
*Quæ sint priuilegia Minorum.n.*169.
*Ordinarij possunt impedire vsum istorum priuilegiorum.n.*170.
*Qui intelligantur Ordinariorum nomine.n.*171.
*Quid per Rectores Ecclesiarum parochialium intelligatur.n.*172.
*Alia remissiuè. num.*273.
*Facultas concessa procedendi contra contradictores priuilegiorum. num.*174.
Ecclesiæ Metropolitanæ nomen quid importet. numero 175.
Syndici Romanæ Ecclesiæ quæ sint. ibid.
*Alia remissiuè. num.*176.
*Non obstantiæ ponuntur. num.*197.
*Concilijs Generalibus, excepto Tridentino, non derogatur nisi cum expressione. num.*278.
Per clausulam, in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, *non derogatur Conciliis Generalibus. num.*179.
*Fides adhibenda transumptis. num.*180.
*Quid notandum circa transumpta litterarum Apostolicarum. num.*181.
*Ad valorem priuilegij num requiratur scriptura. num.*182.
*Transumpto adhibetur eadem fides, quæ Originali, quando est authenticum. num.*183.
Quæ solemnitates pro eo sint requisitæ. ibid.
*Transumptis authenticis alicuius Bullæ, seu priuilegij adhibetur fides, etiamsi non reperiantur in registris. num.*184.
*Quid sacra Rota contra hoc deciderit. num.*185.
*Extracta ex Archiuis Monasteriorum fidem faciunt. num.*186.
*Scriptura antiqua recognitione non egent. num.*187.
*De Sigillo, num.*188.

HABETVR hæc Bulla *Maris Magni* Prædicatorum authenticata per Auditorem Cameræ apud Rodriguez in Bullario inter Bullas Sixti IV.*num.*33. Eamque sæpius referunt Cæsarubius Confettius, Miranda, Ioannes de Cruce, Peirinis, Portellus, vterque Rodriguez, Archangelus Romanus & alij, qui de pripriuilegiis Regularium scripserunt. Specialiter extat præfata Bulla per extensum apud dictum Confettium *in Collect. litterarum Apost. in Sixto IV. num.*1. & in Bullario communi Laërtij Cherubini *tom.*1.*in Sixto IV.num.*7. 1

Vocatur *Mare Magnum*, quia est compilatio multorum priuilegiorum. Quo sensu tam hæc Bulla, quàm aliæ, de quibus in sequentibus, eo nomine vocantur. Corduba *in Annot. ad Compend. priuileg. Mendicant. verb. priuilegia, §. tandem.* Passarellus *in priuileg. Minim. num.*7. Rodriguez *tom.*1. *quæst. Regular. quæst.*7.*art.*4. Vbi etiam de Religionibus, quæ tale *Mare magnum* habent. De quibus suo loco. 2

De antiquitate, institutione, excellentia, laudibus, & prærogatiuis huius sacri, & illustrissimi Ordinis Prædicatorum agunt Bartholomæus Cassaneus *in Catalog. gloriæ mundi, part.*4.*Consid.*68. Polydorus Virgil. *de Inuentor. rerum lib.*7.*cap.*3. Hieronymus Romanus *de Republica, lib.*6.*cap.*26. Platus *de bono stat. Relig. lib.*2.*cap.*22. Rodriguez *tom.* 1. *Quæst. Regular. quæst.* 2. *art.*2. Miranda *in Man. Prælat. tom.*1.*quæst.*4.*art.*3. Azor. *institut. Moral. tom.* 1.*lib.* 12. *cap.*23. *& lib.*13. *cap.* 11. Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. in princip.* Barbosa *lib.* 1.*iuris Ecclesiast. cap.*41.*num.*117. & eiusdem Ordinis Historici, specialiter sanctus Antoninus, Ferdinandus del Castello, Abrahamus Bzouius, & alij nobiles authores. 3

Sixtus IV. qui hoc *Mare magnum*, sicut & alia Minorum, Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum, compilauit, & concessit, natione fuit Italus, patria Sauonensis ex villa *Albizola*, nomine Franciscus de Ruuere, piscatoris filius, Petro pisca 4

piſcatori in Apoſtolica Sede ſucceſſor ann. 1471. die 9. Auguſti Romæ pronunciatus Pontifex. Pius, liberalis, & deuotus Mendicantium Ordinum benefactor fuit; ex quorum vno (Minorum videlicet Conuentualium) aſſumptus erat, vt propterea memoria ipſius apud illos in benedictione ſemper eſſe debeat, ſicut & in exemplum in eadem Sede ſucceſſorum, vt ſimili benignitate tam benemeritas de tota Dei Eccleſia familias foueant, protegant, proſequantur.

Circa §. 1. & 2.

5. Nota priuilegium hoc Gregorij XI. (quod etiam habetur in Bullario communi Laertij Cherubini inter Bullas huius Pontificis *num.* 7.) præſertim continere, quod Generalis Prædicatorum eo ipſo, quod eſt electus ſecundum Conſtitutiones Ordinis, abſque alia confirmatione exercere poteſt ſuum officium: ita vt eius electio cum ſuo ſolo conſenſu ſit confirmatio eo facto, prout ex Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis, & praxi illius refert nouiſſimè Franciſcus Maria Samuellius *de Canon. elect. tract.* 1. *contr.* 1. *concl.* 5. & ex noſtris Conſtitutionibus *part.* 2. *cap.* 1. & conformiter ad ſimile priuilegium Alexandri IV. & Sixti IV. in Mari magno Carmelitarum §. 30. & 68. dixi *tom.* 1. *Summa, quæſt. regular. cap.* 15. *num.* 35. Idem priuilegium conceſſit Minoribus Clemens IV. in Bulla *Virtute conſpicuos* in Bullario Laertij *num.* 4. & confirmauit Eugenius IV. in Bulla *licet debitum*, ac Sixtus IV. in Mari magno Minorum §. 1. ac Iulius II. Minimis in eorum Mari magno §. 1. item ſatis amplè Sixtus IV. Eremitis Auguſtinianis in eorum Mari magno §. 49. ac Clemens VI. Seruitis in ipſorum Mari magno §. 8. confirmauitque Innocentius VIII. in eodem mari magno §. 40. Vnde Generalis ſic electus intelligitur authoritate Apoſtolica confirmatus eo ipſo prout expreſsè habetur in dicto priuilegio pro Carmelitis, Auguſtinianis, & Seruitis. Sicque practicari credo in omnibus Religionibus, Mendicantium præſertim. De quo Rodriguez *tom.* 2. *quæſt.* 52. *art.* 3. Miranda *in manual. tom.* 2. *quæſt.* 23. *art.* 32. *concl.* 3. & ex ipſis Sigiſmundus de Bononia *de Elect. Prælatorum. dub.* 46. *num.* 3. *& dub.* 101. *num.* 3. Peitinis *in formulario littera C. cap.* 13. *num.* 2.

6. Caſu verò quo Mendicantes, aut aliæ Religiones non vtantur hoc priuilegio, debet peti confirmatio electionis Generalis à Papa, vtpote immediato, & proximo ſuperiori Generalis iuxta id quod dixi *eo cap.* 15. *num.* 36. & iuxta terminos *cap. cupientes de Elect. in* 6. iuncto *cap. ſi poſtquam* ibid. Rota in Treuerenſi *Abbatiæ ſancti Maximiani* 20. Nouemb. 1624. coram D. Coccino. Chucus *inſtit. maior. lib.* 4. *tit. de confirmat. à num.* 13. Sigiſmundus *ſupra num.* 4. Samuellius *ſupra concl.* 6.

7. De iis verò quæ ſpectant ad materiam confirmationis electionis, ſeu electi, latè egi *tom.* 1. *Summæ, cap.* 15. *num.* 35. *&* 36. *& tom.* 2. *cap.* 12. *à num.* 39. & tractant relati Rodriguez, Miranda, Peitinis, Sigiſmundus, & Samuellius. Aliqua etiam infra in Mari magno Minorum *circa* §. 1.

Circa §. 3.

8. Continetur etiam in eodem priuilegio Gregorij XI. hoc loco poſito, ſicut in alio ſimili Minorum in ipſorum Mari magno §. 1. Carmelitarum §. 30. Seruitarum §. 8. & Minimorum §. 2. quod huius Ordinis Generales abſolui, & amoueri poſſint à diffinitoribus Capituli generalis ſecundum Ordinis Conſtitutiones. Quod etiam tetigi, *tom.* 2. *Summæ, cap.* 12. *num.* 7. ex Suarez. Simile priuilegium conceſſit Prouincialibus, & Cuſtodibus Ordinis Minorum Clemens IV. in Bulla *Virtute conſpicuos* relata, & approbauit Eugenius IV. in Bulla *licet debitum* etiam relata, ac Sixtus IV. in Mari magno Minorum §. 1. Ac Iulius II. Minimis in ipſorum Mari magno §. 2. Quia tamen Conſtitutiones Religionum ſunt quoad hoc diuerſæ, ideo quælibet Religio ad proprias Conſtitutiones attendere debet. In noſtro autem Ordine, prout patet ex *part.* 4. *Conſtitut. cap.* 5. *num.* 1. ſic obſeruari debet. *Exceſſus propter quos Generalis eſt abſoluendus, ſunt quatuor, videlicet pro hæreſi, pro incorrigibilitate, pro peccato notorio, quod ſine ſcandalo Ordinis non poſſit tolerari, vltimo ſi omnino ſit inutilis.* Ita ibi, vbi etiam de modo, quo contra Generalem eſt procedendum. An autem deponi etiam poſſit Generalis, ſi in decurſu temporis inſufficiens appareat ad id munus, tractat Sigiſmundus *ſuprà, dub.* 102. & dicam inferius circa Mare magnum Minorum §. Vbi etiam alia ad intentum. Alia quoque in Mari magno Carmelitarum, Seruitarum, & Minimorum locis relatis.

9. Quia tamen tam in hoc quam in præcedenti priuilegio, aliiſque multis ſimilibus huius Ordinis, & aliorum ſæpius fit mentio de authoritate tum Generalis, tum Capituli generalis, ideo operæ pretium duxi tractandum, an tanta ſit, vt poſſint Prouincias ſui Ordinis de nouo erigere, ſeu fundare, vnire, ſeu diuidere, aut ſeparare. Et quidem plurimorum ſententia eſt hoc non poſſe fieri ſine Papæ authoritate. Rodriguez *tom.* 1. *qq. regul. quæſt.* 23. *art.* 8. *& tom.* 3. *quæſt.* 43. *art.* 1. Fernandez *in ſua exam.* 1. *part. cap.* 15. §. 2. *num.* 1. *dict.* 14. Caſarubius *in compend. priuileg. Mendicant. verbo Prouincia, numero* 1. Miranda *tom.* 2. *man. quæſt.* 7. *art.* 11. *&* alter Rodriguez *in Compend. reſolut.* 121. *numero* 1. Fundamentum ſumitur ex *Can. Felix.* 16 *quæſt.* 1. *can. de locorum Conſecratione diſtinct.* 1. & aliis iuribus, in quibus facultas erigendi, inſtituendi, vniendi, vel ſeparandi Epiſcopatus ſolum conceditur Sedi Apoſtolicæ; Prouinciæ autem in Religionibus æquiparantur Epiſcopatibus. Alij verò è contra tenent id fieri poſſe ſine Sedis Apoſtolicæ licentia. Peirinis *tom.* 3. *Priuileg. Minimor. in Additam. ad Conſtitut. Iulij II. cap.* 3. *numero* 24. Sanctorus *in Commentariis ſuper Conſtitut. Fratrum Minorum, capite* 12. *ſtatut.* 12. aſſerens etiam Conſtitutionem quandam Nicolai IV. in qua fundantur Authores contrarij, eò quòd in ipſa id prohibebatur Minoribus, antiquatam eſſe, nec eſſe in vſu Trimarcus apud Peitin. relatum *in ſua Iuridica lucubratione circa hoc punctum.* Quorum fundamentum eſt, quia iura præfata ſolum loquuntur de Epiſcopatibus, non ergo extendi debent ad Prouincias Religionum, in quibus valde diſſimilis ratio procedit.

10. Mihi autem videtur dicendum, quod loquendo de Generalibus Religionum ſine Capitulis generalibus, non poſſunt id facere, prout dixi ex iuribus relatis, Syluestro, & Miranda *tomo* 1. *capite* 18. *numero* 24. Et ratio eſt, nam erigere Prouincias, vnire, ſeu ſeparare illas, eſt vnum ex grauiſſimis negotiis, quæ in Religionibus contingere poſſint, & ſolet eſſe occaſio multarum litium, & in eo reperiri plures

plures difficultates, ac per consequens nullatenus id competere potest soli Generali. Nec video quomodo oppositum sit probabile, prout Peirinis, & Trimarcus existimare videntur. Loquendo autem de Generali cum Capitulo generali valde probabile est posse id facere. Ratio est, quia Capitulum generale omnimodam, & plenissimam authoritatem habet in Ordine, tum ex iure communi, quia repræsentat totam Religionem, tum ex priuilegiis summorum Pontificum, quæ retuli *tom.2. cap.12. num.6.* iuxta dicta, ibidem ex Rodriguez,& Suarez. Neque argumentum adductum ex iuribus relatis magni momenti est,multum enim, valdeque differunt, quoad præsens negotium, Episcopatus, & Prouinciæ Religionum: quia Episcopatuum institutio, vnio, vel separatio solet maximam alterationem in Ecclesia causare, tum propter iurisdictionem Episcoporum, quæ valde in hoc alteratur, tum propter Principes sæculares, qui propter temporale ipsorum interesse turbari solent huiusmodi mutationibus, vt propterea iure,meritoque id reseruetur maturiori iudicio Sedis Apostolicæ. Hæc autem non contingunt in erectione, vnione, seu diuisione Prouinciarum; &, si aliqui rumores inde nascuntur, facilè à Capitulo generali, in qua capita Religionis cógregantur,sedari possunt. Adde, quod cùm Episcopi sint perpetui, nec mutari possint sine beneplacito Sedis Apostolicæ; Prouinciales autem non sint perpetui, sed triennales vel quadriennales,non videtur esse eadem ratio de Prouinciis ac Episcopatibus. Accedit vsus Religionum. De Minimorum Religione id testantur Trimarcus, & Peirinis relati: de Franciscana id affirmat Sanctorus relatus ex Annalibus Lucæ Vvadingni. Ex nostra etiam Carmelitana Religione id quoque testari possum. Etsi enim his vltimis annis huiusmodi mutationes factæ non sint sine Sedis Apostolicæ consensu, prout nouissimè contigit hoc anno 1646.in quo institutio Prouinciæ Patrum *primi instituti* vocatorum facta in Capitulo Generali de anno 1645. approbata est, annuente SS. D.N.Innocent.X. à sancta Congregatione Episcop. & Regular. pro 16.Februarij; *cum obligatione tamen* (inquit eadem sancta Congregatio) *obseruandi in ea Regulam primatiuam ab Innocent. IV. confirmatam sub qua ipsi Fratres primi instituti profitentur*: tempore tamen anteriori, & antiquo, quamuis viderim institutiones, & mutationes Prouinciarum sæpius factas in Generalibus Capitulis, non memini tamen vidisse id factum ex Sedis Apostolicæ consensu. De illustrissimo etiam Prædicatorum Ordine, de quo in præsenti, audio à R. admod. Procuratore Generali ipsius, solitas fieri huiusmodi mutationes in Capitulis Generalibus. Addit Peirinis id concessum esse à Clemente VIII. Fratribus sanctæ Mariæ de Mercede *tom. 3. Bullarij in hoc Pontifice Constitut.* 112. Sed hoc non est ad intentum, quia ibi solum approbat Pontifex diuisionem quarundam Prouinciarum factam vigore litterarum eiusdem Clementis VIII. Similiter non est ad intentum, quod affert Sanctorus ex Sorbo *in additionibus ad compend. priuileg. Mendicantium verbo ædificare in* §.18. ibi enim solum ait Sorbus Gregorium XIII. concessisse Capuccinis posse recipere nouas Prouincias, nam aliud est recipere nouas Prouincias(hoc enim intelligo de Prouinciis fundatis Ordinum Minorum) aliud verò eas fundare, vnire seu diuidere. Ad minus tamen non mihi constat de substantia huius priuilegij.

Imò addendum, quod quando Prouinciæ fuerint tam amplæ,vt commodè visitari non possint, aut propter Religiosos diuersarum nationum in eis commorantes,aut quia qui in eis commorantur, etiamsi sint eiusdem nationis, nequeunt tamen quietè, & pacificè viuere; tunc possunt, & debent in Capitulis generalibus diuidi, & separari, sicut propter eandem causam diuidi possunt Parochiæ, iuxta doctrinam Concilij Trident. *sess. 21.de Reformat.cap.4.*& alia iura antiqua,Rotæ decisiones, & Doctores apud Barbosam *de officio, & potestate Episcopi alleg. 68. num.* 1. & Peirinis *sup.* Consule Rotam in vna Aquilana *Nullitatis erectionis* coram Pirouano.ann.1613. 11.

Circa §. 4.

NOta quòd priuilegium istud de lectoribus institutis pro Theologica facultate,quod scilicet impediri non possint à suo munere exequendo, non solum concessum fuit Prædicatoribus à Gregorio XI. in Bulla relata, sed etiam Minoribus à Clement.IV. in Bulla etiam iam relata, & habetur in eorum Mari magno § 4.& Carmelitis à Sixto IV. in Mari magno ipsorum §.85. ac Minimis à Iulio II. in eorum quoque Mari magno §.5. Excipiuntur tamen loca illa, in quibus viget *studium generale*, vniuersitates videlicet. Sed adhuc in iis locis, prout consuetudine obtinetur, Regulares suos lectores designant, qui liberè, & sine vllius contradictione in Theologica facultate legunt. Idem dico de Logica, Philosophia, Metaphysica, &c. Præfatos autem lectores non debere examinari ad id munus ab Episcopis, vel Ordinariis colligo à simili ex iis,quæ dixi ex declaratione sanctæ Congregationis, de lectoribus sacræ Scripturæ, *tom.1. cap.9.num.48.& tom.3.verbo Episcopus quoad Regulares, num.26. & tom.4. verbo lectio quoad Regulares,num.2.* Posse autem, imo & debere Prælatos Regulares instituere tales lectores, habetur ex Clement.V. in Concil. Vienn. & refertur in Clementina. *Ne in agro §.ad ampliationem de stat. Monach.* vbi Gl. *verbo facultates.* Consonat etiam *cap.de quibus,dist.*37.Panormitanus *cap.non magnopere,num.7. ne Clerici,vel monachi.* Tamburinus *de iure Abb.tom.3.disp.2.quæst.1.* vbi etiam quomodo expediat id munus Religiosis. De quo etiam ego latè *in tract.de Reformat. Regular.* De vacantia tamen à lectionibus mensibus Iulij, Augusti, & Septembris dixi ex declaratione sanctæ Congregationis, *tom. 5. verbo lectio quoad Regulares,num.7.* vbi etiam alia ad intentum.Pro lectoribus verò Romæ degentibus vide edictum D. Rectoris Sapientiæ Romanæ,quod singulis annis publicari solet. 12.

13. Vide alia ad intentum infra *in Mari magno Minorum,circa* §. 4. Carmelitarum *circa* §.85. ac Minorum *circa* §.5.

Circa §. 5.

14. PRiuilegium hoc de Ordinariis non se intromittendis in iis, quæ peccant ad instituta Ordinis, præsertim circa institutionem, & destitutionem Prælatorum, conforme est aliis generalibus priuilegiis circa exemptionem Regularium à iurisdictione Ordinariorum, de quibus dixi *tom. 1. cap. 11.* fere per totum, & *tomo 3.verbo Episcopus, quoad Regulares, & verbo Exemptio Regularium, & verbo causa iudicialis Regularium, & verbo immunitas Ecclesiastica Regularium.* Consonat etiam

Bulla

Bulla Pij V. *Etsi Mendicantium*, quam refero *tom. 2. cap. 1.* Illud tamen de debita, & deuota obedientia à Regularibus præstanda DD. Episcopis tetigi *cap.* VI. relato *num.* 3. Alia infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 75. & 98.

Circa §. 6.

15. DE hoc priuilegio, seu facultate concessa Prælatis Prædicatorum ad prouidendum de aliquibus Prælatis, quando eorum electio confirmari non debet, dixi *tom. 2. cap. 12. num. 41.* Estque satis vtile pro Religionibus, ad tollendas inquietudines, quæ sæpius in ipsis oriri solent, occasione electionum. Cùm enim controuersia fuerit circa validitatem alicuius electionis, poterit Confirmator illud officium prouidere in personam illius, quem electores, vel maior pars ipsorum ab eo per litteras petierint. Quod intelligo etiamsi talis electio aliàs omnino inualida fuerit.

16. Quamuis autem Sigismundus de Bononia *de elect. Prælator. dub. 114. num. 3.* & Samuellius *de elect. canon. tract. 3. disp. 4. contr. 1. num. 4.* solum videantur intelligere hoc priuilegium de Prioribus Conuentualibus, ita vt quando eorum electio ob aliquam causam non contingat confirmari, possit is, ad quem talis electionis confirmatio pertinet, prouidere in Priorem localem aliquem de Fratribus, quos electores petierint; nihilominus extenditur etiam ad Prouinciales, ita vt Generalis, vel alius, ad quem spectat confirmatio electionis Prouincialium, possit in casu dicto aliquem Prouincialem designare. Id enim constat ex verbis illis priuilegij: *Quando in aliquo Capitulo, vel Conuentu de Prouinciali, vel Conuentuali Priore occurrit electio.* Vnde illud, quod est in fine: *Concedere valeat in Priorem*, intelligitur tam de Priore locali, quam de Prouinciali.

Circa §. 7.

17. PRo huius priuilegij de exemptione ab obseruantia regularum iuris in electionibus faciendis intelligentia nota, quod circa tempus faciendi electiones (de quo aliqua dixi *tom. 1. cap. 15. num. 19. & tom. 2. cap. 12. num. 5.*) multa à iure statuta sunt, scilicet circa terminum faciendi illas post obitum prædecessoris, circa spatium ad præsentandum electionem electo, & ad præstandum consensum electioni, & ad obtinendum confirmationem, *cap. bonæ. 2. ne pro defectu de elect. cap. quam sit, cap. cupientes, & cap. si compromissarius eodem tit. in 6. cum ibi notatis à DD.* De quibus Sigismundus *sup. dub. 17.* & aliis locis ibi ab eo relatis. Circa hæc ergo procedit præsens priuilegium, vt habent Cassarrubius *in Compendio priuileg. Mendicant. verbo Electio, num. 4.* Rodriguez *tom. 2. quæst. 53. art. 17.* Miranda *in Manuali, tom. 2. quæst. 23. art. 10.* Sigismundus *sup.* vbi etiam alia ad intentum. Vide dicenda infra circa Mare magnum Minorum §. 2. Vbi iterum de hac re agetur, & maximè in Mari magno Minimorum *circa* §. 3.

Circa §. 8.

18. NOta, priuilegium hoc, quod est de facultate concessa Prælatis ad dandum dimissorias suis subditis pro recipiendis Ordinibus à quocunque Episcopo Catholico vacare his temporibus. Nam primò quod attinet ad susceptionem Ordinum à quocunque Episcopo, prout hic conceditur Prædicatoribus, & antea concessum erat à Clem. IV. in Bulla relata Minoribus, imo ab Eugenio IV. Cassinensibus, & Iulio II. Vallisumbrosanis, vt refert Tambur. *de Iure Abbatum, t. 2. q. 18. in princ.* & Ioanne XXII. Carmelitis, vt patet ex eorum Mari magno §. 24. & à dicto Iulio II. Minimis in eorum Mari magno §. 6. reuocatum videtur per Concil. Trident *sess. 23. c. 8.* & clariùs per decretum sanctæ Congregationis iussu Clem. VIII. quod retuli *t. 1. c. 14. n. 12.* & per extensum adduxi *t. 3. v. Dimissoriæ, n. 5.* ex Piasego, Campanili, Barb. Nouario, & aliis. Ibi enim præcipitur omnibus Superioribus Regularium, ne concedant suis subditis dimissorias ad Ordines suscipiendos, nisi *ad Episcopum Diœcesanum, nempe illius Monasterij, in cuius familia ab iis ad quos pertinet is Regularis* (scilicet qui Ordines suscepturus est) *positus fuerit.* Etsi enim in hoc decreto non videam clausulam aliquam, qua dicatur id fieri debere etiam *non obstantibus priuilegiis*, ita vt proinde dici posset Regulares habentes priuilegia in contrarium illis vti posse; nihilominus quia communiter supponunt Doctores hoc decretum obligare etiam Regulares illos, qui habent talia priuilegia, ideo illis assentiendum. Vide Sotbum *in Addit. ad Compend. priuileg. Mendicant. verb. Ordines sacri, versus finem*, Naldum *in sum. verbo Ordo num. 26.* Peirinis *tom. 1. Priuileg. Minim. in Constitut. 2. Sixti IV. num. 33.* & Tamburinum *sup. num. 1.* Vnde quod aiunt Peregrinus *in Compend. priuileg. sui Ordinis, part. 2. tit. Ordines, §. 1.* & Diana *3. part. tract. 2. de dub. Regul. resolut. 7.* scilicet Prælatos suæ Religionis concedere posse huiusmodi dimissorias pro suscipiendis Ordinibus à quocunque Episcopo, intelligi solum id debet, iuxta id quod habetur in præfato decreto, & tenet summa Diana *verbo Ordo. num. 14.* ac dixi eo *cap. 14. n. 12.* videlicet in casu quo *Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes*, quo casu subsistere videntur relata priuilegia, & aliud Clem. VIII. pro Benedictinis Vallisoleti, quod refert Diana dicta *resolut. 7.* & ante ipsum Peregrinus. Imo etiam tunc, iuxta dicta eo *num. 12.* & prout in ipso decreto habetur, Superior Regularis concedens dimissorias subditis ad recipiendum Ordines à quocunque Episcopo, debet exprimere in eis *causam absentiæ diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum.* Tenentur autem Episcopi stare quoad hoc attestationi Superioris Regularis, vt supponitur in ipso decreto. Bariola *in Aphor. littera R, vers. Regulares ad ordinationem.* Peirinis loco inferius referendo *num. 5.* Nec possunt Superiores de industria differre *concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus diœcesanus vel absuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes.* Ita enim habetur in dicto decreto, & dixi eo *num. 12.* Vnde aliter facientes peccarent mortaliter, quia in re graui contraueniunt præcepto Papali, & præiudicant diœcesano Episcopo. Nisi bona fide, vel rationabili aliqua causa moti id facerent, vtputa, si diœcesanus esset male affectus Regularibus, & nimis rigidus in eis examinandis, aut approbandis ad Ordines. Peirinis loco referendo *num. 4.* Tamburinus *supra quæsit. 18. num. 6.* Pœnæ autem, quæ in præfato decreto statuuntur contra Superiores aliter quã dictũ est dimissorias concedentes, sunt priuatio *officij, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiuæ, & passiuæ*, ac aliæ arbitrio Papæ reseruatæ. De quib. an & quomodo incurrantur, latè dixi *tom. 4. verbo pœna*

Ecclesiastica, cum locis ibi relatis, & tractant Peirinis, & Tamburin. *suprà*.

19 Cum autem præfatum decretum sit odiosum, & contra antiqua Religionum priuilegia, ideo si casus esset, quod Prælatus concederet præfatas dimissorias contra tenorem illius, & subditus de facto ob aliquem casum non suscepisset Ordines, probabile est non incurrere Prælatum dictas pœnas, eò præsertim, quia iuxta dicta *tom.3. verbo casus reseruati Regularium*, & habetur ex *leg.1. §. hæc verba ff. quid quisque iuris. cap. relatum de cleric. non residente. cap. qualiter de pact. cap. si à iudice de appellat. in 6.* verba intelligenda sunt cum effectu. Peirinis *tom.2. de Prælato, quæst.3. cap.7. num.6.* Tamburinus *supra num.7.* contra Riccium *4. part. prax. dec. 118. n.10.* Subditus autem ordinatus propter tales dimissorias, etsi non incurreret pœnas dicti decreti, quia illæ solum comprehendunt Prælatos dimissorias concedentes, incurreret tamen pœnas illas, quæ impositæ sunt contra suscipientes Ordines sine legitimis dimissoriis; quia reuera tales dimissoriæ non sunt legitimæ, vtpote concessæ à Prælato contra Papæ prohibitionem. Quæ vero sint istæ pœnæ, collige ex Constitutionibus Pij II. & Sixti V. quas retuli eo *cap.14. num.1.2.3. & seqq.* Addit Peirinis *supra num.7.* ex Bariola *in Aphor. litterâ R, verbo Regularis ordinatus*, quod Regularis ordinatus contra præfatum decretum excommunicatur edicto per Episcopum ordinantem promulgato, in quo dicitur quòd nullus accedat qui sit à iure prohibitus, nam iste prohibitus est à dicto decreto. Quomodo autem Regulares ordinati incurrant excommunicationem impositam ab Episcopo ordinante, dixi eo *c.14. n.22.* An autem maneat ordinatus in casu, quo Episcopus dixerit se non habere intentionem ordinandi tales, dixi *4. tom. verbo Ordines sacri, n.20.* Quid autem dicendum de Regularibus degentibus in Monasteriis sitis in locis nullius Diœcesis, dixi eo *c.14. n.12.* ex declaratione sanctæ Congregationis quam refert Naldus *supra*. Similiter quid dicendum pro casu, quo Diœcesanus non habens ordinationes committat alicui Episcopo per suam Diœcesim transeunti, vt illas habeat, an tunc teneantur Prælati Regulares dare dimissorias suis subditis pro illo Episcopo substituto, an verò vti possent dictis priuilegiis mittendo illos ad quemcunque alium Episcopum, tractant Peirinis *suprà n.8.* & Tamburinus etiam *suprà quæsit.18. n. 3. & 4.* Contendit autem Peirinis *n.7.* quod si Prælati mitterent suum subditum ad aliquem locum ea solum ratione, vt ibi Ordines recipiat, & secuta ordinatione ab eo recedat, facerent contra præfatum decretum; eò quod esset legem deludere, quod vetatur *c. constitutus de concess. præbend.* Sed ego credo id fieri posse, sicut & potest quis ire de vna ciuitate ad aliam ea solum ratione, vt effugiat præceptum aliquod, seu legem, quæ in ea ciuitate, à qua recedit, & non in alia, viget. Quia hoc non est eludere legem, sed vti iure suo, eximendo se ab obligatione legis, prout fieri potest. Quod maximè procedit in Regularibus habentibus priuilegia, de quibus supra.

20 Quod verò attinet ad illud de Fratribus præsentatis pro susceptione Ordinum admittendis ab Episcopis sine examine vllo, prout habetur in hoc priuilegio Gregor. XI. pro Prædicatoribus, & in aliis Clem. IV. pro Minoribus in Bulla relata, Eugenij IV. pro Benedictinis Italiæ reuocatum est, primò per Leonem X. in Concilio Lateranensi, vbi habetur, quod *fratres ad Ordines promouendi possint per Ordinarios de grammatica, & sufficientia examinari.* Secundò, per Conc. Trid. *sess.23. de refor. c.7. & 8.* & maximè *cap.12.* illis verbis: *Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, priuilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.* Tertiò, ex decreto sanctæ Congregationis sub Clement. VIII. superiùs relato, illis verbis: *Dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam.* Et ita supponunt communiter Doctores, specialiter Rodriguez *tom.1. quæst. Regular. quæst.18. art.6.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi, allegat.7. num.31.* Vasquez *in 3. part. tom.3. disp.246. cap.6. num.55.* Extenditur hoc ad Iesuitas, non obstante priuilegio Gregorij XIII. quod dicitur ipsis esse concessum, vt sine vllo examine ab Episcopis admittantur ad Ordines. Tum ex dicto decreto sacræ Congregationis sub Clemente VIII. tum maximè propter Constitutionem *sanctum, & salutare* Sixti V. *num.91.* in Bullario, quam retuli *dicto cap.14. num.91.* Rodriguez & Barbosa *supra.* Peirinis *dicto cap.7. num.11.* Miranda *tom.1. quæst.39. art.4.* vbi id generaliter dicit de omnibus aliis priuilegiis quoad hoc punctum Regularibus concessis. Verum, quidem est, quod iuxta dicta *tom.4. verbo Ordines sacri, num.13.* ex Villalobos, Portello, & Peirinis, possunt Domini Episcopi sine vllo examine admittere Regulares ad Ordines, non solum quando notoriè litterati fuerint, sed etiam quando tales non fuerint, si tamen Prælati ipsorum specialiter testentur eos esse sufficientes. Quod intelligo, quando non est sufficiens fundamentum ad non credendum dictis Prælatis; quod rarius continget. Vide Tamburinum *suprà quæsito 20.*

Id autem quod additur in prædicto priuilegio Gregorij XI. quod etiam antea concesserat Clemens IV. Minoribus, scilicet Episcopos ordinare debere Religiosos *absque omni promissione, vel obligatione ipsorum*, omnino manet in sua vi, nec vllatenus reuocatum, & in vsu receptum. 21

Vide alia ad intentum horum priuilegiorum infra *in Mari magno Minorum circa §.6.* Carmelitarum *circa §.24.* & Minimorum *circa §.6.* 22

Circa §. 9.

PRiuilegium hoc de habendis Oratoriis, in quibus cum Altari portatili Missarum solemnia, & officia diuina celebrari possint, concessum etiam est Minoribus à Clem. IV. in Bulla relata: & Carmelitis, prout ex eorum Mari magno §.36. 37. & 87. constat: item Minimis à Iulio II. in ipsorum Mari magno §.7. Sed quia valde ampliatum, & extensum est à Sixto IV. in hoc Mari magno §. 39. ideo ibi commodiùs de ipso dicetur. Interim nota cum Vincentio Candido huius Religionis Prædicatorum egregio doctore tum doctrina, tum vitæ probitate, *tom.4. disquisit. disquisit.4. art.24. dubit. 19.20.21. & 22.* nomine diuini officij intelligi omne illud, quod fit in Ecclesia à ministro Ecclesiastico seu persona ad illud deputata, vt sunt non solum diuinissimum Missæ Sacrificium, sed etiam Horæ Canonicæ, exercitia maiorum Ordinum, Sacramentalia, & similia; non verò alia officia, quæ licet diuina sint, quia ad Dei cultum spectant, non tamen sunt personis Ecclesiasticis applicata, vt sunt aliquæ litaniæ, vel preces, quæ à secularibus dici solent, etiam in Ecclesiis. Pro quo vide dicta *t.3. v. Interdictum quoad Regulares, n.20.* & dicenda in Mari magno aliorũ Mendicantium locis relatis. 23

Circa

Circa §. 10.

24. PRiuilegium quoq; istud de celebratione diuinorum, & receptione Sacramentorum tempore interdicti generalis, quod etiam concessum fuit Minoribus à Clem.IV. in relata Bulla, & habetur in eorum Mari magno §.8. Eremitarum sancti Augustini §.20. Carmelitarum §.3.4.36.& 50 & Minimorum §.23. ampliatum etiam est, & extensum à Sixto IV. in hoc Mari magno §. 40. & idcirco de eo ibi loquendum, maximè cum iuri communi *cap. Alma Mater, de sentent. excommunicationis in 6.* conforme sit.

Circa §. 11.

25. COnceditur in hoc priuilegio Prædicatoribus, quod ipsorum famulis possint ministrare Ecclesiastica Sacramenta, & cum decedunt, in Oratoriis eos sepelire. Concesserat autem Clem. IV. Minoribus simile priuilegium, eo excepto, quod Gregorius dixit. *Et eos, cum decedunt, in vestris Oratoriis sepelire.* Clemens verò dixerat: *Et ipsos cum decesserint, in vestris cœmeteriis sepelire.* Item Sixtus IV. concessit Carmelitis idem quod Clemens Minoribus, vt ex nostro Mari magno constabit. De hoc tamen, & aliis familiarium, & seruitorum Regularium priuilegiis plura latè dixi *tom.2. cap.16.* per totum, vbi etiam qualiter moderata sint à Leone X. in Concil. Lateranensi, Concil. Trident. *sess.24. cap.11.* & sacra Congregatione, & qualiter hoc tempore subsistant, specialiter, an aliqui Religiosi possint ministrare Eucharistiam suis familiaribus tempore Paschatis, dixi non solùm eo *capitulo 16. num.19.* sed etiam latiùs *3. tom. verbo Eucharistia quoad Regulares, num.8.* vbi etiam *num.9.* quid dicendum sit de administratione Eucharistiæ per modum viatici in articulo mortis. Nota autem pro hoc, & similibus priuilegiis aliquos insinuare, etiam illis seclusis, posse Regulares prædicta facere cum suis familiaribus, prout habet Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Familiares, num.2.* ex Gratiano, Graffis, & aliis Authoribus, quos etiam retuli *tom.3. verbo Gabella quoad Regulares, num.11.* dum egi, an tales familiares Regularium exempti sint à gabellis. Clariùs id habet Rodriguez *tom.2. quæst. regular. quæst.67. art.1.* dicens ad hoc intentum de priuilegiis familiarium Regularium, quod attento solo iure communi priuilegium alicui concessum pro se, extenditur etiam ad ministros, sine quibus illud stare non potest: *argum. l. administrantes in princip.* & ibi Bartolus *ff. de excus. tut.* & tenet Baldus *in Authent. habita col. 1. cap. ne filius pro patre*, de quo aliqua dixi *tom.2. cap.16. num.30.* Addens etiam ex Oldrado, quòd pauperum appellatione veniant etiam ij, qui pauperibus seruire solent. Quibus denotare videtur, quod quemadmodum Monasteria Regularium ministrant ipsis Sacramenta, & mortis tempore tribuunt sepulturam; sic etiam possint facere cum familiaribus. Fauet *Clementina Religiosi.* Vbi postquam multa priuilegia tolluntur à Regularibus, declaratur in fine nullum ex hoc præiudicium generari Religiosis, quibus est concessum, vt suis familiaribus Sacramenta ministrent.

26. Alia habes infra in *Mari magno Minorum circa §.9.* & in Mari magno Carmelitarum. *circa §.51.*

Circa §. 12.

DVo continet hoc priuilegium hic à Gregorio XI. concessum Prædicatoribus, & olim Minoribus à Clem.V. in bulla relata. Alterum est, quod quando sententia generalis, vel interdicti in terras, vbi præfati Religiosi viuunt, vel in earum personas promulgatur, talis sententia non tangat familiares eorum, aut ipsorum Procuratores, seu operarios. Alterum est, quod, præfatis sententiis non obstantibus, possint dicti familiares, Procuratores, & operarij audire diuina, nisi causam dederint tali excommunicationi, vel interdicto, aut nisi ipsi excōmunicati, vel interdicti specialiter essent. De vtroque autem latè dixi in summa. De primo quidem *tom.2. cap.16. num.23. & cap.17. num.8.* De secundo autem eo *cap.16. num.27. 28. & sequentibus, & eo cap.17. num.6.* Alia verò quæ spectant ad interdictum, habes ex dictis *tom.3. verbo Interdictum quoad Regulares*, cum locis ibi relatis. Similiter an hæc priuilegia familiarium Religiosorum suspendantur in locis, vbi publicatur Bulla Cruciatæ, dixi *eo cap.16. num.29.* 27.

Pro illa tamen particula, seu dictione *continuò*, aut *continuè*, quæ ponitur in præfatis priuilegiis, dum est sermo de operariis, obseruandum, quod licet illa denotetur, quod obsequium talium operariorum debeat esse perpetuum; vt ratione illius potiri possint dictis priuilegiis; id tamen intelligendum est non mathematicè, aut metaphysicè, sed ciuiliter, id est, horis, seu temporibus opportunis, prout probat Barbosa *in tractatu de dictionibus, dict. 68.* ex variis Doctoribus. Vnde quemadmodum obligatus ad continuam chori residentiam intelligitur solùm obligatus pro horis congruis, & salua necessitate, vel infirmitate, prout ex Calderino, & Tuscho comprobat Barbosa supra, sic ad intentum intelligendum est continuum hoc operariorum obsequium ad potiendum talibus priuilegiis necessarium. 28.

Alia ad intentum damus infra *in Mari magno Minorum circa §.9.10.* Carmelitarum *circa §.52.* 29.

Circa §. 13.

HAnc eandem concessionem de facultate commorandi inter excommunicatos, & ab eis necessaria vitæ poscendi fecit pro Minoribus Clemens IV. in Bulla relata, & Carmelitis Sixtus IV. in eorum etiam Mari magno §.53. ac Minimis Iulius II. in eorum etiam Mari magno §. 8. & vt notatur in margine dictæ Bullæ in Mari magno Minorum apud Rodriguez in Bullario *Bull. 14.* Innocentius IV. dedit pro eadem materia Bullam, quæ habetur in Conuentu sancti Francisci Salmanticensis. Notat autem Rodriguez *tom.2. quæst. Regular. quæst.61. art.1.* hanc concessionem, & aliam similem Gregorij IX. parum deseruire, nisi solùm ad pacandos scrupolosorum animos. Ratio est, quia vel tales excommunicati sunt illi, qui vocantur *tolerati*, videlicet qui non sunt notorij percussores Clerici, vel nominatim denunciati, seu publicati, vel non sunt *tolerati*, quia scilicet sunt vel notorij percussores Clerici, aut nominatim denunciati, seu publicati, seu publicati. Si sint prioris generis, proculdubio nullus tenetur ipsos vitare, sed omnes possunt cum illis communicare, esto ipsi excommunicati non possint, nisi in certis 30.

casibus cum aliis communicare, iuxta dicta *t.3. verbo Excommunicatio quoad Regulares n.5. & 43.* & Extrauag. Martin. V. *Ad euitanda*, Concil. Constantiensi, & communi Doctorum sententia, specialiter Suarez, Corneyo, & Layman, quos ibi retuli. Si autem tales excommunicati sint posterioris generis, etsi cum illis alij regulariter communicare non possint, nihilominus cum agitur de ipsorum vtilitate spirituali, qualis est ea, quæ tangitur in hac concessione, vtique possunt, prout habetur ex *c. quoniam multos 11. quæst.3.* & ex communi Doctorum, specialiter Siluestro, Nauarro, Vasquez, Corneyo, & Bonacina dixi loco relato *num. 45.* & circa simile priuilegium Minimorum Peirinis *tom.1. priuileg. Minim. in Constit. 2. Iulij II. num.25.* Dici tamen potest hanc, & similes concessiones, seu priuilegia deseruire posse Regularibus prædictis ad communicandum cum præfatis excommunicatis non toleratis, seu vitandis, quando in eorum terris commorantur, non solum in eis, quæ pertinent ad ipsorum excommunicatorum conuersionem, aut salutem spiritualem, neque in proximè illa cõcernentibus, qualia sunt salutationes, & allocutiones, quæ inter ea admisceri solent, iuxta dicta eo *num. 45.* ex Siluestro, Nauarro, & tenet Rodriguez loco relato; sed etiam in aliis, quæ solum remotè, & mediatè conducunt ad prædicta. Colligo id primò ex verbis huius concessionis, videlicet, *In excommunicatorum terris libere commorari*, ea enim denotant facultatem, seu licentiam ad communicandum, seu habendum communionem, aut cõmunicationem cum ipsis, quatenus politicè est necessaria inter eos, qui simul cõmorantur. Colligo secundò ex eo, quod priuilegia Regularibus concessa, ea præsertim, quæ non sunt in præiudicium alterius, quale est istud, de quo in præsenti, latissimè explicanda sunt. Nam *summa ratio est, quæ pro Religione facit*, vt dicitur *in l. sunt personæ ff. de Relig. & sumpt. funer.* de quo dixi *tom. 4. verbo priuilegia Regularium num. 9.* ex Siluestro, Tiraquello, & Suarez. Tertiò id maximè colligo ex generali principio, scilicet, quod priuilegium debet aliquid operari vltra commune ius, quod sine priuilegio non liceret, quia aliàs esset inutile, *cap. Si Papa, de priuileg. in 6.* ibi, *Cum verba aliquid operari debeant.* De quo Suarez *de legib. lib.8. cap.28. num.2.* Ioannes de Cruce *lib.2. de priuileg. Regular. cap.2. in 4. Regul.* & alij. Cum ergo iure communi liceat communicare cum excommunicatis etiam vitandis, seu non toleratis in iis, quæ spectant ad ipsorum spiritualem salutem, vel proximè concernentia, ideo ne dicamus hoc priuilegium esse inutile, sed aliquid operari, dicere debemus per illud concedi præfatis Religiosis facultatem communicandi cum dictis excommunicatis vitandis etiam in iis, quæ solum mediatè, aut remotè conducunt ad ipsorum salutem spiritualem, qualia sunt colloquia, conuinctus, & similia.

31. De alia concessione, quæ in hoc priuilegio habetur, scilicet, quod possint dicti Religiosi in terris excommunicatorum commorantes *ab eis necessaria vitæ deposcere, ac recipere*, cum id liceat iure communi facere cum excommunicatis toleratis, quia cum talibus permissa est communicatio cuilibet, vt dictum est, & colligitur ex *cap. si vere de sentent. excommunicat.* & aliis Doctoribus, quos ibi affert Barbosa, ideo vt hoc priuilegium aliquid operetur, & ne inutile reddatur, extendi debet etiam pro casu quo tales excommunicati essent vitandi, aut non tolerati. Etsi enim iuxta dicta eo verbo *Excommunicatio quoad Regulares num. 49.* ex Sairo, Auila, & Bonacina licitum sit postulare elemosynam etiam ab excommunicato vitando propter necessitatem postulantis, & quia eleemosynam postulare alicui est suadere illi opus charitatis, vel misericordiæ, quod non est prohibitum etiam cum excommunicato vitando; nihilominus, quia in dicto *cap. quoniam multos*, solum id videtur permissum, quando non sunt alij, à quibus ea haberi possint, & ad tollendum scrupulorum occasionem valde vtile est præfatum priuilegium. Præsertim quia sæpius in priuilegiis conceduntur aliqua iure communi non prohibita, ad pacandum conscientias; notat inter alios Nauarrus *in summ. cap. 25. num. 85. & cap. quando latine cap.3. num.57. & cap.19. num.84. & c.21. num.31.* Rodriguez *tom.1. summ. in 2. edit. cap.220. num.2.* & Sanchez *l.2. de Matrimon. disp.37. in fin.*

Si autem quæras, quomodo Religiosus se debeat gerere cum hæreticis casu quo in terris eorum commoretur, quamuis plura dici possent, breuiter dicendum primò, si tales hæretici non sunt denunciati nominatim, non tenemur eos vitare. 32.
Ratio est, quia etsi tales sint excommunicati, vtpote quia verè hæretici, nihilominus fauor Extrauagantis *Ad euitanda*, & Concilij Constantiensis, de quo supra, concessus omnibus fidelibus non vitandi excommunicatos nisi nominatim denunciatos, aut notorios percussores clericorum, cum generalis sit, extenditur etiam ad hæreticos. Suares *tom.3. in 3. p. quæst.65. art.4. disp.18. sect.1. not.3.* Azor *tom.1. inst. moral. lib.8. c.13. q.7.* Sanchez *l.2. in Decalog. cap.9. num.3.* Nec censentur nominatim denunciati aut vitandi Lutherani, Caluinistæ, aut alij specialium sectarum expressi specialiter in Bulla Cœnæ *excommunicat. 1.* quia tales solum sunt generaliter denunciati, non nominatim. Sanchez *supra*, ex Sairo, Toleto, & aliis. Qui etiam *num.4.* addit nec censeri nominatim denunciatos ad effectum vitandi eos, illos, qui declarati sunt vt hæretici, quia per hoc non exprimitur censura excommunicationis, quod videtur requiri, cum fauor illius Extrauagantis ampliari debeat. Idem etiam dicit de illis, qui declarati sunt vt hæretici, & incurrisse omnes pœnas hæreticorum. Quia adhuc per hoc non est specialiter, & expressè denunciata excommunicatio. Cum talibus ergo hæreticis non denuntiatis nominatim vt excommunicatis licitè potest Religiosus in eorum terris existens communicare tum in humanis, tum etiam in diuinis, orando cum eis, diuinis officiis simul coassistendo, eorum funus comitando ad sepulturam in loco prophano ipsis dandam, & alia omnia cum eis facere, quæ cum aliis non excommunicatis. Ratio est, quia ex vi priuilegij concessi cunctis fidelibus in dicta Extrauaganti possunt siue in humanis, siue in diuinis communicare cum excommunicatis quibuscumque, exceptis nominatim denunciatis, & notoriis percussoribus Clerici. Nauarrus *lib.5. Consil. tit. de hæretic. in 1. edit. consil.15. & 16. in 2. consil. 10. & 12.* Azor *tom.1. instit. moral. lib.8. cap.11. quæst.4.* Sanchez *supr. num.7.* noster Thomas de Iesu *de conuers. omn. gent. procul. lib.8. 2. par. §.4.* Trullenc. *in Decalog. lib.1. cap.3. dub.2. n.4.* limita tamen, dummodo hæc non fiant animo fauendi hæreticis vt talibus, aut cum scandalo Catholicorum, quia hoc est intrinsece malum, & illicitum, vt iidem authores fatentur. Idemque dicendum de communicatione cum illis in rebus aliàs

aliàs prohibitis, quales sunt eis dare, vel ab eis accipere Sacramenta, cooperari ritibus ipsorum, & similia, quia hæc etiam sunt illicita. An verò liceat ingredi ipsorum templa, dixi eo verbo *Excommunicatio quoad Regulares num.* 42. Similiter an pro eis offerri possit Missæ Sacrificium, dixi eo loco *n.* 12. An sepeliri possint in loco sacro *ibid.* 53. *& 4. tom.... verbo sepultura quoad Regulares num.* 23. Casu verò quo hæretici sepulti fuerint in loco sacro, an liceat in illo diuina officia, & Sacrum facere, tractat Thomas de Iesu *supra* ex Nauarro, & aliis.

33. Si verò tales hæretici sint nominatim denunciati vt excommuunicati, ac per consequens sint excommunicati vitandi, tunc non solum prohibitum est communicare cum illis in eis, in quibus communicare non possumus cum alijs excommunicatis toleratis, sed etiam in eis, in quibus dixi communicari posse cum ipsis. Vnde non potest esse talis communicatio cum illis in contentis illo versu: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur.* nisi pro casibus, de quibus illo alio versu: *Vtile, lex, humile res ignorata, necesse*, iuxta dicta eo verbo *Excommunicatio quoad Regulares num.* 45. Ex priuilegio tamen isto pro Prædicatoribus, & Clem. IV. pro Minoribus, & Sixti IV. pro Carmelitis in ipsorum Mari magno §. 53. ac Iulij II. pro Minimis in eorum quoque Mari magno §. 8. videtur quod possint isti Religiosi, & qui cum ipsis habent participationem priuilegiorum, in terris excõmunicatorum commorari, ac per consequens habere cum illis, etiamsi sint excommunicati vitandi, eam cõmunionem, quæ necessaria omnino est ad simul politicè conuiuendum, iuxta dicta superius. Hæc tamen solum intra limites opinionis probabilis dicta sint, nullum enim authorem de hoc puncto agentem videri potui. Fauet tamen Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resolut.* 62. *num.* 12.

34. Si etiam petas, an Religiosi possint ire ad terras hæreticorum, aut aliorum infidelium. Respondeo iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 32. *& cap.* 18. *num.* 99. in Extrauag. *Ad nostrum de Regularibus* impositam esse à Ioanne XXII. excommunicationem Papæ reseruatam contra quoscunque Religiosos euntes *ad partes transmarinas, quibus pauci fideles respectu infidelium commorantur, absque superioris Ordinis sui licentia sibi per ipsius litteras patentes concessa.* Item contra Superiores ipsos huiusmodi licentiam impertiri præsumentes, *nisi dumtaxat viris litteratis, prouidis, & expertis.* Explicant hanc excommunicationem inter alios Filiucius *in quæst. moral. tom.* 1. *tract.* 15. *cap.* 8. *num.* 192. Bonacina *de clausula quæst.* 2. *punct.* 4. §. 4. *& de censuris extra Bullam Cœnæ, disp.* 2. *quæst.* 9. *punct.* 8. Præter dicta autem à me loco relato, & alia, de quibus hi authores, nota primò, hanc excommunicationem non incurri nisi à transgressoribus huius legis ex præsumptione. Quid verò per præsumptionem denotetur, habes ex dictis *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 33. Nota secundò, præcipi in eadem Extrauaganti in virtute sanctæ obedientiæ Prælatis Ecclesiarum, ne Religiosis ad partes illas transeuntibus sine præfata licentia, *ad prædicationis officium, vel diuinorum celebrationem admittant, sed ipsos potius velut apostatas capiant, seu capi faciant, eos carcerali custodia detinendo.* Accedentes etiam ad sepulchrum Domini situm Hierosolymis sine licentia Papæ sunt excommunicati excommunicatione Papæ reseruata. Etsi enim pro hac excommunicatione nullus textus afferatur, nihil minus creditur in hoc sancto Antonino, qui 3. *part. tit.* 24. *cap.* 30. *in fin.* dicit eam vidisse in libro Pœnitentiæ Summi Pœnitentiarij, & ita id admittunt Nauarrus in *Man. cap.* 27. *num.* 110. Filiucius *supra cap.* 5. *in fin.* Suarez *de cens. disp.* 22. *sect.* 6. *num.* 9. Bonacina *supra dict. disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 39. Thesaurus *in prax. part.* 2. *verbo peregrinantes cap.* 2. Hæc autem excommunicatio cum sit generalis, comprehendit omnes, etiam Religiosos; & cum sit contra accedentes ad dictum sanctum Sepulchrum, sitque in materia odiosa, requirit actum consummatum illuc perueniendi; imo cum sit contra accedentes ad eum locum deuotionis gratia, non comprehendit euntes Hierosolymam ob mercaturam, vel alia negotia. De quibus relati authores, & alij. Item Clem. VIII. in Bulla. *Cum sicut* in 3. tom. Bullar. *num.* 42. prohibet Italis, vt extra Italiam non habitent in locis, vbi liber, & publicus cultus, siue vsus Catholicæ Religionis non extat. Quamuis hæc Constitutio non videatur tangere nisi seculares. De alia excommunicatione Alexander Sextus contra euntes ad Indias sine licentia Regis Catholici, agit Rodriguez *tom.* 2. *quæst. regular. quæst.* 69. *art.* 7. & eius Compendiator, alter Rodriguez *resolut.* 78. *num.* 8. Extat etiam prohibitio Gregorij XIII. omnibus Religiosis, Patribus Iesuitis exceptis, accedendi ad Zapponium, vel Regiones propinquas, iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 16. *n.* 28. licet ea sit limitata postea à Clem. VIII. & Paulo V. vt *ibidem* dixi.

Maximè nota, quod pro Religiosis in partibus hæreticorum, seu infidelium; in ipsorum conuersione laborantibus, varia, & multa sunt à summis Pontificibus concessa priuilegia. Id patet ex Bulla Pij II. & Sixti IV. pro Prædicatoribus, quam refert Thomas de Iesu *supra lib.* 12. & ex Bulla Innocent. IV. pro eisdem Prædicatoribus, quæ habetur apud Confettium *pag.* 6. & Thomam de Iesu *supra*, apud quem etiam extant pro eisdem Bullæ Gregorij XI. & Innocentij VI. ac Vrbani VI. Pro Fratribus etiam Minoribus extat alia Bulla Leonis X. apud Rodriguez *in Bullar.* & Thom. de Iesu *supra*. Item pro nostris Patribus Carmelitanis Discalceatis alia Clem. VIII. apud eundem Thomam de Iesu, qui etiam *ibidem* habet breuem collectionem horum priuilegiorum ordine alphabetico digestam, in qua singula referuntur. Præter quæ etiam sancta Congregatio de propaganda fide Religiosis missionariis; seu ad Euangelij prædicationem ad infidelium partes missis, specialiora aliqua, ac notabilia conferre solet priuilegia, vt ad sanctum opus feruentius exequendum animentur. 35.

Præter dicenda autem infra in Mari magno Minorum. *circa* §. 11. Carmelitarum *circa* §. 53. & Minorum *circa* §. 8. specialiter notandum; quod Religiosi pro conuersione Indorum laborantes habent plura priuilegia ex Leone X. in Bulla apud Rodriguez in Bullario in hoc Pontifice *num.* 3. ex Adriano VI. in Bulla apud eundem Rodriquez in Bullario in hoc Pontifice *num.* 1. vbi etiam confirmantur alia à prædecessoribus concessa. De quibus Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 31. *ab art.* 3. *vsque ad* 6. *& quæst.* 35. *per tot. & quæst.* 56. *art.* 11. *& tom.* 2. *quæst.* 99. alter Rodriguez *in Compend. Resolut.* vbi hæc omnia refert. Primò, quòd Religiosi ad terras Indorum peruenientes possint eis Euangelium prædicare, eosque baptizare. Secundò, vt Sacerdotes possint promouere conuersos vsque ad quatuor minores Ordines. Tertiò, vt possint dispensare cum illis, qui in gradibus non prohibitis lege diuina contraxerunt ad manendum in matrimo- 36.

trimonio. Quartò, vt possit dispensare cum patientibus defectum naturalium ad Ordines. Quintò, vt possint cognoscere de causis matrimonialibus. Sextò, vt inordinatè viuentes de suis excessibus possint corrigere. Septimò, vt possint ibidem diuina officia celebrare, cœmeteria benedicere, & vota commutare, exceptis Religionis, & peregrinationis vltramarinæ, ac indulgentias concedere. Octauò, vt valeant altare consecrare, si illud non possunt habere portatile, & similiter corporalia, vbi non est Episcopus. Nonò, vt possint omnia alia facere, quæ ad augmentum diuini nominis, ampliationem Catholicæ fidei, ac ad irritationem, & reprobationem eorum, quæ sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco, & tempore viderint expedire. Hæc Hieronymus Rodriguez *supra*. Quibus similia aliqua affert *Resol.126. num.10.11.& 12.* Additur etiam in Bulla Leon.X. inter alia notabilia priuilegia, quòd *in casu necessitatis Episcopis in Prouincia non existentibus, confirmationis Sacramentum* possint impartiri, quod est valde singulare priuilegiũ. De quo Quintana-Duennas in suis Singularibus *Tract. 2. de Confirmationis Sacramento Singul. 6.* Vide etiam alia priuilegia Pauli III. pro Iesuitis in Bulla *licet debitum* in Bullario Rodriguez in hoc Pontifice *num.* 8. & pro praxi horum, & similium Prouinciarum, & an aliqua illorum solum per viuæ vocis oraculum concessa fuerunt, quia, his temporibus reuocata erunt, iuxta sæpius dicta.

Circa §.14.& 15.

37. DE materia huius priuilegij, scilicet de facultate ad absoluendum Religiosos à censuris, & ad dispensandum cum illis in irregularitatibus copiosè dixi *tom.1. cap.18. à num.31. vsque ad 45.* tam propter hoc, quam propter alia priuilegia Religionibus concessa. Specialiter etiam de facultate Prælatorum Regularium ad absoluendum suos subditos à censuris, plura dixi 3. *tom. verbo Abortus num.8. verbo Censura Ecclesiastica num.12. verbo Clausula num. 10. verbo Clericus num. 12. & seqq. verbo Dare seu donare num. 39. & verbo Interdictum quoad Regulares num. 41.* & 4. *tomo verbo Prælatus Regularis num. 10.* Similiter quod attinet ad dispensationem in irregularibus plura dixi eo 3. *tom. verbo Irregularitas*, præsertim *num.* 72. cum locis ibi relatis. Extensionem quoque huiusmodi priuilegij ac declarationem illius circa illa verba: *Nisi adeo grauis fuerit, & enormis excessus, quod sint ad Sedem Apostolicam merito destinandi*, habes in hoc eodem Mari magno §. 41. sicut in simili priuilegio pro Minoribus in eorum Mari magno § 40. vbi etiam alia ad intentum. Et quod attinet ad facultatem dispensandi cum irregularibus, vide dicenda infra in hoc Mari magno §. 42. & in Mari magno Minorum §. 49. Eremitarum S. Augustini §. 44. & Carmelitarum §. 63. ac Seruitarum §. 35. & 36.

Circa §.16.

38. DE priuilegio *in hoc* §. contento, videlicet de facultate ad absoluendum à peccatis, & censuris eos, qui Religionem ingredi volunt, simulque cum illis dispensandi in aliquibus irregularitatibus, sufficienter dixi *tom.1.c.24.n.8.9.& 10.& 4. tom. verbo Nouitij, & Nouitia Religion. num.34.* & *maxime num.36.& verbo Prælatus Regularis num.9.* ex hoc, & aliis priuilegiis plurium Religionum. Circa illa verba: *Ita tamen, vt si aliqui ex huiusmodi sententiis propter debitum sunt astricti, satisfaciant vt tenentur*, nota quæ dixi 3. *tom. verbo Absolutio n.9.* vbi de modo quo fieri debet hæc satisfactio, & an ante absolutionem, saltem quoad partem, an verò sufficiat cautio pignoratitia aut similiter. De quæstione autem illa, scilicet an Nouitij semel absoluti, seu dispensati, si è Religione discedant, incidant in pœnas illas, & censuras, à quibus absoluti, & dispensati fuerant, dixi eo verbo *Nouitij, & Nouitia Religionũ n. 36.* Quid verò si habitũ susceperunt solũ in fraudẽ talis censuræ, aut pœnæ, collige ex dictis *tom.3. verbo Gabella quoad Reg.n. 9.& 4.t. eo verbo Nouitij, & Nouitia Religionum n.34.* Pro difficultate portò illa de illis, qui nondum habitum Religionis susceperunt, sed breui tempore illum recepturi sunt, an potiri possint dictis priuilegiis, consule dicta eo verbo *Nouitij, & Nouitia*, &c. *num.* 43. Si casus esset, quòd satisfactio facienda ab iis, qui Religionem ingredi volunt, sed personis incertis, an possint talia bona conuerti à Prælatis in pios vsus Religionis, deseruiunt quæ *tom.1. eo c.24. num.* 39. dixi ex priuilegio Sixti IV. pro Carmelitis, & Iulij II. pro Minimis, de quo etiam in Mari magno Carmelitarum §. 96. & infra in isto Mari magno Prædicatorum §.27.

Maximè nota, quod cum in hoc priuilegio concedatur facultas absoluendi, & dispensandi volentes ingredi Religionem veluti generalis, & indefinita, non determinata solum ad forum conscientiæ, ideo satis probabiliter extendi potest ad vtrumq; forũ, siue internũ, siue externũ. Præsertim, cũ beneficium Principis latissimè interpretari debeat. *l. Beneficium ff. de Const. Principum.* Peirinis *t.1. priuileg. Minim. in Constitution. 2. Iulij II. §.9. n.30.* Vide Candidum *tom.1. disquis.22. art.48. num.7.* 39.

Circa verba autem illa *Seruata forma Canonica*, & postea *secundum formam ipsam*, nota per illa denotari absolutionem à censuris, præsertim excommunicatione, impertiendam illis, qui Religionem ingredi volunt, debere fieri cum flagellatione, & orationibus, iuxta formam præsumptam in *c. à nobis 2. de sent. excommunic.* Imò etiam cum iuramento, iuxta ea, quæ dixi *tom.3. verbo Absolutio num.8. & 10.* Quod intelligo quando absolutio daretur publicè aut pro foro externo, iuxta dicta eo *num.* 8. Rodriguez *tom.1. Quæst. Regular. q. 20. art. 21.* Peirinis *supra num.* 31. Sanctorus *in Comment. sup. statut. Minorum c.2. statut.14 §.* Addit etiam Minores non teneri ad huiusmodi solemnitates, propter priuilegium Leonis X. quod refert Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo absolutio quoad seculares* 1. *num.* 13. Sed animaduertere debuit hoc priuilegium Leonis parum iuuare ad intentum, non solùm quia est viuæ vocis oraculum, sed quia solum est pro foro conscientiæ, pro quo, vt dixi, non sunt necessariæ tales solemnitates. Vide alia infra *in Mari magno Minorum §.14.* 40.

Circa §.17.

HVic etiam priuilegium Prædicatorum simile aliud concessit Clem. IV. Minoribus, vt paret ex ipsorum Mari magno §. 15.16.& 17 & Carmelitis Inn.IV. in eorũ Mari magno §. 35.& Sixtus §.6.& 88.& Seruitis Innocent. VIII. in ipsorũ Mari magno §. 60. & Minimis Iulius II. etiam in Minimorum Mari magno §.10. Continet autem multa 41.

Primò,

Primò, quòd per litteras Apostolicæ Sedis seu Legatorum, aut Subdelegatorum ipsius conueniri non possint. Secundò, nec cogi ad colligendam pecuniam. Tertiò nec teneri ad acceptandum officia visitationis, vel inquisitionis Monialium, aut Monasteriorum, vel ad cognitiones causarum, citationes, &c. Quartò, nec ad acceptandum curam ipsarum Monialium, &c. Quintò nec ad visitanda ipsarum Monasteria, aut recipiendum commissiones, &c. Sextò, nec ab vllo Ordinario, vel Prælato compelli ad deferendum litteras contra aliquos, vel faciendum citationes, &c. Quæ latiùs in bulla continentur.

42. Circa quæ nota primò, nomine litterarum Apostolicarum, de quibus in præsenti est sermo, intelligi illas, quæ expediuntur in Curia Romana per Papam, & eius officiales; siue Bullæ, siue Breuia, siue Signaturæ, aut Mandata Apostolica, seu Rescripta, iuxta dicta 4. *tom. verbo litteræ Apostolicæ num.* 1. appellentur. De quibus ibidem, quando dicantur subreptitiæ, de pœnis tales litteras falsificantium, & an à Religiosis impetrari possint contra suæ Religionis statuta. Vide etiam dicenda in Mari magno Minimorum *circa.* §. 33.

43. Secundò nota, quod quamuis Religiosi quicunque teneantur ad obediendum Summis Pontificibus, eorumque Ministris, non solum iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 31. 32. *&* 33. obligatione generali, qua tenentur reliqui fideles; sed etiam speciali ratione voti obedientiæ circa ea, quæ Regulam concernunt; nihilominus ipsi Summi Pontifices, veluti iuri suo cedentes, *ac quieti Religiosorum prouidere cupientes*, vt dicitur in præfato priuilegio, eximunt illos ab obedientia debita litteris à Sede Apostolica Legatis, vel subdelegatis ipsius emanantibus, in causis, & negotiis assignatis in dicto priuilegio. Illud tamen solùm intelligendum est de litteris Apostolicis generalibus, & communibus, non de illis, quæ specialiter directæ sint ad ipsos. Pro huiusmodi namque litteris Apostolicis ad ipsos specialiter directis nihil suffragatur præfatum priuilegium. Prout tenent Rodriguez *tom.* 2. *quæstionum Regularium, quæst.* 119. *art.* 2. & Peirinis *tom.* 1. *priuilegiorum Minimorum in Constitutione* 2. *Iulij II.* §. 10. *num.* 37. 38. *&* 40. Possunt tamen sine præiudicio obedientiæ debitæ Summo Pontifici in tali casu ipsi supplicare, vt causam, vel negocium alteri committatur, & interim supersedere, & expectare secundum responsum, iuxta decisionem *capitis. Si quando de rescriptis*, & ea quæ dixi *tom.* 4. *verbo leges Regularium, num.* 19. *Et verbo litteræ Apostolicæ, num.* 8. Rodriguez *suprà*, Peirinis etiam *supra num.* 40.

44. Circa illa verba. *Vel ordinarius Iudex* nota, quòd iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 18. per illa non intelliguntur Legati à latere, propter amplissimam facultatem in litteris suæ legationis, & quia, vt dixi *tom.* 3. verbo *Exemptio Regularium, num.* 5. ex *cap. Abbatem de elect. in* 6. *& cap.* 1. *de verborum signif. etiam in* 6. quoad iurisdictionem in exemptos parificari videntur Legati à latere cum Papa. Intelliguntur tamen omnes alij Legati, qui non sunt à latere, iuxta dicta eo *num.* 5. Consequenter etiam intelliguntur Nuncij Apostolici, nisi aliàs sint Legati à latere, quia sunt Cardinales, vel habeant facultatem Legatorum à latere. Ratio est, quia Nuncij Apostolici sunt Ordinarij, & nomine Ordinariorum veniunt. Vt habent Rodriguez *tom.* 2. *Quæst. Regul. q.* 63. *art.* 3. Henriquez *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 25. Peirinis *supra in Constit.* 2. *Sixti IV. n.* 8. §. 7. *& in d. Constit. Iulij II. num* 41. Sanchez *tom.* 2. *consil. moral. lib.* 6. *cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 14. & colligitur ex *cap.* 2. *de offic. leg. in* 6. Esto tales Nuncij dicantur Ordinarij *extraordinariè*, vt ex Panormitano, & Henriquez habet Sanchez *ibidem.* Nec obstat contra id quod dico de huiusmodi Legatis, & Nunciis Apostolicis, scilicet quod nomine Ordinariorum veniant, ac per consequens, quod ab illorum iurisdictione exempti sint Regulares tam propter hæc, quam propter alia priuilegia; non inquam, obstat contra hoc, quod secundum praxim ipsi velint à Religiosis obedientiam tam in prædictis causis, quam in aliis. Hoc ex eo procedere potest, quod litteræ ipsorum commissionis ad id extendantur (licet de hoc viderim dubitare Romæ etiam Papæ ministros, ad quos spectat tales litteras conficere.) Illud credendum, ipsos vtpote viros grauissimos, non extendere suam authoritatem vltra id quod possunt, maximè erga Regulares, contra quos procedere sine legitima authoritate est incidere in pœnas, & censuras, quas summi Pontifices in ipsorum priuilegiis imponunt contra illa impedientes, aut nõ exequẽtes. Hinc forsan prouenit, vt secundum consuetudinem illis credatur, etiamsi non ostendant litteras suæ commissionis. Pro quo faciunt Glossa *in c. placuit vt si quando* 6. *quæst.* 2. *verbo si soli*, Speculator *tit. de legato* §. *superest videre num.* 15. & Peirinis *supr. num.* 42. Esto de rigore iuris facienti aliquid, quod iure communi nequit facere, sed ex speciali commissione, non credatur, nisi ostenderit litteras suæ commissionis, Panormitanus *cap. Constitutum de appellat. num.* 12. Gregorius Lopez *part.* 1. *tit.* 9. *l.* 33. Hostiensis *tit. de legato num.* 3. specialiter loquens in causis exemptorum, Sanchez *supra num.* 21. & Peirinis *supra*, ac Portellus *in Responsionibus moral. tom.* 2. *casu* 92. *num.* 2. specialiter etiam loquentes de Regularibus. Apud quos alia ad intentum.

Nota etiam pro dictis, quod Legati Papæ sunt in triplici differentia. Quidam dicuntur Legati à latere, quia sunt Cardinales, qui sunt veluti de latere Papæ. Alij dicuntur Legati nati, quia scilicet legationis officium est illis veluti natum, quia annexum dignitati, quam habent, vt sunt aliqui Archiepiscopi, aut Episcopi in Germania. Alij sunt Legati missi, quales sunt alij communes Legati, seu Nuncij. Sic Francus *cap.* 1. *de offic. legat. in* 6. *num.* 3. Hostiensis *in Summ. tit. de offic. leg. num.* 2. Panormitanus *cap.* 1. *de offic. leg. & cap. ad eminentiam de sent. excommunicat. num.* 1. Mandosius *Regul.* 13. *Cancellar. q.* 5. *num.* 2. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *supra num.* 15. 45.

Alia ad intentum horum priuilegiorum habes infra *in Mari magno Minorum circa* §. 15. 16. *&* 17. Carmelitarum §. 35. 46 *&* 88. Seruitarum §. 60. & Minimorum §. 10. 46.

Circa §. 18.

PRiuilegium hoc de facultate Prælatorum circa correctionem, reuocationem, & deputationem Religiosorum pro seruitio quaruncumque personarum extra Religiones viuentium, etiam est concessum à Clem. IV. Minoribus, provt ex eorum Mari magno §. 18. *&* 19. habetur, & à Sixto IV. Carmelitis, provt ex eorum etiam Mari magno §. 89. constat, & à Iulio II. Minimis in eorum Mari magno §. 11. Congruit etiam priuilegium Gregorij XIII. pro Societatis Iesu Religiosis, quod refert Rodriguez *tom.* 2. *Quæst. Regul. quæst.* 64. *art.* 1. 47.

vbi

vbi etiam alia ad intentum refert priuilegia. De quibus etiam dixi aliqua *tom.1.cap.15.num.33. &* 34. Plura quoque refert Ioannes de Cruce *lib. 1. cap.6. dub. 7. concl.* 3. Defetuit etiam priuilegium quoddam Alexandri I V. pro Fratribus S. Mariæ de Mercede, quod habetur *in Bullario huius Ordinis in hoc Pontifice Bulla 3.* & quo etiam credo vti posse alias Religiones habentes communicationem generalem priuilegiorum aliarum quarumcumque, provt habent Mendicantes. In hoc ergo priuilegio præcipit Pontifex omnibus Ordinariis, vt Fratres existentes extra Religionem, & officia aliqua exercentes contra suorum Superiorum voluntatem cogant per excommunicationis censurā ad Religionem reuerti, & officia illa relinquere.

48. Circa ea autem nota primò, congruere satis iis, quæ iure communi habentur *cap. Quinto, de offic. Ordin. & Clem. Ne in agro, §. Quia verò, de stat. monach.* ac maximè Concil. Trident. *sess.25.de Regularib. c.* 4. vbi sic: *Prohibet S. Synodus, ne quis Regularis, sine sui Superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cuiusuis operis pij prætextu, subiiciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuersitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiuscunque personæ, seu loci, neque ei aliquod priuilegium, aut facultas, ab aliis super iis obtenta, suffragetur. Quod si contra fecerit, tanquam inobediens arbitrio Superioris puniatur.* Vide Portellum *in Responsion. mor. tom.2.cas.92.*

49. Nota Secundò, quod licet in præfatis priuilegiis videatur concedi facultas Prælatis dictorum Religiosorum ad dandum illis licentiam commorandi extra claustra pro obsequio præfatarum personarum, nihilominus ex decretis Clem. VIII. *pro reformatione Regularium*, quæ habentur inter Cōstitutiones ipsius *n.60.* quæ etiam retuli ad hoc intentum eo *c. 16.num. 23. & 25.* suntque confirmata à S. Congregatione sub Vrbano VIII. vt ibi dixi, habetur sic: *Nec de cætero nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica approbanda huiusmodi facultates* (scilicet commorandi extra claustra) *concedi possunt.* Iure ergo nouo talium decretorum, vltra Superiorum licentiam requiritur approbatio illius à Sede Apostolica. Bartholomæus à S. Fausto *Thesaur. Relig. lib.6.q.162.*

50. Præter ista vide dicenda infra in Mari magno Minorum *circa* §.18.19.& 20. Carmelitarum §.89. & Minimorum. §.11.

Circa §. 19.

51. PAriter etiam priuilegium hoc §. contentum de facultate concessa Prælatis Prædicatorum ad remouendum, reuocandum, transferendum, seu tollendum Fratres eiusdem Ordinis à Sede Apostolica designatos pro Cruce prædicanda, vel inquisitione contra hæreticos facienda, aliosque loco ipsorum substituendum, concessit Clem. IV. Minoribus in Bulla relata, & constabit ex eorum Mari magno §. 20.& Sixtus IV. Carmelitis, provt etiam ex nostro Mari magno §. 90. constabit; & Iulius II. Minimis in eorum Mari magno §.12. Est etiam ad intentum huius priuilegij, & alterius §. 18. relati, aliud Gregorij XIII. pro Religiosis Iesuitis, quod refert Rodriguez *tom. 2. Quæst. Regular. q.* 81. *art.5.* in quo eisdem concessit, vt non possit cogi ad quodcunque munus, & officium exercendum, à quacunque persona in qualibet dignitate constituta, non accedente consensu Superioris Societatis.

52. Circa hæc verò, & similia priuilegia nota primò, meritò Portellum *dicto cas. 92.* resoluisse, non potuisse quendam Commissarium Generalem Cruciatæ applicare Religiosum quendam Religionis fruentis dictis priuilegiis ad suum obsequium, aut detinere illum in tali obsequio contra voluntatem sui Superioris, nisi ostendisset litteras Papales suæ commissionis cum reuocatione talium priuilegiorum.

53. Nota secundò, priuilegia hæc quoad facultatem remouendi Inquisitores ab officio, quod gerunt, vacare his temporibus propter priuilegia, vel saltem consuetudinem huius Sancti Officij, vt referunt Penna *in Directorio Inquisit. part.3. q. 21. commentar.* 61. Peirinis *supra num.40. & in Constitutione 4. Sixti IV. §. 11. num.* 49. & fauet Rodriguez *supra dict. art.* 5. Solum ergo ab Inquisitoribus generalibus remoueri possunt. Farinacius *de hæresi quæst.186. n.* 32 Castrus Palaus *in opere morali tract.4. disp.8.punct.* 12.§. 2. Cætera *de officio S. Inquisit. part.1. tit.5. §.14. num.* 104. *&* 105. Idem dico de alia parte horum priuilegiorum, in qua conceditur præfatis Prælatis facultas ad substituēdū alios pro Fratribus exercentibus munus Inquisitorum contra hæreticam prauitatem. Hoc enim priuilegium etiam vacat his temporibus, cum solū ad Dominos Inquisitores generales spectet tales substituere. De quo Carena *supra* §. 3. post alios.

54. Si autem petas, an præfati Inquisitores Regulares delinquentes puniri possint à Prælatis Regularibus. Respondeo, in spectantibus ad Officium S. Inquisitionis minimè subiectos esse Prælatis sui Ordinis, sed solis supremis Inquisitoribus. Ita Penna *in 3. p. comment. 60. vers. Hoc autem priuilegium*, vbi id à Summis Pontificibus statutum ait, vt Sanctum Officium in causis ad illud spectantibus liberè, & absque vllo impedimento posset procedere. Diana *part.4. tract.8. de resolut.* 53. Carena *supra* §. 8.*num.* 69. Quo verò ad alia spectantia ad hoc Tribunal, vtpote concernentia obseruantiam Regularem, vtique subsunt Prælatis Ordinum suorum, & ab eis de Iuris rigore possunt puniri, si delinquant; dummodo pœnas non imponant, quæ manus Sanctæ Inquisitionis possint impedire. Ita Zanardus *in Director. Theolog.part.2. cap.6.quæst.*43. Santarellus *de hæresi cap.40.dub.1.* Diana *supra.* Carena *supra num.70.& 71.* Et æquitate tamen conueniens est, vt prædicti Inquisitores Regulares delinquentes non in Officiis Inquisitorum, sed in aliis spectantibus ad Prælatos ipsorum, non puniantur ab ipsis, inconsultis Dominis Inquisitoribus generalibus, sed eisdem consultis, & transmissis informationibus à Prælatis assumptis contra præfatos Inquisitores. Farinacius *dict.quæst.186.num.*132. Castrus Palaus, & Diana *supra*, ac Carena *num.72.*

55. Nota etiam dicenda inferius in Mari magno Minorum *circa* §.18.19.& 20. in Bulla Aurea *circa* §. 8. in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 90. & Minimorum *circa* §.12.

Circa §.20.

56. SImiliter priuilegium hoc de facultate concessa Prælatis Prædicatorum ad promulgandum excommunicationem contra Fratres ab Ordine recedentes, concessum etiam fuit Minoribus à Clem. IV. in Bulla relata, provt constat ex eorum Mari magno §.21. & ab Innocentio IV. Eremitis S. Augustini in eorum Mari magno §. 15. à Sixto IV. Carmelitis

Carmelitis etiam in eorum Mari magno §. 74. & 91. & à Iulio I I. Minimis pariter in Mari magno §. 13. Est verò discrimen inter huiusmodi priuilegia, nam id quod conceditur Prælatis Prædicatorum conceditur Generali, Prouincialibus, Prioribus, & eorum Vicariis; quod conceditur autem Minoribus solum est pro Generali, & prouincialibus dumtaxat, vt notauit Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Apostata ab Ordine num.* 7. Etsi, vt ipse animaduertit, etiam Guardiani Minorum possint per communicationem cum Dominicanis vti eo priuilegio. Priuilegium etiam Eremitarum S. Augustini, ad Generalem, Prouincialem, & Priores, videtur extendi. Quamuis autem priuilegium Carmelitarum eo §. 74. contentum indefinitum sit, & vniuersale videatur pro Prælatis Ordinis: contentum verò eo §. 91. Maris magni Carmelitarum, restrictum est ad Generalem, & Prouinciales dumtaxat. In priuilegio autem Minimorum comprehenduntur Generales, & Prouinciales, Correctores, & eorum Vicarij.

57. Alia verò pars huius priuilegij, de excommunicationis sententia incurrenda ab illis, qui detinuerint tales Fratres, non habetur in Bulla Clem. IV. relata, aut Mari magno Minorum, sed in Bulla Iulij I I. seu Mari magno Minimorum §. 13. Vide etiam priuilegia alia ad intentum apud Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. q.* 30. *art.* 9. Specialiter Leonis X. pro Camaldulensibus, & Iulij I I. pro Oliuetanis, ac Innocent. V I I I. pro Seruitis eorum Mari magno §. 47. Dicit etiam Casarubius *supra*, quòd in nostro Mari magno habeatur posse Prælatos Ordinis promulgare sententiam in taliter retinentes, quod dicit esse magnam authoritatem Prælatis concessam, & quod alibi non inueniatur similis. Cæterum etsi hoc habeatur in priuilegio contento *d.* §. 74. non tamen habetur in alio priuilegio contento in § 91 Differentiam autem, quæ est in vtroque priuilegio, assignabo infra in Mari magno Carmelitarum circa *d.* §. 74.

58. De materia autem horum priuilegiorum sufficienter dixi *tom.* 1. *cap.* 26. *num.* 12. 13. 14. 15. & 16. & 3. *verbo Apostata, & Apostasia num.* 10 & 11. qualiter apostasia à Religione sit casus reseruabilis, & de eo qui porest ab ipso absoluere. Specialiter tamen nota primò, ex vi horum priuilegiorum non esse ipso facto excommunicatos Religiosos decedentes ab Ordine, siue apostatas, siue fugitiuos; sed solùm esse excommunicandos, aut excommunicari posse à Prælatis prædictis. Verba enim illa *licitum sit vobis excommunicationis sententiam promulgare* solum denotare videntur excommunicationem ferendam non latæ sententiæ. Portellus *in Dub. Regul. verbo apostata in addit. num.* 4. Censura enim quæ ponitur verbis obliquis denotantibus opem; seu manum hominis, Superioris videlicet, solum est censura ferendæ sententiæ; non latæ. Thesaurus *in praxi part.* 1. *cap.* 3. An verò tales decedentes incurrant de facto, aut ipso iure excommunicationem, iam dixi eo *cap.* 16. *n.* 12. non incurrere aliquam ipso facto, stando in iure communi, & *num.* 13. incurrere illam propter aliqua priuilegia Religionum Minores videlicet, propter priuilegium Innocent. VIII. confirmantis litteras Sixti I V. & Prædicatores, propter priuilegium Iulij I I. ac Augustinienses, propter priuilegium easdem Iulij I I. si tamen post mandatum Generalis ipsorum Augustiniensium infra octo dies non redierint. Casarubius *supra num.* 21. 25. & 29. Portellus *supra* Miranda *tom.* 1. *Man. quæst.* 51. *art.* 1. Coriolanus *de cas. reseru. part.* 2. *cas.* 2. *num.* 14. Naldus *in summa verbo Religiosus num.* 31. Item Iesuitæ, propter priuilegium Pij V. & Gregorij VIII. quod refert Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *n.* 11. Vide Heronymum Rodriguez *in Compendio Resol.* 11. *num.* 21. Pro apostatis autem ad Ordine nostro, quamuis nulla videatur expressa excommunicatio ipso facto illis inflicta, quin potius oppositum colligi possit ex *part.* 3. *Const. cap.* 1. §. 4. vbi tales dicuntur à Iure excommunicati, si habitum reliquerunt, quo denotatur, quòd si illum non reliquerunt, non sint excommunicati, & ex *part.* 5. *cap.* 11. vbi cum agatur de sententia excommunicationis, & *cap.* 12. de pœnis apostatarum, nihil de hoc declaratur: nihilominis tamen quia vsu Religionis obtentum est, quòd tales absoluantur vt veri excommunicati, imo dictis capitibus 11. & 12. dicatur eorum absolutio reseruata Generali, vel Prouincialibus, ideo credo ipsos esse excommunicatos latæ sententiæ propter, communicationem priuilegiorum Religionum, quæ, vt dixi, id habent. Etsi enim, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 52. communicatio priuilegiorum non extendatur ad communicationem censurarum, & pœnarum, tamen quia impositio istius censuræ est valde fauorabilis Religioni, ideo illam acceptasse videtur Ordo noster. Dixi autem 3. *tomo*; *verbo Apostata, & Apostasia num.* 11. me putare crimen hoc, ac per consequens excommunicationem illam annexam reseruatam non esse Superioribus, nihilominus modò autem; propter ea, quæ addnxi ex *cap.* 11. & 12. 5. *part. Constit.* oppositum videtur dicendum; vel saltem necessariam in hoc esse declarationem Religionis. Idem porrò quod dixi de apostatis, intelligendum etiam est de fugitiuis, aut vagis, propter dicta eo *cap.* 16. *num.* 11.

Nota secundò, Mirandam *supra* significare apostatas omnes esse ipso facto excommunicatos à Paulo IV. & Pio IV. in Bullis; quas retuli eo *c.* 16. *num.* 12. Sed præterquam non video aliquam excommunicationem in dicta Bulla Pauli I V. illis imponi, nisi in casu quo moniti à Prælatis, vt ad Monasteria redeant, obedire noluerint, ea reducta à Pio I V. in alia Bulla ad terminos iuris communis; vt eo loco dixi. Si ergò iure communi, vt dixi, tales apostatæ excommunicati ipso facto non sunt, nec erunt ex vi istarum Bullarum. 59.

Circa excommunicationem autem illam, quæ ponitur in priuilegiis relatis contra detinentes Fratres apostatas, notat primò Peirinis *in d. Const.* 2. *Iulij I I.* §. 13. quod ante admonitionem solum est sententiæ ferendæ, post admonitionem verò latæ sententiæ propter verbum illud *subiacere*, quod denotat illam, iuxta Sairum *de censuris lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 8. post alios, & Thesaurum *in praxi part.* 2. *verbo Iudex cap.* 2. referentem Caietanum, Nauarrum, Suarez, Toletum, & Molinam. Aliquando tamen verbum *subiaceati*, seu *subiacere* denotare solum sententiam ferendam, licet regulariter latam sententiam, tenet idem Thesaurus *ibid* ex Tiraquello *in l. si vnquam, verbo Reuertatur num.* 148. & 149. Notat secundò ex Rodriguez *tom.* 1. *Quæst. Regular. q.* 30. *art.* 9. quam sequitur alter Rodriguez *in Compend. Resol.* 11. *num.* 7. quod non incurreret istam excommunicationem, qui retinet aliquem Religiosum non tanquam fugitiuum, & apostatam, sed tanquam consanguineum, amicum, familiarem, &c. sicut, iuxta plurium sententiam excommunicatio contra detinentes hæreticos, non comprehendit nisi solum 60.

retinentes,

retinentes, vt hæreticos, non alio titulo, consanguinitatis videlicet, aut amicitiæ, &c. Cæterùm notandum, quòd licet hoc sit verum, quoad forum internum, in quo sola veritas perspicitur. *cap.tua de spons.* quoad forum tamen externum attendendum est ad circumstantias, an scilicet sit aliqua, quæ prudenter excusare possit tales detentores. Nauarrus *in Man. cap.27. num.55.* Rodriguez *supra.*

61. Nota præterea facultatem istam concessam Prælatis ad excommunicandum suos subditos sine licentia discedentes, aut aliquod delictum committentes, eos comprehendere, etiamsi sint extra loca, vbi sunt Monasteria, aut ipsi Prælati. Ratio est, quia, iuxta dicta *tom. 3. verbo Censura Ecclesiastica num. 9.* ex Siluestro, & Corneyo, esto quod Prælati sæculares non possint ferre censuras extra proprium territorium, Prælati autem Regulares non habent territoria diuisa, sed habent iurisdictionem supra suos subditos, vbicumque fuerint, ratione voti obedientiæ, quod emiserunt; & Monachus vbicumque est, censetur esse sub iurisdictione Abbatis, & fictione iuris semper censetur esse in Claustro. *cap. statuimus 19. quæst 3. cap. si Religiosus de electione in 6.* Angelus *Summ. verbo sententia, num.5.* Auila *de Censur. p.2. cap. 3. disp.2. dub.4.* Peirinis *tom. 1. priuileg. Minimorum in Const. 7. Pij V. num.20. & 21.* Castrus Palaus *p.3. Tract.16. disp.4. punct.16. num.14.*

Circa § 21. & 22.

62. HOc quoque priuilegium de facultate Prælatorum Regularium ad procedendum contra eos Religiosos, qui de eorum Religionibus exeunt cum licentia transeundi ad aliam Religionem, & id non faciunt, vel postquam habitum susceperunt, ab ea resiliunt, habetur etiam fere ad verbum in Mari magno Iulij II. pro Minimis §. 14. in Mari magno autem Minorum, seu Bulla Clem. IV. §. 12. & in Mari magno Carmelitarum §. 91. habetur quidem vsque ad illa verba *inde præsumpserint resilire*; non verò quoad illa, *aut etiam si post professionem*, &c. Cum tamen Mendicantes omnes in priuilegiis communicationem habeant, poterunt tam Minores, quam Carmelitæ concessione ista facta Prædicatoribus, & Minimis vti.

63. Circa quæ, præter dicta *tom.1. cap.22. & tom.4. verbo Transeuntes Regulares* nota primo, facultatem hanc Prælatis concessam ad procedendum contra Religiosos ex eorum Religionibus exeuntes cum licentia ingrediendi in aliam, & morosos in executione illius, videri esse iure communi concessam. Tam quia taliter transeuntes, donec in Religiogione ad quam transeunt, incorporentur, manent sub iurisdictione Prælatorum illius, à qua discedunt, & sunt membra illius Religionis, iuxta dicta eo *cap.22. n. 18. & 23.* Tum etiam quia cum non sint manumissi, nec licentiati ad vagandum, sed solùm ad transeundum, adhuc censentur esse sub potestate prioris Religionis, Bordonus *in resolutionibus resol. 29. num. 80.* Idem dico de facultate prædictis Prælatis concessa ad puniendum eos, qui ex Religione, ad quam transierunt, tempore Nouitiatus discedunt, non reuertentes ad propriam. Ratio est, quia iure communi Religiosi transeuntes ex vna Religione ad aliam ante professionem in secunda factam semper remanent membrum primæ Religionis, iuxta dicta eo *c.22. num 18. & 19.* relatis. Nec censentur perfectè translati, sed Religiosi prioris Religionis. Rodriguez *tom.2. quæst. Regul. q.79. art.2.* Sanchez *l.7. in Decal. cap.32. num.9.* Bonacina *quæst.2. de clausura punct. 9. §. 4. difficultate 2. num.2.* Est tamen talis concessio verum priuilegium quantum ad vltimum illud, quod scilicet dicti Prælati possint procedere contra eos, qui ex ipsarum Religionibus exeuntes ad aliam transierunt, & ex ipso post emissam professionem ad laxiorem Ordinem, vel sæculum reuersi sunt. Cum etiam tales post professionem emissam in secunda Religione fiant membrum ipsius, ideo iure communi ad Prælatos talis Religionis spectat eos punire, si ab ea recesserint, non autem ad Prælatos prioris Religionis, sub cuius potestate iam non sunt.

Nota secundò, quoad ad hoc, vt prædictis transeuntibus præcipiatur opportunitas vagandi, nouo iure Sacræ Congregationis Concilij *de Regularibus apostatis, & eiectis* sub Vrbano VIII. prout retuli eo *cap.22. num.15.* sic § 2. habetur: *Deinde vt apostatandi opportunitas Regularibus præcipiatur, statuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque Regularis recta via se transferat ad arctiorem. Quod vt ipsa adimpleretur, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet.* Notaui autem ibidem hoc decretum obligare etiam in casu, quo Religiosus transiret ad aliam Religionem æquè strictam, vel etiam laxiorem, propter eandem, vel maiorem rationem. Sacra enim Congregatio solùm vsa est verbo illo *ad arctiorem*, vel loco exempli, vel quia, saltem regulariter, Prælati Regulares non possunt talem facultatem concedere nisi solum ad arctiorem Religionem. Debent etiam sic translati, ire in habitu suæ Religionis ad secundam Religionem, vt ibi nouo habitu induantur, & remittatur habitus priori Religioni, aut retineatur vsque ad diem professionis, si forsan non profiteantur. Bordonus *sup. num.91.* An autem sic transeuntes, si dimittant habitum prioris Religionis, antequam induantur habitu posterioris, incidant in excommunicationem iure latam contra relinquentes habitum propriæ professionis, consule dicta *tom. 1. cap.13. presertim num.6.* Bordonum *supra resol.35. num.15.* post Rodriguez, Sanchez, Bonacinam, & alios. 64.

Alia ad intentum dicam infra in Mari magno Minorum *circa* §. 22. Carmelitarum *circa* §. 91. & Minimorum *circa* §. 14. 65.

Circa §. 23.

SImile indultum de facultate procedendi contra apostatas habetur in Clem. IV. & Mari magno Minorum §. 23. & in Mari magno Carmelitarum, §. 28. ac in Mari magno Iulij II. pro Minimis §. 15. Aliudque simile pro Societate Iesu ex Pio V. refert Castrus Palaus *p.3. Tract.16. disp.4 punct.16. num.14.* in quo etiam conceditur fieri posse figura iudicij. Non videtur autem continere priuilegium aliquod supra ius commune, siquidem, supposita iurisdictione ordinaria, quam Prælati Regulares habent in sibi subditos, possunt facere id, quod verbis relatis Pontifices ipsis concedunt. Præsertim, quia iura permittunt hoc modo posse capi seruum fugiendum vbicumque sit, & illum, qui alteri est obligatus. *l. si quis §. differenti ff. de acquir. possess. l. 1. §. per seruum, qui in fuga, ff. eod.* iuxta dicta *tom.1. cap.16. n.16.* Sic maritus vxorem, 66.

Prælatus

Prælatus subditum vbique capiant. Glossa *in l.* 1. §. *ff. de rei vendic. verbo vendicare.* Etiamsi sint in Ecclesia, iuxta dicta *tom.*3. *verbo Immunitas Ecclesiarum num.*6. Naldus *in summa verbo Clericus n.*25. Peirinis *tom.* 1. *Priuileg. Minim. in Constit.* 7. *Pij V. num.* 20. Et ratio est, quia eorum iurisdictio nullis finitur locis Siluester *verbo excommunicatio* 1. *num.* 15. *& verbo sententia num.*7. Candidus *tom.* 1.*disquis.*22. *art.*25 *num.*6. Dici tamen potest, quod licet ex vi iuris communis possint Prælati in suos subditos prædicta facere, Prouinciales videlicet, & Priores in Fratres suæ Prouinciæ, aut Conuentus, non tamen in Fratres omnes sui Ordinis, qui sunt alterius Prouinciæ; aut Monasterij, & hoc concedi veluti priuilegium in præfatis Bullis Rodriguez *tom.*1. *Quæst. Regular. q.*30. *art.* 4. dicens ita obseruari ex vsu, & consuetudine Religionum, idque concessisse Leonem X. Camaldulensibus, Eugenium IV. Oliuetanis, Clementem III. Clem. IV. & Greg. IX. Carthusiensibus. Vide etiam Casarubium *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Apostata ab Ordine*, & Cordubam ac Sorbum in *Annotat. ad dict. Compendium.*

67. Pro praxi tamen præfatorum priuilegium, & præter dicta circa illa eo *c.* 16. præsertim *num.* 10. *&* 17. nota primò, Superiores Ordinum habentium ea, prius debere monere apostatam, vel vagabundum, vt reuertatur ad Religionem. Deinde tali monitione præmissa, si redire noluerit, excommunicare, vel excommunicatum declarare, iuxta hæc, & alia priuilegia, de quibus in superioribus. Peirinis *in Const.*1. *Iulij II.* § 38. *num.*96. Quando verò nullum aliud remedium spirituale profuerit, capi, ligari, & incarcerari potest (imo & debet) tum ex vi prædictorum priuilegiorum, tum ex alio Leonis X. pro Minimis, quod refert idem author *in Const. Leon. X. numero* 13. tum ex alio Innoc. VIII. pro Seruitis, quod habetur infra in ipsorum Mari magno §. 33. per proprios Religiosos, si fieri potest, siue per seculares, si id fuerit necessarium, provt conceditur in dictis priuilegiis. Maximè per familiares ipsorum Religiosorum, vt habetur in dicto priuilegio Leonis X. Nec propter præfatam captionem, ligationem, aut incarcerationem incurrent aliquam excommunicaionem præfati Superiores id præcipientes, aut ministri ipsorum, siue Religiosi siue seculares id exequentes; tum ex præfatis priuilegiis, tum maximè ex illo Leonis X. vbi sic: *Ita quod captionem Fratrum per vos vel laicos faciendam huiusmodi, nullus ex fauentibus censuras, aut aliquam excommunicatioois sententiam incurrat.* Incurrent tamen illam tam Religiosi, quàm seculares, si præmissa faciant pugnis, calcibus, aut alio modo apostatam percutientes, si quietè, & sine tali percussione id facere possunt. Secus verò si apostata resistat, nec permittat se carcerari, ligari, duci, &c. iuxta dicta *tom.* 3. *verbo Clericus num.* 9. ex *cap. si Clericus, de sent. excommunicat. in* 6. vbi Glossa *verbo excedetur*, & alij. Dum tamen ista violentia amplius non se extendat, quam defensio, vel rebellio apostatæ postulauerit. Peirinis *dicto* §.38 *num.*95.

68. Maximè circa illud, quod habetur in dictis priuilegiis, & in illo Leonis X. *inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis*, nota quæ dixi *tom.*3. *verbo clausula num.* 39 videlicet, id implicitè contineri in litteris Apostolicis, esto stylo Curiæ in aliquibus exprimatur; & quòd Magistratus seculares teneantur præstare tale auxilium, ita vt si illud non præstent, cogi ad id possint, & forsan

censuris. De quo præter authores ibi relatos Farinacius *in prax. crim. q.*97. *n.*82. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. Allegat.*107. *num.*25. Castrus Palaus *p.*1. *Tract.*3. *disp.*4. *punct.*2. §.10. *n.*7. *&* 8. post alios.

Vide alia ad intentum huius priuilegij infra in Mari magno Minorum *circa* §.23. in Mari magno Carmeliarum *circa* §.33.74. & 92. in Mari magno Seruitarum *circ* §.34. Minimorum *circa* §.13. *&* 15. 69.

Circa §.24.

EA etiam, quæ in hoc §. habentur circa eiectos ab Ordine, continentur quoque in Mari magno Minorum §. 24. & 25. & Bulla Clem. IV. relata, & in Mari magno Carmelitarum §. 93. & 94. & Minimorum §.16. ac ex parte etiam in Mari magno Seruitarum §. 49. & Minimorum §. 25. Quorum singula speciali discussione egent. Primò enim quod attinet ad inhibitionem factam eiectis de non prædicando, aut docendo, aut confessiones audiendo, dum in sæculo steterint, quod etiam tetigi *tom.*1. *cap.*23. *num.*18. propter priuilegium Innocentij IV. quod ibi ex Casarubio retuli, corroboratum est à S. Congregatione Concilij sub Vrbano VIII iuxta dicta eo *cap.*23. *num.*8. *& tom.*3. *verbo Eiecti Regulares ab Ordine num.* 3. In hoc enim decreto, quod etiam refert P. Candidus *tom.* 4 *disq.*4. *art.* 21. *num.*43. declarantur *perpetuò, suspensi ab exercitio Ordinum, sublata facultate Ordinariis locorum dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.* Cum autem per suspensionem *ab exercitio Ordinum* non intelligatur prædicare, aut concionari, quia hoc non est actus Ordinis, iuxta dicta *tom.* 3. *verbo Concionari, & concionator num.* 4. *& verbo Excommunicatio quoad Regulares num.*17. nec docere, propter eandem, imo & maiorem rationem; ideo hæc inhibitio posita in his priuilegiis est maior illa, quæ habetur in decreto S. Congregationis relato Quoad apostatas verò, quibus etiam fit eadem prohibitio in his priuilegiis, consonant ea, quæ dixi *tom.*1. *cap.*15. *num.*12. *&* 13. & supra circa §. 20. huius Mari magni, vbi de excommunicatione, quam incurrunt huiusmodi apostatæ; specialiter etiam consonat decretum Concil. Trid. *sess.*5. *cap.*2. quod retuli eo *cap.*16. *num.*30. vbi prohibentur Episcopi permittere prædicare eos Regulares, qui *extra claustra, & obedientiam Religionum suarum viuunt*, excipitur tamen *nisi ipsis noti sint, & moribus, atque doctrina probati.* De quo Miranda *tom.*1. *Man. q.*56. *art.*7. Hieronymus Rodriguez *in Resolutionibus Resolut.*112. *num.*13. & alij Contra hos ergo omnes facultas datur præfatis Prælatis ad eos excommunicandos. Dicitur tamen *infra fines prædicationis suæ*, provt habetur in isto Mari magno apud Rodriguez, & Confertium: credo tamen id esse propter scriptorum errorem, cum nullum verum sensum faciant hæc verba, & in aliis Bullis, quas retuli, non habeantur nisi ista: *Quos intra fines Prouinciarum districtos*, &c. quæ meliorem sensum reddunt. 70.

Facultas etiam in his priuilegiis concessa præfatis Prælatis licentiandi eiectos, vt ad alios Ordines approbatos, præter exceptos, transire possint, de quo etiam memini 1. *tom. cap.* 23. *num.* 10. ex priuilegio alio Innocentij IV. & Rodriguez, ac Sanchez, etsi, vt ibi dixi, credam, quod non sit in vsu, nihilominus in rigore loquendo existimo, quod maneat in sua vi; neque enim video aliquo modo reuocatam esse. Nec obstat quod in decretis Sacræ Congregationis Concilij de apostatis, & 71.

eiectis Regularibus, cuius memini dicto cap. 23. num. vltimo, prohibeatur Superioribus, ne *Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant illos ad Sedem Apostolicam reiicientes vel iubentes aliam ingredi Religionem*: nam ibi solum prohibetur, ne præcipiant talibus eiectis, vt ad aliam Religionem transeant, non autem quod illis concedant facultatem ad id faciendum, si velint.

72. Ex eo autem, quod præfatis priuilegiis dicatur, *& alios Fratres eiusdem Ordinis ex rationabili causa ad quoscumque Ordines approbatos, præterquam*, &c. *licentiandi liberam habeatis facultatem*, infert Peirinis *in dicta Constitutione 2. Iulij II. §. 17. num. 52.* quod videantur Pontifices concedere, quod possint dicti Prælati, rationabili existente causa, licentiare suos Religiosos ad transeundum ad laxiorem Religionem, quod esset maximum priuilegium, de quo dixi eo *tom. 1. cap. 22. num. 11. & 4. tomo, verbo Transeuntes Regulares num. 11.* Illud certius, taliter licentiatos ad transeundum ad aliquem Ordinem non posse transire ad alium, neque ab alio recipi, seu retineri absque licentia Sedis Apostolicæ faciente mentionem huius indulti, prout in eisdem priuilegiis habetur. Quod ad minus certissimum est, si velint ad alium Ordinem laxiorem, quam sibi designatum transire, licet dubium esse possit, an prohibeatur illis transitus ad strictiorem vel perfectiorem Religionem sine dicta licentia ex vi horum priuilegiorum, de quo alibi.

73. De his autem alia dabo infra in Mari magno Minorum *circa §. 24. 25. & 26.* & in Mari magno Carmelitarum *circa §. 93. & 94.* & Minorum *circa §. 16.* Vide etiam dicta *tom. 1. cap. 23. & tom. 3. verbo Eiecti Regulares*, & maximè nota circa processum faciendum pro istorum eiectione, quò in Congregatione S. Saluatoris dicitur esse consuetudinem capiendi informationes pro delicto, & quòd constito de eo, expellitur Religiosus, ac comburitur, & laceratur processus, ne de causa eiectionis appareat. Quæ consuetudo approbari videtur à Rota, vt patet inter decisiones Putei *decis. 108. & 276.* & est satis vtilis pro conseruanda bona fama Religionum.

Circa §. 25.

74. CONcessio etiam hæc de habitu Religionis non portando nisi à propriis Religiosis, & de authoritate diœcesanorum ad compellendum oppositum facientes ad relinquendum talem habitum, etiam habetur in Bulla Clementis IV. pro Minoribus, & Mari magno ipsorum §. 27. & in Mari magno Carmelitarum §. 95. & Seruitarum §. 50. ac in Mari magno Minimorum §. 18. de qua etiam aliqua dixi; alia quoque priuilegia referendo *tom. 1. cap. 13. num. 12. & tomo 3. verbo Habitus Regularis num. 3.* Quibus etiam addi aliud priuilegium Cælestini V. pro Cistercienfibus *in Compend. Cistercienʃ. verbo habitus §. 2.* & Clem. VIII. pro Augustinianis Discalceatis *in 3. to. Bullar. inter Const. huius Papæ num. 2.* & Gregorij XIV. pro Capuccinis *in 2. tom. Bullar. inter Constit. ipsius n. 11.* Alia etiam infra in Mari magno Minorum *circa §. 27.* & in Mari magno Carmelitarum *circa §. 95.* relatum vbi aliqua etiam circa similem concessionem quam ex Sixto IV. & Vrbano VIII. habēt nostri RR. PP. Discalceati. Vide & dicenda in Mari magno Seruitarum propter magis amplum, & singulare priuilegium, quod habent §. 50.

Circa §. 26.

SImilis concessio de decimis non soluendis, de virgultis, & hortis Religiosorum facta etiam fuit à Clem. IV. in Bulla relata, & Mari magno Minorum §. 28. & Eremitis S. Augustini in ipsorum Mari magno §. 13. ab Innocentio IV. Et Seruitis ab Innoc. VIII. in eorum Mari magno §. 44. ac Minimis à Iulio II. in Mari magno Minimorum §. 19 & 30. Multóque copiosior, & extensior Carmelitis, vt patebit ex eorum Mari magno §. 46. & 72. à diuersis Summis Pontificibus. Plura quoque priuilegia circa hoc retuli tum *tom. 1. cap. 3. n. 14. & 15. & tom. 2. cap. 1. num. 32.* tum maximè *tom. 3. verbo Decima quoad Regulares n. 2. 3. & 4.* quæ etiam referunt Casarubius, Rodriguez, Miranda, Barbosa, Tamburinus, & Nouarius eius locis adducti. 75.

Quamuis autem de hac materia plura dixerim locis relatis, præsertim *tom. 3. eo verbo Decima quoad Regulares*, aliqua tamen quoad præsens addenda. Primò quidem, quòd cum *hortus*, iuxta Calepinum, & Thesaurum Linguæ Latinæ sit *locus siue in vrbibus, siue villis, siue agris, in quo arbores, & olera oriuntur*, virgulta autem, iuxta eundem Calepinum *Multitudo virgarum pullulantium*, ideo de fructibus prædictorum non tenentur præfati Religiosi soluere decimas. Quod etiam videtur dicendum de vineis, oliuetis & similibus, cum iuxta traditam definitionem nomine hortorum comprehendantur. 76.

Secundò nota, quòd iure communi, & seclusis prælatis priuilegiis Religiosi omnes exempti sunt à solutione decimarum de noualibus suis, id est, vt dixi eo verbo *Decima quoad Regulares n. 11.* de prædiis de nouo cultis, qui aliàs culta non erant, ac de hortis, & nutrimentis animalium. *cap. ex part. 1. de decimis*, & ibi Glossa, & DD. quorum plures referunt, & sequuntur Hieronymus Rodriguez *in Compendio Resolut. 50. num. 3.* Castrus Palaus *p. 2. Tract. 10. punct. 12. num. 3.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 1. disp. 15. quæst. 18. num. 1.* & Barbosa *in Collectan. D D. in d. cap. ex part.* Quare præfata priuilegia iā primitus iure communi concessa videbantur. Vt etiam supponit Rota in Carthaginensi *Decimarum* coram Dunozetto 17. Februarij 1615. vbi statuit Religiosos omnes comprehendi *d. cap. ex parte*, ac proinde exemptos esse à gabellis de dictis noualibus, nec posse cogi ad illas soluendas, nisi ex Papæ authoritate, per specialem derogationem talis iuris. 77.

Tertiò nota, quod cum *in cap. nuper. de decimis*, quod est desumptum ex Innocent. III. & Concilio Generali Lateranensi statuatur, quòd omnes Regulares teneantur ad soluendas decimas de terris alienis postea acquirendis, etiamsi propriis manibus aut sumptibus eas excolerent, illas videlicet decimas, quas terrarum illarum domini antea soluebant, & tale statutum, cum sit Conciliare, & Concilij Generalis, habere censeatur clausulam derogatoriam ad futuras dispositiones, adeo quod sit necessaria illius expressa derogatio, vt sæpius determinauit Rota, præsertim *decis. 122. & 123. part. 1.* & in vna Oriolensi, *Decimarum 21. Maij 1589.* coram Orano ac in alia coram Coccino *l. 2. decis. 192.* ideo ad hoc quod præfata priuilegia, & alia similia, quatenus fuerint contraria dicto decreto Concilij subsistere possint, debent habere specialem, & expressam derogationem illius. Barb. 78.

in

in tractat. de offic. paroch. cap. 28. *num.* 37. Tamburinus *supr. num.* 38. Franciscus Ferentillius *in Annotat. ad decis.* 704. Burat. *n.* 13. ex variis etiam Rotę decisionibus. Habent tamen Regulares aliquot priuilegia cum tali expressa derogatione *d. cap. nuper*, vt videre est apud Rodriguez *tom.* 2. *quæst. regular. q.* 44. *art.* 4. vbi refert priuilegium Sixti V. pro Monasterio S. Laurentij Escurialis cum ea, quodque dicit postea ab eodem Sixto extensum ad alia Monasteria eiusdem Ordinis: maximè autem ex priuilegio Gregorij XIII. pro Societate Iesu, quod ibi refert, & habetur Bulla in Bullar. eiusdem Authoris in Gregorio XIII. Bulla 21. vbi expressè Pontifex derogat *d. cap. nuper*, & vult, quod alia priuilegia in simili materia à suis prædecessoribus concessa eidem Societati valeant, ac si in illis specialiter derogatum esset. Est autem hoc priuilegium Iesuitarum canonizatum à Rota, præcipuè in vna *Decimarum* Ciuitatis Castelli coram Ghisilerio anno 1629. vbi tale priuilegium omnino approbatur, & extenditur ad bona postea acquisita, non obstante possessione quam habebant Rectores Parochialium Ecclesiarum ciuitatis Castelli. Notant tamen Ferentillius *supr. n.* 14. & Tamburinus *n.* 39. *&* 40. quod licet *d. cap. nuper*, non censeatur derogatum per clausulas derogatorias, in quibus fit solum mentio de Conciliis Prouincialibus aut Synodalibus, vel de Constitutionibus generalibus, aut specialibus in illis editis, vt fuit resolutum in vna Cæsaraugustana *Decimarum* 17. Iulij 1611. coram D. Pamphilio, nunc S.D.N. Innocentio X. censetur tamen derogatum sufficienter, si in clausulis derogatoriis priuilegij facta sit mentio generalium Conciliorum per hæc verba: *Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis etiam Concilij generalis, &c.* Quod etiam video decisum in Toletano *Decimarum* coram Iusto, an. 1605. Nota etiam *d. cap. nuper* solum loqui de decimis prædialibus, non de decimis gregum. Rota in Cordubensi *Dec.* coram Manzanedo anno 1616. ex Brutio.

79. Alia ad intentum habes infra *circa* §. 45. & in Mari magno Minorum *circa* §. 28. & in Mari magno Eremitarum sancti Augustini *circa* §. 13 & in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 18. 19. 46. & 72. Specialiter tamen nota, quòd licet in hoc priuilegio de Prædicatoribus dicatur: *Cum humilitas vestra sibi de latitudine Orbis terræ nihil præter domos, & hortos cum virgultis, &c. duxerit reseruandum*, nihilominus ex concessione, seu potius declaratione Clem. IV. in Bulla *Obtentu*, quæ habetur in Bullario Rodriguez *in hoc Papa, num.* 2. possunt succedere in temporalibus bonis, in quibus in sæculo existentes succederent, & bonorum ipsorum possessionem apprehendere, ac vendere liberè bona ipsa, eorumque pretium in propriam vtilitatem conuertere. De qua materia aliquid dicam, infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 72. me remittendo ad alia loca, in quibus de eadem etiam dictum est. Posse etiam institui hæredes declarauit Rota in vna Romana *Hæreditatis* anno 1593. Pro quo, vide dicta *tom.* 3. *verbo Hæreditas quoad Regulares, &* 4. *tom. verbo Legata Regularibus relicta.*

Circa §. 27.

79. Simile quoque indultum de bonis incertis Nouitiorum applicandis in pios vsus, ac proinde ipsis Monasteriis, habetur in Bulla relata Clem. IV. & Mari magno Minorum §. 29. & in Carmelitarum Mari magno, §. 96. & Minimorum §. 20. De quo etiam aliquid egi *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 39.

Pro ipso tamen nota, iure communi videri permissum id, quod istis priuilegio conceditur, præsertim propter *cap. Cùm tu, de vsuris*, vbi vsuræ dicuntur restituendæ pauperibus; si veri domini non inueniantur. Et ita tenent Henriquez *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 7. *fine*, Nauarrus *in Man. cap.* 17. *num.* 91. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 14. *dub.* 6. Bonacina *de Contract. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 4. *num.* 8. *&* 9. & Cardin. Lugo *de iustit. & iur. tom.* 1. *disp.* 6. *sect.* 12. post alios. Nihilominus vtile erit præfatum indultum, tum pro Fratribus Minoribus, vt ait Rodriguez *tom.* 3. *quæst.* 56. *art.* 4. quia ipsi hoc facere nequeunt; tum aliis Religionibus ad tollendas controuersias, & lites, quæ possunt esse circa hoc, præsertim propter sententiam aliquorum asserentium talem restitutionem fieri debere per Episcopum. Rodriguez *supr.* Addo ego, quòd cum dubium sit, & controuersia inter Doctores, an huiusmodi pauperes, quibus facienda est restitutio incertorum, debeant esse pauperiores, aut meliores, an sufficiat, quòd sint veri pauperes; item an debeant esse eius ciuitatis, aut oppidi, vbi habitant ij, qui retinent illa bona incerta, an verò sufficiat quòd sint alterius; vt huiusmodi dubiis, & similibus, diuersisque Doctorum opinionibus non obstantibus, possit fieri restitutio Monasteriis, proculdubio tale indultum priuilegium aliquod continet, & vtile Religionibus. Vide alia *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 48. *&* 49. 80.

Nota secundò, per hoc priuilegium videri concedi facultatē dictis Prælatis ad recipiendum Nouitios grauatos debitis incertis, siquidem datur ipsis facultas ea conuertendi in pios vsus, supponendo sic grauatos admitti ad Religionem. Cui consonant quæ dixi *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 17. ex Miranda, & aliis. Nec hoc est reuocatum per Bullam Sixti V. quam eo *cap.* 24. *num.* 12. retuli, in qua ære alieno grauatos inhabiles fecit ad Religionem suscipiendam: aut per Bullam Clem. VIII. quam ibi *num.* 15. retuli, & in qua, etsi tales habiles esse ad Religionem concedat, prohibet tamen ipsorum receptionem pœnis assignatis à Sixto V. in Bulla relata. Nam in huiusmodi Bullis non comprehenduntur isti grauati debitis incertis, sed certis, & liquidis. Vechius *in tractat. de Nouit. disput.* 2. *dub.* 15. *num.* 15. Summa Diana *verb. debitor, num.* 7. maximè Sanchez *tom.* 1. *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 3. & 24. quem sequitur Peirinis *tom.* 2. *de Prælato, q.* 3. *cap.* 1. *num.* 73. 81.

Alia habebis infra in Mari magno Minorum *circa* §. 29. & in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 41. ex priuilegio Vrbani IV. & 96. ex priuilegio Sixti IV. ac Minimorum *circa* §. 20. 82.

Circa testamenta à Nouitiis facta placuit in hoc loco breuē resolutionem à Docto quodā traditam adiungere, vberiorē rei enucleationem, & quid de huiusmodi resolutione sentiendum sit ad alibi dicenda, remittentes. Resolutio autem huius Doctoris talis fuit. Respondeo primò, quod Nouitius validè condere potest testamentum, & sine licentia superioris. Est certa sententia *cap. si qua mulier* 19. *quæst.* 3. Sanchez *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 3. Et tale testamentum per professionem firmum manet, nec reuocari potest. Sanchez *num.* 34. cum magis communi. (Pro quo videndus Laymanus *lib.* 3. *de iustit. tract.* 5. *cap.* 3. *num.* 3.) Neque tenetur Nouitius disponens per viam testamenti, seruare conditiones, & formam Trident. Concil. *sess.* 25. *de regul. cap.* 16. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 13. vbi ait indu

indubitatum, Tridenr. non loqui de testamento, sed de dispositione inter viuos.

Potest autem Nouitiua reuocare testamentum suum quandocumque ante professionem. Clarus *tractat.de testam.quæst.94.in princ.* Amplia, etiam si Nouitius iurasset illud non reuocare; nam peccaret quidem, vt periurus, tamen testamentum validè reuocaretur, & secundum testamentum validum esset; vt de communi DD.testatur Clarus *loco cit.*cum Gloss.*in cap.vltima voluntas 13.quæst.2.* Couarr.*in rubr.de testam.part.2.post num.15.*& aliis plurimis, quos ibi allegat Clarus *vers.sed quod si.* Barbosa *in dict. cap.vltima voluntas.* Posset autem Nouitius licitè reuocare testamentum iuratum, si prius peteret absolutionem à iuramento, vt de communi testatur Clarus ibi,*vers.sed nunquid.*Aduertit tamen Clarus ibi, *in fin. vers. vnum tamen,* quod licet iuramentum non faciat primum testamentum irreuocabile, habet tamen vim clausulæ derogatoriæ, vt per secundum testamentum non censeatur sufficientet reuocatum, nisi in eo secundo adsit clausula derogatoria, non obstante quocunque alio testamento cum derogatoria indiuiduali dicti iuramenti. Quod si primum testamentum esset cum clausula derogatoria quidem, sed non iuratum, requireretur in secundo derogatoria specialis non indiuidualis. Buratt. *decis.901. numero 22.& 23.*Aduertit etiam Barbosa, secundum aliquorum opinionem, quod si non testamentum, sed donationem causa mortis quis iurasset, tunc esset irreuocabilis, quia sic censetur transisse in donationem inter viuos, Barbosa *in d. cap.vltima voluntas.num.2.*cum ibi allegatis.

Circa §. 28.

83. Similiter habetur hoc priuilegium de sepulturæ libertate in Mari magno Minorum §.30. propter concessionem Clemenr. IV. & Eremitarum S.Aug.§.2.& 3.& 24.maximè in Mari magno Carmelitarum propter priuilegium Ioan.XXII.Eugenij IV. & Calisti III. §.57. vbi latiùs, & copiosiùs explicatur libertas sepulturæ in locis eorum. Simile item priuilegium habent Seruitæ in ipsorum Mari magno §.2.4. & 29. Fratres quoque Minimi etiam in ipsorum Mari magno §. 21. fere simile priuilegium ac prædicatores, & Minores habent. De quo plura dixi non solum *tom.2.cap.1.num.31.* sed maximè *tom.4.verbo sepultura quoad Regulares,* & aliqua etiam *tom.3.verbo Defunctus.*

84. Nihilominus pro maiori luce nota, quòd licet ad libertatem sepulturæ concessam præfatis Regularibus videretur pertinere intrare ipsos Regulares processionaliter, & cruce eleuata in parochias ad efferenda corpora defunctorum, non expectato Parocho ipsorum defunctorum; prout ex *cap. in nostra de sepult.* colligit Hieronymus Rodriguez *in compend.resolut.128.de sepult.num.3.*& quia aliàs impediri posset dicta libertas, si Parochus noluisset venire, aut non permitteretur dicta Regularibus id facere; nihilominus modò non possunt. *Parochias cum cruce processionaliter, aut aliàs ad efferenda corpora defunctorum intrare, vel illa leuare, aut efferre nisi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem præsenti, si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat, vel nisi requisitus venire expressè omninò recuset.* Ita enim decretum est à sancta Congregatione Episcoporum, & Regularium 12 Ianuarij 1604.conformiter ad decretum Concilij Lateranensis, vt retuli *tom.2. cap.1. num.31. & 46. & tom.3. verbo defunctus, num.2. & tom 4. verbo sepultura, quoad Regulares num.4.* Quibus locis alia etiam ad intentum. Quia tamen Regulares Regni, & Insulæ Maioricæ consuetudine antiquissima, concordia ipsorum cum Rectoribus Parochiarum & Breui Pij V.24. Februarij 1567. Romæ dato, muniti, oppositum semper fecerunt, procedentes per seipsos tantum processionaliter, & cruce eleuata ad efferenda cadauera defunctorum, qui in ipsorum Ecclesiis sepulturam elegerunt; ideo non obstante contradictione Parochorum eiusdem Regni, re acriter coram eadem sacra Congregatione vtrimque agitata, in ipsorum Fratrum fauorem iudicatum est 19. Iunij 1643. nihil innouari debere, procurantibus RR. PP. Ioanne Baptista Mastre, & Michaele Veyn Ordin. Minorum.

Nota etiam hanc sepulturæ libertatem quoad 85.
Regulares non solum consistere in hoc, quod adulti, & puberes pro seipsis sepulturam in eorum Ecclesiis eligere possint, sed etiam, iuxta dicta *tomo 4. verbo sepultura, quoad Regulares, num.4.* in hoc quod parentes pro filiis impuberibus habeant eandem facultatem eligendi sepulturam, prout ibi retuli ex declaratione sacræ Congregationis. Cui etiam consonat alia pro 22.Februarij 1641. in qua ordinatum fuit, vt Episcopus Placentinus faceret restitui à quodam Curato suæ diœcesis Patribus Minoribus cadauer cuiusdam puellæ, cui pater ipsius elegerat sepulturam in ipsorum Ecclesia, cum omnibus eleemosynis funeris. Nouissimè etiam, cùm consuetudo esset immemorabilis in regno, & diœcesi Maioricensi, quod matres præmortuo patre, si non extat sepulchrum maiorum, eligerent sepulturam pro filiis impuberibus, ortaque esset controuersia à quodam Parocho contra Patres Dominicanos, sacra congregatio die 20. mensis Ianuarij anno 1640. edidit hoc decretum Romæ impressum. *Sacra congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita sæpius censuit licere parentibus in quacunque Ecclesia voluerint, etiam Regularium eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum peruenerunt, eligere sepulturam; nec à Parochis locorum impedire posse, aut debere: præsertim verò, si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueuerint, vel in eis habeant sepulchrum maiorum. Romæ 20. Ianuarij 1640. Fr. Antonius Card. S. Honuph. loco † sigilli L. A. Episcopus Theb.Secretarius.* Ex verbo autem illo *parentibus*, quo vtitur sacra Congregatio, colligitur non solum id esse dicendum de patribus, sed etiam de matribus, siquidem appellatione parentum venit etiam mater. De quo Molina *de iustitia, & iure, tract.2. disputatione 214. columna 3. §.Idem videtur*, & tradunt Armilla *verbo Sepultura, numero 8.* & Syluester *ibidem, quæstione 7.* Laymanus *libro 3.tractatu 5. capite 9.numero 15.* Lauorius *tomo 1. variarum lucubrationum, tit. 2. capite 11.numero 119.* & alij, quos referr, & sequitur Pasqualigus *decisione 393.* Alia ad intentum de sepultura impuberum in Ecclesiis Regularium apud Portellum, *t.2.Responsionum moralium, cap.68.*

De hac etiam materia alia habes infra *circa* §. 86.
43.& in Mari magno Minorum *circa* §.30.& 31.ac 41.& Eremitarum sancti Augustini *circa* §. 2.3. & 24. Extat quoque Rotæ decisio in vna Seguntina *Iuris sepeliendi* coram Manzanedo anno 1613. vbi pro RR. Patribus nostri Ordinis Discalceatis declaratur, quod possint sepelire cadauera defunctorum in suis Ecclesiis, absque alicuius licentia, & absque eo, quod ipsi nec defunctorum consangui

ſanguinei prætextu cuiuſcunque conſuetudinis poſſint cogi ad dicta corpora deferenda ad Parochialem vel alia loca.

Circa §. 29.

87. SImilis conceſſio de Religioſorum confeſſionibus ſolum à Prælatis ipſorum audiendis, etſi verbis aliquantulum mutatis habetur in Mari magno Minorum §.24. Carmelitarum §.97. Minimorum §.24. eſt autem de iure communi. Cùm enim, iuxta dicta *tom.1.cap.18.num.23.& 26.* Prælati Religioſorum ſint eorum Paſtores Ordinarij, & in quos eſt tranſlata cura, quam Epiſcopi, & parochi habent circa ſæculares, ita vt eandem habeant ipſi circa Religioſos, ideo ſolum ipſi, vel quibus ipſi id munus delegauerint, poſſunt eſſe Religioſorum Confeſſarij. Nec ad id requiritur aliqua approbatio Ordinariorum, iuxta dicta *ibidem, num.27.* vbi etiam, & in ſequentibus plura ad intentum. A quibus autem caſibus, ſeu cenſuris abſoluere poſſint Confeſſarij iſti Religioſorum ipſos Religioſos habes ex dictis, *tom.3. verbo Confeſſarius Regularis, num.11. & ſeqq.*

88. Si autem quæras, à quo habeant Prælati Regulares hanc iuriſdictionem. Reſpondeo quod licet aliqui, quos referam infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 68. velint dicere illam habere à Chriſto Domino iure diuino quidquid tamen de hac ſententia ſit, de qua alibi, illud certum eſt, ſaltem illam habere à Papa. Tum quia ab illo approbantur Religiones, *cap. ne nimia de Relig. domibus, cap. Religion. eod. in 6.* ex quo prouenit authoritas hæc Prælatis. Tum à ſimili de aliis Prælatis, Epiſcopis, Abbatibus, Curatis, &c. Bellarm. *lib.4. de Rom. Pontif. cap.23.* Megala *lib.1. de pœnit. cap.7. n.2.* Bordonus *reſolut.2. num.3.* poſt alios. Omnes autem illi habent eam immediatè à Papa, ita vt Papa immediatè illam tribuat Generali, Prouinciali, Priori, &c. & non Generalis Prouinciali, aut Prouincialis Priori. Tum quia iſto modo eam accipiunt à Papa Prælati ſæculares: tum quia Papa eſt generalis, Prouincialis, & Prior Religioſorum, ergo immediatè ſingulis hanc poteſtatem communicat. Sotus *lib.8. de iuſtit. quæſt.5. art.1.* Fagundez *in 2. Eccleſ. præcept. lib.8. cap.4. num.1.* Megala *ſuprà* Bordonus *ſuprà & numero 4. & numero 5.* Quo non obſtante ſuperiores Prælati poſſunt limitare, & coarctare authoritatem Prælatorum inferiorum, v.g. Generales Prouincialium, & Prouinciales Priorum; eo quod licet ſinguli habeant à Papa præfatam authoritatem, id tamen eſt cum ſubordinatione, & dependentia inferiorum Prælatorum à Prælatis ſuperioribus. Fagundez, & Bordonus *ſuprà.* Ceſſante autem Prælatura non habent vlterius hanc facultatem audiendi confeſſiones Religioſorum, niſi illis à Prælatis ipſorum delegetur. Quia talis facultas annexa erat, & veluti acceſſorium Prælaturæ, & ſublato principali ceſſat acceſſorium *argum. cap. cum Paulus 1. q.1.* Bordonus *ſuprà, num.10.*

89. Quamuis autem in his priuilegiis, & ſimilibus ſolum concedatur facultas Prælatis ad delegandum ſuam authoritatem pro excipiendis confeſſionibus Religioſorum Fratribus ſui Ordinis, nihilominus poſſunt etiam delegare eam Fratribus alterius Religionis, concedendo illis licentiam ad audiendum confeſſiones Religioſorum ſubditorum ipſis Prælatis, vel ipſis ſubditis ad eligendum ſibi confeſſores extraneos, iuxta dicta eo *cap. 18. num.27.* Tum quia iure communi omnis proprius Sacerdos poteſt dare licentiam ſubdito ad confitendum cum alio. *cap. omnis 12. de pœnit.* Tum quia hic videtur vſus Religionum. Tum denique quia iſta priuilegia videntur loqui ſolum de deputatione ordinaria Confeſſariorum pro Religioſis, quæ debet eſſe regulariter de propriis Religioſis, non de extraordinaria, & pro caſibus ſpecialibus prout hic loquimur. Diana eo *num.27.* relatus, Bordonus *ſuprà, num.23.*

De materia huius priuilegij alia dicam infra in Mari magno Minorum *circa* §.32. & in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 97. De qua etiam Reuerendiſſimus Vincentius Candidus *t. 2. diſquiſit. 24. art.57. & 58.* De ſufficientia autem neceſſaria pro iſtis confeſſariis Religioſorum dicam loco relato ex Mari magno Minorum. 90.

Circa § 30. & 31.

COntenta in his duobus §§. videlicet de prohibitione facta Prælatis Eccleſiarum ne audiant 91. confeſſiones Regularium, aut eos compel[illegible]t ad veniendum ad ſynodos ſuas, aut ad proceſſiones, quas faciunt, aut ipſis obediendum, &c. habentur quoque in Bulla Clement. IV. & Mari magno Minorum §.33. Eremitarum ſancti Auguſtini §.16. & Carmelitarum §. 75. & 98. ac Minimorum. § 25. De quorum ſingulis aliqua dixi in ſumma, vel in præcedentibus. Etenim de prohibitione facta Prælatis Eccleſiarum, & aliis audiendi confeſſiones Regularium dictum eſt conſequenter in §. *præcedenti.* Cùm enim in ipſo declarent Pontifices potius, quam concedant, Fratres non poſſe confiteri ſua peccata niſi ſuis Superioribus, aut ab illis deſignatis, conſequenter etiam declaratur Prælatos Eccleſiarum, aut quoſcumque alios non poſſe ipſorum confeſſiones excipere. Deinde de prohibitione compellendi Regulares ad Synodos Epiſcoporum dixi *tom.1. cap.11. num.20.* conformiter ad Concil. Trident. *ſeſſ.24. cap.2.* ſolum ad id obligari poſſe Regulares curam animarum in parochiis habentes, non verò alios, qui Capitulis Generalibus ſubduntur, prout deciſum refert Armendariz *in Addit. ad recopilat. leg. Nauar. lib.2. tit.18. l.7. de Relig. num.54.* & ex eo Barboſa *in d. cap. Concilij, num. 25.* Illud verò de prohibitione compellendi Regulares ad proceſſiones, moderatum eſt à Concil. Trident. *ſeſſ.25. de Regular. cap.13.* iuxta dicta *tom.1. cap.9. num.47.* & Conſtitutionem Pij V. *Etſi Mendicantium,* prout dixi *tom.2 cap.1. num.50.* & maximè *4. tom. verbo proceſſio quoad Regulares, num.2. & ſeqq.* Similiter illud de non cogendis Regularibus ad obediendum Conſtitutionibus Synodalibus quomodo limitandum, aut intelligendum dixi *tom.1. cap.11. num.13.* Illud autem de prohibitione facta Ordinariis, ne poſſint vllo modo de Regularibus inquirere, conforme eſt aliis priuilegiis omnimodam exemptionem concedentibus ipſis à prædictorum Ordinariorum iuriſdictione. De quo plura dixi *tomo 1. cap.11.* fere per totum & *tom.3. verbo Cauſa iudicialis Regularium,* verbo *Delinquens Regularis,* verbo *Epiſcopus quoad Regulares, &* verbo *Exemptio Regularium,* & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica Regularium.* Idem dico de prohibitione non petendi fidelitatem, aut obedientiam à Superioribus Regularium, aut non ſe intromittendi circa eorum inſtitutionem, aut deſtitutionem, aut circa ſtatuta Religionum. De quo etiam aliqua dixi ſupra circa §. 5. huius Maris magni. Quomodo autem illud do non prohibenda conſtructio

ſtructione Eccleſiarum, aut Monaſteriorum ab Epiſcopis limitatum ſit tum à Concilio, tum ab aliis Summis Pontificibus poſterioribus, & decretis ſanctæ Congregationis, conſtat ex dictis *tomo 1. capite 9. numero 34. & ſequentibus*, & maximè, *tomo 3. verbo Epiſcopus quoad Regulares, num.4.& 5.*latiúſque *tom.4.verbo Monaſteria Regularium,num.2.& ſeqq.*

92. Præter dicta autem locis relatis, & dicenda circa Mare magnum aliorum Mendicantium, nota quod quamuis, iuxta dicta, teneantur accedere ad Synodos Epiſcopales illi Regulares, qui habent curam animarum ſecularium, nihiolminus tamen Synodo diœceſanæ intereſſe non tenetur Abbas Monachus, cuius Eccleſiæ, vel Monaſterio imminet cura animarum, ſi illi deſeruire faciat per Vicarium ſecularem ab Epiſcopo approbatum, quia ſufficit mittere dictum Vicarium, cùm curam per ipſum exerceat. Sellius *in Selectis canonicis,cap.25. num.32.*Bordonus *Reſolut.7.num.5.*Quòd tamen ſic explicuit Rota in Caietana *iuriſdictionis* coram Seraphino anno 1575. his verbis: Si habet curam animarum, quam per Vicarium perpetuum exercet, non teneri per ſe accedere; ſed ſufficere,quod Vicarius perpetuus accedat, penes quem actu reſidet cura.Abb.antiq.13.*cap.quod ſuper his de maior. obed.* ſecus vero ſi per ſe, vel per capellanos ad nutum amouibiles curam exerceat, cum hoc caſu cura reſideat penes ipſum Abbatem, cuius ratione tenetur, vt tradit Abb. *in dicto cap. quod ſuper his circa medium.* Innocent. *in cap. veniens, num.8. de verb. ſignif.* Petrus de Vbald. *de can. Epiſc. cap.2. quæſt.10.num.2.prima part.* Hucuſque Rota. Nota ſecundò, quod dicti Regulares curam animarum ſecularium habentes poſſunt compelli accedere ad dictas Synodos ab Epiſcopo per cenſuras Eccleſiaſticas. *cap.Quod ſuper his de maioritate, & obedientia,*Maſſobrius *de Synodo diœceſana,cap.3.dub.1.n.7.* Peirinis *in Conſtitutione 2.Iulij II.§.25.num.65.*

93. Vide alia in Mari magno Minorum *circa* §. 33. Eremitarum ſancti Auguſtini *circa* §.16.& Carmelitarum *circa* §.75.76.& 98.& generaliter loquendo pro exemptione Mendicantium ab Ordinariorum iuriſdictione, ſeu viſitatione,tam in ciuilibus, de qua in his & ſimilibus priuilegiis ſæpius fit ſermo; præterquam in caſibus conceſſis per Concil. Trid. animaduertenda antiqua, & authentica declaratio ſanctæ Congregationis Regularium de an.1576. pro die 10.Octobris,quam refert Gaſpar Paſſarellus *in formul. prouiſion. in principio*, & alij poſt ipſum,talis tenoris: *Ordinarij in cognitionibus cauſarum Fratrum Mendicantium tam ciuilium, quàm criminalium minimè ſe ingerant; pariter nec in viſitatione eorundem Fratrum,vel Eccleſiarum ſuarum, niſi quatenus eis per Concil. Trident. decreta conceditur.*

Circa §. 32.

94. HOc quoque priuilegium de non ſoluenda canonica portione ſimiliter continetur in Bulla Clement.IV. pro Minoribus, & in eorum Mari magno §.34.& Eremitarum ſancti Auguſtini §.38. 39. & 40. & in Mari magno Carmelitarum §. 16. 17.59.& 99.& Minimorum §.16.de quo ſufficienter dixi *tom.1.cap.3. num.12. tom.2. cap.1.num.29. & 30.& tom.3. verbo Canonica portio, & tom.4.verbo Quarta funeralis.*

Nunc addendum primò, contenta in huiuſmo-
95. di priuilegiis de non ſoluenda canonica portione omnino manere in ſua vi,nec derogata eſſe à Concilio, quod ſolum *ſeſſ.25.cap.3.*derogat priuilegiis iſtis, & Mari magno quantum ad ſolutionem quartæ funeralium pro illis Conuentibus, in quibus ante annos 40.ſolita erat perſolui,vt patet illis verbis Concilij: *Decernit ſancta Synodus,vt quibuſcunque in locis tam ante annos 40. quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolui, ac poſtea fuerit ex quocunque priuilegio aliis Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut quibuſcunque locis piis conceſſa eadem poſthac integro iure, & eadem portione, quæ antea ſolebat, Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſiæ perſoluatur, non obſtantibus conceſſionibus,gratiis, priuilegiis: etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuſcunque.* Imo potius confirmata ſunt à Pio V. in Bulla. *Etſi Mendicantium,* quam retuli *tom.2. cap.1.* ibi enim poſtquam declarauit Mendicantes teneri ad ſolutionem quartæ funeralium, iuxta dictum tenorem Concilij & ſolum ceræ, & aliorum, *quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad ſepulturam deferuntur, non autem de miſſis,ſeu legatis, vel aliis Fratribus ipſis, ſeu Monialibus huiuſmodi relictis*, ſubiungit: *Nec ad quartam, ſeu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Eccleſiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & aliorum, quæ dictis Eccleſiis relinqui vel dari contigerit, etiamſi pro victu Fratrum, aut aliàs relinquantur,aliquid contribuere teneantur.* Quibus verbis confirmat Pontifex ea, quæ in his antiquis priuilegiis Maris magni contenta erant. Non eſſe reuocatam hanc Bullam Pij V. per aliam Gregorij XIII. niſi quatenus contraria poterat eſſe Concilio Tridentino, dixi eo *cap.1. num.16. & tom. 3. verbo Quarta funeralis, num.6.* ex declarationibus ſacræ Congregationis, Rotæ deciſione, & variis authoribus. Vide etiam Barboſam *in Collectaneis Doctorum ſuper ſeſſione 25.cap.13. Concilij,* & aliam deciſionem Rotæ, quam affero infra circa §.43.huius Maris magni.

Circa limitationem illam poſitam in huiuſmo- 96.
di priuilegiis, videlicet quod legata Religioſis *non conuertantur in alios vſus, ſed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac conceſſione, vel indulgentia continentur*, nota quæ dixi circa commutationem legatorum Regularium *tomo 1. cap.18. num. 94. & tom.2. cap.19. num.47.& tom.4. verbo legata Regularibus relicta n.35. & 36.* An verò prædicta legata poſſint donari ſeu transferri de vno Monaſterio ad aliud, ſaltem cum licentia Prælatorum, conſule dicta *tom.2. cap.19 n. 56.& tom.3.verbo Alienare ſeu alienatio,n.11.*Peirinis *in Conſtit.2.Iulij II.§.76.* & Tamburinum *de iure Abbatum,t.3.diſp.13. quæſ.2.n.19.* ac Bordonum *in reſolutionibus,reſolut.27.* ac dicenda infra in Mari magno Minimorum *circa* §. 26. Quid verò dicendum de permutatione præfatorum legatorum, dixi eo *verbo Alienare ſeu alienatio, num.12.* & dicto loco relato ex Mari magno Minimorum.

Alia ad intentum habes infra in Mari magno 97.
Minimorum circa §.34. & in Mari magno Eremitarum ſancti Auguſtini, & Carmelitarum locis relatis, maximè in Mari magno Minimorum *circa* §. 26.relatum, vbi agam, an bona Monaſteriorum obligari poſſint ſumpta, occaſione ex illis verbis huius, & ſimilium priuilegiorum, *Necnon pro annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem uſque domus veſtri Ordinis obligari noſcuntur.*

Circa

Circa §. 33. & 34.

98. PRiuilegia etiam contenta in his §§. de bonis Monasteriorum desertorum applicandis aliis Monasteriis, ad quæ Fratres transferuntur, nec ab Episcopis accipiendis, habentur in Bulla Clem. IV. & Mari magno Minorum §. 35. Carmelitarum §. 100. & Minimorum §. 27. De quibus egi *tom.* 4. *verbo Monasteria Regularium, num.* 32. 37. & 38. Quibus modò addendum, quod cum, vt in istis priuilegiis supponitur, quando transferuntur Monasteria de vno loco ad alium, Ecclesiæ dedicatæ non debeant transferri: ideo vel vendi poterunt, cum licentia tamen Sedis Apostolicæ, iuxta dicta eo *verbo Monasteria Regularium, num.* 38. vel applicari Confraternitatibus, vel locis piis, prout concessit Vrbanus VIII. Generali Minimorum in Constitutione, quam refert Peirinis *tom.* 3. *priuilegiorum Minimorum inter Constitutiones Vrbani, Constitutione* 14. *aliàs* 24. Quod priuilegium dicit *ibi, num.* 6. esse reale, & transire ad successores, omnes scilicet Generales pro tempore futuros. Casu verò, quo vendantur personis secularibus; & ad vsus profanos, execrari debent tales Ecclesiæ per Ordinarios quidem locorum, si Ecclesiæ fuerint consecratæ; per Prælatos verò Regulares, si solum fuerint benedictæ. Per easdem enim causas resoluitur contractus, per quas fit, Syluester *in Summa verbo Ecclesia secund. quæst.* 2. 5. *num.* 7. *dicto* 3. Angelus *verbo Altare, num.* 6. Rosella *ibidem, n.* 2. Quomodo autem execretur Ecclesia, vide *apud* Angelum *supra num.* 2. Tabienam verbo Altare *n.* 5. Quod si Ecclesia sit consecrata, & Episcopus nolit eam execrare, potest ad id cogi per Episcopum, vel per sacram Congregationem. *cap. Nullus, de Iure patr.* Azor *tom.* 2. *instit. Moral. lib.* 9. *cap.* 3. *q.* 8. Peirinis *supra num.* 3.

99. Cum autem Pontifices in præfatis priuilegiis prohibeant Episcopis, vel Archiepiscopis, aut aliis Ecclesiarum Prælatis, ne prædicta bona Monasteriorum desertorum à Religiosis occupate, vsurpare, vel sibi vendicare præsumant, videtur dicendum, quod si aliter faciant, incurrant in pœnas contra vsurpantes, vel occupantes bona Religiosorum in eorum priuilegiis designatas, de quibus Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 39. *art.* 7. & ego *tom.* 2. *c.* 19. *num.* 51. Imo si hoc fiat cum fractione aut violentia Ecclesiarum, aut Monasteriorum, incurrere etiam videntur in pœnas, quas ex aliis etiam priuilegiis Regularium adduxi *tom.* 4. *verbo Monasteria Regularium, n.* 24.

100. Nota tamen quod concessum isto priuilegio videtur esse ius commune. Etenim facta translatione alicuius Ecclesiæ ab habente potestatem, omnia iura ad ipsam pertinentia pertinent ad eam, in quam fit translatio *cap. & hoc diximus* 16. *quæst.* 7. & ibi Glossa *cap. Abbati in fine*, & ibi Glossa *de verb signif.* Glossa vnica, *in cap. si quis vult* 16. *q.* 7. Ioan. Andr. *in cap. cum persona col.* 2. *de priuileg. n.* 6. & ibi Anch. *notab.* 13. *Rebuff. in praxi benef. tit. de translat. Episc. num.* 19 Lap. *allegat.* 68. Rota in Bergomensi *Legati* coram Seraphino anno 1595. Fauet & Rot. in vna Coloniensi *Monasterij* corã Vbaldo.

Circa §. 35.

101. SImile indultum de non cogendis præfatis Religiosis ad dicta onera præstanda pro Legatis Sedis Apostolicæ, Nunciis, aut diœcesanis, habetur in Bulla Clementis IIII. & Mari magno Minorum §. 36. Eremitarum sancti Augustini §. 34. Carmelitarum §. 46. & 80. ac 100. Seruitarum §. 31. & 44. & Minimorum §. 28. De quo in simili ferme priuilegio dictum est supra *circa* §. 17.

Pro maiori tamen intelligentia explicandæ sunt voces illæ *procurationum, exactionum, collectarum, subsidiorum prouisionum*, de quibus in præsentibus priuilegiis. Primò enim *procurationes*, iuxta quandam significationem verbi *procuro*, qua accipitur pro *sustento*, sunt sustentationes, vel expensa, quæ debentur Ordinariis ratione visitationis, vel Legationis. *cap. conquerente, de offic. Ordin. cap. procurationes, de censibus, cap. cum ex officij de præscript. cap. accedentes eod. cap. cum instantia de censibus, & Clem. I. eod.* Azor. *tom.* 2. *instit. moral. lib.* 4. *cap.* 42. *in princ.* Peirinis *t.* 1. *priuil. Minim. in Constit.* 2. *Iulij II. n.* 86. Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat.* 130. *n.* 1. & 2. Sunt iure communi debitæ etiam à Monasteriis, nisi habeant priuilegium in contrarium. *c.* 1. & *vlt. de censibus, in* 6. Azor. *supra q.* 2. An verò contra illas præscribi possit, Barbosa *supra* post alios *Exactiones* important idem quod onera, tributa, sicut *exactor*, qui ea petit. *Collectæ* similiter important idem, quod *tallia*, seu *præstatio*, vt ait Filiucius *tr.* 16. *c.* 5. *n.* 103. etsi sub nomine eleemosynarum, prout colligitur ex 1. *Corinth.* 16. Deinde *subsidia* etsi generaliter importent idem quod auxilia alicui præstita, hic tamen importare videntur *charitatiuum subsidium*, id est, auxilium quoddam, quod datur Episcopis, quando redditus propriæ Ecclesiæ non sufficiunt pro oneribus incumbentibus, vel alia iusta, & rationabili causa interueniente. Menochius *lib.* 2. *de arb. casu* 178. Azorius *d. tom.* 2. *lib.* 9. *c.* 14. Peirinis *supra*. Ad illud soluendum cogi possunt omnes *c. conquerente, de offic. Ordin. c. cum Apostolus, de censibus*, Menochius, & Azor. *sup.* Barbosa *supr. allegat.* 87. *n.* 7. Non verò Monasteria, aut Ecclesiæ exemptæ, nisi habeant populum non exemptum sibi subditum, Barbosa *supra n.* 45. 46. & 47. ex pluribus aliis DD. Quomodo autem id non procedat in Regnis Hispaniarum, dicam infra in Mari magno Carmelitarum *circa* § 46. Alia etiam ad illud spectantia habes apud Azorium, Menochium, Barbosam, & Peirinis relatos. Prouisiones etiam importare, videntur idem quod *subsidia*, vel *exactiones*. Ab iis ergo omnibus liberantur præfati Regulares in dictis priuilegiis. Quibus etiam consonat Pius V. in Bulla *Etsi Mendicantium*, quem retuli, *tom.* 2. *cap.* 1. Consonant etiam plura alia priuilegia variis Religionibus concessa, quæ refert Rodriguez *tom.* 2. *quæst.* 65. *art.* 2. & 4. & *quæst.* 66. 102.

Nota tamen quod etsi casus esset, quod præfati Regulares possiderent aliqua bona contra sui Ordinis instituta, & adhuc suffragarentur ipsis dicta priuilegia; cùm ea sint absoluta, indefinita, & vniuersalia, & non contineant aliquam conditionem, aut limitationem. Rodriguez *suprà d. q.* 65. *art.* 3. contra Ancharanum, & alios. Pro quo vide dicenda infra in Mari magno Minorum *circa* §. 11. 103.

Alia habes infra circa §. 36. Maris magni Minorum, & locis relatis ex Mari magno Eremitarum sancti Augustini, Carmelitarum, Seruitarum, & Minimorum. 104.

Circa §. 36.

PRiuilegium quoque hoc §. contentum de exemptione à Constitutione Innocent. IV. quæ incipit *Volentes*, habetur in Bulla Clement. IV. pro 105.

Minoribus, ipsorumque Mari magno §.37. Eremitarum sancti Augustini §.32. Carmelitarum §.71. Minimorum §.31. Consonantque dicta *tom.1.c.11. num.10.& tom.3.verbo causa iudicialis Regularium,* & verbo *Delinquens Regularis*, & verbo *Episcopus quoad Regulares*, ac verbo *Exemptio Regularium*.

106. Sed pro ipsorum intelligentia nota, quod Innocent.IV. in Concilio Generali Lugdunensi, & refertur *in cap.Volentes de priuileg. in 6.* volens aliquo modo limitare priuilegia antiquiora Regularibus, & aliis exemptis concessa, declarauit, quod *quantuncunque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, siue contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur ritè possunt coram locorum Ordinariis conueniri.* Hi ergo Pontifices in his priuilegiis concedunt præfatis Regularibus oppositum cum expressa derogatione *dicto cap. Volentes*, prout erat necessarium, iuxta sæpius dicta, eo quod esset dispositio Concilij Generalis, cui non derogatur, nisi per expressam ipsius nominationem. Permanent autem in sua vi dicta priuilegia, quia licet postea Concilium Tridentinum *sess.7. cap.14.* dixerit: *In exemptorum causis Constitutio Innocent. IV. quæ incipit* Volentes *in generali Concilio Lugdunensi edita, seruetur, quam eadem sancta Synodus innouandam censuit, & innouat*; nihilominus, iuxta dicta eo *cap.11.num.10.* & eo verbo *Causa iudicialis Regularium, num.6.* ex Paulo V. & decretis sanctæ Congregationis, doctrina Sanchez, & aliorum, in dicto decreto Concilij non comprehenduntur Regulares. Pro quo etiam, præter Authores ibi relatos, sunt Narbona *leg. 59. gloss. num. 1.* 230. Aldrete *in alleg.pro omnimoda Regular.exempt. part.1. cap.7. num.2.* Nouarius *in lucern. Regular. verbo causa, num.3.& 4.* quos nouissimè refert, & sequitur Barbosa *in Collectan. DD. in dicto cap. 14. Concilij.*

107. Sunt tamen reuocata dicta priuilegia, si præfati Regulares extra Monasterium degant, *in causis ciuilibus mercedum, & miserabilium personarum,* iuxta dicta eo *cap.11.num.10.* ex dicto *cap.14.sess.7.* Concilij; in talibus enim causis non obstantibus dictis, aut aliis quibuscunque priuilegiis conueniri possunt coram Ordinariis tanquam à Sede Apostolica delegatis, nisi forsan iudicem habuerint. De quo iudice dixi *tom.2.cap.10.num.6. & 7.* Qui autem sint istæ miserabiles personæ, dixi eo *cap. 11. num. 10.* & tractat Sanchez *tom.2. consil. mor. lib.6.cap.9.dub.2.num.6.* vbi ex Syluestro, Tabiena, & Armilla generaliter dicit esse eas, quarum natura mouetur ad miserandum. Dicuntur causæ ciuiles mercedum eæ, quæ mouentur propter solutionem stipendij debiti operariis. Henriquez *lib.7. de indulg. cap. 25. num. 5.* Sanchez *suprà num. 5.* Quando verò Regulares dicantur esse extra Monasterium, habes ex dictis eo *num. 10. & 3. tom. verbo Causa iudicialis Regularium, num.6.*

108. Vide alia circa §. 46. huius Maris magni, & in Mari magno Minorum §. 37. & 44. Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum locis relatis; ac etiam in Mari magno Seruitarum §. 15. & 32. vbi aliquo modo similia reperiuntur.

Circa §. 37.

109. HOc loco Papa Martinus declarat clausulam illam in Bulla Greg.XI positam, & de qua in §.28. huius Maris magni, videlicet, *salua tamen iustitia Ecclesiarum illarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur,* quam dicit intelligi debere *præterquam in illis, de quibus in ipso priuilegio specialiter cauetur, quod canonica portio minimè exigatur*, id est de contentis in priuilegio eiusdem Gregorij XI. de quibus egi *in* §. 32. huius Maris magni. Quia tamen, vt ibid. dixi, ea non sunt reuocata à Conc. sed potius confirmata à Pio V. in Bulla *Etsi Mendicantium*, ideo ea manent modò in suo vigore.

Circa quam clausulam, præter dicta *t.3. v.clausula n.63.* ex Ioan.de Cruce, Tamburino, & Barbosa, nota, quòd, licet, prout habetur ex *c.certificari de Sepult.* quantitas canonicæ portionis debitæ Ecclesiæ parochiali sit ex Leone III. tertia pars, & ex Vrbano quarto, & ex Clem.III. sit iuxta loci consuetudinem, nunc tamen iuxta dicta in *d.*§. 32. attendendum est ad Conc.Trid. decretum, & declarationem Pij V. ibi adductam, quòd scilicet sit quarta, & *solùm ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur*, non alterius rei, prout ibi decernit Pontifex. 110.

Nota etiam pro prædicta clausula, per eam denotari non censeri Pontifices velle concedere 111. exemptionem à solutione quartæ funeralium, cùm aliàs non esset salua iustitia Ecclesiæ Parochialis, vt resoluit Rota in vna Vallisoletana *funeralis* 19. Aprilis 1606. coram Iusto. Licet si in priuilegio adsit expressa exemptio à solutione dictæ quartæ cum specifica derogatione Clementinæ, *dudum, de sepult.* oppositum sit dicendum, quia tunc dicta clausula intelligi debet de aliis, quàm de expressis, vel de materiis compatibilibus cum expressis in priuilegio, non verò vt tollat expressè concessa. Tamburinus de *Iure Abbatum tom.1.1.disp.15.quæst. 17.n.12.& seqq.* ex Rotæ decisionibus, & aliis Authoribus. Pro quo vide dicenda infrà *circa* §.43. & in Mari magno Minorum *circa* § 41. Eremitarum sancti Augustini *circa* §.38. 39. & 40. Carmelitarum *circa* §.58. & Seruitarum *circa* §.29.

Circa §. 38.

HOc loco Pontifex Sixtus IV. approbat & confirmat omnia priuilegia Ordini Prædicatorum concessa à Gregorio, Martino, & Eugenio prædecessoribus, & aliis quibuscunque Romanis Pontificibus, eaque robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernit. Circa quam confirmationem, & approbationem aliqua notanda. 112.

Primò, quod cùm dicatur ea omnia approbare 113. *motu proprio*, & non ad instantiam alicuius, &c. denotatur etiam hanc concessionem esse magis voluntariam, & maius beneficium, & ideo ampliandam, quantum proprietas verborum patitur, & quod nunquam retorqueri possit contra prædictum Ordinem Prædicatorum, cui est data, sicut interdum retorqueri potest concessio ad instantiam. De quo dixi *3.t.v.Clausula, n.41.* ex variis DD. Secundò, quod etiam si sit contra Ius commune, ampliari debet, & in ordine ad interpretationem censeri fauorabilis, iuxta *c. Si motu proprio, de præbend. in 6.* DD quos retuli *tom 4. v. Priuilegia Regularium, n.9.* Vnde habet hæc concessio talem vim, quod etiamsi Pontifex non apposuisset clausulam *non obstantibus*, eo ipso quod est ex motu proprio, includit illam, prout ex Baldo, Socino, Moneta, & aliis tenet Barb. *in tr. de clausulis, claus.79.n.13.* Tertiò, quod intelligenda est, prout iacet & sonat, vt dictum est à Rota *in vna Romana mensæ nummulariæ 3. Iunij 1614. coram Coccino* inter decisiones Farinacij *part. 1. decisione 663. num.24.* & resoluit

Barbo

Barbosa *supra numerum* 24. ex Surd. Felino, & aliis.

114. Deinde cùm dicatur esse *ex certa scientia*, confert nouum ius priuilegiis confirmatis, & æquiualet concessioni, adeovt per ipsam actus aliàs nullus validus reddatur, si Papa de tali nullitate verisimiliter habebat notitiam, iuxta dicta *tom.* 3. *verbo clausula, num.* 29. Tollit etiam omne iuris obstaculum. Franciscus Leo *in thesauro fori Ecclesiastici, part.* 4. *cap.* 1. *num.* 55. Moneta *de commutatione vlt. volunt. cap.* 7. *num.* 10. Barbosa *tract. de clausulis, clauſ.* 59. *num.* 17. Facit etiam quod nullus audiatur contra Papam illam concedentem, vt post Ioannem de Anan. & Cardinalem Tuscum resoluit idem Barbosa *supra num.* 22.

115. Præterea clausulas *motu proprio, certa scientia, de plenitudine potestatis,* habere vim specialis expressionis colligitur ex Angel. *l. sed & si quis §. quæsitum ff. si quis cauſ.* Decio *in l. certum col.* 2. *ff. si cert. petat.* Archidiacon. *capitulo præsentium* 7. *quæst.* 1. Oldrado *conſ.* 257. *num.* 13. Siluano *conſ.* 65. *n.* 4. Peregrin. *de iure fisci lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 4. De quo infra in Mari magno Eremitarum S. Augustini loco citando.

116. Nota alia ad intentum in Mari magno Fratrum Minorum *circa* §. 38. & in Mari magno Eremitarum sancti Augustini §. 33. & Carmelitarum §. 44 & Seruitarum.

Circa §. 39. & 40.

117. Priuilegium hoc Sixti IV. pro Fratribus Ordin. Prædicatorum ampliatiuum est priuilegij Gregorij XI. de quo supra §. 9. 10. 11. & 12. Etenim in priuilegio Gregorij solum ipsis concedebatur, quòd possent in locis, in quibus degerent, habere Oratoria, & in ipsis cum altari portatili celebrare diuina officia, & recipere sacramenta; ac tempore interdicti generalis ianuis clausis eadem facere; ac similiter quòd eorum insistentes obsequiis censuris generalibus non ligentur, &c. In priuilegio autem Sixti vlterius ipsis conceditur, vt etiam in quouis alio loco congruenti possint super altari portatili eadem facere, exceptis Ecclesiis ab Ordinarij iurisdictione non exceptis, quando id inhibitum ab ipsis fuerit, & quod possint tempore interdicti non solum fratres, & sorores sancti Dominici de Pœnitentia nuncupatos, seu eorum procurationes, & negotia gerentes admittere ad diuina. Simile autem priuilegium concessit idem Sixtus Minoribus, vt patebit ex eorum Mari magno §. 39. & Carmelitis, prout etiam ex eorum Mari magno § 50. & 51. constabit. Partim etiam simile priuilegium habent Seruitæ propter concessionem Innocent. VIII. in ipsorum Mari magno §. 54. De qua materia quod attinet ad altare portatile, & cum eo celebrandum in quouis loco congruenti, dixi *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 14. & 15. & *tom.* 3. *verbo Altare, num.* 13. 14. & 15. *ac* 16. vbi plura de huiusmodi altaribus ac *tom.* 4. *verbo Oratoria quoad Regulares, præsertim, n.* 6. sub quo verbo plura etiam pertinentia ad huiusmodi Oratoria. Quod attinet autem ad tempus Interdicti, de eo dixi *t.* 1. *c.* 21. *n.* 19. & 20. & *t.* 2. *c.* 1. *n.* 21. & *t.* 3. *verbo Interdictum quoad Regulares, n.* 28. & *seqq.* Similiter quod attinet ad fratres, ac sorores sancti Dominici de Pœnitentia nuncupatos, seu Tertiarios, plura dixi *tom.* 2. *cap.* 14. Specialiter de priuilegiis ipsorum pro tempore interdicti, *num.* 36. Demum de procuratoribus, & negotia gerentibus Religiosorum dixi *tom.* 2. *cap.* 17. præsertim *num.* 6. Quibus alia addenda.

Primò, quòd probabilitas illius sententiæ, quòd scilicet per Concilium Trident. *seſſ.* 22. *in decret. de obseruand. & rit. in celebrat. Miſſ.* non sunt abrogata hæc priuilegia celebrandi cum altari portatili in loco honesto, & congruenti, in casu quo Episcopi id permittant, aut non prohibeant, non solum defenditur à Rodriguez, Ioanne de Cruce, Portello, & Ledesma, quos 3. *tom. verbo Altare, num.* 13. retuli, sed etiam à Villalobos *in summa, part.* 1. *tract.* 8. *different.* 23. *num.* 6. Hieronymo Rodriguez *in Compend. regular. resolut.* 9. *num.* 4. & Cardinali Lugo *de Eucharist. disput.* 20. *sect.* 2. *num.* 51. ac per consequens etiam in praxi sustineri potest, vel propter authoritatem istorum Doctorum, & aliorum Salmanticensium, quos ipse Cardinalis Lugo refert. Quibus etiam adde Marchinum *de Sacramento Ordinis, tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 9. *num.* 12. & Pasqualigum *in decis. moral. decis* 54. *num.* 3. & 4. Qui bene id probat ex eo quod decretum Concilij non est prohibitiuum actus, sed concessiuum facultatis eum prohibendi, & dirigitur tantum ad Episcopos. An verò etiam extendantur hæc priuilegia ad celebrandum cum altari portatili in Oratoriis, quæ fieri solent in grangiis, & prædiis Religiosorum; & pro casu extraordinario in cameris eorum, dum infirmantur; & quomodo non in cameris secularium, dixi eo verbo *Altare, num.* 14. 15. & 16. De priuilegio Gregorij XIII. concesso Societati ad celebrandum in missionibus super altari portatili in quocunque loco honesto dixi eo *cap.* 21. *num.* 14. & de ipso agunt Lugo, & Pasqualigus *suprà.* Notans *num.* 8. non posse Episcopos prohibere præfatis missionariis vsum talis priuilegij. De alio etiam priuilegio eiusdem Gregorij XIII. quòd scilicet Patres Societatis in Oratoriis, & Capellis, quæ ipsius Societatis Prouinciales per se in domibus Collegiis, & aliis locis, vbi aliqui Societatis residebunt, approbauerint, & ad diuinum dumtaxat cultum deputauerint, Missæ, & alia diuina officia celebrari possint, dixi eo *num.* 14. communicari etiam aliis Religionibus, quod etiam tenent Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 9. Fagundez *de* 5. *Ecclesiæ præceptis, part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 17. Marchinus *suprà, num.* 13. Priuilegium autem illud Nicolai Franci Nuncij Sixti IV. pro benedictinis Vallisoletanis, de quo eo *num.* 14. dubitaui, an sit viuæ vocis oraculum, modo reperio fuisse indultum scriptum, & signatum ab eo, prout constat ex Bullario Rodriguez in *Sixto IV. Bulla* 44. In eo autem, cùm à prædicto Legato postularetur, quod in tali Monasterio, *& in aliis eidem subiectis possent.* Monachi *tam in infirmariis, quam in quibuscunque aliis locis honestis intra septa Monasterij habere altaria portatilia,* Legatus respondit, *fiat vt petitur.* & ponitur Signatura, *Nicolaus Francus Legatus.* Non autem statuta, aut indulta facta à Legato Papæ esse perpetua. *cap. nemini, de offic. Legati,* & ibi Doctores communiter. Rodriguez *tom.* 2. *quæst. regular. quæst.* 97. *art.* 1. Barbosa *in d. c. nemini.* Seraphinus Freitas *in Bullario Ordinis S. Mariæ de Mercede in Innoc. VI. Bulla* 2.

119. Circa facultatem illam admittendi ad diuina tempore interdicti non solùm Fratres tertij Ordinis, sed etiam eorum Procuratores, nota eam limitandam esse iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 19. & *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 21. & *tom.* 3. *verbo Interdictum quoad Regulares,* præsertim *num.* 28. pro festiuitatibus eis locis relatis, & cum conditionibus ibi positis, & supposita doctrina ibi tradita, scilicet quod prædicta priuilegia non sint cõtraria Conc.

Trident.

Tridentino pro illis festiuitatibus, & casibus, provt tenent non solum authores eo loco relati, sed etiam Bonacina *de censuris extra Bullam Cœnæ d.2. quæst.8.punct.14.num.* 11. & Homo bonus *de examine Ecclesiastico tract.11.c.12.q.25.resol.*1.eo quòd Concilium cum præcipit Regularibus *sess.25.c.12.* obseruare interdicta etiam posita ab Ordinariis, & *cap.22.eiusdem sess.* reuocat omnia priuilegia Religionum, solum loqui videtur de priuilegiis generalibus non obseruandi vlla interdicta, non de specialibus, pro aliquibus festiuitatibus, provt in præsenti loquimur. Vide inter alios Sairum *de censuris lib.5.cap.13.num.24.& 25.* Hieronymum Rodriguez *in Compend.Resol.80.num.25.& sequentibus* & quæ dixi. *tom.1.cap.21.n.19.*

120. Nota etiam dicenda infra in Mari magno minorum *circa §. 39.* & in Mari magno Carmelitarum *circa* §.37.& Seruitarum *circa* §.54.

Circa §. 41.

121. PRiuilegium hoc circa facultatem concessam Prælatis ad absoluendum sibi subditos ab omnibus casibus, paucis exceptis, quod etiam est declaratiuum, & ampliatiuum alterius de quo supra §. 14. habetur etiam in Mari magno Minorum §. 40.ad verbum, & Mari magno Eremitarum sancti Augustini §. 43. Seruitarum §. 35. Minimorum §. 29.maximè Carmelitarum § 54.& 62.etsi aliqualiter diuersum. De cuius materia latè dixi supra locis relatis *in d* §.14.

122. Nunc addendum primò, quod cum in his priuilegiis solum absolutio hæreticorum relapsorum negetur Prælatis prædictis respectu suorum subditorum Regularium, datur intelligi posse absoluere hæreticos non relapsos, quod est verum stando in præfatis priuilegiis, prout supponitur Rodriguez *tom.1. quæst.regular. quæst.20.art.9.* Alter Rodriguez *in compend.resolut.3.num.3.* & Portellus *in dub.regular.verbo Abbas,num.12.* quia tamen in Bulla Cœnæ reuocantur omnia priuilegia concessa Regularibus ad absoluendum ab hæresi, aut quocunque alio casu in dicta Bulla contento, ideo hoc tempore, nec propter hæc, nec propter alia priuilegia possunt Prælati præfati suos subditos absoluere ab hæresi, aut quocunque alio casu in Bulla Cœnæ contento, iuxta dicta *tom. 1.cap.18. num.38. & tom.3.verbo Bulla Cœnæ num.54.* Et nouissimè tenet Freitas *in Schol ad Bullar. Ordin. S. Mariæ de Mercede in Benedicto XIII. Bulla 5. &* Bordonus *in suis resolutionibus resol.3.num.4.* nec relato cum Sigismundo de Bononia, Naldo, Vecchio, Cruce, Sorbo, Tamburino, Diana, & aliis. Quia verò in his priuilegiis ponitur differentia inter hæreticos, & hæreticos relapsos, obiter nota in eo distingui, quod *hæretici* dicuntur illi qui errorem aliquem in fide signo aliquo externo manifestant iuxta dicta *tom. 3.verbo Hæresis,& hæreticus num. 2.* cum conditionibus ibi assignatis, *hæretici* verò *relapsi* dicuntur illi, qui vel primò abiurarunt hæresim formalem, & postea inciderunt in vehementem suspicionem, vel qui primò abiurarunt de vehementi, & postea inciderunt in hæresim formalem, vel qui primò abiurarunt vnam vel plures species hæresis, & postea in eas inciderunt. De quo Santarellus *tractatu de hæresi cap. 42.* Farinacius *de hæresi quæst.195.* Carena *de offic.Sanct. Inquisit. part.2.tit.2.§.5. de relapsis*, cum aliis quos refert.

123. Schismatici autem neque ex vi horum priuilegiorum, cum expresè excludantur, neque ex vi aliorum quorumcumque, cum ipsorum absolutio in Bulla Cœnæ, reuocatis omnibus priuilegiis Regularibus concessis, Papæ reseruatur, à Prælatis Regularibus absolui possunt, esto per Bullam Cruciatæ possunt absolui, iuxta dicta *tom.3. verbo Bulla Cruciatæ num.* 33. Qui verò sint aut dici debeant schismatici, aut quid sit schisma, habes ex dictis eo *tom. 3. verbo Bulla Cœnæ num. 9.* & de eo doctè tractat P. Candidus *tom.4. disquis.4. art.28. num.23.& sequentibus.*

Idem quoque dicendum de falsificantibus litteras Apostolicas, propter idem fundamentum, & quia casus iste continetur in Bulla Cœnæ iuxta dicta *3.tom verbo Bulla Cœnæ num.20.* qui autem dicantur falsificantes litteras Apostolicas, habes ex dictis eo *tomo 3.verbo Falsarius num.2.* 124.

Demum idem dicendum de deferentibus ad infideles prohibita, propter idem fundamentum. Qui autem sint tales, qui ad infideles prohibita deferunt, habes etiam ex dictis eo *verbo Bulla Cœnæ num.21.* vbi numerantur omnes illi, *qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos vel hæreticos, per nostras siue huius Sanctæ Sedis sententias expresè, & nominatim declaratos, deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant.* 125.

Alia infra in Mari magno Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Seruitarum, & Minimorum, locis relatis. Sed maximè notanda, quæ dicam in Mari magno Minorum *circa* §. 40. videlicet facultatem concessam in hoc priuilegio esse non solùm pro foro Pœnitentiali, sed etiam pro contentioso, provt determinauit Rota anno 1541. inter decisiones Putei *num. 90.* in specie loquens de hoc Mari magno Fratrum Prædicatorum. Item, quæ eodem loco dicam circa facultatem delegandi authoritatem hoc loco dictis Prælatis concessam. Qui verò sint illi Vicarij, quibus etiam conceditur hoc priuilegium, consule dicta *tom. 1.cap.18.num.3.& tom.2.cap.13.n.40.& tom.4. verbo Vicarij Religionum.* 126.

Circa §. 42.

HOc etiam priuilegium habetur in Mari magno Minorum §. 49. Eremitarum S.Augustini §.44. Seruitarum §.36. Minorum §. 39. & maximè Carmelitarum §. 54 & 63. & de materia ipsius dixi *tom.1.cap.18.num.40 & sequentibus, & tom. 3.verbo irregularitas*, præsertim *num.72.* cum aliis locis ibi relatis, vbi etiam de aliis speciebus irregularitatis, ad quarum dispensationem extenditur hæc priuilegia, & alia, de quibus ibidem. 127.

Cæterùm circa tres illas species irregularitatis, scilicet *homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, in* quibus Prælati non possint dispensare ex vi eorum priuilegiorum, nota, quòd homicidium voluntarium in præsenti non importat homicidium iustè factum, quale est illud, quod committunt iudices & ministri iustitiæ, ac milites in bello iusto, quia in irregularitate, quæ propter hoc homicidium contrahitur, quæ vocari solet ex defectu lenitatis, dispensare possunt dicti Prælati Regulares, iuxta dicta *tomo 1. capite 18. num. 43.* 128.

verbo

verbo *Bullam num.*22. ex vi horum priuilegiorum, provt tenent Authores eo loco relati, & alij, quos refert, & sequitur Diana 4. *Tract.* 2. *Resol.* 69. & Bordonus *Resol.*13.*num.*14. referens etiam alia priuilegia. Nec etiam intelligitur homicidium factũ ex defensione cum moderamine inculpatæ tutelæ; quia per tale homicidium non incurritur aliqua irregularitas, iuxta dicta ex definitione Ecclesiæ *in Clem.si furiosus, de homicid.* dicto verbo *Irregularitas num.* 65. Nec etiam intelligitur homicidium factum ex defensione, etiam non seruato moderamine inculpatæ tutelæ, quæ cum illud non censeatur voluntarium, sed casuale, sicut in eo dispensat Episcopus virtute Concil. Trid. *sess.*24.*num.*6. si casus est occultus, sic Prælati sæculares habentes præfata priuilegia, iuxta dicta eo *verbo Irregularitas num.* 69. Vnde etiam propter idem fundamentum non intelligitur homicidium casuale, iuxta dicta eo verbo *Irregularitas num.* 83. Quod præter authores ibi relatos teneant Vechius *d.*9. *dub.* 18. Sigismundus de Bononia *de elect. Prælat.dub.*71.*in fin.* & Bordonus *supra num.*17. Homicidium ergo, quod in his priuilegiis nominatur, & quod negatur Prælatis præfatis quantum ad dispensationem in irregularitate propter ipsum contracta, solum est homicidium in se voluntarium, & illicitum, provt authores relati supponunt. An verò propter alia priuilegia id possint facere, consule dicta eo *cap.* 18. *num.* 44. *& tom.* 3. *verbo Abortus num.* 14. *& verbo Irregulartas n.* 72. & Dianam 7. *part. Tract.* 11. cum aliis, quorum tamen doctrinam accipiendam censeo solum iuxta dicta locis relatis.

129. Nomine etiam *Bigamiæ*, cuius dispensatio negatur in his priuilegiis Prælatis præfatis, non intelligitur bigamia purè similitudinaria, vt si casus esset, quo Religiosi eorum subditi contraherent, & consummarent matrimonium, quia dispensatio in illa iure ordinario competit Episcopis, ac per consequens etiam Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, iuxta dicta *tom.* 3. *verbo Bigamus, & Bigamia num.*6. quod præter authores ibi relatos tenent Sigismundus *supra num.*2. & Bor-
130. donus etiam *sup. Resol.*11. *num.*31. Solum ergo intelligitur bigamia vera, quæ contingit, quando quis contraxit, & consummauit duo matrimonia; & interpretatiua, quæ contingit quando quis iuris fictione censetur contraxisse illa, iuxta dicta verbo *Bigamus, & Bigamia num.* 1. hæ enim duæ bigamiæ censentur negatæ in dictis priuilegiis præfatis Prælatis, iuxta dicta eo verbo *n.*3. Quod etiam tenet Sigismundus, & Bordonus relati. An verò ex vi aliorum priuilegiorum possint in eis dispensare, consule dicta eo *num.* 3. & præfatos Sigismundum, & Bordonum.

Nomine quoque *mutilationis membrorum* quid intelligatur, dixi eo verbo *Irregularitas num.*74. *&* 75. Cum autem superius dixerim nomine *homicidij voluntarij*, cuius dispensatio quoad irregularitatem propter illud contractam negatur præfatis Prælatis, solum intelligi homicidium in se voluntarium, & illicitum, ideo idem videtur dicendum de mutilatione membrorum, dicamus Pontifices fuisse magis liberales in dispensatione irregularitatis ob homicidium, quam in dispensatione irregularitatis ob mutilationem membrorum, quæ est quid minus quam homicidium, nihilominus quia id non video in aliquo authore, ideo aliorum iudicio in hoc me remitto. Illud magis compertum, quod iuxta dicta eo verbo *irregularitas num.* 76. ex vi Priuilegij Pij V. quod eo loco retuli, possunt Prælati Regulares, qui cum Dominicanis communicant in priuilegiis per se ipsos, & in foro conscientiæ, quando casus fuerit occultus, cum subditis in hac irregularitate dispensare. Provt etiam tenent Sigismundus *supra num.*5. Bordonus *d.Resol.*13.*num.*13. ex Vecchio, & aliis. Apud quos etiam an id fieri possit virtute aliorum priuilegiorum.

Alia ad intentum habes infra in Mari magno Minorum §. 49. Eremitarum S. Augustin. §. 44. Carmelitarum §.54. *&* 63. Seruitarum §.36. & Minimorum §.29. 131.

Circa §. 43.

PRiuilegia hoc §. contenta habentur etiam in Mari magno Minorum §. 41. excepto, quod cum in hoc Mari magno dicitur de iustitia Ecclesiarum: *Saluam esse debere decernimus in omnibus aliis casibus, præter eos in quibus eorumdem Gregorij, Martini, & Eugenij Prædecessorum nostrorum specialia priuilegia Fratres ipsi ab huiusmodi solutione quarta sunt exempti.* Cæterum in Mari magno minorum sic dicitur de eadem iustitia Ecclesiarum: *Saluam esse debere decernimus eo casu, quo dumtaxat apud loca ipsorum Fratrum corpora ipsa sepeliuntur.* In Mari magno autem Eremitarum S. Augustini §. 38. & Carmelitarum habentur eandem, quæ in Mari magno minorum, etsi cum aliqua variatione, vt constabit ex ipso §.58. Quia ergo priuilegia hæc ampliatiua, & declaratiua sunt eorum, quæ superius in hoc eodem Mari magno Prædicatorum §. 28. continentur, ideo quæ ibi addicta sunt, deseruiunt etiam ad interitum; maximè ea, quæ dixi *tom.*2. *cap.*1. *num.*31. *& tom.*3. *verbo Defunctus, & tom.* 4. *verbo sepultura quoad Regulares* fere per totum, & supra in hoc etiam Mari magno §.37. 132.

Vlterius etiam nota per *iustitiam Ecclesiarum*, de qua agitur in his priuilegiis, denotari quartam particularem, sen funeralem, vt habet Rota in vna Vallisoletana *funeralis* 19. Aprilis 1606. coram Iusto, agens de hoc, & aliis priuilegiis confessis Ordini Prædicatorum. Cum enim de iure communi ista quarta debita sit Ecclesiis, & spectet ad Episcopum, vel Parochum iuxta Clem. *Dudum de sepult. cap.* 1. *&* 4. *cum aliis eod. tit. & cap. cum quis pariter eod. tit. num.* 6. & Rotam in vna Litrensi *Quarta funeralium* 15. Ianuarij 1618. coram Coccino, quam affero infra in Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* §. 38. adeo vt præfati habeant intentionem de iure communi fundatam, provt etiam habet d. Rota Valisoletana *funeralis*, ideo vocatur *iustitia Ecclesiarum*, quia scilicet de iustitia est debita. Cæterum qualiter, & quomodo, à quibus Conuentibus, & de quibus rebus debeatur, habetur ex Concil. Trid. Bulla Pij V. & aliis relatis supra *circa* §.32. 133.

In fauorem etiam horum priuilegiorum, & pro dictis, & dicendis de quarta funerali, notanda hic est decisio Rotæ in vna Elnensi *Iurium Parochialium* 6. Iunij 1631. coram D. Queipo, in qua pro Patrib. Dominicanis, pro quibus sunt præfata priuilegia, Rota decernit, qualiter Parochiano solùm sit debita dicta quarta, & de quibus, & cur *funeralis* dicatur his verbis: Parochus Cocolibri Elnẽs: Diœcesis vrgebat hæredes, & executores testamentarios eorum, qui in Monasterio Prædicatorum eiusdemque loci sepulturam elegerunt, ad celebrandum 134.

celebrandum *Nouennarium*, & *Caput anni* in Ecclesia Parochiali, postquam in dicto Monasterio Prædicatorum celebratũ extiterat. Super quo orta controuersia, & causa ad Rotam deuoluta, & mihi commissa, proposui dubium, an Parocho liceat cogere hæredes seu executores testamentorum defunctorum, qui sepeliuntur in Ecclesia Fratrum, ad celebrari faciendum in Ecclesia Parochiali diuina Officia *Nouennalia*, seu *Capo d'anno*, quæ iam in Ecclesia Fratrum fuerant celebrata, & dominis visum fuit id Parocho non licere: quia iure communi, quo libera cuilibet sepulturæ electio permissa est, dumtaxat quarta canonica Parocho reseruatur, *cap.1. cap. Is qui. cap. In nostra. cap. Certificari. cap. Cum nuper. de sepult.* quæ non generaliter, sed cum restrictione, de qua in *cap. vlt. de testament.* competebat, quamuis per text. *in Clemen. Dudum de sepult.* fuerit ampliata, vsu tamen, & consuetudine generali, ad quartam funeralium restricta fuit, vt post Card. *in d. Clement. Dudum §. Verùm tradunt.* Couar. *in d. cap. fin. de testament. num.6.* Molina *de iustit. & iure tractat.2. disp.* 217. Rodriquez *quæst. Regul. tom.1. quæst.39. artic. 2. in fin.* & de ea tantum loquitur Concilium Tridentinum *cap.13. sess.25. de Reformat.* Funeralia autem sunt, quæ cum funere deferuntur, vt tradit Gloss. *verbo Funeralibus in d. Clement. Dudum, de Sepulturis*, & Petr. de Vbald. de Canonica *Episcopo, & Parocho debita part. 2. cap. 4. num.* 10. & 16. quam dumtaxat consistere in certa, & in aliis oblationibus, quæ deferuntur tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur; non autem de Missis, & legatis aut aliis oblationibus eorum, qui apud dictos Fratres speliuntur, declarauit sanctæ memoriæ Pius V. 17. Kalend. Iulij anno Domini 1567. vt referunt Gut. *de iurament. confir. 2. part. cap. 4. num. 3.* Rodriguez *in dicta q.39. art. 2.* vnde cum iure communi ex oblationibus factis, aut relictis Monasterio non deberetur, nisi quarta Ecclesiæ Parochiali, & hoc vsu, & consuetudine ad quartam funeralium fuerit restrictum, & ex Constitutione sanctæ memoriæ Pij V. declarantis Concil. Trident. *in dicto cap. 13.* fuerit constitutum, vt à Fratribus non deberetur nisi quarta eorum funeralium, quæ tempore sepulturæ fuerint oblata, idque Sixtus IV. ad Fratrum fauorem iam constituerat, vt refert Siluester *in Summa verbo Canonica, in fin.* prætensio dicti Parochi omni iure destituta videtur, præcipuè, quia sanctæ memoriæ Pius V. die 9. Iulij 1571. in Statuto directo ad Principatum Cathaloniæ prohibuit, ne Parochi à Fratribus vltra quartam Funeralium quidpiam exigerent. Et cum hæc omnia fuerint tam fauore liberæ spulturæ, quam Fratrum constituta, omnino indirectè impugnantur per Parochos agentes contra hæredes, & testamentarios eligentium sepulturam in Monasteriis, cum per hoc grauamen ab huiusmodi sepulturæ electione fideles auerterentur, atque ita finis dictarum Constitutionum fraudaretur: quod licere non debet per regul. tex. *in L. Non dubium C. de legibus. cap. Quod vna via, de reg. iur. in 6.* Hæc in dicta Rotæ decisione cõgrua satis ad intentum, & magistralia.

135. Alia infra in Mari magno Minorum *circa* §.41. & 42. & Carmelitarum *circa* §.58.

Circa §.44.

136. HÆc duo priuilegia de non soluenda quarta de candelis, quæ ad manus Fratrum dantur, & quod circa eam obseruari debeant pacta initia inter Ordinarios, & ipsos Fratres, habentur etiam in Mari magno Minorum §.42. & Eremitarum S. Augustini §. 40. Carmelitarum §. 58. Seruitarum §. 30. & de priori *tom.2. c.1. num.48. & tom.4. verbo Quarta funeralis num. 7.* De ipso autem, & posteriori alia in præsenti addenda.

Et primò quidem de præfatis candelis, quæ 137.
Fratribus dantur pro associandis cadaueribus defunctorum, non deberi quartam funeralem non solùm habetur ex præfatis priuilegiis, sed etiam iure communi ex Benedicto XI. in Extrauaganti *Inter cunctas vers. de funeralibus de priuileg.* & ex eo quod illæ non offeruntur Ecclesiæ, in qua electa est sepultura, sed Religiosis ipsis. Megala *in instruction. confess. lib.2. cap.13. num.12.* Molfessius *in summ. 2. p. tract.13. cap.9. num.32.* Bonacina *2. tom. de contract. disp.3. q.22. punct.2. § secundò sequitur.*

Deinde circa id quod subiungunt Pontifices de 138.
seruandis pactis, & conuentionibus, quæ circa solutioné quartæ fuerint inter Ordinarios & Regulares, quod licet hoc sit de Iure naturali, iuxta *l. 1. ff. de pact.* vbi dicitur: *Quid tam congruum fidei humanæ, quam ea quæ inter eos placuerunt seruare?* & Lege canonica, prout *cap.1. de pact.* refert Lessius *lib.2. de iust. cap.17. dub.4. num.27.* adeo vt in foro conscientiæ etiam obligent talia pacta, prout habet Baldus *in rubr. C. de rerum permutat.* Couar. *in cap. Quamuis factum. 2. part. §. 4. num.13.* & alij, quos refert, & sequitur Cardinalis Lugo *de Contractibus in genere disp. 22. sect.5. num.55.* nihilominus ad maiorem firmitatem talium contractuum, & ne contrahentes contrauenire possint, priuilegium hoc conceditur Religiosis.

Alia ad intentum infra in Mari magno Minorum 139.
circa §. 42. & in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 58. maximè prout spectat ad conuentiones, & pacta inita inter Ordinarios, & Regulares de soluenda, seu non soluenda huiusmodi quarta funerali. Alia etiam in Mari magno Seruitarum §.30. relato.

Circa §. 45.

HÆc etiam priuilegia de non soluenda aliqua 140.
portione de piis legatis, ac de exẽptione à decimis, etiã Papalibus, habentur in mari magno Minorum §.43. in Mari magno Eremitarum S. Augustini §. 41. Carmelitarum §. 59. Seruitarum §. 31. Quamuis autem de ipsorum materia plura dixerim supra *circa* §. 26. & 32. huius Maris magni, & locis ibi relatis, alia nihilominus in præsenti addenda.

Et primò quidem, etsi legata Regularibus reli- 141.
cta piorum causarum priuilegiis gaudeant, ita vt ab ipsis non debeat detrahi Falcidia, Trebellianica, aut alia pars, aliis etiã priuilegiis potiantur, de quibus 4. *tomo verbo legata Regularibus relicta num.29.* dixi. Similiter, licet iuxta dicta *tom. 3. verbo Canonica portio num. 6.* Monasteria, seu Ecclesiæ Regularium, & alia loca exempta non debeant soluere Episcopis, aliquid de legatis, aut relictis eisdem, eo quod cum ea sint immediatè Sedi Apostolicæ subiecta nullam in eis superioritatem habent Episcopi, nec in illis procedant rationes, propter quas aliæ Ecclesiæ, & loca non exempta debent ipsis soluere hanc canonicam portionem de præfatis legatis; vt propterea varia etiam priuilegia circa hoc à Sede Apostolica obtinuerint, iuxta dicta eo verbo *Canonica portio num.7.* nihilominus,

quia

quia quandoque Summi Pontifices solent concedere, vt de piis aliquot legatis aliqua pars aliis tribuatur, ideo in gratiam istorum Religiosorum in præsentibus priuilegiis statuunt, vt ipsi non censeantur comprehensi nisi specifica mentio fiat de eisdem in præfatis concessionibus.

142. Circa indultum autem de exemptione à decimis nota illud esse ampliatiuum alterius, de quo supra §.26.ibi enim solum eximebantur à solutione decimarum de fructibus hortorum, & virgultorum; in hoc autem priuilegio eximuntur à solutione decimarum de fructibus quoruncunque bonorum. Dicitur enim, *ad quæcunque bona ipsorum Fratrum, &c. extendimus.* Vnde videtur huiusmodi priuilegium dici debere reale, & non personale, iuxta dicta *tom.3.verbo Decima quoad Regulares, num.7.* Ex Azor, Henriquez, Rodriguez, Peirinis, & aliis, dum de similibus priuilegiis loquuntur. Et extendi non solum ad noualia, sed & ad agros, & possessiones Monasteriis acquisita, quæ aliàs soluebant decimas, iuxta dicta eo loco *n.11.* Extenditur quoque hoc indultum ad decimas extraordinarias, quas vulgus *Papales* appellat, cùm tamen illud, de quo §.26.solum videatur esse de decimis ordinariis, & communibus. Vbi nota, quod regulariter loquendo priuilegium eximens à solutione decimarum, nisi aliud ex ipso colligatur, solum intelligitur de decimis extraordinariis non de ordinariis. Prout ex Baldo *in l.fistulas, §.frumenta, ff.de contrah.empt.* & Franco de Crema, *sing.suo,* 107.& Felino *in cap.sedes, colum.3. in fin.* tenet Puteus *dec. 65.* & Rota apud ipsum in vna Burgensi *Decimarum* coram Prospero 1547. & alia Rota in vna Carthaginensi *Decimarum* coram Orano 1591. ac alia Toletana *Decimarum* coram Iusto 1605.nihilominus tamen priuilegia tam ampla sicut ista etiam ad decimas ordinarias extenduntur.

143. Vide alia in Mari magno Minorum circa §. 43. & Eremitarum sancti Augustini *circa* §.41.& Carmelitarum *circa* §.59. Maximè verò circa exemptionem à solutione alicuius quartæ, seu portionis de legatis huic ordini relictis expendenda est Rotæ decisio magistralis in hac materia in vna Syracusana *Quartæ* coram Seraphino anno 1586.vbi sic ad intentum.

144. Circa propositum dubium plures consideratæ fuerunt difficultates, prima fuit an RR. Episcopo Syracusano debeatur quarta ex relictis pro maritandis, seu monachandis puellis pauperibus, & pro pane præstando qualibet hebdomada pauperibus, & circa hunc articulum Domini dixerunt, regulam esse, quòd de relictis pauperibus in genere nulla debetur quarta. Glossa *in cap.in verbis Decreuit,* & ibi Innoc.*n.1, Abb.n.8.de sepult.*Bald.*in leg. id quod pauperibus, n.30. vers. addo tertiam rationem.Cod.de Episcop.& Cler.*Roman.*in cons.233.num.2.vers.tertiò fallit.* Petrus de Vbald. *de can. Episcop. cap. 5. num.10.& 11.& cap.7. num.15. & 50.* Et ratio est, quia quando relinquitur pauperibus in genere, relinquitur personis, non autem piis locis. De relictis autem personis non detrahitur quarta Episcopalis, iuxta *text.in cap.ex parte in tertio de verb.sign.*Imol. Abb.Perr.de Vbald.*vbi suprà.* Fallit autem hæc regula in relicto facto pauperibus certi loci, quia tunc legatum videtur factum intuitu illius loci, & sic factum loco pio, vt post Ioannem Andr. limitat Abbas *in dicto cap. 2. num. 8.* & Petrus de Vbald. *vbi suprà.* Secunda difficultas est, an de relictis pro restauratione Ecclesiæ matricis; ædificatione, & reparatione Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum locorum piorum debeatur quarta, & Domini censuerunt non deberi, iuxta text.*in cap.vlt. ibi seu fabricæ, de testament. & in d.cap.ex part.ibi vel ad fabricam.* Rom.*in cons. 233.in princ.*Caput.*decis.23.num.4.* Sed circa hunc articulum insurgit alia difficultas. An hoc casu debeatur quarta, quando de præsenti non indigent restauratione, nam affirmatiuam tenuerunt Hostien.Ioan. Andr. & Anchar. *in dicto cap.vltimo de testam.*vbi Couar.existimat esse magis communem opinionem. Contrarium verò tenent Goffred. Card.Barbat.& ipse Couuar. per text. *in cap. nobis 12.quæst.2.* quia legatum, Ecclesia non indigente, seruandum est in futuram Ecclesiæ refectionem, & restaurationem; ideo in hoc conflictu attendenda est forma legati; si enim testator vult statim, vel singulos annos solui aliquid pro restauratione Ecclesiæ, quæ reparatione non indigeat, tunc seruari poterit communis sententia; si verò legat pro restauratione Ecclesiæ, quoties ea indigebit, tunc contraria sententia erit sequenda, & sub hoc articulo cadunt etiam relicta pro subuentione Ecclesiæ respectu luminarium, ornamentorum, & aliorum ad cultum diuinum pertinentium, ex his namque non debetur quarta *dict. cap. fin.* si verò vsus est indeterminatus, & non destinatus perpetuo cultui diuino, tunc debetur quarta *dicto cap. ex parte, & cap.requisisti de testament.* Tertia difficultas est; an de relictis pro aliis operibus piis in genere detrahatur quarta, & hæc pendet à futuro euentu, si enim executores distribuerint legatum in fabricam, luminaria, & ornamenta Ecclesiæ, vel in concernentia diuinum cultum, tunc quarta non deducitur *dicto cap. fin. & dict. cap. ex parte,* & Couar. *in dict.cap.fin.num.7.*quia distributio, quam facit executor, censetur facta ab ipso testatore *leg. vnum ex familia* § 1.Vbi Dyn. Bart.& Doct. *de legation.1.* Secus si executores distribuerint legatum in vsum non priuilegiatum locorum piorum. Quarta difficultas versatur circa legatum factum pro maritandis duabus puellis singulis annis, & pro vna puella consanguinea, & conclusum fuit, neque etiam hoc casu deberi quartam, quia aut sunt pauperes, & non debetur quarta, vt supra dictum est, cum legatum sit factum personis, & non locis; aut non sunt pauperes, & vltra prædictam rationem, militat alia ratio, quod tale legatum non dicitur pium, & ideo ex eo quarta non debetur. Tiraquellus *de priuilegio piæ causæ in princip.* Quare conclusum secundum legatorum differentias, & distinctiones supra deductas esse in hac causa pronunciandum. Hucusque Rota notanda pro similibus casibus, etsi aliqua animaduersione digna, vt alibi dicetur.

Circa §. 46.

Pariter etiam priuilegia in hoc §.contenta habentur in Mari magno Minorum §.44. Eremitarum sancti Augustini §. 32. & 42. & Carmelitarum §.6.& 101. Sunt autem ampliatiua, & declaratiua eorum, quæ Gregorius XI.eisdem Fratribus Prædicatoribus concesserat circa eorum exemptionem ab Ordinariis, & de quibus in §.36.est dictum. De quorum materia dixi non solum eo loco, sed etiam in aliis Summæ ibi relatis. Pro maiori tamen eorum notitia: 145.

Vlterius nota exemptionem hanc Religiosorum à iurisdictione Ordinariorum antiquam valde esse in Ecclesia Dei. Constat enim an.509.cōcessam fuisse 146.

fuisse Monasterio sancti Germani Parisiensis, quam diuus Gregorius magnus Papa postea confirmauit, teste Aymoin. *rer. Franc. lib.6. cap.2.* & Renato Choppin. *Monastic. lib.1. tit.2. num. 19.* Deinde Monasterio sancti Medardi apud Suessones à Ioanne III. Papa circa annum 559. teste eodem Choppin. *suprà lib.2. tit.1. num.4.* Postea Abbatiæ sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Dorombерniæ à Bonifacio IV. teste Clemente Rainero *de antiquitat. Benedict. in Anglia, §.13. circa fin.* Item postea Abbatiæ Cassinensi à Zacharia Papa anno 7. sui Pontif. testante Leone Hostiensi *in fin. 4. lib. Chronic. Cassin.* Sunt etiam qui teneant Regularium Monasteria à diuo Gregorio I. exempta fuisse à potestate Episcoporum, *cap. quam sit necessarium 18. quæst.2.* de quo quid sit sentiendum dixi *3. tom. verb. Exemptio Regularium, num.2.* Illud certius præfatas antiquas exemptiones Monasteriorum à iurisdictione Ordinariorum æmulatos fuisse posteriores Pontifices, maximè à tempore Clem. IV. omnibus fermè religiosis domibus eas concedentes, vt constat ex dictis eo verbo *Exemptio Regularium, n.4.* & ex Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegatione 105. à numero 11.* ac Tamburino *de Iure Abbatum, tomo 3. disputatione 5. quæstione 11.* Quomodo autem sit limitata hæc exemptio, & in quibus Regulares omnes subiecti sint Episcopis, maxime à Concilio Tridentino constat ex dictis eo *3. tomo, verbo Episcopus quoad Regulares*, & dicto verbo *Exemptio Regularium* cum aliis locis ibi relatis.

147. Pro quorum etiam maiori luce nota, quod iura Episcopalia, quæ scilicet competunt Episcopis in omnibus Ecclesiis sibi subiectis, sunt, canonica obedientia, subiectio, & reuerentia, institutio, & destitutio, correctio, & reformatio, censura Ecclesiastica, iurisdictio causarum omnium ad forum Ecclesiasticum spectantium, pœnitentiæ, collatio sacrorum; Synodus, Synodaticum, seu Cathedraticum, quarta, decimatio, visitatio, & procuratio. Ita enim habetur ex Honorio III. *in cap. conquerent. de officio iud. Ordin.* DD. communiter, specialiter D. Antoninus 3 *part. tit.9. cap.5.* Syluestro *in summa, verbo Episcopus, quæst.6.* A quibus omnibus Religiosi habentes præfata, aut similia priuilegia sunt exempti, exceptis iis rebus, de quibus locis relatis dixi, maximè ex Concilio Tridentino, excepta etiam sacrorum Ordinum receptione, in qua subiiciuntur Episcopis, iuxta dicta eo verbo *Episcopus quoad Regulares, num.15.* illis etiam quæ spectant ad Ordinem Episcopalem exceptis, iuxta ibidem dicta; excepta quoque reuerentia, quam eisdem Episcopis semper exhibere debent, iuxta dicta, *tom.1. cap.11. num.3.*

148. Rursus etiam nota, quòd authoritas Episcopalis communiter diuiditur à Doctoribus in legem *Diœcesanam*, & legem *Iurisdictionis*, prima dicitur, quod consistat in recipiendo, secunda verò in dando, seu conferendo. Ad primam pertinet perceptio Cathedratici, pars oblationum, charitatiuum subsidium, & similia. Ad secundam verò correctio, iurisdictio, causarum audientia, & similia. A prima exempti sunt præfati Religiosi non solum propter priuilegia, sed etiam iure communi, iuxta dicta eo verbo *Exemptio Regularium, num.3.* à secunda verò non nisi ex priuilegiis, & cum limitationibus adductis. De hac duplici lege non solum Syluester, & Sanchez eo *num.3.* relati, sed etiam Glossa *in cap. dilectus de offic. Iud. Ordin.* Azor. *tom. 2. instit. moral. lib.3. cap.32. quæst.2.* Rodriguez *t.2. Quæst. Regular. quæst.63. art.2.* & Barbosa *de offic. & potest. Episc. part.1. tit.1. cap.1. num.15.* ex aliis.

Qualiter conformiter ad hæc, & alia priuilegia non possint Ordinarij censuras præfatos Religiosos, & alios similiter priuilegiatos ferre, consule dicta eo verbo *Exemptio Regularium, num.8. & sequentibus.* Qualiter etiam conformiter ad dicta priuilegia illis verbis: *Eorum exemptione vtpote notoria non aliter allegata*, non teneantur dicti religiosi coram Ordinariis exhibere sua priuilegia exemptionis, vide dicta eo loco, *num.14.* Et quomodo tunc se gerere debeant, præter dicta eo loco, habebis ex dicendis infra in Mari magno Carmelitarum *circa §.60.* 149.

Specialiter nota, quòd secluso hoc, & aliis priuilegiis, stando in iure communi *cap. ne aliqui, de priuileg. in 6.* quamuis Ordinarij possint excommunicare, & interdicere quoscunque priuilegiatos, ne excommunicentur, aut interdicantur; excipiuntur tamen Reges, & Reginæ, eorumque filij, & Religiosorum Ordines, aut loca, prout Doctores communiter *in dict. cap. ne aliqui.* Henriquez *lib.7. cap.14. §.2. & lib.13 cap.24. §.1.* Sairus *de censur. lib.5. cap. 10. num.8.* Peirinis *tomo 3. priuileg. Minim. cap.3. num.18.* Barbosa *in dict. cap. ne aliqui, num.3.* Similiter generaliter loquendo, quod exempti à iurisdictione Ordinariorum nequeant ab ipsis excommunicari, &c. firmauit Rota in vna Toletana *Iurisdictionis* coram Buratto anno 1616. vbi alia ad intentum. Item in alia Barchinonensi *Incursus censurarum* coram Mantica anno 1693. vbi expresse habetur, quod exemptus non potest excommunicari ab Episcopo, à cuius iurisdictione est exemptus, & conformiter ad *cap.2. de integr. restit. & cap. quanto, de priuileg. Clem. I. §. nonnulli de excessibus Prælat.* Imolam, Bellameram, & Nattam ibi relatos. 150.

Circa §. 47.

SImile priuilegium administrandi Eucharistiam & Vnctionem habetur pro Minoribus in eorum Mari magno §.45. & pro Eremitis S. Aug. in Mari magno ipsorum §.45. & Carmelitis etiam in eorum Mari magno §.64. De eo autem egi *t.1. c.21. n.10. & t.3. v. Eucharistia quoad Regulares, n.5. & v. Extrema Vnctio, n.1.* Vbi notaui illud limitatū fuisse à Leone X. in Bulla *Dum intra* ibi relata; ita videlicet, vt possint præfati Religiosi Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis secularibus sibi confessis administrare, quando Parochi sine rationabili causa noluerint, aut malitiosè distulerint id facere; si tamen *talis negatio sine legitima causa vicinorum testimonio comprobata, aut requisitio coram publico notario facta doceretur.* Ita enim moderatus est Leo Papa hoc priuilegium. 151.

Circa illud autem, præter dicta illis locis nota, quòd cùm dictio illa *sine* posita tam in dictis priuilegiis, quàm in Bulla Leonis X. ad hoc quod verificetur, requirat *carentiam*, seu priuationem *omnium*, vt habent Cenedus *post lib. canonic. & pract. quæst. sing. 100. n.5.* & Barbosa *in tr. de dictionib. dict. 371.* ideo ad hoc quòd in præsenti verificetur, oportet vt nulla omnino subsistat causa dictæ negationis administrationis eorum Sacramentorum, si enim aliqua causa (intellige) legitima subsistat, non poterunt præfati Religiosi vti dicto priuilegio. Similiter cum in hoc priuilegio solum sit sermo pro casu, quo Parochi se exhibeant difficiles in administrandis prædictis Sacramētis personis, quæ sua 152.

sua peccata confessi fuerint dictis Religiosis, ideo si hoc contingat respectu aliarum personarum, non poterunt illis Sacramenta administrare ex vi huius priuilegij. Dixi *ex vi huius priuilegij*, quia in articulo mortis, absente Parocho, propter consensum ipsius, imo & Ecclesiæ, præsumptum, potest id fieri, iuxta dicta eo *cap.21. num.8.* & dicto *verbo Eucharistia quoad regulares, num.4.* Quod etiam dico pro casu quo in illo articulo mortis Parochus se difficilem exhiberet in administratione Eucharistiæ. Talis enim mala voluntas Parochi pro absentia ipsius meritò reputanda est. Henriquez *lib.8. de Eucharistia, cap.55. num.1. littera H*, Fagundez de 3. Eccles. *præcepto, lib.3. cap.2. num.20.* referens etiam Pium V. concessisse hoc priuilegium, non obstante dispositione Concilij Tridentini ad petitionem Cardinalis de Ara cœli teste Claudio, *verb. Concilium Tridentinum, §.3.* Vide P. Candidum *tomo 3. disquis.2. de Eucharistia, art.20. dub.33.*

152. Est tamen graue dubium, an possint isti religiosi vti hoc priuilegio ministrandi Eucharistiam sibi confessis pro casu quo Parochi tempore Paschæ nollent dare illis communionem, nisi ostenderint schedulas attestatrices confessionis factæ cum ipsis. Ad quod respondetur sub disiunctione. Si enim sic confessi fuerint publici peccatores, malæ famæ, aut suspecti de mendacio, tunc nequeunt dicti religiosi vti hoc priuilegio. Quia, cùm tales non sint fide digni, prudenter facient Parochi non credendo illis, nisi ostenderint probationem aliquam confessionis ab ipsis factæ, scilicet schedulam confessarij, ac per consequens habent legitimam causam negandi illis communem, non præostensa tali schedula; & idcirco procedet in hoc casu limitatio huius priuilegij facta à Leone X. de qua supra, ea enim declaratur non posse dictos religiosos vti isto priuilegio, quando ob legitimam causam Parochi negarent Eucharistiam confessis cum eisdem religiosis, tunc namque adest talis causa legitima. Nec obstat, si dicatur, quòd nemo præsumitur suæ salutis immemor. *leg. Sancimus, Cod de sacrosanct. Eccles. cap. penult. 1, quæst.7. cap. significasti 2. de homicid.* Bartolus *in leg. rationes in princip. Cod. de probat. & in leg. admonend. num. 27. ff. de iureiur.* Castrensis *consil. 301. num.4. lib.1.* Abbas *in cap. 2. num.9. de fid. instrument.* Mantica *decis. 363. num. 5.* hoc enim præterquam dici potest solùm procedere, quando non sunt indicia in contrarium, prout contingit in proposito. Ad summum solum intelligitur in rebus spectantibus ad forum conscientiæ duntaxat, non in iis, quæ pertinent ad externam Ecclesiæ gubernationem, seu forum externum, qualis est confessio propter communionem Paschalem, ad quam obligantur fideles, ita vt transgressores huius præcepti puniantur ab Eccesia. Sicut propter eandem rationem *cap. sicut, de sententia excommunicationis*, dicitur, non esse adhibendam fidem excommunicato dicenti se absolutum esse ab excommunicatione *nisi litteras absolutionis ostendat, aut alio modo legitimè de eius absolutione constet.* Quando tamen tales confessi dictis religiosis personæ fuerint bonæ, & opinionis, nec de illis prudenter suspicio esse possit, quòd velint Parochos suos decipere, ita vt de hoc nulla sit prudens ratio dubitandi, & tunc nolint parochi ipsis exhibere Eucharistiam, nisi tales schedulas restatrices confessionis à se factæ deferant, eùm in hoc casu nulla adsit causa legitima negandi ipsis communionem, tunc poterunt dicti religiosi vti hoc priuilegio, cum moderatione tamen facta à Leone X. supra scilicet, quòd talis negatio sine legitima causa *vicinorum testimonio comprobata, aut requisitio coram publico notario facta doceatur.* Sic Colligo ex sancto Thoma *quodlib. 1. art.12.* Syluestro *in summa, verbo confessor. 1. quæst. 17.* Ioanne Valerio *de different. inter vtrumque forum verbo Pœnitentia, different. 5.* Sanchez *lib.3. de matrimonio, disp.37.* Bonacina *de Sacramentis, disp.5. quæst.5. sect.2. punct.4. num.36.* Barbosa *de offic. Parochi, part.2. cap. 19. num.31. & 32.* & Morono *in respons. respons.21.* licet etiam in hoc casu consulerem attendendum esse ad consuetudines, quæ in diuersis Prouinciis circa hoc obseruantur. An verò Episcopi possint præcipere confessariis regularibus, vt dent dictas schedulas sibi confessis; & si non fecerunt, illos suspendere, tractat Moronus supra. Apud quem alia concernentia hoc priuilegium. An verò pro casu quo instet necessitas communicandi in Pascha, nec adsit Parochus, possit Eucharistia, secluso omni priuilegio, à regularibus administrati, negant Doctores, specialiter Fagundez *de 3. Ecclesiæ præcepto lib.3. cap.2. num.21.* & Cardinalis Lugo *de Sacramento Eucharistiæ, disp. 18. sect.2. num.53.* de quo dicam inferiùs in Mari magno Minorum § 45.

Circa §. 48.

Simile priuilegium pro Monasteriis Monialibus destitutis habetur in Mari magno Minorũ §.46. Eremitarum S. Aug. §.46. Carmelitarum §.65. Seruitarum §.37. etsi cum aliqua variatione. De materia ipsius egi *t.2. c.19. n.50.* Consonant etiam dicta, *t.4. v. Monasteria Regularium, præsertim, n.32. 37. & 38.* & supra in hoc Mari magno *circa §.33.* & 34. 153.

Nunc nota circa dictionem, illam *quandoque*, quæ ponitur in prædicto priuilegio, dum dicitur, *sed in illis quandoque diuina celebrentur officia*, illam dictionem significare idem quod *aliquo tempore.* Notat Decius *in l. si quis, num.4. ff. quod quisque iuris, & in cap. Quoniam contra, num.6. de probat.* & Barbosa *in tract. de dictionibus, dict.309. num.2.* Nota etiam per clausulam illam *diuina officia*, quæ iubentur celebrari in illis Monasteriis Monialibus destitutis denotari laudes, & preces ab Ecclesia institutas ad laudandum Deum, quales sunt horæ canonicæ, iuxta dicta, *tom.4. verbo officium diuinum, num. 6.* conformiter ad mentem, *cap. dolentes de celebrat. Missæ, & Clem.1. eodem tit.* ac Concilij Trident. *sess.24. cap.12. de Reformat.* Consonantque Definitores officij diuini, quas tradunt Bellarmin. *tom.4. lib.1. cap.10.* & Toletus *lib.2. cap.10.* 154.

Vide dicenda in Mari magno Minorum *circa §. 46.* Eremitarum sancti Augustini, §.46. & Carmelitarum, §.65. ac Seruitarum, §.37. vbi habetur magis amplum priuilegium quàm istud pro Prædicatoribus concessum, siquidem extenditur ad Monasteria Pynzocherarum, seu Mantellatarum. 155.

Circa §. 49.

Pariter etiam hoc quoque priuilegium pro iis, qui volunt sepeliri cum habitu huius Ordinis, habetur in Mari magno Minorum, §.47. Eremitarum sancti Augustini, §.47. Carmelitarum, §. 66. Seruitarum, §.38. De quo dixi, *tomo.3. verbo Habitus Regularis, num.6.* reuocatum esse à Leone X. in Concilio Lateranensi in Bulla *Dum intra.* Ibi enim decernit Pontifex tales sepeliri volentes cum habitu Fr. Mendicantium, posse eligere sepulturam in 156.

in quacunque Ecclesia voluerint, ac per consequens ibi sepeliri debere, & non necessariò in Ecclesiis Religionum, cum quarum habitu sepeliuntur. Non tamen sunt reuocata, sed manent in sua vi alia, quæ eodem verbo *habitus regularis, num.* 5. dixi ex concessione Sixti IV. pro Minoribus apud Cæsarubium, Rodriguez, & Confettium, videlicet, seculares volentes sepeliri in habitu religioso posse id facere, etiam contradicentibus Parochis. Nec quæ ex concessione eiusdem Sixti pro Prædicatoribus, & Minoribus apud eosdem Authores dixi eo loco *num.* 7. videlicet, de tali habitu concedendo solùm à Superiori eorumdem ordinum, vel ab eo, cui ipse iniunxerit, & de deferendis cadaueribus indutotum tali habitu discoopertis non obstante ordinariorum prohibitione. Nec etiam alia quæ ibidem, *num.* 8. 9. *& seqq.* dixi circa indulgentias decedentium cum habitu religionum, aut ipsum osculantibus. De quibus etiam nouissimè Quintana Duenas *in tract. 9. de Iubilæo dub. vltimo, num.* 5. *&* 6.

157 Alia infra in Mari magno Minorum circa §. 47. Eremitarum sancti Augustini §. 47. Carmelitarum §. 66. & Seruitarum §. 38.

Circa §. 50.

158. Hoc quoque priuilegium de Capellano instituendo in Ecclesiis Prouincialibus Ordinis Prædicatorum habetur in Mari magno Minorum & Eremitarum sancti Augustini §. 48. Mari magno Carmelitarum §. 67. Seruitarum §. 39. Pro qua vide dicta *tomo* 2. *cap.* 18. vbi plura de beneficiis, siue regularibus, siue secularibus respectu regularium. De quo etiam *tomo* 3. *verbo Beneficium, & Beneficiati.*

159. Nota autem ex his priuilegiis elici posse, quod Ecclesiæ etiam Parochiales concedi possint Regularibus, ita enim supponitur in ipsis, in illis verbis: *Ne si ratione Parochialium Ecclesiarum, apud quas eorum Fratrum domus constructa fuere, aut construerentur in posterum.* Nec hoc video reuocatum aliquo modo, prout dixi *tomo* 4. *verbo Monasteria Regularium, num.* 21. loquens specialiter de priuilegio alio Iulij II. pro Eremitis sancti Augustini, quod etiam refert Laurentius Empoli *in Bullario Ordinis Eremitarum sancti Augustini in Iulio II. Constitutione* 3. ibi enim concedit Pontifex Generali huius Ordinis facultatem recipiendi etiam Parochiales Ecclesias. Idemque colligitur ex Rota in vna Calliensi *vnionis* coram Buratto anno 1625. vbi etiam deciditur beneficium vnitum Monasterio ad illud spectare; & ex alia Augustana *decimarum* coram Vbaldo anno 1631. Nec obstat quod Concilium Tridentinum *sessione* 22. *de refor.* prohibeat, ne *Ecclesiæ Parochiales Monasteriis quibuscunque aut Abbatiis, &c. vniantur.* Quia aliud est vniri Ecclesiam Parochialem alicui Monasterio, seu illud annectere tali Monasterio, quod est illud vnire ipsi, & quod prohibetur à Concilio, aliud verò concedere alicui religioni aliquam Ecclesiam Parochialem, vt in ipsa maneant, & habeant Monasterium ad seruiendum tali Parochiæ religioni talis religionis, quod non prohibetur à Concilio. Hoc tamen intellige iuxta dicta eo, *num.* 21. seruatis seruandis ex decretis Concilij Tridentini, Clement. VIII. Gregorij XV. & Vrbani VIII. dum agunt de erectione, seu constructione nouorum Monasteriorum. Est quidem verum, quod cum iuxta dicta sæpius, præsertim *tomo* 2. *cap.* 2. *num.* 12. *& cap.* 3. *num.* 17. *& cap.* 18. *num.* 1. Religiosi quamuis capaces sint retinendi beneficia sæcularia, de facto tamen ipsis non conferuntur sine Papæ licentia vel dispensatione; ideo vacare videntur his temporibus præfata priuilegia, ita vt sine Papæ licentia recipere non valeant præfati regulares Ecclesias Parochiales. Vacant etiam quoad exemptionem in eis concessam Capellanis seruientibus dictis Ecclesiis. Etenim casu quo dictæ Ecclesiæ Parochiales regularibus concederentur, obseruari deberet id quod ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *c.* 11. dixi *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 9. Concilij verba: *In Monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam regulares, quàm seculares huiusmodi curam exercentes subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius diœcesi sunt ista. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amouibiles deputentur, nisi de eiusdem consensu, ac præuio examine per eum, aut eius Vicarium faciendo, exempto Monasterio Cluniacensi cum suis limitationibus, & exceptis etiam iis Monasteriis, seu locis, in quibus Abbates, Generales, aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monasteriis seu domibus, in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores iurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent, saluo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in prædicta loca, vel personas iurisdictionem exercent.* Consonat etiam declaratio sacræ Congregationis, quam retuli eo *cap.* 18. *num.* 9. & maxime Constitutio Gregorij XV. ibi relata, etsi ea pro regnis Hispaniarum suspensa sit, prout eo loco dixi, & supponit Ioannes Sancius in *Selectis, disp.* 49. *num.* 17.

Dubitari potest an talis Capellanus constituendus à præfatis Regularibus in dictis Parochialibus Ecclesiis casu quo ipsis legitimè concederentur, deberet esse regularis eiusdem ordinis, an verò sæcularis? Et dicendum, priuilegium non loqui de Capellano regulari, sed de sæculari, ac proinde secularem posse esse, siquidem de eo dicitur, *ac si dicti ordinis prædicatorum professor existeret,* quo supponitur posse esse sæcularem. Et ita supponunt Ioannes de Cruce *in Epitome, lib.* 1. *cap.* 6 *d.* 2. 5. *conclus.* 2. loquens de hoc priuilegio. De quo etiam Stephanus Daluin. *de potestate Episcoporum, cap.* 14. *n.* 2. relatus à Barbosa *in Collectaneis Doctorum, in Concilium Tridentinum, circa cap.* 11. *relatum,* vbi plura etiam spectantia ad intelligentiam talis decreti Concilij. De quibus etiam in Mari magno Minorum *circa* §. 48. aliqua dicam. Alia etiam ad intentum in Mari magno Eremitarum sancti Augustini *circa* §. 48. & in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 67. ac in Mari magno Seruitarum *circa* §. 39. 160.

Obiter etiam nota, quod cum aliqua Ecclesia conceditur regularibus *cum omnibus suis pertinentiis,* quæ clausula sæpius reperitur in priuilegiis ipsorum, *pertinentiarum* nomine venire etiam curam animarum tali Ecclesiæ annexam. Ita expresse Rota in vna Ianuensi *parochialis* coram Coccino 21. Februarij 1631. vbi etiam referuntur, Innocent. *in cap. cùm ad Sedem, num.* 2. *&* 3. *de restitut. spol,* Calder. *cons.* 6. *de verb. signif.* Lap. *alleg.* 13. *quæst.* 9. *num.* 18. & fuit dictum in causa Lomachen. & Ferrarien. *Præpositura, & Beneficij* 15. Decembr. 1625. coram Remboldo. 161.

Circa

Circa §. 51.

162. FAcultas etiam ista concessa Inquisitoribus hæreticæ prauitatis ad procedendum contra eos, qui dicerent, quod confessi Fratribus Mendicantibus tenebantur eorum peccata iterum Rectori Parochialis Ecclesiæ confiteri, habetur etiam in Mari magno Minorum §. 50. Eremitarum sancti Augustini §.50. & Carmelitarum §.12. & 69.cum maiori extensione, etiam ad protectores Mendicantium,& auditorem Cameræ Apostolicæ.Habetur quoque,etsi non cum dicta extensione,in Mari magno Seruitarum §.42.

163. Pro qua nota Ioannem de Poliaco Doctorem Parisiensem tres erroneos articulos docuisse. Primus erat, quod confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones,teneantur eadem peccata iterum Parocho confiteri. Secundus, quòd stante *cap. omnis vtriusque sexus de pœnis*, Romanus Pontifex non potest facere, imo nec Deus, quòd parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Parocho confiteri. Tertius quòd Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionem (imo nec Deus) alicui, quin confessus teneatur eadem peccata iterum confiteri proprio sacerdoti. Refert & damnat hos errores Ioannes XXII. in Extrauag. *Vas electionis, de Hæretic.* quem alij posteriores Pontifices secuti sunt, specialiter Nicolaus V. primum errorem asseuerantes ab Ordinariis tanquam de hæresi suspectos puniri præcepit. Sed Sixtus IV. in hoc priuilegio ad Inquisitores hæreticæ prauitatis id extendit.Vide etiam Bullam Alexandri V. in nostro *Speculo Ordinis, fol. 76.* vbi hoc, & alios ex eis ortos errores damnat, & contra illos asseuerantes ab Ordinariis procedendum præcipit. Pro quo etiam videndus ex antiquioribus Ioannes Bacconius noster *in 4. sent. distinct. 15. quæst. 3.* Item noster Ioannes Beetz *in præcept. Decalog. præcept. 3. exposit. 4. cap. 6.*

164. Nota etiam quod quamuis alij Doctores, videlicet Henricus Gandauensis,Bernardus,Hostiensis, Ioannes Monachus, Archidiaconus, & alij, vt citant Adrianus *in 4. de confess. quæst. 5.* & Sotus *in 4. distinct. 17. quæstione 4. articulo 3.* dixerint priuilegia Medicantium ad audiendas confessiones non esse tam amplè explicanda,vt sint contra ius Parochorum; nihilominus non ita desipuerunt, sicut iste Ioannes de Poliaco, de quo in præsenti, siquidem dicebat nec summum Pontificem potuisse concedere tam ampla priuilegia; idcirco damnatus est, coactus palinodiam cantare, vt colligitur ex dict. Extrauaganti *Vas electionis*, & propterea pro ipsius extirpando errore priuilegia hæc concessa fuerunt.De quo Bocconius *suprà*, Ioannes Beetz etiam *suprà*, Azorius *tomo 1. institut. moral. lib. 13. cap. 1. quæst. 1.* Miranda *tomo 1. quæst. 45. art. 3.* Ludouicus Beia *in Respons. cas. conscient. part. 2. cas. 31.* post Sotum supra relatum.

165. De hac eadem re iterum redibit sermo locis supra relatis, videlicet, in Mari magno Minorum §. 50. Eremitarum sancti Augustini §. 50. Carmelitarum §. 12. & 69. Seruitarum. §. 42.

Circa §. 52.

166. HOc etiam priuilegium de communicatione priuilegiorum inter Prædicatores,& Minores habetur etiam in Mari magno Minorum §. 51. Eremitarum sancti Augustini §. 52. & de communicatione tam cum ipsis quàm Eremitanis sancti Aug. in Mari magno Carmelitarum §. 105. ac de Seruitis cum aliis quoque Mendicantibus in eorum Mari magno §. 67. De qua materia plura dixi *t. 1. c. 3. n. 17.* & maximè *t. 2. c. 1. n. 52. 53. 54. & seq.* ac *t. 4. v. Priuilegia Regularium, num. 24.*

Animaduersione tamen dignum censeo propter aliquos patum liberales in sacrarum Religionum professores, quod communicatio priuilegiorum Mendicantium inter se est quasi noua concessio illorum ei religioni,cui communicantur,talis qualis esset, si ipsi nominatim,& expresse concessa essent. Colligitur id primò, ex verbis istius priuilegij. *Proinde ac si quæ vni ex Ordinibus prædictis sunt concessa, vtrique simul nominatim concessa fuissent, aut concederentur in posterum.* Secundò, ex Leone X. in Bulla *Dudum in 1. tom. Bullar.* inter Constitutiones ipsius 32. vni concedens communicationem omnium priuilegiorum concessorum,& concedendorum ordinibus mendicantibus dicit: *Illaque omnia, & singula inter dict. Ordinum personas pariformiter communia fuisse, & esse volumus*, verbum enim *pariformiter* denotat omnimodam æqualitatem, & vt habet Rota *dec. 194. n. 22. p. 5. recent.* denotat omnimodam communicationem iurium. Ex quo sequitur,quod quemadmodum vni eorum Ordinum dicuntur concessa, ita & aliis, quibus communicantur. Fauet Rota in vna Valentina *Decimarum* coram Lancelloto 28. Nouemb. 1603. vbi dicit virtutem communicationis priuilegiorum esse. vt illi ad fauorem, cuius emanauit,tribuat illa, *perinde ac si specificè concessa fuissent.* Item in vna Bononiensi *exemptionis* coram Verospio 25. Maij 1618. vbi alia ad intentum. De quibus etiam Oldradus *conf. 200.* Cord. *in annot. ad compend. priuil. mendicant. v. communicatio Priuileg.* Sorbus *ibid.* Tamburinus *de iure Abb. tom. 1. disp. 15. q. 18. n. 31.* Suarez *de legib. lib. 8. c. 16. n. 15.* dicens quod *communicatio est veluti concessio noui priuilegij*, & quod potest dici *multiplicatio numerica eiusdem priuilegij.* 167.

Secundò not, quamuis in hoc indulto Sixti IV. solum concedatur Mendicantibus communicatio omnium priuilegiorum concessorum; cæterum etiam habent illam respectu concedendorum ex Leone X. in Bulla relata & nostri Carmelitæ ex Clem. VII. in Bulla *ex Clem. in 1. tom. Bullar. n. 31.* vbi ipsis concedit communicationem omnium priuilegiorum concessorum, & concedendorum quibuscunque ordinibus siue mendicantibus. Pro aliis autem religionibus vide Mirandam *tom. 2. quæst. 46. art. 2.* & quæ dixi locis relatis, ac dicenda infra in Mari magno Minorum circa §. 51. Bulla *Aurea* dicta *circa* §. 9. & in Mari magno Eremitarum sancti Augustini §. 52. Carmelitarum *circa* §. 205. Seruitarum *circa* §. 67. 168.

Quæ autem sint hæc priuilegia Minorum, quæ hoc loco communicantur Prædicatoribus, habes ex eorum Mari magno, Bulla *Aurea* dicta. Compendiis huius religionis, eo præsertim, quod Casarubius scripsit, & ex Bullario Rodriguez, vbi plura conspiciuntur. Video etiam in libro, cui titulus est *Mare magnum Seruitarum part. 100.* opusculum quoddam de priuilegiis Minorum. 169.

Circa §. 53.

COntenta etiam in hoc §. vbi præcipitur sub grauib. pœnis Ordinariis,& Parochis, ne vllo modo impediat religiosos prædicatores,& minores 170.

vti priuilegiis in hoc Mari magno contentis, habentur in Mari magno Minorum §. 52. Eremitarum S. Augustini §. 53. & Carmelitarum §. 106. De quorum materia quamuis plura sparsim per totam Summam Quæstionum Regularium dixerim, hic tamen specialiter notandum, qui sint isti Ordinarij, & Rectores Ecclesiarum, quibus in particulari tam rigidè prohibetur impedire præfatos Religiosos, ne vtantur dictis priuilegiis.

171. Et quod attinet ad Ordinarios, cum Ordinariorum nomine veniant omnes illi, qui Ordinaria iurisdictione ex vi sui officij, canone, priuilegio, vel præscriptione vtuntur, vt habent Panormit. *cap. vt fama, num. 6. de sent. excommunic.* Zabarella *Clement. quia Regulares num. 11. vers. octauò quæres de supplend. negligent. Prælator.* Minsinger. *cap. post cessionem n. 1. de probat.* Ægid. Bellarm. *cons. 30.* Decius *cons. 121. lib. 2.* Nauarrus *cons. 9. de priuileg.* & alij, ideo in præsenti, & quocumque alio loco, vbi est sermo de Ordinariis, Ordinariorum nomine veniunt non solùm Patriarchæ, Archiepiscopi, cum omnes, isti habeant ordinariam iurisdictionem modo dicto, vt colligitur ex præfatis DD. & aliis, quos refert, & sequitur Barbosa *in Tract. de Appellat. verb. iur. significat. Appellat. 177. num. 1.* Sed etiam Vicarij Episcoporum, propter eandem rationem Nauarrus *lib. 4. cons. in 2. edit. tit. de sponsal. cons. 5. num. 2.* Sanchez *lib. 3. de Matrimon. disp. 29. num. 5.* Barbosa *supra num. 5.* & alij communiter. Imò Priores S. Ioannis Hierosolymitani, vt censuit Rota *decis. 493. num. 5. p. 2. recent.* Barbosa *n. 3.* Item Abbates habentes iurisdictionem Episcopalem in populum propter eandem etiam rationem Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 1. disp. 1. quæst. 4.* An verò etiam comprehendantur Legati, & Nuncij, videtur quòd sic, propter dicta *tom. 3. verbo Exemptio Regularium, num. 5.* & supra *circa* §. 17. quia scilicet tales sunt verè Ordinarij. Quia tamen sunt Ordinarij *extraordinariè.* vt habet Panormitan. *c. 1. de offic. legat. num. 3.* Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 25. num. 3.* & Sanchez *tom. 2. Consil. moral. 6. c. 9. dub. 1. num. 14.* ideo non videntur comprehendi in iis odiosis Ordinariorum nomine. Idem dico de Legatis à latere, propter dicta eo *num. 5.* ex Sanchez *supra num. 19.*

172. Quod verò spectat ad Rectores Ecclesiarum Parochialium, contra quos etiam plures, & valde graues pœnæ imponuntur in dictis priuilegiis, si eorum executionem impediant; cum *Rectores* à regenda Ecclesia dicantur *cap. 1. de Capellis monach. cap. 3. de vit. & honest. Cleric.* eorum nomine venient ii omnes, qui curam Parochialibus Ecclesiis exhibent, siue dicantur *Plebani*, vt in *cap. scriptum est de elect.* siue *Parochi, Curati*, aut *Presbyteri Parochiales*, vt in *Clem. dudum §. Cæterum de sepult. & in Clem. 1. de priuileg.* appellentur, siue etiam *Archipresbyteri*, cum omnes isti Ecclesias Parochiales regant. Vnde sub *Rectorum* Parochialium Ecclesiarum, veluti sub titulo magis generali in priuilegiis istis continentur.

173. Alia ad intentum huius priuilegij dicam infra in Mari magno Minorum §. 52. in Bulla *Aurea* vocata *circa* §. 10. in Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* §. 53. & Camelitarũ *circa* §. 106.

Circa § 54.

174. SImiliter hæc facultas concessa præfatis in dignitate Ecclesiastica constitutis, & Canonicis Ecclesiarum ad procedendum contra contradictores præfatorum priuilegiorum, & ad defendendum dictos Religiosos in executione ipsorum, continetur etiam in Mari magno Minorum §. 53. Eremitarum S. Augustini §. 54. Seruitarum §. 69. & cum extensione ad Protectorem Ordinis in Mari magno Carmelitarum §. 107. Quia verò ex vi huius facultatis constituuntur prædicti Conseruatores Religionum, quoad contenta saltem in præfatis priuilegiis, ideo pro illis videnda sunt, quæ dixi *tom. 2. cap. 10.* per totum, vbi *num. 3.* de simili indulto, provt in Mari magno Carmelitarum pro ipsis habetur. Ex dictis enim toto eo capite constat, qualiter istorum Conseruatorum authoritas declarata, & modificata est, maximè post Leonem X. in Concilio Lateranensi. S Congregationem sub Gregorio XIII. Clem. VIII. & Gregorium XV. in specialibus Constitutionibus de ea re editis. Quid importent dictiones seu clausulæ illæ *Summarie, de plano, sine strepitu, & figura iudicis, sola facti veritate inspecta*, dixi *tom. 1. cap. 27. num. 26.* De quo etiam inter antiquiores Ordinis nostri Scholasticos Ioannes Baceo *in 4. sent. dist. 25. q. 15.* Quid illi clausula *Appellatione postposita*, dixi *tom. 3. verbo Clausula n. 10.* Quid illa *Inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis*, dixi eo verbo *Clausula num. 39.* & supra *circa* §. 23.

Nota tamen nomine Ecclesiæ *Metropolitanæ*, cuius Canonicis facultas hæc conceditur, denotari Ecclesiam Archiepiscopalem, Archiepiscopus enim, & Metropolitanus idem sunt, vt innuit Ordo Romanus *titulo Qualiter Episcopus in Romana Ecclesia ordinetur*, & expressè tradit Bartolus *in l. vnica num. 2. de constit, lib. 6.* Rebuffus *in concord. tit. de collat. §. 1. in princ.* Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 3. cap. 33. quæst. 4.* & alij. Nomine autem Ecclesiæ *Cathedralis*, cuius etiam Canonicis hæc facultas conceditur, intelligitur Ecclesia Episcopalis, quia Episcopi Ecclesia dicitur Cathedralis, quia ibi Cathedra Episcopalis, & sedes sita est. Archid. *in c. statutum, col. 1. de rescript. lib. 6.* Flamin. Paris. *de confident. q. 15. num. 3 & 4.* & quia eius ratione Episcopus recipit Cathedraticum, *cap. Conquerente, de offic. Ordinar. cap. Pastoralis, de donat.* Rebuff. *in concord. rubr. de collat. §. 1. super verbo Statuimus.* Flamin. Paris. *vbi sup. n. 5.* Quomodo autem his temporibus ad hoc, quod prædicti Canonici in Conseruatores (ordinarios videlicet, & communes) eligantur, requiratur etiam, quod fuerint Iudices Synodales instituti, dixi *tom. 2. c. 10. n. 53.* Nomine quoque *Syndicorum Romanæ Ecclesiæ*, de quibus est sermo in dictis priuilegiis, denotantur Procuratores ipsorum Religiosorum, iuxta dicta *tom. 2. cap. 17. n. 12. & 13.* Est enim *Syndicus* Procurator in causis iudicialibus ab Vniuersitate seu collegio electus. Barbosa *de Iure Ecclesiastico lib. 1. c. 46. n. 3.* Vnde Syndici officium est causas, & lites Ecclesiasticos tractare, ne Clerici aut Monachi rebus huiusmodi se immisceant. Rodriguez *tom. 3. quæst. Regular. quæst. 41. art. 1.* Barbosa *supra num. 13.* 175.

Alia ad intentum dabitur in Mari magno Minorum §. 53. Eremitarum S. Augustini §. 54. Carmelitarum §. 107. & Seruitarum §. 69. 176.

Circa §. 55.

HViusmodi etiam non obstantiæ habentur in Mari magno Minorum §. 54. Eremitarum S Augustini §. 55. Seruiarum §. 70. & Carmelitarum etiam cum maiori ampliatione §. 108. Quam porrò vim habeat clausula *non obstantibus* multis 177.

,dixi 3.

dixi 3. *tomo, verbo clausula, num.* 42. *& sequentibus* ex Martha, Gonzales Menochio, Tamburino, Barbosa, Naldo, & aliis.

178. Nota tamen pro huiusmodi, & aliis similibus non obstantiis in Constitutionibus Apostolicis, seu priuilegiis Regularium repertis, id quod sæpius dixi, præsertim supra circa §. 26. videlicet Constitutionibus Conciliaribus seu Conciliorum Generalium, non derogari per clausulas generales *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis*, aut similes, nisi fiat expressa mentio, vel saltem per æquipollentia ipsorum Conciliorum Generalium, quia, vt ibi dixi, dispositiones Conciliares habent tacitam derogationem ad futuras concessiones illis contrarias, provt ex variis Rotæ decisionibus, & authoribus probaui eo loco, & ex aliis etiam probat Barbosa *in Tract. de clausul. clausul.* 83 *n.* 31. *&* 32. Propterea ergo Pontifex in huiusmodi priuilegiis mentionem facit expressam Constitutionis Clem. V. quæ incipit *Dudum*, quia est facta in Concilio Generali Viennensi, & Constitutionis Bonifacij VIII. quæ incipit *Super Cathedram*, quia etsi à solo Bonifacio edita fuerit, fuit tamen innouata in dicto Concilio Viennensi in cap *Dudum* relato. Excipitur tamen ab ista communi regula Concilium Generale Tridentinum, quia etiamsi de illo fiat expressa mentio, censetur derogari per communes, & generales Clausulas positas in Constitutionib. Apostolicis; eo quòd ipsummet Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 21. *de reformat.* præseruauit, & excepit authoritatem Summi Pontificis. Marescot. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 38. *n.* 41. referens sic resoluisse Rotam in vna Vlyssipponen. *Decimarum* 27. Nouemb. 1572. coram Robusterio, & in vna Oriolensi *Decimarum* 8. Februarij 2588. coram Orano. Gonzales *super Regul.* 8. *Cancellar. Gloss.* 6. *num.* 120. Filiucius, & alij, quos refert, & sequitur Sigismundus de Bononia *de elect. dub.* 5. *num.* 3. Iunge & Barbosam *supra n.* 33. Quod maximè procedit, si Constitutiones sint propria manu Papæ signatæ, provt ex declaratione Pij V. & S. Congregationis refert ex Garzia idem Sigismundus *supra num.* 2. *&* 3. Quod verò dicta clausula generalis non *obstantibus*, &c. non sufficiat pro derogatione regularum Cancellariæ, nisi de illis fiat expressa mentio, tenet ex variis Doctoribus; Barbosa *supra num.* 36.

179. Notandum etiam per clausulam illam *Ac etiam in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus*, non derogari Conciliis Generalibus, sed solum statutis seu Constitutionibus siue specialibus, siue generalibus editis in dictis Conciliis Prouincialibus, seu Synodalibus. Hæc etiam est mens huius clausulæ, vt affert Rota in vna Cæsaraugustata *Decimarum* ann. 1611. coram D. Pamphilio nunc SS. D. N. Innocentio X. Vide alia in Mari magno Carmelitatum *circa* §. 108.

Circa §. 56.

180. PRiuilegium etiam hoc de fide adhibenda transumptis huius Maris magni etsi non cum ea amplitudine ad sigillum Generalis habetur in Mari magno Minorum §. 54. & cum ea in Mari magno Eremitarum S. Augustini §. 56. & Carmelitarum § 108. Solétque apponi similis clausula in pluribus litteris Apostolicis ad maiorem ipsarum firmitatem.

181. Pro quo nota, quòd quamuis litterarum Apostolicarum via sit executiua *c. fi. cap.* 5. *de concess. preb.* & Rota in Ouetensi *Canonicatus* 30. Martij 1607. coram Marquemontio, & in Ciuitatensi *Confirmationis concordiæ* 15. April. 1611. coram Manzanedo, & in Eugubina *Canonicatus* 14. Februarij 1613. coram eodem. Paratamque habeant executionem *cap. super litteris de rescript.* Mohedanus *decis.* 9. *de caus. possess. & decis.* 13. *vt lit. pendent.* Gigas *de pensionibus quæst.* 8. *n.* 2. Satnensis *in Tract. Breuium num.* 4. Nihilominus quia hæc veniunt intelligenda tantum in litteris Apostolicis iustificatis, vt habet Rota in Portugallens. *Dismembrationis* 16. Iunij 1595. coram Blancheto, & in Nouariensi *Canonicatus* 14. Decemb. 1612. coram Manzanedo, & in Astoricensi *Archidiaconatus* 9. Nouemb. 1602. coram Lancellotto. Parisius *Cons.* 138. *num.* 1. *lib.* 4. Graffis *decis.* 12. *num.* 4. *de probat.* & Barbosa *de clausulis clausul.* 160. *num.* 6. Pontifex ad iustificationem, & valorem harum litterarum, quæ *Mare magnum* dicuntur, vult, vt ipsarum transumptis adhibeatur eadem fides, quæ ipsarum originali adhiberi deberet.

Pro quo vlterius notandum, quod licet iuxta dicta *tomo* 3. *verbo Gratia pro Regularibus, num.* 13. *& tom.* 4. *verbo Priuilegia Regularium num.* 6. ad valorem cuiuscumque priuilegij non requiratur scriptura, seu Bulla, sed sufficiant verba Papæ, vel alterius priuilegium concedentis, vt probat textus *in Clement. Dudum, vers. Nos etenim, de sepultur.* Nauarr. *cons.* 1. *num.* 1. *de priuilegiis.* Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 7. *art.* 5. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 12. *à num.* 45. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 1. *disp.* 16. *quæst.* 2. *num.* 1. ex prædictis Authoribus, variisque Rotæ decisionibus; nihilominus quia iuxta dicta eo *num.* 6. pro foro externo, & vt probentur priuilegia, scriptura requiritur, adeò vt illa veluti informia habeantur, provt etiam ex Rotæ decisionibus, & Doctoribus probat idem Tamburinus *num.* 3. *&* 4. ideo Pontifex in his litteris, in quibus tot tantaque priuilegia Regularibus conceduntur, solicitè curat, quod ipsarum transumptis fides adhibeatur. 182.

Nota autem, quòd transumpto adhibetur eadem fides, quæ ipsi originali, etiam stando in iure communi, quando constat quòd in transumptione obseruatæ fuerunt solemnitates requisitæ *can. fin. de fide instrum.* Abb. *ibidem* notabili secundo, & communiter Doctores. Item Rota in Veronensi *Iurium Parochialium*, de qua infra, vbi plura ad intentum. Sunt autem huiusmodi solemnitates, vt transumptio fiat authoritate Ordinarij, & per tabelliorem, seu Notarium publicum. Provt inferunt communiter Doctores ex *dicto cap. fin.* Quamuis autem citatio partis, interest non transcribi exemplar, videatur necessaria pro ipsius authenticatione, provt colligitur ex *cap. penult. de fid. instrum.* ea tamen citatio non requiritur in aliquibus casibus Primò, in exemplatione Principis authoritate facta. Feli *in cap. fin. num.* 9. *de fide instrument.* Mascard. *de probat. concl.* 741. *num.* 67. *&* 90. Caualer. *decis.* 205. *num.* 2. quæ est inter recenr. *decis.* 422. *num.* 3. *part.* 1. Secundò, in exemplatione facta ex protocollo, quando non pendet lis. Neuiz *cons.* 25. *num.* 13. Seraph. *decis.* 1236. *num.* 3. & fuit Dictum in Beneuentana *Domus* 28. Iunij 1613 corã Pamphilio seniori. Tertiò, in exemplatione instrumenti facta per eundem, qui illud rogauit. Rota *decis.* 248. *sub num.* 2 *post vol.* 2. *cons Farin.* Quartò, in iuribus exemplatis per successorem in officio, quæ etiam sine citatione partis, & aliis solemni- 183.

tatibus probant, Decius *in auth. si quis in aliquo num.26. cap. de edendo.* Verallius *Decis.*224. *num.*3. *part.*2. Rota *decis.*351. *num.*7. *post vol.*2. *consil.* *Farin. & inter recent. decis.*227. *num.*1. *& decis.*389. *num.*2. *part.*1. *& decis.*581. *num.*4. *part.*2. *& in Romana censu* 4. *Iunij* 1621. *coram Vbaldo sen.* Quintò, in exemplatione facta in præsentia partis aduersæ vt fuit dictū in Sulmonen. *beneficij* 7. Iunij 1627. coram Durano. Sextò, quando exemplario fit ex sola vetustate originalis, non autem ad alicuius instantiam, qui suspicaretur futuras sibi aduersarias certas personas in ea causa, cuius gratia priuilegium ex antiquo originali extrahebatur. Bald. *in l. nequidquam* 8. *vbi decretum num.* 22. *ff. de offic. Proconsf. & leg.* Menoch. *consf.*745. *num.*6. Rota in vna Veronensi *Iurium Parochialium* coram Verospio 26. Iunij 1630. Adde, quod exemplario præsumitur facta solemniter, quando est multum antiqua, vel quando est facta à tabellione notæ fidei, & in eo enunciantur factæ solemnitates à Iure requisitæ. Barbosa *in d. cap. penult. de fide instrument.* ex aliis Doctoribus. Quæ omnia valde necessaria sunt pro priuilegiis Regularium, & eorum authenticatione.

184. Maximè nota pro hac Bulla, & similibus, aliisque priuilegiis Regularium, quòd transumptis authenticis alicuius Bullæ seu priuilegij debet fides adhiberi, etiamsi casu dato illæ non reperiantur in registris supplicationum Bullarum, seu Breuium. Nam vt optimè Rota in vna Ianuensi *Abbatiæ* coram Ghisilerio 14. Martij 1635. *n.*73. Gratiæ Apostolicæ olim non omnes registrabantur, nec in registris supplicationum, nec in registris Bullarum, & Breuium, & multæ expediebantur cum derogatione Regulæ de non registrandis, ac etiam de non expediendis. Sicut etiam & aliud, quod in eadem decisione habetur, videtur, quod etiam si, diligentia facta pro reperiendo aliquo registro aliquarum litterarum Apostolicarum, non reperiatur, nihilominus non propterea perdunt suum valorem dictæ litteræ, vel quia multis modis expediri potuerunt, vel quia constare deberet, quod ex registris non fuerint aliqua folia sublata, vel quia plures scripturæ propter Vrbis excidium, quod contigit de anno 1527. deperditæ fuerunt. Quæ omnia quia vilia satis pro multis occasionibus, ipsius Sacræ Rotæ verbis hic danda.

185. Quartum, & vltimum principale fundamentum supradictæ resolutionis consistit in eo, quod DD. censuerunt istam multiplicitatem titulorum non tolli ex diligentiis factis ad instantiam prouisi Apostolici in registris publicis supplicationum, & Bullarum Apostolicarum per eorum Custodes attestantes per totum Pontificatum Leonis X. non reperiri aliquam aliam concessionem, seu priuilegium concernens istud Monasterium, seu Abbatiam Sancti Antonij, nisi prædictum priuilegium Leonis anni 1513. & illius confirmationem de anno 1514. Quia licet vera sit conclusio, quòd negatiua alterius tituli probatur per diligentias factas in registris, quibus consueuerunt prouisiones huiusmodi registrari. Corn. 191. *n.*2. *lib.*1. Mohed. *decis.*4. *de caus. possess. & propriet.* Caputaq. *decis.*45. *ad fin. & decis.*192. *num.*3. *part.*3. Cassad. *super reg. decis.*5. *num.*5. *& decis.*8. *num.*2. Crescent. *decis.*7. *de probat.* San. mem. Greg. XV. *decis.*287. *num.*1. vbi Addent. *num.*10. & ita fuit resolutum in Romana *Præpositura* 6. Iunij 1633. confirmata 17. Martij 1634. coram R.P.D. Pirouano, in quibus firmatur, quod iste modus probandi negatiuam per diligentias quotidie seruetur, & huiusmodi diligentiis factis, & nihil reperto, excluditur præsumptio alterius tituli, ita vt non possit induci ex quacumque temporis diuturnitate. Felin. *in cap. illud sub num.*7. *ad fin. vers. & idem si fortè probaretur de præs.* Caputaq. *decis.*335. *in manuscript.* San. mem. Gregorij XV. *decis.*242. *num.*6. Nihilominus ad hoc, vt huiusmodi diligentiæ suffragentur, & ad effectum vt per eas probetur negatiua, debent fieri in omnibus scripturis, officiis, & locis, vbi expeditio fieri potuit, præsertim cum multis modis expediri potuerit, vt notum est. Corn. *consf.*210. *circa fin. vol.*4. Crauet. *consf.*111. *num.*7. Ruin. *consf.*35. *num.*19. *lib.*1. Rota *decis.*636. *num.*2. *&* 3. *part.*1. *diuers.* 356. *num.*3. *inter impress. penes Farinac. post* 2. *lib. consf. & decis.*333. *num.*4. *part.*2. *recent.* Et vt diligentiæ suffragentur, quod seruari debeat, tradunt Addent. *ad decis.*287. Sanctæ mem. Greg. XV. & signanter debet constare de existentia librorum, illorumque continuatione, & quod in eis nulla deficiant folia, maximè vbi prout hic excentenaria supra relata est probatum priuilegium coæqualis dotationis, & propterea cum ob temporis antiquitatem varios casus, & propter Vrbis excidium quod contigit de anno 1527 multæ scripturæ confectæ ante dictum annum sint deperditæ, diligentiæ ex post non possunt probare negatiuam, quæ suffragetur, cum gratia fuerit habita ante dictum annum 1527. vt fuit consideratum in Albanen. *Prioratus* 17. Nouemb. 1603. coram bon. mem. Penia, & in hac causa 2. Decemb 1633. in decisione in secunda instantia facta, & in fortioribus terminis, quando defuit vnus liber, vel aliqua folia, quod diligentiæ non suffragentur, cum potuerit gratia esse descripta vel in libro deperdito, vel in foliis ab altero libro extractis, dixit Rot. in Hispalen. *Iurisdictionis seu iuris votandi* 26. Iunij 1591. coram Orano. Vlterius apparet diligentias non fuisse factas in Archiuio Cameræ Apostolicæ, vt attestatur Præfectus, & tamen in eo asseruantur Breuiaria Apostolica, nec in registro secreto Bullarum, & in registris, in quibus fuerunt factæ diligentiæ, iidem Officiales, qui fecerunt diligentias, testantur in libro duodecimo anni Leonis X. deesse 140. folia, & pariter in rubricellis deesse folia 140. folia, & pariter in rubricellis deesse folia 140. & quod libri constant foliis 300. vnde benè intrat supradicta decisio Orani, cum sufficiat aliquid esse possibile, vt probatio negatiua non existentiæ non concludat. Quinimò, cum ex attestatione Archiuistæ pareat in Archiuio non extare rubricellas Breuium Apostolicorum tempore Pontificatus Leonis X. ac etiam probetur in libro anni 1513 & 1514. Bullarum expeditarum per registrum Secretariorum Apostolicorum deficere multa folia, & deesse tertiam partem libri, nec extare rubricellam, frustratoria erat in illis locis diligentia. Non obstet defectum in registro supplicationum non releuare, dum non est in Registro Bullarum, cum non detur communiter clausula, quod sola Signatura sufficiat; quia in contrarium facit decisio San. mem. Greg. XV. 261. *& d. decis.* Hispalen. coram Orano, nam sufficit, quod probatio negatiuæ non concludat per necesse, dum possibile est in contrarium iuribus vulgaris, immo probatio omnino confunditur ex eo quod in dictis Registris, & rubricellis, in quibus diligentiæ factæ fuerunt, nec supplicatio dicti priuilegij Leonis X. anni 1513. ex dotis augumento, cuius existentia est indubitata, fuerit reperta, nam eodem modo diperdita, vel non registrata, quoque esse potest supplicatio

concessionis

conceſſionis ex coæquali dotatione, maximè quia de illo tempore non omnes gratiæ regiſtrabantur, nec in Regiſtris ſupplicationum, nec in Regiſtris Bullarum, & Breuium, & multæ expediebantur derogatione regulæ de non regiſtrandis, ac etiam de nõ expediendis, vt practici teſtantur. Vnde ſicut illa ſupplicatio ob augumentum tertiæ partis non fuit regiſtrata, vel ſi fuit regiſtrata, regiſtrum fuit deperditum, ita potuit eſſe deperditum, vel non regiſtratum priuilegium ratione coæqualis dotationis, de quo agitur. Hæc hucuſque S. Rota, ſatis vtilia, vt dixi, Regularibus, qui plura habent priuilegia, quæ tamen non reperiuntur in Papæ Regiſtris, non enim propterea infirmari debent, ſi aliàs ipſorum tranſumpta authenticè conſtant.

186. His addendum quòd cùm ſæpius contingat huiuſmodi tranſumpta priuilegium produci ex Archiuiis Monaſteriorum, & talia Archiuia pro publicis habeantur, ideò fidem, & vim probationis tribuunt dictis priuilegiis. Rota in vna Sorana *Beneficij* coram Merlino 8. Martij 1627. iuxta auth. *ad hæc C. de fid. inſtrum.* cum plenè notatis per Felin. *in cap. ad audientiam, de præſcript.* Ioan. Andr. *ad ſpeculum* §. *nunc videndum verſ. quintum ſupplementum. de edit. inſtr.* Soc. Sen. *conſ.* 253. *num.* 6. *l.* 2. Crauett. *conſ.* 159. *num.* 1. Rot. *deciſ.* 581. *num.* 3. *p.* 2. *recent.* Si enim ſcripturæ extractæ ex Archiuio Epiſcopali dicuntur extractæ ex Archiuio publico, & plenè probant. *cap.* 2. *de fide inſtrum.* & ibi Card. & Hoſtien. Franſcicus Marc. *deciſ.* 439. *num.* 2. 3. & 4. *p.* 1. Aluarez *inter conſ. Alberti Brun. con.* 12. *n.* 3. Moder. Patauin. *de priuat. ſcript. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 33. Rota relata coram Merlino, cur non idem de priuilegiis extractis ex Archiuiis Monaſteriorum dici poterit; Adde, quòd libris cenſualibus Monaſteriorum, ſeu Eccleſiarum fides adhibetur contra Cenſuarios, & Emphyteutas in eis deſcriptos, vt ex *l. cenſus, & monument. ff. de probat auth. ad hæc C. de fid. inſtrum.* firmant Felinus *in* 5. *comment. de præſcript.* Romanus *conſ.* 127. *col.* 2. Baldus *in l. fin. C. ſine cenſu.* Thuſcus *littera L. concl.* 345. Quintana-Dueñas *in ſingul. Tract.* 2. *ſingul.* 12. *num.* 5. & alij.

187. Addendum quoque, in ſcripturis antiquis non requiritur recognitio, nec ipſa egent. Puteus *deciſ.* 350. *num.* 6. *lib.* 2. & *deciſ.* 151. *lib.* 1. item Rota in Feſulana *Prioratus* coram Pamphilio nunc Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio X. 17. Nouembris 1615. vbi dicitur ſæpiſſime id fuiſſe deciſum. Notatur etiam Bart. *in l.* 2. *num.* 25. *verſ. num teſtis ff. de appell. recept.* per Caputaq. *deciſ.* 206. *num.* 6. & *deciſ.* 208. *num.* 8. *p.* 2. Quæ valde deſeruiunt pro antiquis priuilegiis Religionum.

188. Pro ſigillo autem, de quo in hoc, & aliis priuilegiis fit mentio, ad authenticationem conſulendus Rebuffus *in l.* 39. *de verbor. ſignificat.* & Quintana Duennas *de Iubilæo Tract.* 3. *dub. vlt.* Nobis enim ſufficiat dicere Sigilli nomine in præſenti venire ſignum continens arma, vel ſtemmata alicuius, quod imprimitur alicui ſcripturæ ad ipſam authorizandam *l. videamus* §. *qui vnum. l. cuius ff. de pignor. act.* 12. *q.* 2. *cap. cum Redemptor.* Quid autem intelligatur in hoc, & ſimilibus priuilegiis nomine *Notarij publici*, de quo in illis eſt ſermo, dicam inferius in Mari magno Seruitarum *circa* §. 71.

***

De aliquibus viuæ vocis oraculis conceſſis Ordini Prædicatorum.

Libet in calcere huius Maris magni Ordinis Prædicatorum adiungere aliqua viuæ vocis oracula à Sede Apoſtolica ipſis conceſſa. De quorum tamen validitate, ſeu valore; vel an potius reuocata ſint per ſummos Pontifices ſucceſſores, ſeu per generales reuocationes ſimiliũ viuæ vocis oraculorum factas per Gregorium XV. & Vrbanũ VIII. iudicandum eſt ex dictis *tract.* 1. *c.* 3. *num.* 21. ac maximè *tract.* 4. *verbo oracula viuæ vocis* per totum; & aliis locis meæ ſummæ, vbi de materia harum conceſſionum ſcripſi.

Primum viuæ vocis oraculum Innoc. VIII.

Petrus miſeratione Diuina Sanctorum Coſmi, & Damiani Romanæ Eccleſię Diaconus Cardinalis de Fox nuncupatus, Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutẽ in Domino ſempiternã. Ratio exigit, & æquitas perſuadet, vt teſtimoniũ veritati perhiberi valeat. Igitur notum facimus per præſentes, quod nuper, ſanctiſſimus in Chriſto pater, & Dominus noſter, Dominus Innocentius, Diuina prouidentia Papa octauus, conſolatione noſtra, ac volens Vicario generali, & ſingulis Prioribus, ac fratribus vniuerſarum domorum, Ordinis Prædicatorum, de obſeruantia reformatorum nuncupatorum Congregationis Prouinciæ Hiſpaniæ præſentibus, & futuris, & perpetuò, ſcrupulum conſcientiarum ipſorum, auferre, viuæ vocis oraculo nobis facto, motu proprio, & certa ſcientia diſpenſauit cum dictis Fratribus, ſuper poſſeſſionibus, & redditibus habendis, aliàs iuxta formam Bullæ *Mare magnum* nuncupatæ, auferendo maledictionem Sancti Dominici, & non obſtantibus conſtitutionibus dicti Ordinis prohibentibus, ne Fratres eiuſdem ordinis habere poſſeſſiones poſſent. Item quoniam, cum in partibus Hiſpaniæ pro maiori parte medici Iudæi exiſtant, nec facile poſſint in aliquibus locis reperiri medici Chriſtiani, idem Dominus noſter concedit licentias eiſdem Fratribus præſentibus, & futuris, etſi magnam neceſſitatem non habeant, cum Iudæis ſe medicandi, non obſtantibus quibuſcumque prohibitionibus, & cenſuris Eccleſiaſticis in genere, vel in ſpecie ſuper hoc edictis. Item conceſſit quod Fratres dictæ Congregationis in conuentibus ſuis, & aliis locis, vbi eis concelebrare contingat, per horam ante diem, & horam poſt meridiem, præſertim quando prędicatur in conuentibus, vel ſunt ſolemnia officia, miſſam celebrare poſſint. Et quia non modicum periculum imminet animarum Fratrum dictę Congregationis ſi iidem Fratres gauderent perpetuò confeſſionali in Bulla Cruciatæ contra Saracenos Regni Granatæ contento, Idem Dominus noſter declarauit Fratres dictæ Congregationis non poſſe gaudere cõfeſſionali prædicto, ne detur Fratribus occaſio peccandi, & ab obedientia ſe ſubtrahendi, præſertim cum tempore felicis recordationis Sixti Papæ IV. cùm ſimilis gratia prædicaretur in Italia in ſimili caſu fuerit declaratum per eundem Sixtum. Item quia nonnulla dubia occurrunt Fratribus, & occurere poſſunt ſuper gratiis, & priuilegiis tã Ordini, quàm Congregationi prædictis. Idem Dominus noſter pro ſecuritate conſcientiarum ipſorum Fratrum concedit faculta

cultatem Vicario generali dictæ Congregationis pro tempore existenti cum aliqua persona in dignitate Ecclesiastica constituta, & duobus aliis Iurisconsultis, interpretandi huiusmodi dubia,& quod fratres dictæ Congregationis secure possint state declarationibus per eosdem faciendis. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præsentes patentes literas per infrascriptum Notarium nostrum fieri mandauimus, & nomine nostro subscripsimus, nostrique magni sigilli iussimus, & fecimus appensione communiri. Datum Romæ in domibus nostræ habitationis, & solitæ residentiæ sub anno à natiuitate Domini millesimo quadringētesimo septuagesimo nono, indictione septima, die verò vltima mensis februarij, Pontificatus eiusdem sanctissimi Domini nostri Innocentij VIII. anno 5. P. Cardinalis de Fox Habetur hoc viuæ vocis oraculum in Bullario Rodriguez inter Bullas Innocentij VIII. in fine.

Alia Pauli IV.

POntifex iste concessit Fratri Dominico de S. Thoma, Ordinis Prædicatorum Prouinciali Prouinciæ del Peru, sequentia. Primò omnia, & singula priuilegia eisdem fratribus Prouinciæ Sanctæ Crucis Hispaniolæ, S. Iacobi in noua Hispania, S. Vincentij de Chiapa, Sancti Ioannis Baptistæ del Peru, ac sancti Antonij noui Regni Granatensis, omnibusque aliis Prouinciis, Insulis, & locis maris Oceani per quoscunque summos Pontifices eius Prædecessores quomodolibet concessa, & confirmata. Et præsertim quod possint omnia sacramenta fidelibus nouiter conuersis ministrare auctoritate Apostolica de nouo roborauit, concessit, & confirmauit, non obstantibus, & cætera. Datis Romæ die septimo Iunij, anno 1557. Secundò præcipit Paulus quartus quod dies festi ex antiquissimis ritibus in Indiis, partim in honorem Solis, partim idolorum suorum multifariè celebrari, in honorem veri Solis Christi, illius Genitricis, & sanctorum suorum commutentur. Tertiò concessit idem Paulus quartus prædicto Fratri Dominico de sancto Thoma, vt quoscunque aduenientes, cuiuscunque status, gradus, ordinis, præeminentiæ in præfatis Indiarum partibus inuentarum, & inueniendarum, à quibuscunque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, & causa latis, si quibus quomodolibet innodati extiterint, nec non à quibusuis eorum peccatis, criminibus, & excessibus, ac delictis, quantumcunque grauibus, & enormibus: de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, etiam si talia sint propter quæ sedes Apostolica merito foret consulenda, & de reseruatis etiam sub Bulla Cœnæ Domini contentis, & eis pro commissis pœnitentiam iniungere. Ac super quacunque irregularitate, quauis causa, vel occasione contracta cum quibusuis personis in foro conscientiæ tantum absoluere, ac dispensare: vota verò quæcunque, vltramarino, visitationis liminum Apostolorum, Beatorum Petri, & Pauli de Vrbe (castitatis, & Religionis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare ac dispensare super tertio, & vlterioribus gradibus occultis, ac etiam in impedimento publicæ honestatis. Hoc totum habetur apud Rodriguez in Bullario, in Pio IV. ad finem.

Aliud Iulij II.

FRatres, & Sorores Ordinis Prædicatorum visitantes quinque altaria, vel vnum quinquies, & dicendo quinque psalmos pro pace Ecclesiæ, vel quinq; *Pater noster*, consequuntur Indulgentias Vrbis Romæ ex concessione Iulij II. vt constat ex literis Cardinalis Oliuerij, quæ sic habent. Oliuerius miseratione diuina Episcopus Hostiē. S. R.E. Cardinalis Neapolitanus, & sacri Ordinis Prædicatorum protector, Reuerendo in Christo Patri Fratri Vincentio Bandello sacræ Theologiæ professori, ac dicti Ordinis Magistro Generali salutem in Domino sempiternam. Hodie supplicauimus sancto Domino nostro Iulio, diuina prouidentia Papæ II. Et suà sanctitas viuæ vocis oraculo gratiosè concessit, vt Fratres, & Sorores Ordinis vestri, visitando quinque altaria Ecclesiæ apud quam moram trahunt, vel quinquies vnum altare, ac quinque psalmos pro pace Ecclesiæ, vel quinque pater noster, Indulgentias stationum Vrbis Romæ, consequantur, quam rem in præsentiarum his literis Paternitati vestræ significamus. Datum Romæ in domibus solitæ nostræ residentiæ, die 14. mensis Nouembris anno Domini 1505. Hanc concessionem prædictus Pater Vincentius Badello de Castro nouo, Magister Ordinis transmisit, ad omnes Prouincias anno 1505. die 15. Nouembris ex conuentu S. Mariæ super Mineruam, in literisq; apud Dominicanos vulgariter parētes dicuntur. Ita Rodriquez in Bullario, in fine Bullarum Iulij II.

IN MARE MAGNVM FF. MINORVM.

SVMMARIVM.

Clemens Papa Quartus ponit formam electionis, & confirmationis Ministri Generalis. num. 1.

Determinat quod tempus electionis à Iure statutum non currat; nec Electores regulis iuris cōarctentur. num. 2.

Quod Custodes, & Guardiani curam habeant animarum. num. 3.

Concedit quod Lectores possint legere in domibus nostris. num. 4.

Concedit quod Ministri possint Fratres ad officium Prædicationis in Capitulis promouere. num. 5.

Concedit quod Ministri possint Fratres ordinandos quibuscumque Episcopis præsentare. num 6.

Quod possint Fratres habere Oratoria in locis, &c. &c, & ibidem celebrare. num. 7.

Quod tempore Interdicti liceat Fratribus Diuina celebrare. num. 8.

Quod tempore Interdicti liceat Fratribus ministrastrare Sacramenta suis seruitoribus. num. 9.

In locis in quibus Fratres resident, si contingat excommunicationis, vel Interdicti sententiam promulgari pueri Fratrum minime obnoxij habeantur. num. 10.

Quod in terris excommunicatorum liberè possint Fratres commorari, & ab eis necessaria recipere. num. 11.

Quod Ministri, & custodes valeant absoluere suos subditos, & dispensationis beneficium eisdem impartiri. num. 12.

Quod Generales, & Prouinciales, ac eorum Commissarij

missarij possint absoluere volentes aggregari consortio Fratrum. num. 13.
Quod non possint Fratres à quocumque conueniri etiam per litteras Apostolicæ Sedis aut Legatorum, nec compelli ad pecuniam colligendam, & ad plura alia. num. 15.
Quod non possint compelli ad vitandum Monasteria Monialium, nec ad audiendas confessiones earum. num. 16.
Quod nullus Prælatus ad deferendas litteras, nec aliquis ad faciendum citationes, & plura alia quemquam compellere valeant. num. 17.
Quod Generales, & Prouinciales possint corrigere, & reuocare Fratres, de quibus fuerit prouisum Episcopis in socios. num. 18.
Quod nullus Legatus nisi de latere, nullusque Prælatus alius aliquem Fratrem assumere valeat in socium, nisi assignatum à Generali, & Prouincli. num. 19.
Quod Generalis possit deputatos Fratres ad prædicandum Crucem, vel contra hæreticam prauitatem reuocare. num. 20.
Quod nullus post professionem possit discedere ab Ordine, & quod excommunicari possint tales. num. 21.
Quod licitum sit Generali, & Prouincialibus procedere contra Fratres habentes licentiam transeundi ad aliam Religionem, si infra tres menses ad eam non se transferunt. num. 22.
Quod Prælati possint excommunicare, & capere apostatas, in quocumque habitu inueniantur. 23.
Quod expulsi ab Ordine, vel egressi proprio motu, non possint prædicare, neque confessiones audire. num. 24.
Quod Generalis, & Prouinciales possint dare licentiam Fratribus ab Ordine expulsis transeundi ad alios Ordines approbatos. num. 25.
Quod nullus possit transire ad alium Ordinem, nec transeuntem recipere absque speciali Sedis Apostolicæ auctoritate. num. 26.
Quod nulli liceat habitum Ordinis portare. num. 7.
Quod de hortis, & virgultis nulli teneantur decimam exhibere. num. 28.
Quod bona ingredientium Ordinis restituenda, possint in vsus pios conuertere non inuentis creditoribus. num. 29.
Concedit Fratribus licentiam sepeliendi quoscumque, & plura circa hoc. num. 30.
Quod nullus, inuitis Fratribus, possit sepeliri in eorum cœmeteriis. num. 31.
Quod Fratres non confiteantur, nisi suis Prælatis. num. 32.
Quod Prælati Ecclesiarum non præsumant audire confessiones Fratrum ipsis inuitis, & constitutionibus suis eos obligare. num. 33.
Quod Fratres non teneantur de ornamentis, & pluribus aliis exhibere canonicam portionem. num. 34.
Quod licet Fratribus ad alia loca se transferentibus omnia bona secum deferre, & vendere præter Ecclesias, & plura alia. num. 35.
Quod non teneantur Fratres ad solutionem subsidiorum quarumcumque personarum. num. 36.
Quod non teneantur Fratres pro quibuscunque casibus vel delictis locorum Ordinariis subiacere. n. 37.
Approbat priuilegia, & gratias Ordini concessa à suis prædecessoribus. num. 38.
Extendit particulam de Altari portatili ad alia loca honesta extra Oratoria Fratrum. num. 39.
Determinat casus propter quos Fratres ad Sedem Apostolicam sunt merito destinandi. num. 40.
Declarat libertatem Fratrum circa sepulturam in Ecclesiis suis. num. 41.
Fratres omnino eximit à quarta funerali. num. 42.
De Decimis non soluendis à Fratribus Minoribus declarat etiamsi omnes Mendicantes teneantur soluere. num. 43.
Quod Fratres, & domus non possunt excommunicari, nec interdici ab Ordinariis. num. 44.
Quod possint Fratres Sacramentum Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis sibi confessis ministrare, negantibus Parochialibus. num. 45.
Quod bona Monasteriorum Monialibus destitutorum applicentur vsibus Conuentuum Fratrum Minorum. num. 46.
Quod nullus cum habitu Fratrum possit extra Ecclesias eorum sine ipsorum licentia sepeliri. num. 47.
Quod ratione Parochialis Ecclesiæ apud domus Fratrum constructæ, nullam superioritatem sibi super eos vendicent Ordinarij. num. 48.
Quod Ministri, & Vicarij possint dispensare irregularibus, & defectum natalium patientibus. n. 49.
Quod confessi Fratribus non teneantur iterum suis Curatis eadem peccata confiteri. num. 50.
Quod Fratres Prædicatores gaudeant eisdem priuilegiis, quibus Minores, & è contra. num. 51.
Pœnæ quæ ponuntur Prælatis, & aliis turbantibus, seu molestantibus Fratres. num. 52.
Concedit Conseruatores Fratribus ad procedendum in causis suis. num. 53.
Ponuntur non obstantiæ. num. 54.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Regimini vniuersalis Ecclesiæ meritis licet insufficientibus disponente Domino præsidentes: curis peturgemur assiduis, vt iuxta creditæ Nobis desuper dispensationis officium quieti subditorum quorumlibet (præsertim sub religionis habitu studio vacantium piæ vitæ, in quorum vtique prosperitate reficimur) iugi, quantum Nobis ab alio conceditur, solitudinis studio intendamus, & vt ea, quæ pro diuini cultus, & Religionis incremento, & animarum salute à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus prouidè facta sunt, oblatis ambiguitatibus, quæ exinde emersæ noscuntur, in sua integritate persistant, nostri ministerij partes interponimus efficaces. Dudum siquidem à felicis recordationis Eugenio Papa IV. prædecessore nostro litteræ emanarunt tenoris sequẽtis: Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Licet debitum pastoralis officij omnibus Regularem vitam professis, vt in suis conseruentur priuilegiis nos reddat fauorabiles, & benignos: ad sacrum tamen Ordinem Fratrum Minorum, quorum præclara Religio velut ager fertilis in Domino multiplices ac vberes fructus animarum ad laudem Dei, & fidei incrementum semper attulit, & affert quotidie verbo, & exemplo in populo Christiano dirigentes, præcipuè velut pius pater oculos mentis nostræ dignum censemus, & debitum, vt ipsum Ordinem, eiusque in odorem suauitatis Altissimo seruientes personas in suis priuilegiis, præsertim per Romanos Pontifices concessis, debitè conseruemus, ac illa, ne de eorum robore vllatenus hæsitari valeat, Apostolicæ confirmationis munimine roboremus. Hinc est, quod nos dilectorum filiorum Guillelmi de Cassali Generalis Ministri Ordinis, & Fratrum prædictorum supplicationibus inclinari litteras quasdam felicis recordationis Clementis Papæ IV. prædecessoris nostri dicto Ordini concessas, quarum tenorem de verbo ad verbum inferius describi fecimus, ac omnia

omnia & singula in eis contenta pro ipsarum subsistentia firmiori authoritate Apostolica ex certa scientia tenore præsentium confirmamus: & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor verò prædictarum litterarum sequitur, & est talis: Clemens Episcopus seruus seruorum Dei Dilectis filiis Generali, & Prouincialibus Ministris ac vniuersis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum salutem, & Apostolicam benedictionem. Virture conspicuos Sacri Ordinis professores, qui contemplationi cœlestium frequenter inuigilant, & præ vitæ studio sine intermissione desudant, decet per Apostolicæ circumspectionis auxilium sic prouidè confoueri, vt alicuius prætextu calumniæ nullum internæ pacis excidium, nullumque Religiosi status perferant detrimentum, sed in his robur, & vigorem habeant, per quæ circa cultum diuini nominis deuotis, & quietis mentibus inualescant. Hinc est quod cum sicut Nobis exponere curauistis tu fili Generalis Minister, & prædecessores tui iuxta eiusdem Ordinis consuetudinem conseruatam hactenus, & à Sede Apostolica toleratam, statim postquam electi secundum prædicti Regulam, & Constitutiones Ordinis extitistis, Fratrum ipsius curam gesseritis, ministerium officij plenè, & liberè in omnibus exercentes, iidemque Fratres vobis deuotè, & humiliter obediuerint reuerenter, & in eadem Regula sit expressum, vt Generalis Minister, qui pro tempore fuerit, à ministerij officio amoueri valeat à Prouincialibus ministris, & custodibus in generali Capitulo congre-
1. gatis. Nos volentes ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, ac Ordinem ipsum à Sede approbatum eadem, honestate floridum, præclarum scientia, & virtute fœcundum priuilegio Apostolicæ gratiæ attollere singulari. Vestris supplicationibus inclinati, deuotioni vestræ, vt successores tui filij Generales ministri, qui erunt pro tempore, statim postquam electi secundum Regulam, & Constitutiones fuerint supradictas, eo ipso veri eiusdem Ordinis Generales Ministri effecti curam animarum Fratrum ipsius Ordinis plenam habeant, & liberè gerant, ipsosque Fratres authoritate propria ligare, ac soluere: nec non in eodem Ordine agere valeant, quæ ipsi Ministri, & Diffinitores ad hoc electi, iuxta prædictas Constitiones eidem Ordini, & Fratribus secundum Deum viderint expedire, aliásque possint officium ministerij licitè in omnibus exercere. Iidemque Fratres tibi Generali Ministro, & successoribus ipsis deuotè, & humiliter obediant, & intendant. Et præfati successores, & tu Generalis Minister à Prouincialibus Ministris, & custodibus secundum Regulam, & constitutiones ipsius absolui, & amoueri possitis authoritate Apostolica indulgemus ratum habentes, & firmum quidquid super præmissis per te Generalis Minister, dictosque prædecessores Fratres, & diffinitores factum, & obseruatum est hactenus, concessa tibi exequendi officium Ministerij, quoad præmissa omnia, & alia libera facultate. In electione quoque Generalis, & Prouincialium Mini-
2. strorum ipsius Ordinis, Fratres, qui debent electionem huiusmodi celebrare: cum eos frequenter de remotis partibus oporteat conuenire: tempus super hoc à Iure statutum non curat, necipsi
3. in hac parte Iuris huiusmodi Regulis coarctentur. Custodes verò, & Guardiani, qui secundum statuta eiusdem Ordinis aliter quam per electionem instituuntur, post ipsam institutionem seu prouisionem de ipsis factam, curam animarum Fratrum sibi subditorum ipsius Ordinis habeant, ipsosque ligare, & absoluere possint, iuxta ipsius Ordinis instituta. Fratres verò de Ordine vestro, 4.
quos secundum Constitutiones ipsius Ordinis Conuentibus vestris deputandos duxeritis in Lectores sine cuiuscumque alterius licentia liberè in domibus prædicti Ordinis legere ac docere valeant in Theologica facultate, illis locis exceptis, in quibu viget studium generales, ac etiam quibus in facultate ipsa docturus solemniter incipere consueuit. Et quia prohibente Regula vestra nulli 5.
Fratrum vestrorum est licitum populo prædicare, nisi à Generali Ministro vestri Ordinis examinatus, & approbatus fuerit, & sibi officium prædicationis ab ipso fuerit concessum, Nos prædictorum Fratrum laboribus, & periculosis discursibus euitandis: nec non vt animarum saluti possit inde facilius prouenire super prohibitione huiusmodi, opportunæ prouisionis remedium apponentes: vt singuli Prouinciales Ministri in suis Prouinciis cum Diffinitoribus in Prouinciali Capitulo congregatis Fratres in sacra pagina eruditos examinare, & approbare, & eis officium prædicationis Deum habendo præ oculis committere valeant (sicut ex forma Regulæ Minister poterat Generalis) plenam authoritate præsentium concedimus facultatem. Et quia eiusdem Ordinis Fratres de lo- 6.
cis ad loca ipsius Ordinis sæpius transmittuntur, propter quod stabilem, & perpetuam in certis, & determinatis eiusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem, quia etiam bonos, & idoneos, ac probatos à vobis Fratres facitis ad Ordines promoueri, liceat vobis ordinandos Fratres eiusdem Ordinis quibuscumque malueritis Catholicis Pontificibus communionem, & gratiam Apostolicæ Sedis habentibus præsentare. Ipsisque Pon- 7.
tificibus præsentatos à vobis Fratres sine qualibet examinatione per eosdem Pontifices facienda, & absque omni prouisione vel obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum ad Ordines promouere. In locis quoque in quibus degitis, liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum altari portatili possitis Missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare ac etiam Ecclsiastica recipere Sacramenta. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, in 8.
Ecclesiis, & Oratoriis vestris, ac aliis quibuscumque, cum ad loca perueniritis Ecclesiastico supposita interdicto, clausis ianuis, interdictis, & excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce vobis liceat celebrare diuina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta, dummodo causam non dederitis interdicti, nec contingat id vobis specialiter interdici, nisi Ecclesiæ, & Oratoria eadem fuerint specialiter interdicta. His verò, qui 9.
in vestris immorantur obsequiis, cuncta liberè ministrare possitis Ecclesiastica Sacramenta, & ipsos cũ decedant, in vestris cœmeteriis sepelire. Si quan- 10.
do terras, in quibus residetis, vel earum personas excommunicationis seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri vestris seruitiis deputati, negotuorumque vestrorum procuratores, & operarij qui in vestris locis eorum operibus personaliter continuò extiterint, huiusmodi sententiis minimè obnoxij habeantur, ibique possint audire diuina iuxta formam, quæ in ipsis locis in eo casu à Sede Apostolica est concessa: nisi iidem causam dederint, vel excommunicari specialiter, seu interdici contigerit eosdem. Et quia vos extre- 11.
mam patientes pro Christi nomine paupertatem exhortationis pio studio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter reuocatis,

reuocatis, concedimus, vt in excommunicatorum terris liberè commorari, & ab eis tunc etiam quando per ipsas vos transire contigerit, necessaria vitæ deposcere, ac recipere valeatis.
12. Generalis quoque, & singuli Prouinciarum Ministri, & eorum Vicarij etiam Custodes in Prouinciis, & Custodiis sibi commissis prædictis Fratribus constitutis ibidem, nec non Fratribus aliis eiusdem Ordinis interdum ad eos declinantibus vndecumque absolutione, & dispensatione indigentibus: siue priusquam intrauerint Ordinem, siue post, in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti aut suspensionis incurrant sententias à Iure, vel à Iudice generaliter promulgatas, & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto diuina officia celebrantes, vel suscipientes Ordines sic ligati notam irregularitatis incurrerint, absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impartiri, nisi adeo fuerit grauis, & enormis excessibus, quod sint ad eandem Sedem merito destinandi.
13. Fratres etiam vestri, quos pro tempore vos Generalis, & Prouinciales Ministri, nec non vices vestras gerentes, ac etiam Custodes in proprios habueritis Confessores, absolutionis, & dispensationis beneficium vobis, cum expedierit, valeant impartiri iuxta formam confessionis super absolutione, & dispensatione Fratrum eiusdem Ordinis superius vobis facta.
14. Ad hæc volentibus vestro aggregari Collegio, qui suspensionis aut interdicti, vel excommunicationis sententiis à Iure vel ab homine promulgatis generaliter sunt ligati, absolutionis beneficium obseruata forma canonica impartiri, ipsosque in Fratres recipere, ac eos qui post assumptum habitu m vel professionem emissam recoluerint se talibus in sæculo fuisse sententiis innodatos: secundum formam ipsam vos Generales, & Prouiciales ministri, & præfati Custodes, ac vices vestras gerentes valeatis absoluere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis diuina præsumpserint officia celebrare, vel Ordines receperint, ita tamen quod si aliqui ex huiusmodi sententiis eisdem propter debitum sint astricti: satisfaciant vt tenentur. Volumus autem nihilominus, quod postquam fuerint absoluti, huiusmodi volentes aggregari Collegio supradicto, nisi mox Ordinem intrauerint (etiamsi super hoc induciæ eis à Prælatis eiusdem Ordinis concedantur) eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos totaliter absolui contigerit, relabant. Cæterùm vestra discretio cautè prouideat, vt Apostolicæ Sedis, aut Legatorum, & Ordinariorum locorum in absolutionibus huiusmodi scandalum euitetur.
15. Porrò quieti vestræ prouidere volentes, quod per litteras Apostolicæ Sedis, aut legatorum, seu delegatorum ipsius conueniri à quoque minimè valeatis, & quod ad pecuniam colligendam cogi non possitis inuiti per litteras ipsius Sedis de cætero impetrandas, quodque nullus vestrum correctionis aut visitationis vel Inquisitionis officium Monasteriis vel Ecclesiis, seu quibuscumque personis impendere, vel ad cognitiones causarum, citationes partium, & denunciationes sententiarum interdicti, & excommunicationum procedere, aut recipere curam Monialium, seu Religiosorum quarumlibet personarum teneantur per Apostolicas litteras impetratas, & impetrandas in posterum, nisi huiusmodi Apostolicæ litteræ de hoc indulto, & Ordine vestro expressam fecerint mentionem, authoritate vobis Apostolica indulgemus. 16.
Concedimus etiā vt ad visitandum aliqua Monasteria Monialium cuiuscumque Ordinis, vel ad audiendum confessiones earum compelli aliquatenus non possitis; neque ad recipiendum cōmissiones causarum, seu sententiarum executiones, vel alia contingentia causas ipsas per litteras præfatæ Sedis, in quibus non facta fuerit de indulgentia huiusmodi mentio specialis siue per legatos, seu delegatos ipsius, vel etiam per quoscumque.
17. Nullus insuper Archiepiscopus, vel Episcopus, nullusque alius Prælatus Ecclesiasticus, nec eorum Vicarij, vel officiales ad portandum seu deferendum litteras, vel exequendum, vel denunciandum sententias contra Principes sæculares, communitates, populos, seu quoscumque benefactores vestros, nulliusque delegatus, vel ordinarius iudex ad faciendum citationes, vel commissiones recipiendas, siue quod sint in causis aliquibus assessores, seu ad alias lites, aut controuersias contingentia in causis, quæ coram ipsis tractantur, quempiam vestrum compellere valeant sine prædictæ Sedis mandato, vel licentia speciali expressam faciente de hac indulgentia mentionem, ne quispiam vestrum parere, vel intendere teneatur super his monitionibus, mandatis, aut iussionibus eorundem, aut facere, vel implere, quod in hac parte duxerint iniungendum.
18. Cæterùm Generalis, & Prouinciales ministri, & ipsorum Vicarij, illos ex Fratribus, de quibus authoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel legatorum ipsius, Archiepiscopis, & Episcopis, ac aliis quibuscumque prouisum extitit, vel in posterum contigerit prouideri, corrigere, ac etiam non obstante contradictione aliqua possint ad suum Ordinem reuocare, nec per litteras eiusdem Sedis, aut legatorum ipsius iam obtentas vel de cætero obtinendas, aliquos de Fratribus ipsius Ordinis præfatis Archiepiscopis, & Episcopis; aut aliis teneantur in socios deputare, nisi dictæ litteræ obtinendæ de indulto huiusmodi, de Ordine ipso expressam fecerint mentionem, & alias id honestati Ordinis, & eorum saluti viderint expedire.
19. Nullus autem Legatus nisi de latere nostro missus authoritate litterarum Sedis Apostolicæ specialem de hoc indulto, & Ordine vestro non facientium mentionem, nullusque Prælatus, vel aliqua persona Religiosa, vel sæcularis de huiusmodi Fratribus ad sua vel alterius negotia procuranda, vel secum manendum aliquos assumere valeat, nisi quos Generalis, vel Prouincialis Minister ipsorum tanquam idoneos, & discretos, sibi duxerit assignandos: quos etiam subiacere volumus Ordinis disciplinæ.
20. Illos verò ipsius Ordinis Fratres, qui ad prædicandum Crucem, vel inquirendum contra prauitatem hæreticam, seu ad alia huiusmodi negotia sint, vel fuerint à Sede Apostolica deputati, tu fili Generalis Minister, tuique successores remouere, seu reuocare, & penitus transferre, ipsisque quod supersedeant, iniungere, aliosque substituere, cum expedire videbitis, liberè ac licitè valeatis, & in eos, si cōtrauenerit, censuram Ecclesiasticam exercere, ac quilibet Minister Prouincialis vel eius Vicarius eiusdem Ordinis, id ipsum in sua Prouincia circa Fratres ipsius Ordinis, quibus ab eadem Sede similia contigerit in illa committit, facere possit: non obstantibus aliquibus litteris vel indulgentiis

Apostolicis impetratis, vel etiam in posterum impetrandis, quæ de hoc non fecerint mentionem. Inhibemusque ne quis post professionem in Ordine vestro factam sine Generalis, vel Prouincialis sui licentia discedat ab ipso, discedentem verò absque cautione litterarum alterius ipsorum prætextu alicuius priuilegij Apostolicæ Sedis nullus audeat retinere, quod si forte retinere præsumpserint, vobis Generalis, & Prouinciales Ministri dumtaxat licitum sit in ipsos discedentes Fratres sententiam excommunicationis pro-
22. mulgare. Si verò aliqui de Fratribus vestri Ordinis post obtentam licentiam à Sede Apostolica, aut à vobis ad Religionem aliam transeundi, intra duos vel tres menses se ad illam Religionem suæ saluti congruam non contulerint, & ipsius non susceperint habitum Regularem, licitum sit vobis Generalis, & Prouinciales ministri, ac vices vestras gerentibus contra ipsos tanquam contra alios Ordinis vestri apostatas procedere secundum quod honestati ipsius Ordinis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius Religionis infra tempus probationis nulla professione facta inde præsumpserit resilire.
23. Apostatas quoque vestri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & aliàs subdere disciplinæ rigori possitis, per vos ac etiam alios, in quocumque habitu eos contigerit inueniri: inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæ-
24. cularis. Inhibemus etiam, ne Fratres, quos ab Ordine vestro pro suis culpis per Generalem seu Prouinciales ministros, aut Custodes expelli contigerit, vel qui egressi fuerint proprio motu, prædicare, confessiones audire, seu docere præsumant, nisi ad alium Ordinem, in quo licitè exercentur huiusmodi officia, transierint de vestra, vel dictorum ministrorum licentia speciali, quod fortè ipsi contra huiusmodi inhibitionem nostram aliquid super præmissis temerè attentare præsumpserint, Ministri ac Custodes, atque eorum Vicarij in illos, quos intra fines suarum Prouinciarum, & Custodiarum iuxta consuetudinem Ordinis vestri distractos inuenerint talia præsumentes monitione præmissa authoritate nostra excommunicationis sententiam valeant pro-
25. mulgare. Eiectos autem ab Ordine vestro, vel egressos, qui receptione in eodem Ordine suis culpis exigentibus reddiderint se indignos, & alios Fratres eiusdem Ordinis ex rationabili causa ad quoscumque Ordines approbatos (præterquam ad Beati Augustini, Templariorum, Hospitalariorum, & aliorum Religiosorum arma portantium) ad vitandum occasionem euagandi, Generalis, & Prouinciales ministri cum suis testimonialibus litteris authoritate nostra licentiandi liberam habeant facultatem. Nos enim
26. districtius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter transire: vel aliqui eos recipere, seu retinere præsumant absque licentia speciali Sedis Apostolicæ faciente de hoc plenariam mentio-
27. nem. Inhibemus, vt nullus siue in aliquo Religionis Ordine siue extra constitutus habitum vestrum aut ita consimilem, quod propterea etiam Frater Minor credi possit, deferre liceat absque mandato Sedis Apostolicæ speciali. Et vt dicta inhibitio maiorem consequatur effectum, statuimus vt hi, qui habitum vestrum, vel sibi prædicto modo consimilem deferre præsumpserint, ad deponendum ipsum per Diœcesanos locorum, cum à vobis requisiti fuerint, monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellantur. Cæterùm 28.
cum humilitas vestra sibi de latitudine Orbis terræ nihil præter domos, & hortos cum virgultis præmiorum obtentu cœlestium duxerit reseruandum, nos piè volentes, quod illorum fructus integræ veræ paupertatis vsibus applicentur, vt de dictis hortis, virgultis vestris nulli decimam teneamini exhibere, vobis authoritate præsentium indulgemus: districtius inhibentes, nequis à vobis de præmissis aliquid exigere, vel extorquere præsumat. Quia verò nonnulli ve- 29.
strum, Religionis habitum assumentes diuersis personis, quæ sciri, & inueniri non possunt, interdum aliqua bona restituere tenetur, vobis Ministro, Custodibus, ac prædictis Vicariis concedimus, vt singuli vestrum in locis sibi commissis bona ipsa in pios vsus conuertere valeant, prout secundum Deum viderint expedire. Se- 30.
pulturam quoque in Ecclesiis vestris concedimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepelire deliberauerint (nisi excommunicati aut interdicti, aut etiam publici vsurarij fuerint, nullus obsistat, salua tamen iustitia Ecclesiarum illarum, à quibus corpora mortuorum assumuntur. Districtius inhibemus, vt nul- 31.
li Religiosi vel sæculares vobis inuitis aliquorum corpora defunctorum in vestris cœmeteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris Missarum solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi deferuntur, ibidem exequias celebrare sine vestro assensu, & voluntate præsumant. Inhibemus insuper vniuersis Fratribus vestri. Ordinis, ne aliquis eorum (nisi necessita- 32.
tis vrgentis articulo) aliis quàm Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, vel eiusdem Ordinis Sacerdotibus secundum Regulam, & ipsius Ordinis instituta. Vniuersis autem Ecclesiarum 33.
Prælatis, & aliis iubemus, ne confessiones vestras vobis inuitis audire vel cõpellere vos ad Synodos seu conuocationes suas accedere, vel cum eis extra ciuitates, vel intra processionaliter exire, aut suis constitutionibus subiacere, vel Capitula, scrutinia, & inquisitiones in locis vestris, vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem iuramento firmatam, aut manualem obedientiam à ministris, custodibus, vel Guardianis vestris exigere, aut de ipsorum institutione, vel destitutione, siue de statutis vestri Ordinis se aliquatenus intromittere: seu prohibere, ne ad ciuitates, vel villas, vbi religiosè, & honestè morati possitis, à populis euocati audeatis accedere, ibique pro vestris vsibus construere ædificia seu Ecclesias, oratoria, aut in accedentes Fratres, seu in construentes huiusmodi, vel acceptatores ipsorum excommunicationis sententiam ferre præsumant. Concedimusque 34.
vobis, vt de his, quæ in ornamentis, aut pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo, aut aliis ad perpetuum cultũ diuinum, seu pro pitantiis, aut victu ad sustẽtationem vestram, vel indumentis, nec nõ pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquæ domus vestri Ordinis obligatæ noscuntur, & de domibus, prædiis, & hortis, aliisque locis vobis secundum instituta vestri Ordinis opportunis, aut de his, quæ pro huiusmodi domibus, prædiis, locis, & hortis emendis vobis legantur, (dummodo præmissa non conuertantur in vsus alios, sed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur,

relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac concessione continentur) nulli canonicam iustitiam, aut portionem aliquam teneamini exhibere, & nequi à vobis, vel vltimarum executoribus voluntatum seu decedentium hæredibus de præmissis aliquid erigere, vel extórquere præsumant,
35. districtius inhibemus. Adhæc, liceat Fratribus vestri Ordinis cum de prioribus locis suis ad alia loca se transferunt, tam ædificia, quam omnem ædificiorum materiam locorum, quæ dimittunt (dedicatis Ecclesiis dumtaxat exceptis) quam libros, calices, paramenta secum ad alia loca transferre, ac ædificia ipsa cum solo, & aliis ad eadem loca pertinentia (præter Ecclesias) per personas ad hoc à Sede Apostolica deputatas vendere, ipsorumque pretium in aliorum locorum, ad quæ dicti Fratres se transferunt ædificationem, seu alias in illorum vtilitatem conuertere, secundum quod eis melius videbitur expedire: cum ipsa, & alia loca Fratrum ad nos, & Sedem Apostolicam specialiter, & immediatè pertinere noscantur. Et ne aliqui Archiepiscopi, vel Episcopi, aut alij Ecclesiarum Prælati, seu quæuis alia persona Ecclesiastica, seu sæcularis prædicta loca seu bona occupare, accipere, vel vsurpare, aut quoquomodo sibi vendicare præsumant absque dictæ Sedis licentia speciali districtius inhibemus. Indul-
36. gemus vobis vt ad præstationem procurationum legatorum prædictæ Sedis vel Nunciorum ipsius seu diœcesanorum locorum, aut exactionum, vel collectarum, seu subsidiorum, vel prouisionum quorumcumque minimè teneamini, nec ad ea soluenda per litteras Sedis Apostolicæ, aut Legatorum, vel Nunciorum eiusdem, seu Rectorum terrarum Ecclesiæ Romanæ impetratas, seu in posterum impetrandas cuiuscumque tenoris fuerint in perpetuum compelli possitis, nisi dictæ Sedis litteræ impetrandæ plenam, & expressam de
37. indulto huiusmodi, & dicto Ordine fecerint mentionem. Cæterùm cum felicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster olim duxerit statuendum, vt exempti quacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, seu contractus, vel rei, de qua contra ipsos agitur, ritè possint coram locorum Ordinariis conueniri, & illi quoad hoc suam in ipso iurisdictionem, prout ius exigit, exercere; nos vobis, vt occasione Constitutionis huiusmodi nullum libertatibus, immunitatibus vobis, & Ordini vestro per priuilegia, & indulgentias à Sede Apostolica concessas, præiudiciũ generetur, authoritate præsentium indulgemus. Decernimus ergo irritum, & inane, quidquid contra tenorem constitutionum, concessionum, & inhibitionum huiusmodi per quoscumque fuerit attentatum, & interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententia, si quas contra Constitutiones, concessiones, & inhibitiones easdem, in vos, vel vestrum aliquos, aut loca vestra seu benefactores vestros, seu executores, aut hæredes prædictos in posterum promulgari contigerit, penitus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum Constitutionum, concessionum, & inhibitionum infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli se nouerit incursurum. Datum Petusij 12. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno primo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Florentiæ anno incarnationis Dominicæ 1439. quarto Idus Nouembris, Pontificatus nostri anno IX. Nos igitur, qui dicti Ordinis Fratrum Minorum, in quo Generalis Ministri fungebamur officio, dum ad Cardinalatus honorem assumpti fuimus, & 38.
personarum eius statutum prosperum, & tranquillum propter vberes fructus, quos Ordo ipse, multa refulgens gloria meritorum, & gratia redolens sanctitatis, in agro Ecclesiæ militantis in propagationem Religionis, & Orthodoxæ hactenus produxit vtiliter, & producit, ac in futurum etiam productum spe firmissima tenemus: palmites suos à mari vsque ad mare, & etiam ad barbaras extendens nationes, intensis desideramus affectibus Clementis, & Eugenij prædictorum, & prædecessorum nostrorum aliorum, qui Ordinem prædictorum Fratrum Minorum aliis variis priuilegiis non immerito decorarunt, vestigiis inhærentes, motu proprio, non ad eorundem dicti Ordinis Fratrum Minorum professorum, vel alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera voluntate, & deliberatione, & ex nostra scientia prædictas Clementis, & alias quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum litteras dicto Ordini Fratrum Minorum, & illius domibus, & professoribus in genere sub quacumque forma verborum concessas, quas ac si de verbo ad verborum vnà cum prædictis litteris Eugenij prædecessoris præfati præsentibus insertæ forent, haberi volumus pro expressis, ac omnia, & singula in eis contenta authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus: ac pro potiori cautela omnia, & singula per Clementem ac Eugenium, aliosque prædecessores prædictos in eisdem litteris pro, & in fauorem dicti Ordinis Fratrum Minorum, quomodolibet ordinata, statuta, decreta, concessa, & indulta fieri, & seruare debere authoritate Apostolica motu, & scientia prædictis de nouo ordinamus, statuimus, atque decernimus, ac eidem Ordini Minorum, illiusque domibus, & professoribus concedimus & indulgemus. Et quia, sicut accepimus, nosque ipsi 39.
experientia didicimus in minoribus constituti præfati Ordinis curam gerentes, circa litteras, & priuilegia huiusmodi nonnulla dubia postea sunt exorta, habita super illis consideratione decenti, motu, & authoritate similibus litteras eiusdem Clementis prædecessoris in parte, in qua concedit dicti Ordinis professoribus, vt liceat eis in locis, in quibus degunt, habere Oratoria, & in eis cum altari portatili etiam tempore interdicti iannis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis Missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare; & quod eorum insistentes obsequiis censuris generaliter promulgatis non ligentur cum contingat eos persæpe requiri, vt etiam extra Oratoria super huiusmodi altari portatili celebrent diuina officia, & ad illa interdicti tempore tertij Ordinis Sancti Francisci de Pœnitentia nuncupati Fratres, & Sorores, ac suos, & illorum procuratores admittant: extendentes concedimus eisdem Fratribus, vt non solum in

Oratoriis, & locis, in quibus degunt, ſed etiam in quibus alio loco congruenti,& honeſto poſſint ſuper altari portili huiuſmodi Miſſas, & alia diuina officia celebrare, exceptis Eccleſiis ab Ordinarij iuriſdictione non exemptis quoties id eiſdem Fratribus per Ordinarios contigerit inhiberi, & vt liceat ei tempore interdicti Fratres, & Sorores dicti Ordinis, & Moniales Sanctæ Claræ procuratores, & negotia gerentes vtriuſque ſexus admittere ad diuina. Præterea quia idem Clemens
40. in dictis ſuis litteris Generali, & Prouincialibus Miniſtris, & eorum Vicariis, & Cuſtodibus abſoluendi Fratres eiuſdem Ordinis, nec non Fratribus dicti Ordinis, quos ipſi Miniſtri Vicarij, & Cuſtodes habuerint pro tempore in Confeſſores abſoluendi ipſos Miniſtros Vicarios, & Cuſtodes ab exceſſibus, & cenſuris) niſi talia perpetraſſent, propter quæ eſſent merito ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi) ac cum eis deſuper diſpenſandi facultatem concedit. Et propterea, qui ſunt deſtinandi perſæpe reuocetur in dubium, vt abſoluentium, & abſoluendorum, diſpenſantium,& diſpenſandorum pro tempore puritati conſcientiæ conſulamus, declaramus hæreticos relapſos, ſchiſmaticos, & qui litteras Apoſtolicas falſificaſſet, aut ad infideles prohibita detuliſſent, dumtaxat eſſe ad Sedem Apoſtolicam merito deſtinandos, reliquis verò omnibus, etiam ſimoniæ prauitate qualitercumque irretitis, poſſe per illos, quibus inibi conceditur abſolutionis, & diſpenſationis beneficium, & gratiam iuxta caſuum exigentiam
41. impartiri. Eam verò partem litterarum eiuſdem Clementis prædeceſſoris, in qua ſepulturam in Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis liberam eſſe voluit, ſalua iuſtitia Eccleſiarum, à quibus corpora mortuorum aſſumuntur, declarantes, libertatem huiuſmodi intelligi debere, etiam quoad hos, vt Fratres ipſi nullius ſuper hoc petita licentia, Parochias, in quibus corpora prædicta forent, cum cruce proceſſionaliter ingredi ac corpora ipſa leuare, & ad eorum Eccleſias ſepelienda deferre poſſint, vbi hoc fieri conſuetum foret: vel presbyteri de leuatione requiſiti id facere recuſarent; nec cogantur inuiti, etiam prætextu cuiuſcumque conſuetudinis, ipſi, vel defunctorum conſanguinei illa ad Parochiales Eccleſias, aut alia loca deferre: vel cum illis, vel ſine inibi celebrare, vel celebrari facere pro eiſdem defunctis alia diuina, officia ante, vel poſt ſepulturam eorumdem. Iuſtitiam autem Eccleſiarum, à quibus corpora ipſa ſumuntur, iuxta eiuſdem Clementis prædeceſſoris voluntatem ſaluam eſſe debere decernimus, eo caſu, quo dumtaxat apud loca ipſorum Fratrum cor-
42. pora ipſa ſepeliuntur. Si verò non apud eos, ſeu alios Mendicantium Ordinum profeſſores corpora ipſa contingeret ſepeliri: ex his, quæ ad Fratres prædictos, apud quos tunc corpora ipſa non ſepelirentur de bonis defunctorum, quomodolibet conuenient quouis particulari, vel vniuerſali titulo, directè vel per obliquum nullam canonicam, aut Parochialem portionem dare teneantur: nec ſimiliter aliqua portio debeatur de iis, quæ ad certos, & determinato vſus eiſdem Fratribus, vel eorum domibus in genere, vel in ſpecie etiam de bonis ipſorum, quorum corpora apud eos contigerit ſepeliri, nec etiam in caſibus, in quibus per eiuſdem Clementis, & aliorum prædeceſſorum noſtrorum ſpecialia priuilegia Fratres ipſi ab huiuſmodi ſolutione quartæ ſunt exempti, nec aliquo caſu de candelis, quæ ad manus Fratribus dantur, quarta aliqua quomodolibet detrahatur. In reliquis verò caſibus quam in præmiſſis, in quibus quarta ipſa ſoluenda veniret: conuentiones (ſi quæ ſint inter Fratres prædictos, & locorum Ordinarios, ac EccleſiarumRectores initæ) laudabiles, & honeſtæ in poſterum obſeruentur. Etſi forte per Nos, vel Sedem Apoſtolicam de 43.
piè legatis diſpoſitis, & relictis in genere vel in ſpecie decima, aut alia portio ſeu quarta, alteri piæ vel non piæ cauſæ ex quauis cauſa hactenus conceſſa foret aut in poſterum concedi, & ſolui, aut dari mandari contingeret Fratres prædictos & illorum domos, ac eis legata, & relicta aut aliàs in illorum fauorem diſpoſita in conceſſione, & mandatis huiuſmodi decernimus,& volumus non includi niſi de ipſis Fratribus, & præſenti decreto, ac voluntate noſtra, non per generales clauſulas, quæ etiam ſpecialem mentionem importare viderentur; ſed vera, & ſpecifica mentio fiat in eiſdem. Indultum verò eiuſdem Clementis prædeceſſoris de decimis non ſoluendis ad quæcumque bona dictorum Fratrum, & quaſcumque decimas etiam quas vulgus *Papales* appellat, & Apoſtolica Sedes pro Chriſtianæ fidei defenſione, aut aliis imminentibus perſæpe neceſſitatibus indicit, & quæcumque alia onera motu, & ſcientia prædictis extendimus. Decernentes ipſos Fratres Minores etiam ſi per quoſcumque exemptos & Mendicantes ſolui mandarentur, cum quibuſuis derogatoriis, & fortioribus clauſulis, ad illarum ſolutionem non teneri: & in illarum ſolutione ceſſando cenſuras, & pœnas aliquas non incurrere: niſi præſentibus (non per generales, & alias clauſulas ſpecialem mentionem non importantes) ſed aliàs ſit derogatum ſpecificè earum de verbo ad verbum inſerto tenore. Et ne prætextu Conſtitutionis Innocentij Papæ IV. prædeceſſoris 44.
noſtri, quæ incipit *Volentes*, locorum diœceſani & alij Ordinarij, & alij, quicumque in perſonas aut loca Fratrum prædictorum contra eiuſdem Clementis prædeceſſoris in fine litterarum prædictarum ordinationem: ſiue quancumque iuriſdictionem aut ſuperioritatem vendicare præſumat, diſtrictius inhibemus, ne quiſpiam abſque dictæ Sedis ſpeciali commiſſione aut authoritate in perſonas, domos, & loca dicti Ordinis Fratrum Minorum, vtpote prorſus exempta, aliquas excommunicationis, ſuſpenſionis,& interdicti ſententias generaliter, & ſpecialiter quomodolibet promulgare; aut in perſonas, domos aut loca huiuſmodi aliquam præeminentiam, ſuperioritatem, & iuriſdictionem quomodolibet exercere præſumant, etiam ratione contractus, vel delicti, ſeu rei de qua ageretur, vbicumque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipſa conſiſtat. Decernimus quoque ex nunc quaſlibet excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias, & quoſcumque proceſſus, quaſuis pœnas, & ſententias generales, vel ſpeciales continentes, quos & quas promulgari vel haberi, & omnia quæ contra Fratres, domos & loca dicti Ordinis, quomodolibet fieri contigerit, etiam eorum exemptione, vtpote notoria, non aliter allegata, nullius roboris vel momẽti eſſe, & pro infectis prorſus haberi debere. Præterea, quia parochialium Eccleſiarum Rectores præfati erga illos, qui dictis Fra- 45.
tribus Ordinis Minorum eorum peccata confitentur, perſæpe ſe reddunt in exhibitione Euchariſtiæ,& Extremæ Vnctionis difficiles: concedimus ipſis Fratribus Ordinis Minorum, vt eiſdem perſonis

personis eis confessis, quibus Rectores præfati sine rationabili causa denegauerint, seu malitiosè distulerint Eucharistiæ, seu Extremæ Vnctionis Sacramenta ministrare (super quo eorundem confessorum assertioni stare debeat) illa petentibus possint impunè exhibere. Et cum aliquando contingat Monasteria Monialium S. Claræ, & Minoristarum, seu Sancti Damiani nuncupatarum Monialibus destitui, adeo vt de eorum reformatione spes nulla supersit, conuenientiúsque sit, quod eorum destitutorum bona ad ipsos Frates deueninnt: quorum erant curæ commissa; quam ad alios: illa quæ sic destituta existunt, & destitui contigerit in futurum, cum eorum bonis omnibus, perpetuis vsibus Fratrum domus dicti Ordinis Minorum eiusdem destitutis Monasteriis propinquioribus applicamus: ita vt Fratres ipsi possint de illis, & eorundem Monasteriorum structuris, & ædificiis pro eorum voluntate disponere, prouiso quod illorum Ecclesiæ, & Oratoria ad profanos vsus non redigantur, sed in illis quandoque diuina celebrentur officia. Insuper, cum nulli ad Or-
47. dinem prædictum Fratrum Minorum specialem gerentes deuotionis affectum ordinent eorum cadauera cum habitu Fratrum Minorum, aut Sororum dicti Ordinis de Pœnitentia sepeliri: ne ex illorum corporum delatione ad alia loca Ordini, & Fratrib. prædictis iniuria irrogetur, decernimus tales apud Fratres ipsos esse sepeliendos, etiamsi alibi suam elegissent sepulturam: nec posse etiam in loco per eos electo cum habitu quomodolibet sepeliri, aut ad sepeliendum portari absque Fratrum domus loci, in quo tales decesserint expressa
48. licentia, & assensu. Cæterum ne si ratione Parochialium Ecclesiarum apud quas domus eorundem Fratrum constructæ fuere, aut construentur in posterum, locorum Ordinarij in eosdem Fratres aliquam superioritatem vendicare tentarent, Fratrum eorumdem quies in aliquo perturbaretur, concedimus eisdem Fratribus, vt in sic concessis, & quas eis concedi contigerit curatis Ecclesiis possint per capellanum per eos pro eorum nutu ponendum, & amouendum curam huiusmodi exercere, qui quandiu capellanatus huiusmodi fungetur officio, ac si dicti Ordinis Minorum professor existat, dictorum Fratrum Minorum libertate, & exeptione fruatur: Ecclesiæ verò prædictæ, & illarum bona illa quæ domus Fratrum
49. dicti Ordinis prærogatiua lætentur. Et vt dicti Ordinis professoribus omnino vagandi tollatur occasio, & ad Apostolicam Sedem recurrendi subtrahatur pro posse necessitas: Generali, & Prouincialibus Ministris dicti Ordinis pro tempore existentibus, & illorum Vicariis dispensandi cum dicti Ordinis Minorum professoribus defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu, aut quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientem patientibus: nec non cum his, qui ex quauis causa præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum irregulares forent, postquam Ordinem ipsum professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstantibus, irregulares ipsi ad quoscumque etiam sacros Ordines promoueri, & in illis etiam in alterius ministerio ministrare, & tam ipsi irregulares, quam defectum naturalium patientes prædicti, ad quascumque administrationes, & officia dicti Ordinis eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere liberè valeant, motu, scientia, & authoritate prædictis concedimus per præsentes. Rursus intelleximus, quod etsi bonæ memoriæ Ioannes Papa XXII. prædecessor noster illorum opinionem, qui asserebant, 50.
quod confessi Fratribus prædicti Ordinis, & aliorum Ordinum Mendicantium ad audiendas confessiones iuxta Iuris dispositionem deputatorum pro tempore, tenebantur eadem peccata Rectori eorum Parochialis Ecclesiæ iterum confiteri, reprobauerit: & deinde præfatus Eugenius prædecessor reprobationem huiusmodi approbauerit, & contra talia asserentes tāquam de hæresi suspectos per locorum Ordinarios inquiri, & procedi mandauerit: ac successiuè piæ memoriæ Nicolaus Papa V. similiter prædecessor noster gesta in præmissis ab eodem Ioanne, & Eugenio prædecessoribus robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreuerit, nihilominus adhuc nonnulli eorum inhærentes proteruiæ, opinionem prædictam, & desuper factos, damnatos, malè sonantes, ac reprobos articulos veros esse affirmare non verentur: vt talium præsumptuosa temeritas tanto minus inualescat, quanto plurium erit superiorum correctioni subiecta, concessam contra tales per eiusdem Eugenij prædecessoris litteras locorum Ordinariis facultatem, ad Inquisitores hæreticæ prauitatis extendimus, ac volumus, quod Inquisitores ipsi quicumque fuerint, eadem qua Ordinarij contra tales authoritate fungantur. Postremò, cum Prædicatorum, sicut & prædicti Minorum Ordinum professores pro fidei Catholicæ dilatatione 51.
continuò indefessè laborent, fructusque afferant in Dei Ecclesia salutares, & propterea fuerint variis per Sedem Apostolicam priuilegiis decorati, vt quos par labor, pariaque merita coniungunt, paria coniungant priuilegia, & fauores, concedimus eisdem Ordinis Minorum professoribus, vt concessis Fratribus Prædicatoribus, & eisdem Prædicatorum Ordinis Fratribus, vt præmissis aliis concessis prædictis Fratribus Minoribus, priuilegiis, indulgentiis, gratiis, fauoribus, & indultis, tam spiritualibus, quàm temporalibus à prædictis, & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & aliis authoritatem habentibus, quæ omnia ac si nominatim exprimerentur, haberi volumus hic pro expressis, & nostræ approbationis munimine solidamu, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere, potiri, & gaudere possint & debeant perpetuis futuris temporibus in omnibus, & per omnia prorsus & sine vlla differentia, perinde ac si quæ vni ex Ordinibus prædictis sunt concessa, vtrique simul nominatim concessa fuissent, aut concederentur in posterum; & quæ de Magistro Generali, & Prouincialibus 52.
Prioribus dicti Ordinis Prædicatorum, ac Monasteriis Monialium sub eorundem Fratrum Prædicatorum cura, & secundum ipsius Ordinis Prædicatorum instituta viuentium sunt statuta, Generali, & Prouincialibus Ministris, & Vicariis dicti Ordinis Fratrum Minorum, & Monasteriis Monialium dicti Ordinis Sanctæ Claræ, & Minorissarum, & Sancti Damiani nuncupatarum, & è contra censeantur esse statuta. Districtius inhibentes eisdem locorum Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac Rectoribus, & aliis quibuscunque sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem Ecclesiarum parochialium, & omnium aliorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnis eo ipso per eos, qui cōtra fecerint, incurrēdis: Ne Ordines

prædictos Fratrum Prædicatorum, & Minorum, & illorum domos, & professores præter aut contra prædictorum Clementis aut Eugenij, & aliorum quorumcumque prædecessorum nostrorum, & præsentium litterarum nostrarum tenorem inquietare, seu molestare, & eos, aut testamentorum, vltimarumque voluntatum executores, & hæredes prædictos, seu quoscumque alios directè, vel indirectè ad solutionem alicuius quartæ parochialis, seu canonicæ vel alterius portionis, seu oneris, & ad faciendum celebrari aliquod officium in eorum Ecclesiis, vel alibi, dum apud ipsos Fratres decedentium cadauera tumulantur, antè vel post eorum sepulturam cogere: nec confessis dictis Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus pro tempore Eucharistiæ, seu Extremæ Vnctionis Sacramenta, sine rationabili causa denegare, & illorum exhibitionem malitiosè differre aut eorum Parochianis, ne dictis Fratribus confiteantur, prohibere vel persuadere: nec etiam ad præmissa, seu aliquod præmissorum auxilium, consilium, vel fauorem dare directè vel indirectè quoquomodo præsumant. Et nihilominus cuilibet in dignitate Ecclesiastica constituto, & Metropolitanæ, vel alterius cathedralis Ecclesiæ canonico per vniuersum orbem, qui desuper per dictorum Ordinum Priores & Guardianos, & Fratres, ac illorum, seu ad commodum eorum Romanæ Ecclesiæ Syndi-
53. dicos etiam requisitus fuerit, per Apostolica scripta in solidum mandamus, quatenus per se vel alium, seu alios præmissa, vbi, & quando opus fuerit, solemniter publicantes, & iidem Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus, & illorum domibus ac professoribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant eos pacificè possessione vel quasi priuilegiorum, & concessionum huiusmodi gaudere; non permittentes eos, seu testamentorum executores, & hæredes prædictos contra illorum tenorem per Ordinarium, & Rectores prædictos, aut quoscumque alios indebitè molestari, aut eis grauamina, iniurias, aut damna inferri, seu quomodolibet irrogari. Ac etiam summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij sola facti veritate inspecta contra quoscumque cuiuscumque con ditionis, vel qualitatis existant, & quacunque Ecclesiastica etiam Patriarchali, Archiepiscopali, & Episcopali, vel mundana forent dignitate, & exemptione muniti, in quibuscumque causis per eos mouendis quacumque ratione vel causa, quæ excogitari possit, ministrent eis iustitiæ complementum, exequendo quod per eos fuerit ordinatum: & illos, quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit, irretitos esse declarent, & faciant, & mandent, interdictos, suspensos, & excommunicatos publicè nunciari, & ab omnibus arctius euitari: & legitimis super his habendis seruatis processibus, illos quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauare procurent. Contradictores authoritate nostra appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus Constitutio-
54. nibus recolendæ memoriæ Bonifacij VIII. quibus cauetur, ne quis extra suam ciuitatem, & diœcesim nisi in certis casibus exceptis, & in illis vltra vnam dietam à fine sua diœcesis ad iudicium vocetur: seu ne iudices à Sede Apostolica deputati extra diœcesim, & ciuitatem, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere aut aliis suas vices committere præsumant: & de duabus dietis in Concilio Generali: nec non, quæ incipit: *Super Cathedram* Bonifacij, & *dudum* Viennensis Concilij, ac recolendæ memoriæ Calixti Papæ III. etiam prædecessoris nostri litteris, aliisque Apostolis, atque etiam Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus: nec non Ottonis, & Octoboni olim in regno Angliæ Apostolicæ Sedis Legatorum Constitutionibus, Ecclesiarumque, atque locorum quorumlibet statutis, & consuetudinibus: & inter quoscumque dictorum Ordinum Fratres Prædicatorum, & Minorum professores, ac locorum Ordinarios, seu Rectores prædictos initis, & conclusis, atque hactenus obseruatis pactis, conuentionibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, non omnibus, & singulis, quæ Clemens, & Eugenius præfati in prædictis eorum litteris voluerunt non obstare contrariis quibuscumque. Quibus omnibus (illa ac si de verbo ad verbum insererentur, & derogatoriarum derogatorias clausulas in se continerent (præsentibus pro expressis habentes (illis aliàs in suo robore permansuri) quoad præmissa specialiter, & expressè derogamus. At si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Rectoribus præfatis, seu quibusuis aliis communiter vel diuisim à Sede Apostolica præfata indultum existat, quod interdici suspendi, vel excommunicari, aut vltra, vel extra certa loca ad iudicium euocari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem: & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, & totaliter non insertam effectus earum, & concessa in eis iurisdictionis executio impediri possit quomodolibet, vel differri, & de qua, cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim ex nunc illa, & quæcumque alia, quæ in futurum per Nos vel Sedem Apostolicam, quomodolibet concedi, statui, decidi, vel ordinari contigerit contra Clementis, Eugenij, aliorumque prædecessorum prædictorum, & præsentium litterarum huiusmodi tenorem: nec non si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit: irrita, & inania, nulliusque roboris vel momenti esse decernimus. Et quia difficile foret præsentes litteras ad singulas Prouincias originaliter destinare; volumus, & dicta authoritate decernimus, quod transumptis earum manu notarij publici, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, aut alicuius Episcopalis, vel Archiepiscopalis sigillo mūitis ea prorsus in iudicio, & extra vbicumque exhibita, vel ostensa fuerint fides adhibeatur, ac si originales litteræ forent exhibitæ, vel ostensæ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum approbationis, constitutionis, ordinationis, statuti, decreti, concessionis, indulti, voluntatis applicationis, inhibitionis, extensionis, solidationis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1474 pridie Kalend. Septembris, nostri Ponticafitus anno 2.

COM.

COMMENTARIVS IN MARE MAGNVM FF. MINORVM.

SVMMARIVM.

*Vbi habetur hoc Mare magnum Minorum,num.*1.
*De excellentia, institutione, & prærogatiuis Ordinis Minorum.n.*2.
*Generales postquam sunt electi, possunt absque alia confirmatione suum officium exercere.n.*3.
*Ipsorum confirmatio non consistit in verbis.n.*4.
*Amoueri possunt à suis officiis,& quando.n.*5.
*Quid ex decreto Concilij Lateranensis sub Alexandro.n.*6.
*Regula S.Francisci.n.*7.
*Eximuntur Minores in electionibus à quibusdam regulis iuris.n.*8.
*An id suffragetur pro electione aliorum Superiorum. num.*9.
*Custodes, seu Guardiani etiam sine electione instituti exercere possunt suum officium.n.*10.
In Ordine Minorum plures sunt officiales.ibid.
*Iure communi electio Prælati Monasterij pertinet ad Monasterium.n.*11.
*Priuilegium pro Lectoribus in hoc Ordine.n.*12.
*Quid importet munus Lectoris.n.*13.
*Pro Concionatoribus priuilegium.n.*14.
*Quomodo moderatum per Concilium Tridentinum. num.*15.
*Consuetudine Religionis quid habeatur.n.*16.
*Conditiones pro Concionatoribus.n.*17.
*De facultate suscipiendi Ordines sine examine quomodo hoc tempore non subsistat.n.*18.
*Quid si Ordinandus sit doctor.n.*19.
*An non callentes linguam Latinam ordinari debeant. num.*20.
*Qualitates pro singulis Ordinibus requisitæ.n.*21
*De dimissoriis pro ipsis.n.*22.
*De facultate habendi Oratoria, & altare portatile. num.*23.
*Ad ministrandum Sacramenta familiaribus, & eos sepeliendum.n.*24.
*An ipsorum Confessarij absoluant illos à reseruatis. num.*25.
*An ligentur casibus reseruatis.n.*26.
*Eximuntur ab aliquibus censuris communibus. n.*27.
*Alia remissiuè.n.*28.
*De facultate commorandi inter excommunicatos & ab eis necessaria vitæ postulandi.n.*29.
*An priuilegium cesset, quando causa concessionis illius cessauerit.n.*30.
Non quando cessat causa impulsiua.n. 31.
*Quid in dubio de causa finali, aut impulsiua.n.*32.
*In priuilegiis Regularium quid sit speciale quoad hoc. num.*33.
*Specialiter quoad prædictam facultatem.n.*34.
*Facultas absoluendi,& dispensandi circa venientes ad Ordinem.n.*35.
Quomodo intelligenda.n. 36.
*Ex vi aliorum priuilegiorum.n.*37.
*An pro casibus in Bulla Cœnæ contentis.n.*38.
Quid importent verba illa si super hoc induciæ, &c.*num.*39.
*De eadem materia alia remissiuè.n.*40.
*De exemptione istorum Religiosorum.n.*41.
*Officialium nomine qui veniant.num.*42.
Clausula illa nisi de hoc indulto, & Ordine expressa fiat mentio, *& similes quomodo intelligenda.num.*43.
An requirant specificam, aut indiuidualem expressionem.ibid.
*Quomodo id intelligendum ex noua constitutione Vrbani VIII.n.*44.
*Quando intelligatur Pontificem velle reuocare aliqua priuilegia.n.*45.
*De authoritate Prælatorum in sibi subditos.n.*46.
*Quid de Religiosis obtinentibus aliqua beneficia. num.*47.
*Maxime beneficia curata, seu Parochialia.n.*48.
De habentibus aliquas gratias, seu praeminentias à Sede *Apostolica.ibid.*
*De Capellanis Papæ.n.*49.
*De Religiosis non assumendis in socios à quibuscunque sine licentia Prælatorum.n.*50.
*Alia remissiuè.n.*51.
*Inhibitio recedendi ab Ordine,& facultate procedendi contra sic facientes.n.*52.
*Non id permittendum sine cautione litterarum Prælatorum.n.*53.
*De retinentibus tales.n.*54.
De Religiosis licentiatis ad transeundum ad alios Ordines,& *id omittentibus.n.*55.
*A quo possit concedi talis licentia ad transitum num.*56.
*An requiratur etiam consensus Monasterij.n.*57.
*Facultas procedendi contra apostatas.n.*58.
*An ad apostasiam requiratur dimissio habitus. num.*59.
*De Religioso transeunte qui antequam admittatur, suscipit habitum Ordinis, ad quem vult transire. num.*60.
*Minores denunciant certis annis diebus excommunicatos suos apostatas.n.*61.
*De expulsis, & egressis non permittendis prædicare, audire confessiones, vel docere.n.*62.
Quomodo id intelligendum.ibid.
*Eiecti sunt infames.n.*53.
*Alia circa ipsos.n.*64.
*Ad quos Ordines non permittitur transitus.n.*65.
Ordinis B. Augustini *nomine* Hospitalariorum, *&* arma portantium, *qui veniant.n.*66.
*Quid si ad alium Ordinem transierint.n.*67.
*Prohibitio vtendi habitu proprio huius Religionis. num.*68.
*Quomodo intelligenda.n.*69.
*De exemptione à decimis.n.*70.
*An hoc, vel similia priuilegia perdantur, si Religiosi laxè viuant.n.*71.
*Bona incerta Nouitiorum quibus applicari possunt. num.*72.
*Quæ computentur inter bona incerta.n.*73.
*An inuenta, seu reperta, quorum dominus ignoratur. num.*74.
*An debita alicui qui ignoratur vbi habitat.n.*75.
*Debita hæc incerta applicantur aliquibus piis operibus & Religionibus.n.*76.
*De libertate sepulturæ.n.*77.
*Concordia,& instrumentum pro Religiosis Regni Maioricæ.n.*78.
*Alia ad intentum.n.*79.
*Confessiones Fratrum non audiendæ nisi à Prælatis ipsorum, vel de eorum commissione.n.*80.
*Confessarius Religiosorum eget solum approbatione sui Prælati.n.*81.
*Quibus Prælatis competat dare hanc licentiam. n.*82.

*Qualis esse debeat.n.*83.
*Possunt Religiosi nihilominus confiteri Pœnitentiariis Papæ.n.*84.
Quid de Fratribus itinerantibus.ibid.
Confessiones Religiosorum facta aliis quam approbatis à suis Superioribus quomodo inualidæ. numero 85.
*Quid si Prælati superiores limitent hanc facultatem Prælatis inferioribus.n.*86.
*Prælati Ecclesiarum prohibentur audire confessiones Fratrum.n.*87.
*Inualidæ erant tales confessiones,nisi pro aliquibus casibus.n.*88.
*Quando Prælati Religionis consentiunt,validæ erunt. num.*89.
*Exemptio à canonica portione.n.*90.
*Alia remissiuè pro ipsa.n.*91.
*Facultas transferendi bona Monasteriorum quæ deferuntur.n.*92.
Bona Religiosorum Mendicantium ad Sedem Apostolicam specialiter pertinent.ibid.
Maximè bona Fratrum Minorum.ibid.
*Exemptio à subsidiis, exactionibus, & collectis: num.*93.
*Praxis pro casu quo Religiosi compellerētur ad prædicta.n.*94.
An debeant ostendere sua priuilegia.ibid.
*Quid si domini Ordinarij prætenderent id facere ex vi alicuius priuilegij.n.*95.
*Priuilegium de exemptione cum reuocatione.*cap.volentes.*n.*96.
Clausula irritum, & inane *quid importet.n.*97.
Exemptus non potest consentire in non suum iudicem, quia hoc est in præiudicium Superioris. ibid.
Dictio attentatum *quid denotet.n.*98.
*Priuilegium quod censuræ latæ contra istos Religiosos non teneant, iuri communi conforme est. num.*99.
*Confirmantur priuilegia præfata motu proprio,& certa scientia.n.*100.
Verba illa haberi volumus pro expressis *quam vim habeant.n.*101.
Clausula ac potiori cautela *quid operetur.n.*102.
*Permissiuè alia.n.*103.
*Priuilegium de habendo Oratoria,& de altari portatili.n.*104.
Clausula sicut accepimus *quid importet. n.*105.
*Priuilegium hoc habendi Oratoria ad quid concessum. num.*106.
*De facultate celebrandi cum altari portatili ex voluntate Episcopi.n.*107.
*Pro tempore interdicti an dimitti possint Tertiarij & Procuratores.n.*108.
An Confratres Confraternitatum Ordinum.ibid.
*Facultas concessa Prælatis ad absoluendum subditos, & ad recipiendum ab ipsis absolutionem. num.*109.
*Prælati an teneantur audire confessiones subditorum. num.*110.
*Facultas Prælatorum, vt absoluantur à suis Confessariis cur posita in hoc priuilegio.n.*111.
Prælati an possint vti facultatibus, quas subditis concedunt.ibid.
*Hac facultate an vti possint pro foro externo. num.*112.
*An sit aliis delegabilis.n.*113.
Non obstat cap. fin. de offic.& potest. iudic. deleg. *num.*114.
Quid quando solum conceditur nudum ministerium, aut eligitur industria personæ. ibidem.
*De libertate sepulturæ, & delatione defunctorum ad Ecclesias Fratrum.n.*115.
*Non possunt inducere aliquos ad vouendum,vel iurandum de sepultura eligenda.n.*116.
*Quilibet qui sit sui iuris, eligere potest sepulturam. num.*117.
An filij etiam,Religiosi præsertim.ibid.
*De exemptione à canonica portione.c.*118.
Dictio Quomodolibet *quid importet.n.*119.
*Portio non soluenda de piis legatis.n.*120.
*Fratres Minores qualiter sint capaces legatorum. num.*131
Maximè ex Rotæ decisione.ibid.
*Non possunt excommunicari, interdici, &c. ab Ordinariis.n.*122.
*Ipsorum etiam loca exempta sunt ab Ordinariorum iurisdictione.n.*123.
Quomodo id intelligendum.ibid.
*Loca ipsorum etiam ratione sui sunt exempta. num.*124.
*Exemptio quotuplex sit.n.*125.
Qualis ea quæ Mendicantibus competit.ibid.
*An delinquens in Monasterio Regularium subiiciatur pœnis impositis ab Ordinario.n.*126.
*Nomine Monasterij quæ veniant.n.*127.
*Alia ad intentum remissiuè.n.*128.
*Ministrant Eucharistiam,& Unctionem confessis ipsis,quando,&c.n.*129.
*An tempore Paschatis propter absentiam Parochi. num.*130.
*Per Ecclesiarum parochialium Rectores qui intelliguntur.n.*131.
*An melius sit recipere Sacramenta à Parochis,quam à Religiosis priuilegiatis.n.*132.
*De bonis Monasteriorum Monialibus destitutorum quibus applicanda.n.*133.
*Bonorum nomine quæ veniant.n.*134.
*Stando in iure communi cui applicari deberent. num.*135.
*De cadaueribus defunctorum cum habitu Religiosorum sepeliri volentium.n.*136.
*De exemptione Regularium pro casu, quo Parochiales Ecclesiæ ipsis concederentur.n.*137.
*Quid iuxta limitationem Concilij Tridentini. num.*138.
*An Domini Episcopi visitent altaria, aut loca, vbi asseruatur sanctissima Eucharistia, vel audiuntur Confessiones.num.*139.
*De Capellano ponendo in Parochialibus Fratrum. num.*140.
*De facultate Prælatorum ad dispensandum in irregularitatibus.n.*141.
*Quid cum illegitimis.n.*142.
*An inclusæ illæ irregularitates,quæ procedunt ex enormi corporis,vel animæ vitio,quod scandalum generare posset.n.*143.
*An dispensent cum sodomita, enormiter leproso,gibboso,&c.n.*144.
*Cum carente vsu rationis, omnino illiterato non dispensant.n.*145.
Quid de energumenis, furiosis,morbo caduco laborantibus,lunaticis,& similibus.ibid.
*An cum infamibus, & qui damnati fuerunt ad triremes.n.*146.
*Tales sunt irregulares.n.*147.
*Proceditur contra dicentes, quod confessi Mendicantibus, teneantur iterum confiteri parocho. num.*148.
Veluti contra de hæresi suspectos.ibid.

Qui

*Qui sint de hæresi suspecti.n.*149.
*Propositiones malè sonantes quæ sint.n.*150.
*Alia remissiuè.n.*151.
*Communicantur Minoribus priuilegia Prædicatorum. num.*152.
De clausula illa, In omnibus, & per omnia.*num.* 153.
De dictione Prorsus.*n.*154.
De dictione Sine.*n.*155.
De dictione Perinde.*n.*156.
*Quæ sint priuilegia Prædicatorum, quæ Minoribus hoc loco communicantur.n.*157.
*Prohibitio facta Ordinariis, ne inquietent istos Religiosos in executione suorum priuilegiorum. num.*158.
*An id facientes, mortaliter peccent.n.*159.
de Clausula illa Auxilium, consilium, *vel* fauorem dare.*num.*160.
*Facultas concessa cuilibet in dignitate constituto ad defendendum Minores in priuilegiis huius Maris magni.n.*161.
Clausula Pacifica possessione, vel quasi, *quid importet.n.*162.
De Clausula Auctoritate nostra, *num.*163.
Dictio Contradictores, *quos tangat.n.*164
*Syndici Romanæ Ecclesiæ qui dicantur.n.*165.
Sunt Procuratores.ibid.
*Non obstantiæ.n.*166.

1. HABETVR hæc Bulla *Mare magnum Minorum* appellata in Bullario Rodriguez inter Bullas Sixti IV. *num.* 14. Diciturque reseruari authenticam in Conuentu sancti Francisci Salmantini. Extat etiam in Bullario communi Laertij *tom.*1.*in Sixto IV.num.*6. Eamque sæpius commemorat Cassarubius, Confectius, Miranda, Ioannes de Cruce, Peirinis, Portellus, vterque Rodriguez, Archangelus Romanus, & alij, qui de priuilegiis Regularium, præsertim Mendicantium, scripserunt. Cur vocetur *Mare magnum* habes ex dictis à simili *in Commentario super Mare magnum Prædicatorum, num.*2. vbi etiam *num.*4. quis fuerit Sixtus IV. qui hoc *Mare magnum* compilauit.

2. De excellentia porrò antiquitate, institutione, laudibus, & prærogatiuis huius sacri, & Seraphici Ordinis Minorum plures, ipsique grauissimi Authores scripserunt. Specialiter Cassaneus *in Catalog. glor. mund. part.*4. *consider.*69. Polydorus *de Inuent. rer. lib.*7.*cap.*4. Petrus Murigia *de orig. Relig. lib.*1. *cap.*33. *&* 34. Syluester Marulus *in Ocean. Relig. lib.*4. & alios refert Barbosa *de Iure Ecclesiast. lib.*1.*cap.*41.*num.*180. Et ex eadem Religione plurimi quoque ea de re scripserunt, quos nouissimè superauit Lucas Vvadinghus Hibernus doctissimus, & diligentissimus author, qui in variis tomis Annalium à se editis, quæ Rodulphus, Gonzaga, & alij Chronistæ dixerant, simulque totam, & amplissimam Minorum familiam mirificè illustrat.

Circa §. 1.

3. INdulget Pontifex hoc loco Minoribus, vt Generales Ministri, statim postquam sunt electi, sine alia confirmatione Ordinem possint regere, ac gubernare, Fratres soluere, ac ligare, & suum officium in omnibus exercere; Fratresque teneri ipsis obedire; & nihilominus, quod absolui, & amoueri possint à Prouincialibus, & Custodibus secundum Regulam, & Constitutiones Ordinis. Simile indultum habent Prædicatores, Augustini, & Carmelitæ, ac Minimi, & Seruitæ, iuxta dicta in mari magno Prædicatorum *circa* §.1.2.*&* 3. Imo etiam ex parte saltem, Cistercienses ex Eugenio IV. Vallisumbrosani ex Paulo III. & Cælestini ex Cælestino V. vt refert Tamburinus *de Iure Abbat. tom.*1.*disp.*6.*quæst.*2.*num.*3.

Prædicta autem eis locis nota vlterius, quod cùm Generalis est electus legitimè, cùm ex vi istius priuilegij maneat confirmatus, forma confirmationis ipsius non consistet in verbis aliquot, nec ea erunt necessaria, vt censeatur confirmatus. Præsertim quia stando in iure communi nulla verba requiruntur pro forma confirmationis, sed sufficit factum aliquod, quo declaratur talis electus, vt legitimè electus; quale est adoratio, installatio, inthronizatio, & similia, Oldradus *cons.*146. *num.*6. Rota *decis.*16. *de concess. præbend. in nouiss. & decis.* 261.*num.*3.*coram Mantica*, & ratio est, quia quando verba non sunt de substantia, non minus valet factum quàm verba. Panormitanus *in cap. Ecclesia vestra* 1.*num.*3. *de elect.* Sigismundus de Bononia *de elect. Prælat. dub.*46.*num.*5.*&* 6. 4.

Specialiter etiam circa id quod tangitur in hoc priuilegio, scilicet, quod Generalis possit amoueri, & absolui ab officio secundum Regulam, & Constitutiones Ordinis, animaduertendum, quod si infra officij sui tempus appareret defectuosus famulatui, & communi vtilitati Religionis, posset etiam stando in Iure communi absolui, & amoueri. Ita Glossa *in cap.*1.*Verbo Insufficientem, de renunciat. in* 6. communiter recepta, vt habet Sigismundus *suprà, dubio* 102. *numero* 1. Insurgit autem huiusmodi defectus ex multis, primò, si sit notorius suæ Regulæ transgressor, *cap. Cùm ad Monasterium, vers. Quod si præuaricator, de statu Monachorum.* Secundò, si sit notoriè criminosus, & scandalosus. *can. si quis Abbas* 18. *quæstione* 2. Tertiò si notabiliter negligens in officio suo. *can. Dictum, distinct.*81.*can.*1.*distinct.*86.*can. Quoniam, distinctione* 100. & aliis pluribus, quod præcipuè procedit, quando est incorrigibilis, prout habet Rota *decis.*234.*num.*12. *part.*1.*in recent.* Quartò, si sit ita seniò confectus, vel ita ægrotus, vel ad regimen sit inhabilis *can.*1. *distinct.*85.*can. Alius* 15. *quæstione* 6. de quibus, & aliis concernentibus Sigismundus *supra dicto dubio* 102. Samuellius *de Canonic. elect. tract.*3. *contr* 3. & ego infrà in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 30. dum de simili priuilegio eisdem concesso agam. 5.

Adde etiam quod ex decreto Concilij Lateranensis sub Alexandro, quod refert Crespatius *in Summa Catholicæ fidei, verbo Prior*, & ex ipso Peirinis *tomo* 3.*priuileg. Minim. cap.* 3. *in addit. ad Constitutiones Iulij II. numero* 4. possint Prælati deponi *pro manifesta causa, & rationabili, videlicet, si fuerint dilapidatores, nec continenter vixerint, aut aliquid tale egerint, pro quo amouendi meritò videantur.* Quæ facilè reduci possint ad causas assignatas. 6.

Quia verò in hoc priuilegio sermo fit de Regula Minorum, ideo in gratiam huius sacri Ordinis sanctissimique Fundatoris diui Francisci eam hic placuit inserere. 7.

Regu

CAPVT I.

Regula Fratrum Minorum.

REgula,& vita Minorum Fratrum hæc est: scilicet, Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam, & reuerentiam Domino Papæ Honorio, ac successoribus eius canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ. Et alij Fratres teneantur Fratri Francisco,& eius successoribus obedire.

CAPVT II.

De iis,qui volunt vitam istam accipere, & qualiter recipi debeant.

SI qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros Prouinciales, quibus solummodo, & non aliis, recipiendi Fratres licentia concedatur. Ministri verò diligenter examinent eos de fide Catholica, & Ecclesiasticis Sacramentis:& si hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vsque in finem firmiter obseruare: & vxores non habent, vel si habent, & iam Monasterium intrauerint vxores; vel licentiam eis dederint, auctoritate Diœcesani Episcopi, voto continentiæ iam emisso;& illius ætatis sint vxores,quod de eis non possit oriri suspicio:dicant eis verbum sancti Euangelij:quòd vadant, & vendant omnia sua,& ea studeant pauperibus erogare.Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caueant Fratres,& eorum Ministri,ne soliciti sint de rebus suis temporalibus,vt liberè faciant de rebus suis,quidquid Dominus inspirauerit eis:si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet, duas tunicas sine capucio, & cingulum, & braccas, & caparonem vsque ad cingulum (nisi eisdem Ministris aliud secundum Deum aliquando videatur.)Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper, & regulam obseruare.Et nullo modo licebit eis de ista religione exire, iuxta mandatum Romani Papæ;quia secundùm sanctum Euangelium,*Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Et illi,qui iam promiserunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum capucio, & aliam sine capucio, qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur. Et possint ea repeciare de saccis, & aliis peciis, cum benedictione Dei. Quos moneo, & exhortor, ne despiciant, neque iudicent homines,quos viderint mollibus vestimentis, & coloratis indutos, vti cibis, & potibus delicatis, sed magis vnusquisque iudicet,& despiciat semetipsum.

CAPVT III.

De diuino officio, & ieiunio: & quomodo Fratres debeant ire per mundum.

CLerici faciant diuinum officium secundum Ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breuiaria.Laici verò dicant vigintiquatuor Pater noster pro matutino; pro laudibus quinque; pro prima, tertia, sexta,& nona, pro qualibet istarum horarum, septem:pro vesperis autem duodecim: pro Completorio septem, & orent pro defunctis. Et ieiunent à festo omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini. Sanctam verò Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania vsque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecrauit, qui voluntariè eam ieiunant, benedicti sint à Domino: & qui nolunt, non sint adstricti, sed aliam vsque ad resurrectionem Domini ieiunent. Aliis autem temporibus non teneantur, nisi sexta Feria ieiunare. Tempore verò manifestæ necessitatis, non teneantur Fratres ieiunio corporali. Consulo verò, moneo, & exhortor Fratres meos in Domino Iesu Christo, vt quando vadant per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent; sed sint mites, pacifici, modesti, mansueti, & humiles, honestè loquentes omnibus, sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur. In quamcunque domum intrauerint, primum dicant;*Pax huic domui.*Et secundum sanctum Euangelium, de omnibus cibis, qui apponuntur eis,liceat manducare.

CAPVT IV.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

PRæcipio firmiter Fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios,vel pecuniam recipiant per se, vel interpositam personam. Tamen pro necessitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis,per amicos spirituales, Ministri tantum, & Custodes solicitam curam gerant, & secundùm loca,& tempora, & frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire:eo semper saluo,vt (sicut dictum est) denarios,vel pecuniam non recipiant.

CAPVT V.

De modo laborandi.

FRatres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter, & deuotè,ita quòd excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis, ac deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deseruire. De mercede verò laboris pro se, & suis Fratribus, corporis necessaria recipiant, præter denarios, vel pecuniam: & hoc humiliter,sicut decet seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.

CAPVT VI.

Quòd Fratres nihil sibi approprient; & de eleemosyna petenda: & de Fratribus infirmis.

FRatres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem:sed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc seculo, in paupertate,& humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter.Nec oportet eos verecundari; quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis,

tatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos hæredes & Reges Regni cælorum inſtituit: pauperes rebus fecit, virtutibus autem ſublimauit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viuentium. Cui, dilectiſſimi Fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in perpetuum ſub cælo habere velitis. Et vbicunque ſunt, & ſe inuenerint Fratres, oſtendant ſe domeſticos inuicem inter ſe, & ſecurè manifeſtet vnus alteri neceſſitatem ſuam: quia ſi mater nutrit, & diligit filium ſuum carnalem, quantò diligentiùs debet quis diligere, & nutrire Fratrem ſuum ſpiritualem? Et ſi quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij Fratres debent ei ſeruire, ſicut vellent ſibi ſeruiri.

Capvt VII.

De Pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.

SI qui Fratrum, inſtigante inimico, mortaliter peccauerint, pro ipſis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, vt recurratur ad ſolos Miniſtros Prouinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere quàm citiùs poterunt ſine mora. Ipſi verò Miniſtri, ſi Presbyteri ſunt, cum miſericordia iniungant illis pœnitentiam; ſi verò Presbyteri non ſunt, iniungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, ſicut eis ſecundùm Deum meliùs videbitur expedire. Et cauere debent, ne iraſcantur, & conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira, & conturbatio in ſe, & in aliis, impediunt charitatem.

Capvt VIII.

De electione Generalis Miniſtri huius Fraternitatis, & de Capitulo Pentecoſtes.

VNiuerſi Fratres vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere in Generalem Miniſtrum, & ſeruum totius Fraternitatis. Et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente electio ſucceſſoris fiat à Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes. In quo Prouinciales Miniſtri teneantur ſemper inſimul conuenire, vbicunque à Generali Miniſtro fuerit conſtitutum: & hoc ſemel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem, vel minorem, ſicut à prædicto Miniſtro fuerit ordinatum. Et ſi aliquo tempore appareret vniuerſitati Miniſtrorum Prouincialium, & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem ad ſeruitium, & communem vtilitatem Fratrum: teneantur prædicti Fratres (quibus electio data eſt) in nomine Domini alium ſibi eligere in Cuſtodem. Poſt Capitulum verò Pentecoſtes, Miniſtri, & Cuſtodes poſſint ſinguli, ſi voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in ſuis Cuſtodiis ſemel Fratres ſuos ad Capitulum conuocare.

Capvt IX.

De Prædicatoribus.

FRatres non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus Fratrum populo penitus audeat prædicare, niſi à Miniſtro Generali huius fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus, & ab eo ſibi officium prædicationis conceſſum. Moneo quoque, & exhortor eoſdem Fratres, vt in prædicatione, quam faciunt, ſint examinata, & caſta eorum eloquia, & ad vtilitatem, & ædificationem populi, annunciando eis vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam cum breuitate ſermonis, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram.

Capvt X.

De admonitione, & correctione Fratrum.

FRatres, qui ſunt Miniſtri, & ſerui aliorum Fratrum viſitent, & moneant Fratres ſuos, & humiliter, & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam, & Regulam noſtram. Fratres verò, qui ſunt ſubditi, recordentur, quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Vnde firmiter præcipio eis; vt obediant ſuis Miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ ſuæ, & Regulæ ſuæ. Et vbicunque ſunt Fratres, qui ſcirent, & cognoſcerent ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſeruare, ad ſuos Miniſtros debeant, & poſſint recurrere. Miniſtri verò charitatiuè, & benignè eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, vt dicere poſſint eis, & facere ſicut Domini ſeruis ſuis: nam ita debet eſſe, quòd Miniſtri ſint ſerui omnium Fratrum. Moneo verò, & exhortor in Domino Ieſu Chriſto, vt caueant Fratres ab omni ſuperbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura, & ſolicitudine huius ſeculi, à detractione, & murmuratione. Et non curent neſcientes literas, literas diſcere; ſed attendant, quòd ſuper omnia deſiderare debent, habere ſpiritum Domini, & ſanctam eius operationem, orare ſemper ad Deum puro corde; & habere humilitatem, & patientiam in perſecutione, & infirmitate, & diligere eos, qui nos perſequuntur, reprehendunt, & arguunt, quia dicit Dominus: *Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam; quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.*

Capvt XI.

Quòd Fratres non ingrediantur Monaſteria Monachorum.

PRæcipio firmiter Fratribus vniuerſis, ne habeant ſuſpecta conſortia, vel conſilia mulierum. Et ne ingrediantur Monaſteria Monachorum, præter illos, quibus à Sede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis. Nec fiant compatres virorum, vel mulierum, ne hac occaſione, inter Fratres, vel de Fratribus ſcandalum moueatur.

Capvt XII.

De euntibus inter Saracenos, & alios infideles.

QVicunque Fratrum, diuina inſpiratione, voluerit ire inter Saracenos, & alios infideles; petant inde licentiam à ſuis Miniſtris Prouincialibus. Miniſtri verò nullis eundi licentiam tribuant,

buant, nisi eis, quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam iniungo Ministris, vt petant à Domino Papa vnum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector,& Corrector istius fraternitatis; vt semper subditi,& subiecti pedibus eiusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, paupertatem, & humilitatem,& sanctum euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus obseruemus.

Explicit Regula,& Vita Fratrum Minorum.

Circa §. 2.

8. HOc etiam priuilegium habetur *in Mari magno Prædicatorum* §. 7. Prætor dicta autem eo loco notandum, quod per *Regulas iuris*, à quibus eximuntur Minores in electione Generalis,& Prouincialis non intelliguntur essentialia electionis, nec formæ inductæ à Iure, præsertim *cap. Quid propter.* & Concilio Tridentino; sed hæ solemnitates, quæ non sunt de essentia, nimirum quod statuitur *cap. Bonæ memoriæ 2. de elect.* scilicet, quod electio non fiat ante sepulturam prædecessoris, & quod *in cap. Ne pro defuncto, de electione* statuitur, videlicet quod intra tres menses prouideatur de Prælato, & quod *cap. Cupientes, de elect. in 6.* videlicet, quod præsentetur electio intra octo dies,& quod *cap. Quam sit, de elect. in 6.* nempe quod intra mensem electus consentire teneatur, & intra tres menses confirmationem petere. Miranda *tomo 2. Manualis, quæst.* 13. *art.* 10. Sigismundus de Bononia *supra dubio* 19. *num.* 5. Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Constitut. Iulij II. num.* 6. Sanctorus *in Commentariis moralibus in Statuta, & Constitutiones Minorum, cap.* 8. *Statuto* 13. numerat inter ista iuramentum de eligendo magis idoneo. Cæterum ex nouis decretis Clementis VIII. & Vrbani VIII. simile iuramentum præstari debet, vt patet ex talibus Decretis. Melius id dicit de Missa Spiritus sancti præmittenda iuxta dicta *tomo 3. verbo Electio inter Regulares, n.* 10. quo etiam verbo plura alia ad intentum.

9. Nota tamen, quod quemadmodum eo *num.* 10. dixi, cùm hoc priuilegium solum sit pro electione Generalis, & Prouincialium, ideo in electione Superiorum prædictæ Regulæ, & solemnitates accidentales ex vi præcepti Iuris Canonici obseruari debent; maximè cùm in eis non procedat ratio, propter quam Pontifex concedit dictum priuilegium pro electione Generalis, & Prouincialium, scilicet, quod in ipsis *frequenter de remotis partibus oporteat conuenire* Fratres. Et quia illi institui solent *aliter quam per electionem*, vt constabit ex dicendis *circa* §. 3.

Circa §. 3.

10. IN hoc indulto declarat Pontifex Custodes, & Guardianos aliter quam per electionem institutos exercere posse suum officium ligando, & absoluendo Fratres. Pro quo suppono, quod in Ordine Minorum præter Generales, Prouinciales, Commissarios, Visitatores, Diffinitores, & alios Officiales, de quibus Porrellus *in dub. Regular. verbo Prælatus, num.* 1. & Sanctorus *supra cap.* 8. *statut.* 1. esse etiam Custodes, & Guardianos. Ex quibus Custodes aliquando sumuntur pro veris Prælatis habentibus sub se Custodias, Conuentus, & Guardianos, aliquando verò solùm pro electis ad habendum vocem in Capitulis generalibus. De quibus non solum Portellus, & Sanctorus relati, sed etiam Rodriguez *tomo* 1. *quæst. Regular. quæst. vlt. art.* 2. Miranda *tomo* 2. *quæst.* 18. *art.* 1. alter Rodriguez *Resolut.* 50. *num.* 7. In præsenti ergo indulto est sermo de Custodibus primi generis, qui scilicet sunt verè Prælati, prout supponitur in ipso indulto, & tenent Corduba *in annotat. ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo Guardianus*,& Sigismundus de Bononia *de elect. Prælat. dub.* 108. Guardiani autem sunt immediati Prælati Monasteriorum, quales sunt Priores in Ordinibus trium aliorum Mendicantium, & de quibus dixi *tom.* 2. *cap.* 13. *num.* 36.

Nota secundò, ex vi iuris communis electionem Prælati Monasterij spectare ad ipsum Monasterium, Monachos scilicet, vel Fratres illius. *cap. congregatio* 16. *quæst.* 7. *cap. Abbatem* 2. *cap. Abbas* 2. 18. *quæst.* 2. *cap. fin. quæst. vlt. cap. cum terra, & cap.* 1. *de elect. cap. cùm dilectus, de consuetud. cap.* 2. § *fin. de stat. Monach.* Rota *decis.* 65. *part.* 1. *in recent. & decis.* 296. *num.* 5. coram Coccino. Verallus *dec.* 296. *p.* 1. Nauar. *comment.* 3. *de Regularibus, num.* 2. *& lib.* 1. *cons.* 3. *num.* 3. *tit. de elect. in nouis*. Sigismundus *supra dub.* 14. *num.* 2. Barbosa *in collect. DD. in cap.* 1. *de elect.* post alios. Quia ergo Communitates Religiosorum nullo modo possunt facere leges, aut statuta iuri communi contraria, nisi ad hoc habeant Sedis Apostolicæ priuilegium, *cap. super his de maiorit. & obedient.* Rota *decis.* 267. *num.* 7. *&* 8. coram Ludouisio, *& dec.* 103. *num.* 7. *&* 8. *part.* 2. *diuers.* Panormit. & Dec. *in cap. si duobus de appellat.* Nauarrus *lib. consil.* 3. *num.* 1. *de elect. in nouis*, Rodriguez *tom.* 3. *quæst. regul. quæst.* 111. *art.* 1. Suarez *de legibus, lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 7. Sigismundus *supra, dub.* 108. *num.* 2. ideo ad hoc, quod Minores possint instituere Custodes,& Guardianos aliter quam per electionem Fratrum, iuuat hoc priuilegium. Cùm enim in illo concedat Pontifex, quod dicti Custodes, & Guardiani instituti secundum Ordinis statuta aliter quam per electionem, *curam animarum fratrum sibi subditorum habeant*, consequenter etiam approbat talia statuta, ex vi quorum instituti erant & non per electionem Fratrum. Ita intelligit hoc priuilegium Sigismundus *dict. dub.* 108. *num.* 7. *&* 8. & fauet Corduba *suprà*, ac maximè Rodriguez *tomo* 2. *quæst. regul. quæst.* 53. *art.* 1. Quomodo autem instituantur dicti Guardiani, consule Rodriguez *ibidem*, & Sanctorum supra *cap.* 8. *statut.* 42. Et quia ipse Rodriguez dicit hoc etiam obseruari in Ordine Carmelitarum, vnde dicenda circa Mare magnum Carmelitarum §. 68. ex priuilegio Sixti IV. Quomodo etiam hi Prælati instituti non indigeant confirmatione, collige ex iis, quæ dicam infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 68. relatum. Idque admittit de Guardianis electis Sanctorus supra *statut.* 13. ex Gregorio XIII. 11.

Circa §. 4.

PRiuilegium hoc circa Lectorum institutionem simile est alteri, quod pro Ordine Prædicatorum habetur in eorum Mari magno § 4. Circa quod præter ibi,& locis inibi relatis dicta, nota primò, verba illa. *Ac etiam quibus in facultate ipsa docturus solemniter incipere consueuit.* denotare quòd in illis locis, in quibus consuetudine obtentum est, vt aliquis solemnis Magister incipiat ante alios legere Theologiam, non possint dicti Religiosi incipere. Veruntamen quia in Mari magno Carmelita 12.

litarum §.85. vbi est simile priuilegium, non apponitur talis limitatio, ideo sine illa subsistere poterit, sicut etiam tam in dictis, quam in aliis quibuscunque locis, quantum ad facultatem legendi Theologiam sine licentia alicuius, non obstante quod aliter supponi videatur in *cap. 1. 2. & 3. de Magistris*, quia priuilegium generaliter loquitur. Peirinis *tomo 1. priuileg. Minim. in Constit. 2. Iulij II. num. 15.* Pro quo vide dicenda in Mari magno Minimorum *circa §. 5.* Nota 2. quod quamuis in his priuilegiis nihil dicatur de facultate legendi Logicam, Philosophiam, vel Metaphysicam; nihilominus consuetudine habetur, vt Religiosi legere possint etiam huiusmodi scientias in suis Monasteriis, nullius licentia ad hoc requisita. Id etiam ex eo suaderi potest, quia cui conceditur maius, & minus concedi videtur *leg. filius familias §. fin. ff. de donationibus, l. Marcellus, ff. de donat. causa mortis, l. non debet, ff. de Regul. Iuris, cap. ex parte, de decim.* Ioan. Maria Nouar. *quæst. forens. lib. 1. q. 24. n. 5.* minus enim semper inest in eo, quod plus est, *l. in eo, ff. de regul. iuris.* Farin. *in praxi crimin. part. 4. dec. 10. num. 6.* Barbosa *in Axiomatibus iuris, axioma 140.* quod præsertim procedit, quando minus est annexum, vel inclusum in maiori, vel ab eo inseparabile, prout in simili de dispensationibus probat ex DD. multis Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 1. num. 35.* Adde, quod cum Iure communi *cap. 1. 2. & 3.* de Magistris ac in Concilio Tridentino *sess. 5. de refor. cap. 1.* solùm supponi videatur, quod nullus possit alios docere Theologiam, vel sacram Scripturam sine licentia, permitti id videtur de aliis scientiis inferioribus.

13. Nota præterea pro huiusmodi lectoribus, quod si solum importet titulus Lectoris munus legendi, tunc Lectoratus erit merum officium etsi honorificum in Religionibus. Sanchez *lib. 6. in decalog. cap 7. num. 129.* Bordonus *resolut. 29. n. 114.* Si autem talis titulus importet gradum aliquem in Religione, prout importat in Ordine nostro in partibus Italiæ, & esse lectorem Iubilatum in Ordine Minorum, tunc Lectoratus non erit merum officium, sed veluti personatus in Religione, cùm importet præeminentiam seu præcedentiam sine iurisdictione, iuxta dicta *tom. 2. cap. 13. num 6. & t. 3. verbo Illegitimi Regulares, num. 8.* Vide Bordonum *suprà*, & pro Lectoribus Iubilatis Minorum, Sanctorum *supra c. 5. statuto 13.* ac pro illis, qui habent peculiaria priuilegia ad legendum, in propriis Monasteriis non solum Philosophiam, & Theologiam, sed etiam alias facultates videnda est S. Rotæ decisio in vna Cracouiensi *Iuris legendi* coram Ghisilierio ann. 1629. in fauorem PP. Iesuitarum Regni Poloniæ, vbi multa spectantia ad huiusmodi lecturas, sicut in alia eiusdem tituli, & materiæ coram Coccino.

Circa §. 5.

14. Concedit hoc loco Pontifex Minoribus, vt approbati à Prouincialibus cum Diffinitoribus in Capitulo Prouinciali possint exercere munus concionandi, etiamsi ex vi regulæ solum à Generali concedi posset tale munus. Simile etiam priuilegium habetur in Mari magno Carmelitarum §. 85. Et ferme simile in Mari magno Eremitarum S. Augustini §. 1.

15. Nota tamen circa illud moderatum esse à Concilio Tridentino. Etenim *sess. 5. cap. 2.* sic habet: *Regulares vero cuiuscunque Ordinis nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint.* Item *sess. 24. cap. 4. Nullus autem sæcularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat.* Itaque facultas concessa in præfato priuilegio Minoribus ad prædicandum generaliter populo limitata est à Concilio, ita vt ad prædicandum intra proprias Ecclesias sufficiat licentia Superiorum, & benedictio Episcopi, aut quod non contradicat; ad prædicandum vero extra illas requiratur tum licentia Superiorum, tum Episcopi. De qua materia latè dixi *tomo 1. cap. 20. & tomo 2. cap. 1. num. 17. & tomo 3. verbo Concionari, & Concionator Regularis.* Vide Barbosam *in collectan. DD. super sess. 5. cap. 2. Concilij*, vbi specialiter *num. 19.* affert ex Aldana *tit. 4. num. 10.* declarationem S. Congregat. Episcop. & Regular. pro die 30. Ianuarij, quam ego refero dicto verbo *Concionari, & Concionator Regularis, numero 7.* ex qua habetur posse Regulares in Ecclesiis sui Ordinis prædicare, etiam contradicente Episcopo. Quod videtur limitandum iuxta alias declarationes sacræ Congregationis pro die 21. Augusti 1615. & pro die 9. Nouembris 1635. ac pro 11. Ianuarij 1641. & 14. Februarij 1642. qualis talis contradictio Episcopi fuerit sine causa. Notat autem Bordonus *in resolut. 7. num. 15. §. vsus* esse vsum apud Regulares prædicandi in propriis Ecclesiis extra Aduentum, & Quadragesimam. Sed quidquid de hoc vsu oppositum habetur ex declaratione sacræ Congregationis quàm ex Gauanto retuli eo verbo *Concionari, & Concionator Regularis, n. 7.* vbi etiam qualiter id speciali decreto Romæ præcipiatur.

Nota etiam quod quamuis in præfato priuilegio solum concedatur facultas Prouinciali cum Diffinitoribus in Capitulo Prouinciali congregatis ad dandum licentiam Fratribus ad prædicandum; consuetudine tamen Religionum habetur, vt Prouinciales per se soli illam præstent. Imo id videtur esse conforme Concilio, siquidem loco relato solum petit licentiam *Superiorum.* Conformiter etiam ad Concilium Lateranense sub Leone X. *sess. 21.* vbi solum petitur examen *per Superiorem* factum. Nihilominus in Capitulo Generali, vel Prouinciali eligi debent *aliquot graues, & periti ex Fratribus cuiuslibet Prouinciæ saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei diligenter examinent*, iuxta dicta ex decretis pro *Reformatione Regularium* Clement. VIII. & Vrbani VIII. *tomo 2. cap. 12. num. 33.* Ex quo proinde sequitur, quod ex vi istorum decretorum hoc examen faciendum est à prædictis tribus designatis, non autem à Prouinciali, & Diffinitoribus, vt habetur in præfato priuilegio; nec à solo Prouinciali. Sanctorus *suprà capitul. 9. statut. 1. §. 5.* Vbi etiam de pœnis, quas incurrunt Concionatores non ritè approbati. De quo etiam Bordonus *supra num. 28.* 16.

Nota præterea quod Regulares admittendi ad prædicationem verbi Dei debent esse ex vi præfati priuilegij *in S. Pagina eruditi.* ex Concilio Lateranensi loco relato, *morum honestate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplaritate* apti, & idonei, ex Concilio Tridentino loco etiam relato, 17.

telato, *vita, moribus, & scientia excommunicati, & approbati.* De quibus conditionibus Sanctorus *d. cap. 9.* & Mare magnum Carmelitarum §. 85. & 86, quo loco etiam alia ad intentum.

Circa §. 6.

18. DE hoc priuilegio, seu de alio concesso Ordini Prædicatorum in eadem forma verborum, in quo conceditur facultas suscipiendi Ordines à quocunque Episcopo, dixi supra *circa* §. 8. *Maris magni Prædicatorum,* illud non subsistere his temporibus, non solùm propter decretum Concilij Trident. *sess.* 23. *cap* 8. sed maximè propter declarationem S. Congregationis, quam eo loco, & aliis ibi relatis adduxi. Et quod attinet ad illud de Religiosis admittendis ad Ordines sacros sine vllo examine, reuocatum esse dixi tum ex decretis Concilij Lateranensis, & Tridentini, tum ex declaratione S. Congregationis, & Constitutione Sixti V. eo loco relatis.

19. Pro huiusmodi tamen examine consequenter ad dicta 4. *tom. verbo Ordines sacri num.* 13. & loco relato nota, quod si contingat Religiosum Doctorem velle ordinari, examinare, non debere: quia supponitur notoriè litteratus. Henriquez in *Summa lib.* 10. *cap.* 18. *in principio.* Cenedus *ad decretum collect.* 15. *num.* 3. Barbosa *de clausul. clausula* 151. *num.* 4. ex aliis. Nota etiam quod semel reprobatus, & reiectus ab ordinatione, potest iterum admitti ad examen. Provt colligo ex multis Rotæ decisionibus, quas affert Barbosa *supra n.*4. quia nouum examen videtur necessarium ad probandam scientiam semel reprobati, & ad videndum, an grauamen aliquod sit illi ab examinatoribus illatum.

20. Quamuis etiam iuxta dicta *tom.* 1. *summa cap.* 13. *num.* 24. Regulares non callentes linguam Latinam ordinari non debeant, nihilominus Domini Episcopi animaduertere debent quod minor scientia requiritur in Regularibus quam in sæcularibus ad Ordines suscipiendos; quia Regulares ob continuum commercium, & exercitium cum Fratribus doctis faciliùs addiscere possunt ea quæ sunt necessaria pro sacrorum Ordinum exercitio, quam sæculares. Ita ex Rodriguez, Miranda, Graffio, & aliis sequuntur Marchinus *tract.* 1. *de Sacramento Ordinis part.* 5. *cap.* 1. *num.* 9. 10. & 11. & Sanctorus *supra cap.* 2. *Statuto* 54.

21. Ordinandi autem Regulares non eundem gradum scientiæ neque easdem qualitates ad singulos Ordines requirunt. Etenim ad primam tonsuram solum requiritur, quod Sacramentum Confirmationis susceperint, & fidei rudimenta sciuerint, & legere ac scribere. Ad Ordines autem minores linguæ Latinæ intelligentia est necessaria. Ad Subdiaconatum, & Diaconatum vlterius requiritur peritia eorum, quæ ad dictos Ordines exercendos est necessaria. Ad Presbyteratum verò vt possint docere populum ea, quæ scire omnibus est necessarium ad salutem, & ministrandum Sacramenta. Ita enim habetur ex Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 4. 11. 13. & 14. ac notant Sanctorus *supra*, & Candidus *tom.* 4. *disquis.* 4. *art.* 12. *num.* 3. & *sequentib.* Vide ipsum, & Azorium *tom.* 2. *instit. moral. l.* 6. *c.* 6.

22. Hic tamen aduertendum, quod quamuis Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. q.* 18. *art.* 5. & 6. & Laymanus *lib.* 5. *tract.* 9. *c.* 9. quos refert Candidus *tom.* 4. *disquis.* 4. *art.* 4 *num.* 28. commemorent priuilegia aliqua Regularium, quibus ipsis conceditur facultas dandi dimissorias suis subditis ad suscipiendum Ordines à quocumque Episcopo, & dicant ea non esse derogata per Concil. Trident. nihilominus modo standum est decreto S. Congregat. sub Clem. VIII. quod retuli in Mari magno Prædicatorũ *circa* §. 8 & aliis locis ibi relatis.

Circa §. 7. & 8.

HÆc priuilegia habendi Oratoria, in quibus cum altari portatili Missarum solemnia, & alia diuina officia celebrentur, ac Ecclesiastica recipiantur Sacramenta, etiam tempore interdicti, ampliata sunt à Sixto IV. in hoc eodem Mari magno §. 39. & ideo eo loco de ipsis dicendum, sicut in simili dixi de iisdem priuilegiis Prædicatoribus concessis in ipsorum Mari magno §. 9. 10. 39. & 40. Maximè cum priuilegium hoc pro tempore interdicti conforme iam sit iuri communi. *cap. Alma mater. de sentent. excommunic. in* 6. quod est Bonifacij VIII. 23.

Circa §. 9.

DE hoc priuilegio concesso Minoribus ad ministrandum Ecclesiastica Sacramenta suis familiaribus, & eos sepeliendum, cum decesserint dixi supra circa Mare magnum Prædicator. §. 11. & locis ibi citatis. Nunc specialiter addendum conformiter ad dicta *tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 1. quod familiarium, seu seruitorum nomine solum veniunt illi, qui continuò, vel quasi continuò Regularibus deseruiunt, non illi, qui casualiter aut ex arbitrio id faciunt. Id enim colligitur ex verbo illo, quod est in hoc priuilegio, *Immorantur obsequiis*, quod denotat permanentiam. Et ita tenent Ægidius Bullam. *Cons.* 6. *num.* 10. & *seq.* quem refert Card. Tusch. *pract. concl. tom.* 8, *litt.* V. *concl.* 92. *num.* 3. & Barbosa *in tract. de appellat. verb. Iuris appellat.* 243. *num.* 4. qui etiam *num.* 5. ex Rebuffo, & Stephano Gratiano tenet seruitorum appellatione venire etiam illos, qui præsunt viridariis. Specialiter quod attinet ad ministrationem Eucharistiæ tempore Paschalis, aut articulo mortis, vide dicta *tomo* 3. *verbo Eucharistia, quoad Regulares num.* 8. & 9. Et quod attinet ad conditiones requisitas, vt iis, & similibus priuilegiis vti possint dicti familiares, vide dicta *tom.* 2. *cap.* 16. per totum. 24.

Quod si specialiter, provt ad Sacramentum Pœnitentiæ spectat, quæras, an Religiosi, qui illud administrant suis familiaribus habentibus dictas conditiones, possint illos absoluere à casibus reseruatis, sicut absoluunt Religiosos. Respondeo, quod à casibus reseruatis Ordinatio, vel à casibus contentis in Bulla Cœnæ, non possunt illos absoluere; propter dicta eo *cap.* 16. *num.* 17. contra Peirinis, ex decretis S Congregationis ibi relatis. Ab aliis autem casibus reseruatis Papæ, Bordonus *Resol.* 3. *num.* 8. tenet absoluere illos posse, propter priuilegia quædam Eugenij IV. & Nicolai V. concessa suæ Religioni. Sed prærerquam ea habent aliquas limitationes, vt legenti constabit, reuocata videntur propter decreta S Congregationis, quæ retuli *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 15. provt in simili dixi de alio priuilegio Vrbani IV. pro Carmelitis *t.* 2. *c.* 16. *n.* 17. relato. Etsi non censeam improbabilem hanc Bordoni sententiam, cui etiam fauet Peirinis *t.* 1. *priuil. Minim. in constit.* 1 *Iulij II.* §. 15. *n.* 14. eo scilicet, quod familiares Religiosorum, de quibus in præsenti, sunt illi, qui iuxta dicta 25.

eo

eo *capitulo* 18. *num.*15. actualiter seruiunt illis, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt, vt propterea censeantur veluti membra earum religionum. Vnde similiter de huiusmodi familiaribus commensalibus Religiosorum dixi eo *capit.*16.*num.*16.non carere probabilitate asserere posse confiteri sua peccata Religiosis solum approbatis à suis Prælatis, prout tenent non solum Ioannes de Cruce, & Peirinis ibi relati, sed etiam Megala, Fernandez, Homobonus, & alij, quos referunt Barbosa *in Collectan. Concil. sess.* 23. *cap.* 15. *num.* 11. & Bordonus *resolut.* 34. *num.*41.

26. Addit præterea idem Bordonus *resolut.*38.*n.*5. huiusmodi familiares commensales Regularium si sint perpetui, ligari casibus reseruatis à Prælatis dictorum Regularium; eo quòd habent domicilium intra claustra,ac proinde quemadmodum sæculares, qui sunt in diœcesi alicuius Episcopi, subiiciuntur casibus reseruatis ab illo, ita de istis familiaribus videtur dicendum. Sed quamuis hoc admitti possit de Tertiariis, iuxta dicta ex Reuerendissimo Stratio, & Patre Diana *t.* 4.*verbo Tertiarij, & Tertiariæ,num* 6.sed non de familiaribus, qui sunt mere, & omnino sæculares, & solum manent sub obedientia seruili Religiosorum, & simpliciter subiecti Episcopis, quoad omnia, præterquam in illis, circa quæ habent priuilegia à Sede Apostolica. Vide dicenda circa §.10.

Circa §. 10.

27. DE simili priuilegio exemptionis familiarium ab aliquibus censuris Ordini Prædicatorum concesso dixi in ipsorum Mari magno §.12.& aliis locis ibi relatis. Et præter ibi dicta, nota ex verbis illis. *Nisi excommunicari specialiter, seu interdici contigerit eosdem*, colligi posse duo ad intentum, primò huiusmodi familiares Regularium simpliciter subiici Ordinariis iuxta dicta §.*præcedenti*, siquidem vt in hoc priuilegio supponitur, possunt ab illis *excommunicari, seu interdici*.Secundò,quod cùm aliqui Authores, specialiter Porrellus *in dub. Regular.verbo famuli*, *num.*4. Hieronymus Rodriguez *in Compend.resolut.*62. *num.*9. & Peirinis *tomo* 1.*priuileg. Minimor. in Constitut.* 1. *Iulij II.* §.15. *num.*13.dicunt, familiares Religiosorum non posse ab Episcopis excommunicari, intelligendum id est de excommunicatione generali, qua scilicet, plures personæ alicuius oppidi, vel terræ in communi excommunicantur, ab hac enim excommunicatione incurrenda eximuntur præfati familiares; non de excommunicatione particulari, aut speciali, quia, vt patet ex verbis huius priuilegij, ab ipsa non eximuntur. Neque aliud probant priuilegia Alexandri IV. & Leonis X. quæ ibi refert idem Peirinis. Idem dico de alio priuilegio Alexand. IV. pro seruitoribus Fratrum Hospitalis S. Ioannis, quod retuli *tom.*2.*cap.*26.*num.*4. iuxta dicta eodem *cap. num.*23. Quod autem intelligi debeat hoc pacto priuilegium hoc pro seruitoribus Fratrum Hospitalis sancti Ioannis, quod retuli *tomo* 2.*cap.*16. *num.*4. iuxta dicta eodem *cap.num.*23. Quod autem intelligi debeat hoc pacto priuilegium hoc pro seruitoribus Fratrum Hospitalis sancti Ioannis, collige ex iis, quæ habent Zerola *in prax. Episcop. part.*1. *verbo Exemptio*, *quæst.*3 & Stephanus Vveyms *ad Constitut.*24. *ex antiq. iur. deprompt. & Concil. Trident. innouat. Constitut.*21. *num.*9. & Barbosa *in Collect. DD. ad Concil.sess.*24. *cap.*11.*num.*10. Nota etiam dictionem *Specialiter* æquipollere dictioni *Expresse*, vt *in leg. fin.* vbi Glossa *Cod.de neg.gest.*& *in leg.fin.* vbi etiam Glossa verbo *specialiter Cod.quod cum eo.* Parisius *cons* 45. *n.*9.*lib.*3.Ceuallos *commun. contra commun.q.*780.*n.*240.Barbosa *de dictionib.dict.*381.

Alia habes in Mari magno Carmelitarum,§.52. circa simile priuilegium ipsis concessum,vbi etiam de aliquibus, quæ alij notant circa ipsius intelligentiam. 28.

Circa §. 11.

DE simili priuilegio etiam concesso Prædicatoribus pro facultate commorandi inter excommunicatos,& ab eis necessaria postulandi,dixi non pauca supra *in Mari magno Prædic.circa* §.13. quæ etiam præsenti deseruire possunt. 29.

Specialiter autem circa illa verba, *Et quia vos extremam patientes pro Christi nomine paupertatem, exhortationis pio studio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter reuocatis*, & in quibus causæ assignantur concessionis huius priuilegij, dubium esse potest tam pro hoc quàm pro aliis priuilegiis, in quibus etiam causæ concessionis illorum designantur,an in casu, quo prædictæ causæ,seu rationes cessent in Ordine Minorum, aut aliis, qui habent communicationem priuilegiorum cum ipso, cesset etiam hoc priuilegium, vel alia habentia similes causas. Ad quod, consequenter ad dicta *tomo* 4.*verbo Priuilegia Regular. num.* 14. dicendum primò, quod quando causa finalis priuilegij non cessat adæquatè, sed inadæquatè tantum, ita vt maneant saltem aliquæ reliquiæ ipsius tunc non extinguitur priuilegium. Ratio est, quia tunc remanet aliquid,propter quod Princeps prudenter potuit concedere illud priuilegium, & cum deceat beneficium Principis permanere, in quantum fieri potest. *Reg.decet de Reg.iur. n.* 6. & ex alia parte minor causa desideretur ad conseruationem priuilegij, quàm ad eius concessionem. *cap. super his,de accus.*2. profecto quando inadæquatè saltem perseuerat causa finalis priuilegij, ipsum quoque permanere censendum est. Glossa *in Reg. Decet relata*, Dinus ibi *num.*3. Rolandus *cons.*52.*n.*55.*vol.*2.quos refert,& sequitur Sanchez *lib.*8.*de Matr.disp.*30.*n.*8.Dicendum secūdò,quando causa finalis priuilegij cessat adæquatè, ita vt nihil ipsius maneat,tunc extinguitur priuilegium. Colligitur primò ex *capitulo generaliter* 16.*q.*1.*& c. tuæ de Cler.non resid.& c. Abbate in fin.de verb.sign.* vbi habetur gratiā,& priuilegiū extingui cessante fine cōcessionis.Secundò ex *c.cum cessante,de appell.* vbi dicitur, quod *cessante causa cessat effectus*; quod maxime de causa adæquata intelligendum venit, Accedente etiam *l.Vranius* 72. *vers. sed cum duo ff. de fideiussor.*& ratione,scilicet,quod cùm valor priuilegij pendeat à tali causa finali in fieri,& conseruari,sicut non concessum fuit nisi propter illam,sic nec durare,aut perseuerare poterit illa cadente,Panormit.*in cap. suggestum de decim.num.*5. *& in cap. recolentes de stat. Monachorum*, *num.*1. *in fin.* Felinus *in cap. quæ in Ecclesiarum de Constit. num.* 29. Barbosa senior *leg.* 1. *part.* 1. *num.*85. *ff.de solut.matrim.*& alij, quos referunt, & sequuntur Sanchez *lib.*8. *de Matrim. disp.* 30. *num.*14. & Suarez *de legibus lib.*8.*cap.*30.*num.*1. 30.

Dixi cessare priuilegium,quando cessat adæquatè causa finalis concessionis ipsius,quia loquendo de causa impulsiua talis concessionis,etiāsi illa cesset, non cessabit priuilegiū.Ratio sumitur ex differētia, quæ 31.

quæ est inter causam finalem, & impulsiuam, causa enim finalis ea dicitur, qua non existente Princeps non concederet priuilegium: impulsiua verò ea, quæ impulit eum ad priuilegij concessionem, sine qua tamen illud concederet. Ex hoc enim infertur, quod sicut priuilegium non pendet in fieri à causa impulsiua, sic nec in conseruari, ac proinde quod etiamsi cesset causa impulsiua, non propterea cesset priuilegium. Ita etiam colligitur ex *c. dudum, vers. nos igitur, de præbend. in 6. cap. fin. de fil. presbyt. in 6.* & aliis iuribus, & Doctoribus, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 8. de Matrimonio, disp. 21. num. 11. & 17.* Fauet Suarez *d. cap. 30. num. 1.*

32. In dubio tamen quando attentis omnibus circumstantiis dubitatur, an causa assignata à Principe in concessione priuilegij sit finalis, aut impulsiua, quamuis aliqui finalem esse censendam credant, verius tamen est solum censendam impulsiuam; eo quod valori actus iura fauent, atque in dubio eum præsumunt valere. *c. Abbate de verb. sig. & l. quoties ff. de rebus dubiis.* Corduba *in Summa, q. 45. opin. 1. punct. 1. in 2. rat.* Sanchez *suprà, n. 20.* Trullenc. *in Dec. lib. 2. c. 2. dub. 4. n. vlt.* post alios plures.

33. Adhuc tamen circa cessationem causæ finalis concessionis priuilegij, propter quam dixi cessare etiam priuilegium, nota id quod dictum est eo verbo *Priuilegia Regularium, n. 14.* ex Suarez ibi relato, quod etiam sequitur Bonacina *de legibus, disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 2. n. 5.* videlicet hunc modum decisionis priuilegij propter cessationem causæ finalis adæquatæ non habere locum in priuilegiis, quæ non sunt contra ius commune, aut ius alicuius tertij, sed meræ gratiæ, & beneficium Principis, propter ibi dicta. Notat etiam idem Suarez eo *c. 30. n. 6. & seqq.* quod ad hoc vt cesset priuilegium ob cessationem causæ necessarium esse, quod illa cesset non solum negatiuè, id est: quod non subsistat, sed etiam contrariè, id est, quod vsus priuilegij factus sit iniustus, vel iniquus. De quo à simili dixi *t. 4. verbo Leges Regularium, num. 59.* videatur Salas *de legibus, disp. 20. sect. 6. num. 67.* & Bonacina *supra.*

34. Ex iis autem patet solutio ad dubium propositum de cessatione huius priuilegij, propter cessationem causæ assignatæ à Pontifice in concessione illius. Si enim dicatur, vt dici potest, illam solum esse causam impulsiuam, non finalem, consequenter dicendum non cessare priuilegium, etiamsi illa cesset. Si autem dicatur esse causam finalem adhuc non cessabit priuilegium ob cessationem illius, non solum, quando inadæquatè solum cessauerit, sed etiam si adæquatè cesset, cum tale priuilegium non sit contra ius commune, aut alicuius tertij, iuxta dicta loco relato circa Mare magnum Prædicatorum cum limitatione ibi assignata.

Circa §. 12. 13. & 14.

35. Similia fermè de facultate absoluendi, & dispensandi circa venientes ad Religionem, habentur in Mari magno Prædicatorum §. 14. 15. & 16. & eorum extensio, seu declaratio in §. 41. eiusdem Maris magni, quæ etiam habetur in hoc eodem Mari magno Minorum §. 40. De quorum materia latè egi in Summa locis relatis in dictis §. 14. 15. 16. & 41.

36. Specialiter autem circa absolutionem, seu dispensationem volentium ingredi Religionem, de quo in §. 14. notandum primò quod non obstante, quod in hoc priuilegio solum concedatur facultas absoluendi volentes ingredi Religionem à censuris vel sententiis à iure, vel ab homine *promulgatis generaliter,* nihilominus Sanctorus *in Comment. supra statuta Minorum stat. 14. cap. 2. §. 1. concl. 3.* tenet posse etiam præfatos absolui ex vi huius priuilegij à sententiis, seu censuris specialiter contra eos promulgatis, vt si sint nominatim excommunicati, satisfacta tamen parte. Citat pro se Ludouicum à Cruce referentem, & sequentem *in tract. de exposit. Bullæ Cruciatæ disp. cap. 4. dub. 1. num. 5.* Gutierrez, Rodriguez, Sotum, Henriguez, Acostam & Rebuff. Sed omnes isti non loquuntur de hoc priuilegio, sed de priuilegio Bullæ Cruciatæ, vnde non video quomodo afferri possint pro hac parte. Fundatur hic author in eo quod post plura alia dicit Pontifex in hoc priuilegio scilicet, *Ita tamen quod si aliqui ex huiusmodi sententiis eisdem propter debitum sint astricti, satisfaciant, vt tenentur,* per hos enim *propter debitum* adstrictos intelligit eos, qui nominatim sunt declarati, vt dicitur, per *Cedulones.* Sed fundamentum hoc est infirmum, nam per tales sic adstrictos intelliguntur omnes illi, qui sunt debitores aliis, siue sint declarati nominatim, siue solum in generali, prout contingeret in casu quo furtum v. gr. esset publicum, & delinquentes occulti, & contra illos poneretur censum. Sine dubio ergo dicendum est ex vi huius priuilegij non posse absolui nominatim, & expresse excommunicatos, sed solum generaliter. Tum ex verbo *Generaliter,* quo Pontifex vtitur, quod id denotat. Tum quia censura specialis non tollitur nisi à Iudice, qui eam imposuit, aut ipsius Superiori, ne perturbetur ordo iudicandi, iuxta dicta *tomo 3. verbo Censura Ecclesiastica, num. 12.* vel saltem per priuilegium, in quo id declaretur, propter specialitatem talis censuræ, quod non contingit in proposito Rodriguez *tomo 1. quæst. regul. 420. art. 4.* Suarez *5. tom. de Censuris, disp. 7. sess. 2. n. 30.* Tamburinus *de Iure Abb. tom. 2. disp. 14. quæst. 8. num. 4. & 5.* Bordonus *resolu. 3. num. 20.*

Didi *ex vi huius priuilegij,* quia sunt alia priuilegia Religionibus concessa, propter quæ tam ipsæ, 37.
quam aliæ, quæ cum ipsis communicationem priuilegiorum habent, possunt absoluere venientes ad religionem à censuris, etiam specialiter, & nominatim latis. Quare est vnum Eugenij IV. pro Cisterciensibus, quod referunt Rodriquez, & Tamburinus supra. Et aliud Pauli III. pro Iesuitis, quòd referunt Suarez *4. tom. de Relig. tract 8. lib. 2. cap. 25. num. 5.* & Tamburinus supra, de quo etiam aliquid dixi *tom. 1. cap. 18. num. 37.* Sciens omitto priuilegium aliud Martini V. pro Benedictinis, quod refert Rodriguez *supr.* & Suarez loco relato ex *tomo 5. de Censuris,* illud enim fuit viuæ vocis oraculum, ac per consequens hoc tempore vacat, nisi aliunde per Bullam confirmatum fuerit. In vsu autem horum priuilegiorum attendi debet, quibus personis, & quomodo concessa fuerint; & quod, quando aliquis absoluendus esset à censura specialiter contra illum lata, non solum parti læsæ sed etiam Iudici, qui talem sententiam protulit, satisfactio exhiberi debet, saltem certiorem ipsum reddendo de obedientia sibi, & Ecclesiæ reddita ac absolutione obtenta, vt bene Suarez *suprà d. cap. 25. num. 7.* Peirinis *tom. 1. priuil. Minim. in Constit. 2. Iulij II. num. 28.* & Tamburinus *suprà.*

Contenditur etiam præfatis Sanctorus *suprà concl. 4.* posse prædictos volentes ingredi religionem absolui etiam à casibus contentis in Bulla Cœnæ. 38.
Sed ex dictis *t. 3. v. Bulla Cœnæ, n. 54.* nullatenus id admittendum, maxime post tempora Vrbani VIII.

Faci

Facilius tamen admittitur, id quod habet *concl.7.* scilicet quod licet hæc absolutio regulariter præstari debeat solum pro foro interno; nihilominus quod possit etiam dari pro externo. Pro quo vide dicta *in Mari magno Prædicator.§.16.num.39.* Quod autem addit §. 4. *dub.* 5. videlicet valere absolutionem,& dispensatioñe generalem,quæ dari solet Nouitiis in susceptione habitus, admitti non potest stando in vi huius priuilegij, nisi seruetur forma canonica requisita ad absolutionem ab excommunicatione, scilicet psalmo, oratione, flagellatione, & iuramento (si esset ob magna crimina) de non committendo illo delicto, iuxta dicta *tom. 3. verbo Absolutio num.* 8. *&* 10. ex *cap. A nobis* 2. *de sent. excommunic. & c. ex tenore,& c. de cætero eod. tit.* Quia in ipso expresè habetur dari debere *obseruata forma canonica.* Ex vi autem aliorum priuilegiorum, si quæ fuerint, conferri potest talis absolutio, & dispensatio iuxta tenorem ipsorum, & tunc validæ erunt, iuxta *t.* 1. *c.*18. *num.*93. *& tom.3. d.verbo Absolutio n.*10.sicut etiam validæ sunt similes absolutiones, & dispensationes datæ ante electiones ad effectum illas legitimè faciendi, prout in nostro Ordine habetur ex forma celebrandi capitula Prouincialia à Reuerendiss. Generali Theodoro Stratio edita, quæ extat in *tomo 2.meæ Summæ,cap.*12. De quo etiam Peirin. *tom.2.de Prælato,quæst.2.cap.5.num.*9.& Sanctorus *supra* referentes Nauarrum,Garziam,& alios. Vide Rodriguez *tomo* 1. *quæst.regular.quæst.*20.*art.*26.& eius compilationem *resolut.3.num.*14.

39. Quid significent verba illa in hoc priuilegio posita, *Etiamsi super hoc induciæ eis à Prælatis eiusdem Ordinis concedantur*, dicendum,quod hæc verba, quæ etiam habentur in Mari magno Minorum §. 9. denotant non esse in potestate Prælatorum Ordinis dare dilationem aliquam volentibus suscipere habitum, vt postquàm absoluti sunt à censuris, &c. non intrent mox in Religionem. Induciæ enim, etiamsi aliquando sumantur pro pace castrensi, seu belli feriis, etiamsi aliquando sumuntur pro qualibet dilatione. *leg.3.Cod.de Vsuris rei iudicat.* Vnde in Mari magno Carmelitarum, §.56. loco istius clausulæ est hæc, *Quacunque etiam Prælatorum huius Ordinis licentia non obstante*, quæ idem importat. Lege Sanctorum, *supra* §. 7. *quæst.*3.

40. Alia habes infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 56. 62. *&* 63. Minimorum *circa* §. 9. vbi etiam quid importetur clausula illa, quæ etiam ponitur in hoc priuilegio, scilicet. *Cæterum vestra discretio cautè prouideat, vt Apostolicæ Sedis aut legatorum eius, & Ordinariorum locorum in absolutionibus huiusmodi scandalum euitetur.*

Circa §. 15.16.*&* 17.

41. Contenta in his priuilegiis habentur etiam in Mari magno Prædicatorum §. 17. & Carmelitarum §. 35. & 46. 88. ac Minimorum §. 10. continent autem plura pertinentia ad exemptionem Religiosorum ab Ordinariis. Ac perinde ad ea spectant, quæ de exemptione ipsorum dixi *tomo* 1.*Summæ, cap.*11. fere per totum, & circa Bullam *Etsi Mendicantium* Pij V. *tomo* 2. *cap.*1. præsertim *num.*23. 32. 33.36. 37. 38. *&* 39. *& tomo* 3. verbo *Causa iudicialis Regularium*, verbo *Clericus*, verbo *Delinquens Regularis*, verbo *Episcopus quoad Regulares, &* verbo *Exemptio Regularium.* Aliqua etiam dixi circa Mare magnum Prædicatorum *dict.§.*17. Alia nihilominus in præsenti addenda.

Et primò quidem *Officialium* nomine,qui à Papa in his priuilegiis §.17. prohibentur compellere Religiosos Minores ad faciendum ea, quæ ibi denotantur, primò veniunt Vicarij Episcoporum, *Officialis* enim,& *Vicarius* sunt synonyma,& idem significant, prout colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *de reformat. cap.* 16. illis verbis, *Officialem, seu Vicarium*, & docent Ioannes Andreas, Mendosus, & alij, quos refert, & sequitur Barbosa *in tract.de appellat. verbo iur.appellat.*175.*num.*9. ac colligitur ex stylo Curiæ: etenim in expeditionibus, seu rescriptis, quæ mittuntur ad Vicarios Episcoporum pro aliquibus nationibus vocantur *Vicarij*, pro aliis verò *Officiales*, vt notat idem Barbosa ex Mendoso, & Sbrossa; ex quo infertur nomen *Officialium* competere etiam Vicariis. Quod non solum est verum loquendo de Vicariis generalibus Episcoporum (his scilicet, qui ab Episcopis constituuntur,vt eius vices gerant in tota diœcesi, vel in tribunali, aut loco, quo ipsi resident) prout habent Ancharanus *consil.*240. *&* 241.Thuscus *tomo* 5.*littera O, conclus.*86.*num.*2. & ex variis iuribus, ac experientia probat Sanchez *lib.* 8. *de Matrimonio,disput.*27. *num.*29. Sed etiam loquendo de Vicariis Foraneis, (illis videlicet, qui ab Episcopis constituuntur extra ciuitatem, vbi resident, in aliquibus locis, vel certa Diœcesis parte) prout habet idem Barbosa *supra num.*10. ex aliis. Veniunt etiam nomine *Officialium* in præsenti, eo quod si materia fauorabilis, omnes Ministri Episcoporum, etiamsi iurisdictionem non habeant, vt præfati Vicarij habent, quia in tali materia etiam non habentes iurisdictionem dicuntur largo modo officiales, vt probat idem Barbosa *supra num.*3. *&* 4.ex aliis Doctoribus.Omnes ergo isti comprehendi possunt in præsenti *Officialium* nomine.

Circa clausulas illas in his priuilegiis positas, scilicet §. 15. *Nisi huiusmodi Apostolicæ litteræ de hoc indulto, & Ordine vestro expressam fecerint mentionem, &* §.16. *in quibus non facta fuerit de huiusmodi indulgentia mentio specialis*; & §.17. *Expressam faciente de hoc indulto mentionem*, & alias similes, quæ passim habentur in hac, & aliis Bullis, seu priuilegiis, est dubium graue, vtrum ad derogationem talium priuilegiorum ipsorum mentio requisita sit. Pro quo noto, huiusmodi mentionem posse esse triplicem, scilicet genericam, vt si dicatur. *Non obstantibus quibuscunque priuilegiis*, specificam, vt si dicatur, *Non obstantibus quibusque priuilegiis etiam petentibus expressam mentionem pro ipsorum derogatione*, & indiuidualem, vt si dicatur, *Non obstantibus talibus, vel talibus priuilegiis*, ea nominando. Quo posito, dico primò consequenter ad dicta *tomo* 4. *verbo priuilegia regular. numero* 21. ad derogationem istorum priuilegiorum non sufficit generica ipsorum mentio. *Non obstantibus quibuscunque priuilegiis.* Ratio est, quia dum Papa concedens talia priuilegia petit ad ipsorum derogationem *expressam, & specialem* mentionem, non est contentus generali derogatione, per quam non expresse, & specialiter, sed implicitè, & generaliter derogantur, vnde nec Papa reuocans solum clausula ista generali priuilegia prius concessa, censetur velle reuocare priuilegia habentia talem qualitatem. Azor *tomo* 1. *institut. moral. libro* 5. *cap.* 22. *quæst.* 12. Bonacina *de legibus,disp.*1.*q.*3.*punct.*8.*§.*3.*num.*11. Sanchez *tomo* 2.*consil.moral. lib.*6. *cap.*9. *dub.*8.*n.*5. 42. 43.

Barbosa *in tract. de Clausul. Clausul.* 83. *num.* 7. *in fin.* Dico secundò, non tamen ad derogationem istorum priuilegiorum requiritur indiuidualis eorum mentio. Ratio est, primò, quia ita habet stylus Curiæ, vt docent plures, quos affert Couarrubias *in Rub. de testam.* 1. *p. num.* 20. Secundò quia ita fuit à Rota sæpius iudicatum, vt habet Gomezius *in Compend. reg. Cancell. q.* 6. Vide specialiter vnam Barensem, seu nullius *Archipresbyteratus, seu Pioratus* coram Sacrato anno 1615. Tertiò, quia cum priuilegia consistant in facto, & Papa non possit habere omnium memoriam, nec est ei possibile de talibus priuilegiis mentionem facere, nec Papa præcedens potest ad id ipsum obligare, aut eius voluntatem restringere. Syluester *in Summa verbo Testamentum* 1. *q.* 12. *in fin.* Sanchez supra. Vnde tertiò dicendum consequenter etiam ad dicta eo verbo *Priuilegia Regularium num.* 21. sufficere ad derogationem talium priuilegiorum mentionem illam specificam, mediam inter generalem, & inuidualem, illam scilicet per quam aliquo modo specificentur, vt dicendo non obstantibus *quibusuis priuilegiis etiam petentibus expressam ipsorum mentionem*, vel quid simile. Ratio est ex dictis, cum enim ad præfatorum priuilegiorum reuocationem non sufficiat mentio generalis ipsorum, nec requiratur indiuidualis, sufficiet sanè media ista specifica. Sanchez supra, Siluester, Suarez, Bonacina, & Naldus eo *num.* 21. relati. Ex quo etiam patet, quid dicendum sit, si in istis priuilegiis poneretur ista clausula *nisi de ipsis fiat mentio de verbo ad verbum.* De quo Sanchez *d. dub.* 8. Barbosa *d. Clausula* 83. post plures alios, quos referunt, & specialiter Cassarubius *in Compend: priuilegiorum Mendicant. verbo priuilegia Fratrum.* §. *Prima quæstio* loquens in terminis de huiusmodi priuilegiis.

44. Nota tamen id quod dixi eo *num.* 21. ex Bulla, seu Constitutione ab Vrbano VIII. edua 5. Nouembr. 1631. videlicet ex præfata Constitutione haberi, quòd quæuis generales Constitutiones, dispositiones & Ordinationes Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, illiusque propagationem, ac S. Inquisitionis officium, hactenus editæ comprehendant omnes, & quoscumque Regulares quantumuis priuilegiatos per priuilegia habentia præfatas clausulas; edēdæ verò imposterum ab eodem Vrbano, & successoribus tam in præfata materia, quam in quacunque alia re comprehendant etiam illos, *nisi (inquit Vrbanus) in edendis Constitutionibus huiusmodi specialiter, & expresè excipiantur, etiamsi ipsi priuilegiati forent magis speciali nota, & expressione digni, eiusque priuilegia, gratiæ, & indulta à Sede Apostolica præfata, etiam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis*, &c. Ex quo habetur Clausulas in hoc, & aliis priuilegiis Regularium positas nihil deseruire ipsius quoad exemptionem à Constitutionibus Apostolicis spectantibus ad materiam fidei Catholicæ, aut officium S. Inquisitionis siue editis, siue edendis; licet illis deseruire possint quoad exemptionem à Constitutionibus Apostolicis in aliis materiis editis, vsque ad dictam quintam Nouembris 1631. non verò in posterum edendis.

45. Ex dictis autem infero, quomodo intelligendum id quod aliqui in hoc puncto dicunt, scilicet, quod per verba quantumuis generalia, si constet de mente Pontificis, quod reuocare velit efficaciter aliqua priuilegia, censeantur reuocari per illa, provt Peirinis *tom. Priuilegior. Minim. in Constitut.* 2. *Iulij* 11. *num.* 135. ex Cassarubio, Felino, & Rodriguez affert: intelligendum namque est iuxta dicta; & iuxta illa, & non aliter, credendum est Papam habere voluntatem efficacem reuocandi dicta priuilegia.

Circa §. 18. 19. & 20

Contenta etiam in huiusmodi tribus §. §. §. habentur in Mari magno Prædicatorum §. 18. & 19. Carmelitarum §. 89. & 90. & Minimorum §. 11. & 12. Simul autem à nobis coniungi debuerunt, quia spectant ad eandem materiam Regularium in sibi subditos. Præter dicta autem in præfato Mari magno Prædicatorum *circa* §. 18. & 19. vlterius notandum. 46.

Primò quidem, quòd licet in huiusmodi priuilegiis non fiat mentio de Religiosis seruientibus beneficiis Regularibus, nihilominus idem ferme de illis respectiuè dicendum, scilicet posse Prælatos Regulares ipsos corrigere, ad suum Ordinem reuocare, & remouere à præfatis beneficiis Etenim cum iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 18. *num.* 9. & 16. *tomo* 3. *verbo Beneficium, & Beneficiati, num.* 19. beneficiati Regulares, etsi in iis, quæ spectant ad munus quod gerunt, curam videlicet, & administrationem Sacramentorum subiiciantur Episcopis propter decretum Concilij Trid. *sess.* 25. *c.* 11. & declarationes S. Congregationis, quas ibi asserit Barbosa, in aliis tamen, quæ pertinent ad statum Religiosum, & obseruantiam Regularem, seu quæ nō contradicunt tali muneri, subdantur Superioribus suis, ideò possunt illos corrigere, & punire quoad ista, sicut alios Religiosos Sic colligo ex Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 19. Sanchez *lib.* 9. *in Decalog. cap.* 6. *num.* 36. & aliis apud ipsum. Vnde similiter iuxta dicta eo *cap.* 18. *num.* 17. possunt ab eisdem Superioribus remoueri à præfatis beneficiis, & ad Ordinem reuocari, cum limitationibus tamen adductis eo *num.* 17. 20. 21. & 22. De quo præter alios authores ibi relatos Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 9. *quæst.* 14. Quid verò dicendum, si talia beneficia Regularia concessa fuerint dictis Religiosis à Papa, dixi eo *num.* 21. quod nisi id fuerit cum clausula vt retineantur pro toto vitæ tempore, poterunt remoueri, de quo etiam Tamburinus *sup. quæst.* 15. & fauet Extrauagans illa Benedicti 12. relata ibidem *num.* 23. 47.

Cæterùm loquendo de Religiosis habentibus ex dispensatione Sedis Apostolicæ, vel alio modo beneficia sæcularia curata, seu parochialia nullo modo subiecta Superiori Religionis, aliter dicendum est, tales etiam, etsi iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 16. teneantur votis Religionis, obseruantiis Regularibus, & Constitutionibus, &c. nihilominus quia sunt exempti à iugo Religionis, & subiecti Episcopi, ideò solum ab Episcopis corrigi, & remoueri possunt. Suarez *supra num.* 28. Sanchez *supra & lib.* 7. *in Decalog.* 29. *num.* 120. & Tamburinus *supra quæst.* 14. *num.* 13. Addit Suarez oppositum esse dicendum de Religiosis ex dispensatione Apostolica habentibus aliquam pensionem, nam ex vi illius non liberatur quis ab obedientia suæ Religionis, nisi quoad administrationem pensionis, nec separatur à corpore Religionis, ex qua separatione nascitur exceptio ab actuali obedientia. Idē credo dicendū de habentibus beneficia simplicia, 48.

simplicia, propter eandem rationem, licet quoad oblationẽ talis pẽsionis, aut beneficij simplicis attendi debeat ad litteras, quibus à Papa hæc conceduntur. Si enim in ipsis nõ tollatur facultas Prælatis ad imitandum, seu tollendum tales gratias iis quibus conceduntur, poterunt id facere, propter dicta præsertim ex priuilegiis Summorum Pontificum *tom.1.c.18.n.56. & to.4.verbo Priuilegia Regularium. num.* 13. De quo præter authores ibi relatos Ioannes de Cruce loco inferius referendo *concl.* 4. Notanda valde ad intentum quæ dixi *tom.* 4. *verbo Litteræ Apostolicæ num.7. &* 8. Vide etiam priuilegium Leonis X. pro Fratribus Prædicatoribus, quod extat in Bullario Rodriguez inter Bullas huius Pontificis *num.* 32. & de quo meminit Ioannes Cruce *in Epitome de stat. Relig. lib.1.c.6.dub.7.concl.2.*

49. De Religiosis autem Capellanis Papæ iam dixi *tom.1.cap.17.num.*10. ex concessione Gregorij XI. ibi relata, quæ etiam habetur in Bullario Rodriguez in hoc Pontifice *num.* 1. esse subiectos Superiorioribus suarum Religionum, ac si tales Papæ Capellani non essent. Idem dixit Ioannes de Cruce *supra* concessisse Bonifacium IX. & haberi in Compendio Prædicatorum Bulla.38. Quod etiam refert Rodriguez *tom.1.quæst. Regular.q.34. art.* 1. ex libro nuncupato *Monumenta Ordin.* Concessa autem videntur hæc priuilegia ad derogationem aliquorum antiquiorum, quibus concedebatur, quod Capellani aliquorum principum à iurisdictione suorum Prælatorum essent exempti, sicut contingebat in Capellanis Ducis Burgundiæ *cap. cum Capella, de priu.* Rodriguez *t.2.q.62.art.*4. Dixi autem eo *cap.* 17. *num.* 20. relato ex Flauio Cherubino illam concessionem Gregorij XI. etiam extendi ad Capellanos Regum. Ad quod deseruit decretum Concilij Trident. *sess.25. Regul. cap.*4. vbi prohibet, *ne quis Regularis sine sui Superioris licentia subiiciat se obsequio alicuius Prælati, Principis*, &c. De quo dixi *tom.1.cap.16.num.*31. Alia de huiusmodi Capellanis Papæ dicam inferius in Mari magno Minorum *circa* §.11.

50. Circa illud quod tangitur in §. 18. de Religiosis non assumendis in socios à quocunque sine licentia suorum Prædicatorum, nota hanc concessionem maximè deseruire posse stante opinione quorundam asserentium Episcopus posse propria authoritate assumere sibi in socium aliquem Regularem etiam exemptum, inuito Prælato ipsius, de qua Rodriguez *tom.2.quæst. Regul.q.64.art.*1. vbi refert authores pro hac, & pro contraria opinione. Vt ergo Prælati Regulares contra hanc opinionem possent se defendere, meritò præfatum priuilegium, & alia, quæ referunt Rodriguez supra, Ioannes de Cruce etiam supra *Concl.* 3. à Sede Apostolica ipsis concessa sunt.

51. Vide alia dicenda infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 89. *&* 90. & in Mari magno Minimorum *circa* §.11. maximè verò in Bulla Aurea *circa* §.7. & in Mari magno Seruitarum *circa* 47.

Circa §. 21.

52. DE materia huius priuilegij, scilicet inhibitione recedendi ab Ordine, & facultate procedendi contra id facientes, dixi aliqua in simili, & ampliori priuilegio Prædicatoribus concesso in Mari magno *circa* §. 20. vbi etiam qualiter hoc quoque priuilegium habeatur in Mari magno Carmelitarum, & Minimorum. Præter quæ, & alia ibi dicta, duo in præsenti notanda.

Primò quidem verba illa *Absque cautione litterarum alterius ipsorum* denotare nullum posse retinere professum discedentem à Religione, nisi per litteras Generalis, vel Prouincialis ostendatur eum esse legitimè emissum, seu eiectum ab Ordine. Etsi enim verbum *Cautio* aliquando sumatur pro sola verbali; promissione videlicet, *l. Sancimus, C. de verb. significat.* Felinus *in cap. ad nostram. num.5. de iureiur.* Oldradus *consil.* 68. Baldus *consil.* 410. *in princip. lib.3.* Tuschus *pract.concl.tom.1.litt.C.concl.* 167. *num.1. & tom.7. litter. S. conclus.*40. *num.*8. & alij apud Barbosam *de Appellat. Verb. iuris signific. appellat.* 45. nihilominus cum præsenti addatur *litterarum*, &c. ideo notatur requiri: quod id fit per litteras patentes Superiorum, quibus constet talem Religiosum esse dimissum, seu eiectum ab Ordine. Has verò litteras patentes, seu testimoniales non esse dandas huiusmodi eiectis, eos ad Sedem Apostolicam reiicientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem, constat ex dictis *tom.1. cap.23. num.*8. propter decretum S. Congregationis ibi relatum. Debent ergo eiectionis sententiam continere, & illam ordinariis denunciari, iuxta dicta ibidem *num.* 20. Pro forma autem harum litterarum vide Perinis *in Formulario littera* E, *cap.* 7. 38. & 39. 53.

Secundò animaduertenda verba illa *Prætextu alicuius priuilegij Apostolicæ Sedis*, quibus denotatur neminem posse retinere professum discedentem à Religione *prætextu alicuius priuilegij* dicto retinenti concessi à Sede Apostolica. Ex quo proinde sequi videtur, quod si illum retineat non ex vi alicuius priuilegij, sed iuxta dicta loco relato ex Mari magno Prædicatorum *num.* 60. tamquam consanguineum, amicum, familiarem, &c. non contraueniat isti legi. Iuxta modum quo plures Doctores asserunt Constitutiones Pij V. & Gregorij XIII. contra fœminas ingredientes Monasteria virorum, solum comprehendere illas, quæ prætextu aliquorum facultatum ingrediuntur, non verò ingredientes simpliciter sine tali prætextu. Quæ quidem sententia esto, quoad rem ipsam falsa sit propter declarationes factas ab eisdem Pontificibus, & de quibus dixi *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 9. stando tamen in terminis dictarum Constitutionum probabiliter satis defenditur à Suarez 5. *tom. in 3.p.disp.22.sect.6. num.*11. Zerola *in praxi Episc. in edit.p.1. verbo Moniales ad 8.quæsit.* Philiarco *de offic. Sacer. tom.1.p.1. lib.3. cap.*30. Sayro *de censur. lib.3. cap.31 n.*10. & Rodriguez *tom.2. q.47. art.1. & q.48 art.2.* & loquendo de Constitutione Gregorij XIII. à Sanchez *lib. 6. in Decalog. 16. num.* 79. Sic ergo in præsenti de ista prohibitione dici potest. 54.

Quia autem prædicta verba *prætextu alicuius priuilegij Apostolicæ Sedis* etiam accommodari possunt Religiosis venientibus Romam anno Sancto, eo prætextu, quòd omnes generaliter inuitentur à Pontifice in Bulla Iubilæi illius anni, vt Romam veniant ad ipsum lucrandum; ideo dicendum, non posse Romam eo anno venire Religiosos sine suorum Superiorum licentia. Tum ex vi huius priuilegij, tum etiam, quia talis conuocatio generalis Papæ debet intelligi saluo iure tertij, & seruato debitæ obedientiæ ordine, qui sine dubio magnum detrimentum pateretur, si sine licentia venirent. De quo dixi *tom.3. verbo Iubilæum n.*4. & latè Quintana-Dueñas *in tract.8. de Iubilæo dub.*4. 55.

Circa §. 22.

55. DE simili priuilegio Prædicatorum, Carmelitarum, & Minorum, ad procedendum contra Religiosos licentiatos ad transeundum ad alios Ordines, & non id exequentes, prout ex eorum Mari magno habetur, dixi supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §.21. & 22. Iure communi videri concessum propter authoritatem, quam habent Prælati in sibi subditos, donec in alia Religione, ad quam transeunt, legitimè professionem emittant. Vbi etiam, qualiter propterea iure nouo S.Congregationis sub Vrbano VIII. prouisum sit, ne transeuntibus de vna Religione ad aliam concedatur licentia ad hunc transitum, nisi Superiori constet Religionem, ad quam transire volunt, paratam esse ad illos recipiendum. Alia ergo præsenti addenda.

56. Et primò notandum, quod licet in huiusmodi priuilegio supponi videatur licentiam transeundi ad aliam Religionem solum concedi posse vel à Sede Apostolica, vel maioribus Prælatis Religionis, quales sunt Generalis, & Prouincialis, cum de illis solum loqui videtur Pontifex illis verbis, *Aut à nobis*, prout patet ex priuilegio præcedenti §. 21. relato, nihilominus cum hoc stat probabilitas eius, quod dixi *tom.1. Summæ cap.22. n.10.* scilicet, quod quando est transitus ad Religionem strictiorem possit Prælatus inferior v.g.Prior, vel Guardianus hanc licentiam concedere, propter fundamentum eo loco adductum. Et ita tenent non solùm Nauarrus, & Rodriguez ibi relati, sed etiam Sanchez *lib.6.in Decalog.c.7.n.59* Bonacina *de Clausura q.2. punct. 9.§.3.diffic.1.n.9.* & Bordonus *in Resol.29.num.16.* post alios, licet in Religione dicat aliter contingere, prout etiam tenet Sanctorus *in Comment. in stat. Minor.c.2.stat.5.* Vbi id probat ex eo, quòd cum admittere ad Religionem non spectet ad Prælatum immediatum, nec etiam spectare debet ad illum dimittere è Religione. Quæ ratio non concludit, posito, quod ius commune *cap. licet de Regul.* id videatur concedere etiam Prælato immediato Conuentùs, vt dixi eo *n.10.* Ad quod etiam affert Bordonus supra *cap. statuimus 19.q.3.* vbi dicitur non debere fieri hunc transitum *Sine Patris permissione.* Nomine enim *Patris* intelligi videtur Abbas S.Ruffini, ad quem scribebat Vrbanus I I. in hoc decreto, qui Abbas erat Prælatus localis. Quod etiam non concludit, tum quia non constat talem Abbatem non habuisse sub se alios Abbates, tum quia, vt notatur in notis ad huiusmodi decretum, in tribus vetustis codicibus legebatur *Patris totius Congregationis*, quo denotatur Prælatus mediatus, aut superior; non immediatus, aut inferior. Illud certius, quod si ageretur de Moniali transferenda ad strictiorem Religionem, non sufficere licentia Abbatissæ. Tum quia Abbatissa non est verè Prælata, propter dicta *tom.1.cap.26. & tom. 3. verbo Abbatissa* sæpius. Tum quia dimittere Monialium est res grauissima, non solùm propter violationem clausuræ, sed etiam quia hoc debet fieri iudicando eam moueri ex instinctu Spiritus Sancti, & non ex leuitate, &c. quæ superare videntur captum fœminarum. Vnde à S. Congregatione specialiores conditiones requiruntur pro isto transitu Monialis, iuxta dicta *tom.4.verb.Transeuntes Regul.n.12.*& aliis locis ibi relatis. Rodriguez *tom. 3. quæst. Reg. q. 52. art.6.* Sanchez *supra num.61.* Bonacina *supra num.11.* Barbosa *in cap.licet de Regular. num. 3.*

57. Deinde secundò, quod licet pro transitu concedendo Religioso ex vna Religione ad aliam strictiorem, nulla fiat mentio in hoc priuilegio de consensu Monasterij, & in hoc attendi debeat vsus, & stylus Religionis, iuxta dicta eo verbo *Transeuntes Regulares num. 11.* nihilominus aliquos existimare talem consensum esse necessariò requisitum, eo quod ita decidi videatur *d.cap.statuimus*, illis verbis *sine Patris, & totius Congregationis permissione*, & quia hoc negotium est commune toti Monasterio, cum per talem transitum alienetur Religiosus ab illo. Ita tenent Turrecremata *in d. cap. statuimus*, & alij, quos refert, & sequitur Barbosa *supra num. 17.* Sed cum in *d. cap. licet de Regul.* nulla fiat mentio de consensu Conuentus, vt propterea dici possit limitatum fuisse *d.cap.statuimus*, vbi requiritur & ex alia parte iure naturali, & diuino licitum sit vnicuique maiorem perfectionem procurare; ideo probabilius est contrarium, nisi, vt dixi, stylus, & vsus Religionum contradicat. Et ita tenent Nauarrus *Comment. 4. de Regul. num.10.* Rodriguez *tom.3. quæst.52.art.3.* Sanchez *supra num. 62.* Bartholomæus à S. Fausto *lib.5.quæst.33.* Bonacina *supra num.10.* & alij apud Barbosam *in d.cap.licet. num.10.* Pro quo etiam est notandum id quod superius dixi, scilicet, quod in tribus vetustis codicibus legebatur *in cap. statuimus* relato *Patris totius congregationis*, non verò, *Patris, & totius congregationis*, quo denotatur adhuc in terminis *d. cap. statuimus* non requiri consensum Monasterij ad transitum Religiosi ad strictiorem Religionem.

Circa §. 23.

58. SImile etiam priuilegium de facultate procedendi cótra apostatas Ordinis habetur in Mari magno Prædicatorum §. 23. Carmelitarum §. 28. & Minimorum §. 15. iuxta dicta *circa* §. 23. Maris magni Prædicatorum, præter quæ, & alia, quæ ibi notaui, vlterius notandum.

59. Primò quidem circa illa verba *in quocunque habitu eos contigerit inueniri*, ex eis colligi impertinenter se habere ad rationem apostasiæ dimissionem, seu retentionem habitus: nam vt dixi *tom.1. cap. 13. num. 3.* potest aliquis esse verus apostata, etiam si habitum non dimittat; eo quod iuxta dicta eo *tom.1. cap. 16. num.7. & 12.* ratio apostasiæ solum cósistit in retrocessione à Religione animo illam deserendi, seu ad illam non reuertendi. Prout docent communiter Theologi cum S. Thoma 2. 2. *quæst. 12. art.1.* & tractant etiam illi, qui de casibus reseruatis iuxta decretum Clementis VIII. agunt, scilicet, Graffius, Coriolanus, Quaranta, & aliis communiter. Secundò, iure, meritóque Pontifices in hoc priuilegio concedere Prælatis Ordinum facultatem excommunicandi, capiendi, &c. apostatas sui Ordinis in quocunque habitu fuerint reperti, quia, iuxta dicta *tom.1.cap.13.n.6.* Religiosus qui habitum suæ Religionis dimittit, etiamsi alterius Religionis habitum induat, excommunicationem incurrit impositam à Iure *c.2. Ne Clerici, vel Monachi in 6.* prout tenent non solùm Banez, & Sayrus eo loco relati, sed etiam D. Antonius, Rosella, Caietanus, Armilla, Rodriguez, & alij, quos sequitur Sanchez *lib.6. in decalog.c.8. num.65.* Quod tamen limitandum est, iuxta dicta eo *cap. 12. num.6.* si talis assumptio habitus alterius Religionis fiat propter rationalem causam

causam, vt scilicet, quia debet esse in illa Religione per aliquod tempus, vel in ea prædicare, docere, &c. vel ob aliam iustam, & honestam causam. Eo quod textu illius *cap. 2. Ne Clerici.* solùm loquitur de temeraria dimissione proprij habitus, non de rationabili,& honesta. Ita Bañez, & Azor eo loco relati. Dixi *propter rationabilem causam*, quia id fiat ad malum finem, puta ad vagandum liberiùs, ad decipiendum aliquos; vel quid simile, proculdubio in excommunicationem præfatam incurret, siquidem temere dimittit habitum propriæ Religionis. Botdonus *Resolut.35. num.16.*

60. Si autem petas, quid sentiendum sit de Religioso, qui transit ad aliam Religionem, & antequam in ipsa admittatúr, aut suscipiat habitum à Prælato, ipse se induit illo. Respondeo, quod licet iste malè in hoc faciat, iuxra dicta supra in Mari magno Prædicatorum *circa* § *22. num.64.* nihilominus nec est apostata, cum non habeat animum deferendi Religionem, sed potius eundi ad illam; nec etiam fugitiuus, quia recedit à priori Religione, vt suppono, legitimè, & cum licentia requisita. Nec etiam, vt credo, incurrit excommunicationem latam *in d. cap. 2. Ne clerici* contra Religiosos deserentes habitum propriæ Religionis. Ratio est, tum quia ea dimissio habitus videtur in hoc textu excommunicationi subiici,quæ attentis circunstantiis apta est ad vagandum,quod non competit huiusmodi dimissioni; tum etiam quia non est simpliciter temeraria, cum fiat animo assumendi eam Religionem, cuius habitus tunc assumitur Tabiena *verbo Excommunicatio 5.* Sayrus *de censuris lib.3.cap.38.* & plures alij, quos refert, & sequitur Sanchez *supra num. 68.* Quibus iunge Bonacinam *de Clausura quæst.2.punct.2. num. 16.* & Bordonum *Resol. 35. num. 15.* Quid verò dicendum, si assumat habitum alterius Religionis, ad quam vult transire illegitimè, & contra ius,dixi *tom.1. cap.13.num.6.*relato, & tractant in terminis Sanchez eo *num.68.* & Bonacina *supra num.17.*

61. Nota præterea, laudabilem videri morem Religionis Minorum de Obseruantia, qui conformiter ad hoc, & alia priuilegia ac statuta Capitulorum Generalium, Romani, Parisiensis, Vallisoletani, & aliorum, certis anni diebus denunciant excommunicatos apostatas sui Ordinis. Per hoc enim criminis apostasiæ grauitas præ oculis ponitur Religiosis, vt magis, illud execrentur, & ab eo se immunes custodiant. Vide Sanctorum *in Comment. statut. Ord. Minor. cap. 2. stat. 62.* ac dicenda infra in Mari magno Carmelitarum, & Minimorum locis relatis.

Circa §. 24.

62. HOc quoque priuilegium de expulsis, & egressis ab Ordine non permittendis prædicare, aut confessiones audire, vel docere, habetur in Mari magno Prædicatorum §. 24. item Carmelitarum, & Minimorum, vt eo loco dixi.Circa quod, præter ibi notata, expendenda modo sunt verba illa; *De vestra, vel dictorum ministrorum licentia speciali.* Quibus denotari videtur, quod si casus esset quod aliqui expulsi, vel exeuntes à Religione Minorum transierint sine licentia ipsius ad aliam Religionem, possint etiam sub excommunicationis pœna impediri,ne prædicent, confessiones audiant, aut doceant. Sed credo non esse hunc horum verborum sensum, sed eis solùm denotari prædictos eiectos ab Ordine, ab Ordine, ad hoc quod in alia Religione recipiantur, debere obtinuisse licentiam à Prælatis Religionis, à qua recedunt, prout est de iure, iuxta dicta *tom. 1. cap.13. num.10.* & conformiter ad ea, quæ ex *c. licet,de Regularib.*dixi eodem *1.tomo c.22. num. 4.* loquens de transeuntibus ex vna Religione ad aliam.Solent enim Summi Pontifices in suis Constitutionibus, & priuilegiis loquentes de aliquo actu, referre ea sine quibus saltem licitè fieri potest; ad quod intentum poni potuerunt prædicta verba.

Circa illud, quod tangitur in huiusmodi priuilegio de eiectis ab Ordine,quod scilicet non possint prædicare, confessiones audire, seu docere, &c. de quo etiam aliquid dixi *d.cap. 23. num. 18.* nota meritò hæc prohiberi sic expulsis, quia vt dixi eo *num. 18.* sunt infames, infamia facti saltem, vtpote eiecti non solùm propter grauia delicta, sed etiam propter incorrigibilitatem, iuxta dicta *tom.3.verbo Eiecti Regulares ab Ordine num.4.* Dicuntur porro infames infamia facti, quia iuxta dicta eodem *3. tom. verbo Infamia num. 1.* infamia facti est, quæ oritur ex graui aliquo delicto, propter quod ex ipso facto sine aliquo actu iudiciario delinquens apud bonos, & graues viros malè audit, quod contingit in istis. Cum autem iuxta dicta eo verbo *Infamia num.13.* vnus ex effectibus infamiæ est repellere hominem ab actibus legitimis, & publicis muneribus, ideo, vt dixi,merito repelluntur isti eiecti à munere concionandi,confessiones audiendi, & docendi, quia sunt actus publici muneris. Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. q.30. art.21.* Miranda *tom.1. Man. quæst.52. art.5.* Spatharius *de modò corrigendi Regulares tract. 10. p.3.c.20.num.9.*Peirinis *tom.1.de subdito q.1.cap.25. §. 1.* apud quem plura de istis eiectis, qualiter scilicet illis non sit credendum, cum aliquid in Religiones, à quibus sunt expulsi, effutiunt, & quomodo Religiosi debeant se habere ad istorum calumnias,& conuitia. 63.

Alia ad intentum habes infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 93. Seruitarum *circa* §. 49. & Minimorum *circa* §. 16. Quibus addendum, quod iuxta dicta *tom.1. cap. 13. num.19.* his eiectis non tenetur Religio prouidere de alimentis.Quod etiam video à S. Rota decisum, eo quòd sic eiectis non sint in possessione Monachatus, inter decisiones,Putei *decisione 202.* 64.

Circa §.25. & 26.

COntenta in his duobus §. §. habentur etiam in Mari magno Prædicatorum §. 24. Carmelitarum §.94. & Minimorum §. 17. De quibus aliqua dixi *in d.*§.24.Maris magni Prædicatorum. 65.

Nunc addendum primo,nomine *Ordinis S. Augustini*, ad quem non permittitur transitus aliorum Religiosorum, in hoc, & similibus priuilegiis, non intelligi Ordinem Eremitarum S. Augustini;cũ enim is sit vnus ex Mendicantibus non multum distans in vitæ arctitudine ab aliis, non est cur dicamus Pontifices noluisse, quod ad eum transire possint alij Mendicantes ex vi horum priuilegiorum, sicut transire possunt ad alios ex vi ipsorum. Intelligi ergo videtur nomine Ordinis S.Augustini Canonicorum Regularium Ordo,qui iuxta dicta *tom.2. cap.3.num.8.* minus austerior reputatur *cap. quod Dei timorem ad fin. de stat. monachor.* 66.

nachor. Templariorum etiam nomine, ad quos prædictus transitus interdicitur, denotatur Ordo istorum iam à tempore Concilij Viennensis, & Clem. V. extinctus, qui tamen perseuerabat tempore Clem. IV. qui hoc priuilegium Minoribus concessit. *Hospitalariorum* quoque nomine, ad quos etiam præfatus transitum prohibetur, veniunt illæ Religiones, quæ principaliter hospitalitati, seu curæ infirmorum incumbunt, quales sunt Fratres S Spiritus in Sazia, & alij, de quibus egi *d. tom. 2. cap. 6. per totum*. At verò *Religiosorum arma portantium* nomine, ad quos similiter transitus iste prohibetur, proculdubio veniunt Ordines militares, ij enim arma gestant, & esto Religiones sint, viuunt tamen sæculari modo, vtpote addicti ad bella contra infideles gerenda, vel similes pias actiones de quibus dixi *tom. 2. c. 5. per totum*. Consonat his priuilegiis declaratio quædam S. Congregationis, quam referunt Quaranta *in Summ. Bullar. verbo Monasteria, & Conuentus §. quoad transitus*, & Barbosa *in Collectan. Bull. verbo Claustrales*, de qua etiam dixi *d. tom. 2. c. 5. num. 44. & cap. 6. num. 18.* ex qua habetur, per licentias, quæ conceduntur Religiosis claustralibus ad ingrediendum quamcunque Religionem, non posse ingredi Religiones non claustrales, quales sunt Militares, & plures Hospitalariæ. Vide Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 7. n. 75.*

67. Deinde circa illud, quod dicitur *in §. 16.* scilicet: *Districtius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter transire, vel aliqui eos recipere, seu retinere præsumant absque licentia speciali Sedis Apostolicæ*, &c. dubium mouet Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. q. 50. art. 22.* an scilicet, si tales eiecti contra huiusmodi prohibitionem ad alios Ordines transierint sine licentia Generalis, aut Prouincialis; aut si sine Sedis Apostolicæ licentia in illis recepti, & professi fuerint, talis receptio, aut professio irritæ sint & nullæ; & respondet affirmatiuè, eo quod talis licentia videatur pertinere ad formam talis actus transeundi ad dictas Religiones, ac per consequens quod sine illa sit inualidus, iuxta doctrinam Felini *cap. ex parte de Const.* & Fauet Glossa *in Clem. 1. verf. Inhibentes de iur. pat.* ac sequitur alter Rodriguez *in Compend Resolut. 57. num. 10.* Cæterùm cum Pontifex in his priuilegiis nullam clausulam irritantem posuerit, & verbum *inhibemus* solam prohibitionem videatur indicare, non video cur si tales eiecti ad Religiones strictiores transierint, receptio, & professio ipsorum irritæ sint. Dixi *ad Religiones strictiores*, quia si transitus esset ad minus strictas, omni iure esset irritus, & professio, & receptio nullæ. Pro quo vide dicta *tom. 1. c. 2. n. 7. & tom. 3. verbo Transeuntes Regulares num. 5.* ac Bordonum *Resol. 29. num. 18.* maximè 46 ac dicenda infra in Mari magno Carmelitarum *circa §. 22. 23. & 94.* & pro casu quo Religio iustè, vel iniustè aliquem eiectum iam emendatum nollet recipere, dicenda etiam infra in Mari magno Minimorum *circa §. 6.* vbi etiam an iustè damnatum ad triremes, vel carcerem perpetuum possit Religio has pœnas commutando cogere ad ingrediendum in aliam Religionem.

Circa §. 27.

68. Simile priuilegium de prohibitione vtendi habitu huius Religionis habetur in Mari magno Prædicatorum §. 21. Carmelitarum § 95. Minimorum §. 18. De quo etiam nonnulla dixi *tom. 1. Summ. c. 13. num. 12. & tom. 3. verbo Habitus Regularis num. 3.* Præter quæ vlterius notandum, iure, meritóque in his priuilegiis præscribi, ne vna Religio habitu alterius vtatur. Etenim diuersa professio, diuersaque Religio, diuersitatem quoque habitus exigit. *arg. c. quod Deo 33. quæst. 5 & Clem. 1. de elect.* Et quia licet habitus non faciat monachum. Concil. Trid. *sess. 14. c. 6. cap. porrectum de Regular.* vbi Glossa *verbo Non faciant. cap. consuluit qui clerici, vel vouentes.* Tuscus *pract. concl. tom. 4. litt. H. concl. 10. num. 1.* Campanile *in diuersor. Iur. canon. Rubr. 12. cap. 4. num. 5.* Vechius *in prax. Nouit. disp. 11. dub. 10.* in dubio tamen facit præsumptionem, vt iudicetur quis talis, qualis est habitus, quem defert. *l. item apud, § si quis, ff. de iniur.* Federicus de Senis *cons. 13. num 3.* Barbosa *in Axiomat. iuris, axiom. 109.* vbi alia. Id quoque necessarium videtur, ne Religiosi in quærendis eleemosynis sibi præiudicent. Vide Rodriguez *2. tom. quæst. Regul. quæst. 76. art. 1.* & Bordonum *Resolut. 35. num. 44.* ac ea quæ dixi *tom. 2. Summæ cap. 6. num. 13. & 14.* de habitu deferendo à Fratribus B. Ioannis de Deo ex decretis Summorum, & S. Congregationis ea de causa emanatis, quòd habitum similem Fratribus Minoribus gestarent.

Merito etiam id prohibetur *absque mandato Sedis Apostolicæ*, nam ad illam spectat habitum Religiosum concedere. *cap. vnic. de Religios. domib. in 6.* Quamuis autem Nauarrus in *Man. cap. 27. num. 127.* Sayrus *de censuris lib. 3. cap. 33. num. 5.* & alij post Siluestrum, & Angelum, existiment assumentes habitum nouæ Religionis incurrere excommunicationem *in d. cap. vnic.* impositam, melius tamen Caietanus *verbo Excommunicatio cap. 5.* Suarez *de Censur. disp. 23. sect. 4. num. 20.* Filiucius *tract. 14. cap. 8. num. 132.* & Bonacina *de excommunicat. extra Bullam Cœnæ disp. 2. q. 8. p. 1.* dicunt excommunicationem eo *cap. vnic.* positam non afficere istos, sed alios eo loco relatos, qui alia ibi prohibita exercuerint, prout ex textu ipso constare poterit. Agerent tamen contra præfatam prohibitionem, si id sine licentia Sedis Apostolicæ facerent. Imo etiam si aliquis in particulari, deuotionis, aut humilitatis causa nouum aliquem habitum priuatim gestaret, non nouum Ordinem inueniendo, non faceret contra hanc prohibitionem. Ea enim solum est contra eos, qui id facerent animo nouam Religionem inueniendi. Glossa *in d. cap. vnic. verbo Habitum*, Nauarrus *supr.* Sayrus *supr. num. 6.* Bonacina *supr. num. 6.* Alia habes locis relatis ex Mari magno Carmelitarum, & Minimorum. 69.

Circa § 28.

De materia huius priuilegij, quod est de exemptione à decimis, plura dixi supra in simili priuilegio pro Prædicatoribus in ipsorum Mari magno *circa §. 26.* & aliis locis Summæ ibi relatis. Nunc notanda illa verba, *Cum humilitas vestra sibi de latitudine Orbis terræ nihil præter domos, & hortos cum virgultis præmiorum obtentu cœlestium duxerit reseruandum*, &c. quibus denotatur causa, propter quam Pontifex concedit Minoribus exemptionem à decimis. Ex ea enim sequi videtur, quod si aliqua Monasteria ipsorum, redditus, capellanias, & alios prouentus præsertim annuos, habuerint, potiri non possint isto priuilegio. Etenim iuxta Iuris Axioma: *Datum ex causa cessare* 70.

debet

debet causa cessante l. 1. ff. de condict. caus. dat. Caldetin. *cons. 56. num. 2.* Federi. de Senis *cons. 164.* Gemin. *cons. 96. num. 9.* Tuschus *tom. 1. cons. 137. littera C.* Similiter, *causa cessante cessat eius effectus, l. adigere §. quamuis ff. de iure patron. l. si pater, ff. de hæred. instit. l. generaliter C. de Episcop. & cleric. l. cum te C. de pactis interempt. cap. magnæ in fin. de voto,* & præsertim *cap. cum cessante de appellat.* Latè Tiraquellus *in speciali tractatu de hac re, & de iure primog. q. 40. num.* 170. & alij plures apud Barbosam *de Axiom. iur. axiom. 40. fere per tot.* Sed ex dictis supra in hoc Mari magno *circa* §. 11. constat hoc esse verum, solum loquendo de causa finali, non de impulsiua; rursus de causa finali adæquata, non de inadæquata. Vbi etiam alia ad intentum. Pro quo similiter consulenda est Rota in vna Conchensi *Decimarum S. Clementis coram* Butatto anno 1623. quæ valde vtilis est pro casu, quo ista priuilegia de exemptione à Decimis sint concessa titulo paupertatis; & an, aut quando perdantur per vsum contrarium vel non vsum.

71. Generaliter etiam an hæc, vel alia priuilegia amittantur à Religiosis, si ipsi irreligiosè, & laxè viuant, dubium commune esse potest. Ad quod dicendum, quod licet communiter Doctores affirmatiuè respondeant, tum propter axiomata adducta, tum propter illud vulgare: *Si nomine priueris, nec rem habere mereris,* de quo specialiter Rodriguez *tom. 1. quæst. Regular. q. 9. art. 10.* Miranda *tom. 2. Man. q. 43. art. 3.* nihilominus, vt aduertunt iidem, hoc solum intelligitur in foro conscientiæ, non in foro externo; rursus neque in foro interno, aut externo id erit verum, quando talis irreligiosus, & laxus modus viuendi fuerit in aliquibus solum particularibus, in tota familia, aut Religione; nam ad hoc, quod priuilegium cesset, necesse est, quod ratio, seu causa ipsius cesset in communi, non in particulari, aut ex accidenti. *l. nam ad ea ff. de legat. l. si à Fratre C. qui testamentum facere poss.* Vide Couarrubiam *in cap. cum esset, de testament.* & Satum *lib. 4 de iust. & iur. q. 5. art. 3.* Ad quod deseruit notabilis decisio Rotæ coram Bubalo in vna Neapolitana *Professionis,* vbi loquens de Monasterio quodam Monialium, in quo laxè viuebatur, & Moniales habebant proprium de licentia Abbatissæ, nec Regula obseruabatur, nihilominus, quia in ipso tales Moniales nominabantur de Ordine S. Benedicti, & promittebant seruare Regulam, ac in eo clausura erat, & visitabatur, & corrigebatur à suis Superioribus, aderantque aliæ cæremoniæ religiosæ, dicitur tale Monasterium esse Regulare. Quæ omnia ad similes casus iure applicari possunt.

Circa §. 29.

72. EX dictis circa Mare magnum Prædicatorum §. 27. constat priuilegium hoc de bonis incertis nouitiorum applicandis in pios vsus concessum esse etiam Prædicatoribus, Carmelitis, & Minimis. De quo etiam aliqua dixi non solum circa illud §. 27. sed etiam *tomo 1. Summæ capitulo 24. num. 39. & tom. 2. cap. 19. num. 48. & 49.*

73. Adde vlterius, inter huiusmodi bona, seu debita incerta nouitiorum, seu eorum, qui habitum Religionis sumere volunt, non esse computanda illa, quæ habent aliqui mercatores, ratione diuersorum contractuum mutui, locationis, cambij, &c. illa enim potius sunt debita certa, quam incerta. Sanctorus *in Comment. statut. Minor. cap. 2. stat. 1. §. 6.* Nec etiam illa debita, quæ solum sunt incerta ex parte debitoris, vt si aliquis dubitet, an verè debeat, quia in hoc priuilegio solum est sermo de debitis incertis ex parte creditorum. Dicitur enim, *diuersis personis, quæ sciri, & inueniri non possunt, interdum aliqua bona restituere tenentur.* Debita autem incerta solum ex parte debitoris non obligant ad restitutionem, cum in dubio *melior sit conditio possidentis.* Cardinalis Lugo *tom. 1. de Iust. disp. 20. sect. 1. n. 1.* ex communi. Nec etiam illa debita, quæ non solùm sunt certa ex parte debitoris, sed etiam ex parte creditorum, disiunctim tamen, & interminatè, vt si quis sciat certo se debere aliquid Petro, vel Paulo, ignoret tamen cui illorum debeat. Tale enim debitum reputatur pro certo, saltem disiunctim, scilicet Petro, vel Paulo. Caietanus *2. 2. quæst. 62. art. 5.* Sotus *4. de iust. q. 3. art. 1. ad 3.* Lugo supra. Vt propterea diuidi debeat inter vtrumque. Lessius *lib. 2. de iust. c. 15. dub. 1. num. 3.* Bonacina *de restit. disp. 1. q. 8. punct. 2. num. 7.* Lugo *supra.*

Computari tamen possunt inter huiusmodi debita incerta, iuxta ea, quæ dixi *tom. 2. cap. 19. n. 48.* 74.
ea quæ vocantur inuenta, seu reperta, ea videlicet, quorum dominus facta sufficienti diligentia inueniri non potest. Hæc enim cum iure communi applicari debeant pauperibus, iuxta dicta eo *n. 48.* ex Molina, & Lessio, etiam tenent Rebellus, Turrianus & alij plures, quos referunt, & sequuntur Cardinalis Lugo *supra disp. 6. sect. 12. num. 139.* & Bonacina etiam *supra q. 3. punct. 4. num. 3.* poterunt etiam applicari Religiosorum pauperum domibus, aut Monasteriis; imò ex vi huius priuilegij applicari poterunt à Prælatis ipsorum in pios vsus, *provt secundum Deum viderint expedire.* Multo magis id fieri potest stando in opinione eorum, qui asserunt talia inuenta posse retineri ab inuentore, si post factam sufficientem diligentiam non inueniatur ipsorum dominus; provt tenent Sotus *5. de iust. q. 3. art. 3. ad 2.* Petrus Nauarra *lib. 4. de rest. c. 2. num. 75.* Trullen. *in Decalog. lib. 7. cap. 14. dub. 5.* Diana *part. 2. tract. 3. Miscellan. Resolut. 5.* vbi hoc probabile censet cum Megala, & aliis, quod etiam sentit Cardin. Lugo *supra* post Vazquez *de restit. cap. 5. §. 4. num. 43.* Si enim inuentor talium rerum rerum potest sibi eas retinere, melius, & securius applicari poterunt piis operibus Religiosorum, maximè in vi huius priuilegij.

Loquendo etiam de debitis alicui personæ, quæ etsi cogita sit, ignoratur tamen vbi habitat, vel 75.
ita est absens, vt ei commodè non possit fieri restitutio, cum plures Theologi dicant tuta conscientia posse dari pauperibus, si credatur non reditura, nam proinde est creditorum ignotati, ac non posse debitum illi restitui, provt habent Nauarrus *in Man. cap. 17. num. 29.* Molina *disp. 748. num. 5.* Vazquez *supra cap. 11. num. 4.* & Bonacina *supra de punct. 4. num. 12.* consequenter etiam dici potest computari posse inter debita incerta, ac proinde ex vi huius priuilegij applicari posse pauperibus Religiosis in vsus pios. Monet tamen Bonacina *supra* dominum prius admonendum esse, si admoneri potest, vt respondeat, quid fieri velit de re illa sibi debita; quod verum existimo. De quo, & aliis in praxi pensandis circa restitutionem incertorum latè authores relati.

Illud non prætermittendum, quod quamuis 76.
iuxta dicta loco relato ex 2. *tom. Summæ,* debita incerta, seu inuenta in aliquibus locis applicata sint aliquibus piis operibus, vel personis, nihilominus

minus quia, circa obligationem legum positiuarum talem applicationem præscribentium plures, ac diuersæ sunt Doctorum sententiæ: alij enim putant solum obligare dictas leges pro foro externo, alij si perantur talia debita incerta, seu inuenta, & alij dicunt non esse receptas; ideo attendendum est tum ad verba legum, tum ad vsum, & consuetudinem inter timoratos. De quo Molina *d.749. & 750.* Petrus Nauarra *supra cap.2.num.82.* & Lugo *dict. sect. 12.num. 152.* maximè verò Hieronymus Rodriguez, qui *in Compend. Resol. 17.num. 4.* ex altero Rodriguez, Nauarro, Aragonio, Henriquez dicit ius petendi bona, & res deperditas, quorum dominus inueniri non potest quod aliàs Prætori competebat, applicatum esse à Regibus Hispaniæ Ordinibus SS. Trinitatis, & S. Mariæ de Mercede pro Redemptione captiuorum, & in foro tantum externo, & quoad res animatas solum, v.g. animalia.

Circa §. 30. & 31.

77. DE materia huius priuilegij, quæ est de libertate sepulturæ in Ecclesiis Regularium plura dixi non solùm supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 28. & 43. sed etiam in pluribus locis Summæ nostræ ibi relatis. Quia tamen nouissimè S. Congregatio Episcopor. & Regul. 25. Nouembr. 1644. & S. Congregatio Concilij 3. Februarij 1645. ac tandem SS. D. N. Incocentius X. litteris datis in forma Breuis 22. Februarij 1645. approbarunt, & confirmarunt concordiam quandam initam inter Clerum, & Relgiosos insulæ, & Regni Maioricensis, ideo quæ ex tali concordia, & instrumento pro ipso facto elici possunt vtilia ad intentum, hic placuit inserere.

78. Primò orgo in dicto Instrumento refertur declaratio quædam S. Congregationis, in qua dum quæreretur, *An filij impuberes, dum alibi sepulchra maiorum non extant, debeant sepeliri in eorum propria Parochiali Ecclesia.* S. Congregatio respondit: *Si non extant sepulchra maiorum, sepeliendos esse in propria Parohiali Ecclesia* Similiter cum quæreretur, *An maior pro filiis impuberibus possint eligere sepulturam.* S. Congregatio etiam respondit, *Non licere matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus, cessante legitima consuetudine.* Quod forsan declaratum fuit solum pro Regno Maioricensi, neque enim talem declarationem authenticam vidi, & ea, quæ dixi supra *circa* §. 28. Maris magni Prædicatorum, oppositum satis probabiliter suadent. Præcipuè tamen circa id quod eo loco retuli de controuersia inter Clerum, & Regulares dicti Regni, sic à partibus concordatum fuit, approbantibus S. Congregatione, & Sanctissimo, in Breui relato. *Quod omnes Regulares possint per seipsos tantum absque interuentu Parochi, atque Clericorum sæcularium processionaliter Cruce eleuata incedere, & Parochis non vocatis, nec requisitis eorum Parochias ingredi, indeque ad sua Monasteria leuare, & efferre corpora defunctorum, qui apud ipsos sæculares elegerint sepeliri, provt hactenus consuetum fuit, atque adeo in hoc nihil esse innouandum: exceptis Regularibus sex Conuentuum: scilicet Ordinis Prædicatorum S. Dominici locorum de Manacor, Pollesa, & Inca, ac Minorū S. Francisci de Petra, S. Augustini de Salaritg, & Minimorum S. Francisci de Paula de Campos, qui iuxta pacta in limine fundationis non possunt absque interuentu Parochi, & Cleri exire ad supradicta. Et in sex prædictis locis, & si in aliis extra hanc Ciuitatem* (Maioricam videlicet) *fuerint vocati Parochus, & Clerus sæcularis ad associanda cadauera in Ecclesiis Regularium sepelienda, Regulares adeant Ecclesiam parochialem, fiatque processio sicut in Cathedrali in funeribus generalissimis, & quando Parochus, & Clerici sæculares voluntariè vocabuntur pro associatione funeris singuli Clerici non possint plusquam duos solidos, & ministri, scilicet Hebdomadarius, Diaconus, Subdiaconus, & duo Primicerij quatuor solidos pro suis stipendiis recipere.* Extat quinque in eodem instrumento declaratio S. Congregationis, in qua dum quæreretur, *An liceat Regularibus sepelire in suis Ecclesiis Confratres Laicos, qui sepulturas non elegerunt,* Respondit: *Confratres Laicos, si non præcedat eorum electio sepulturæ, sepeliendos esse in eorum propria Parochiali Ecclesia.* Hæc in prædicto Breui Sanctissimi, quæ etsi propria videantur pro Regno Maioricæ, vtilia tamen sunt generaliter pro Regularibus, & sepulturæ in eorum Ecclesiis libertate, de qua in præsenti priuilegio.

Vide alia infra circa Mare magnum Eremitarum S. Augustini §.2.3. & 24. Carmelitarum §.57. 79.
Seruitarum §.2.4. & 29. & Minimorum § 21.

Circa §. 32.

NOnnulla circa huiusmodi concessionem de confessionibus Fratrum non audiendis nisi à 80.
Prælatis ipsorum, vel ab eis, quibus Prælati id commiserint, dicta sunt supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 29. vbi etiam qualiter simile priuilegium habeatur in eodem Mari magno Prædicatorum, Carmelitarum, & Minimorum. His etiam aliqua addenda in præsenti.

Et primò quidem notandum, quòd licet, iuxta 81.
dicta *tom.1.c.18.num.26. & 27. ac tom.3. verbo Confessarius Regularis num.11.* ad audiendas confessiones Religiosorum requiratur, quod Confessarius ipsorum sit approbatus ab Episcopo, vel Ordinario, requiritur tamen, quod talis Confessarius sit approbatus, vel designatus à suo Superiori, adeo vt non stante tali approbatione vel designatione, confessio sit irrita, & nulla, etiamsi contingat talem Confessarium approbatum esse ab Episcopo. Ratio huius est, præter dicta illis locis, quod cum absolutio sit actus iudicialis, non potest sine iurisdictione exercere, & cum Sacerdos ex vi suæ Ordinationis non habeat, nisi tantum potestatem Ordinis, necesse est ad hoc, vt absoluere possit, & confessiones aliorum audire, quod ab aliquo sit illi concessa iurisdictio super illos; quia ergo, iuxta dicta ex *cap. 18. num. 25.* Prælati Religiosorum habent iurisdictionem ordinariam supra illos, quia sunt illorum Pastores ordinarij, in quos translata est cura, quam Episcopi, vel Parochi habent supra sæculares, propter ea necesse etiam est, quòd Confessarius Religiosorum habeat ab ipsorum Prælatis approbationem, vel designationem, ratione cuius competat ipsi habere iurisdictionem in illos. Rodriguez *tom.1.quæst. Regular. quæst.62. art.4.* Portellus *in dub. Regular. verbo Confessor erga Religiosos num.10.* Alter Rodriguez *in suo Compend. Resolut.32.num.21.* Bordonus *Resolut.4. num.2. & 3.* Sanctorus *in Comment. supr. Constit. Minor. cap.7. stat. 1. quæst. 1.* Seraphinus Freitas *in Scholiis ad Bullarium Ordin. S. Mar. de Mercede in Bullar. 2. Benedicti XIII. pseudo Papæ.* Vide Candidum *tom.1.disp.3.art.39. num. 2.* Hac ergo de causa prohibent Pontifices in hoc, & similibus priuilegiis

ne

ne Fratres, aliis, quam suis Superioribus ab ipsis designatis peccata sua confiteri præsumant. Et in priuilegio §.*sequenti* referendo, ne Ecclesiarū Prælati confessiones Fratrum, ipsorum Prælatis inuitis audire possint. Fauet Extrauagans *Inter cunctas, de priuileg.* ac maximè, quod alij Summi Pontifices sæpius declararunt Religiosos quoad Sacramentum Pœnitentiæ suorum superiorum dispositioni subiectos esse, prout constat ex Clemente VIII. Vrbano VIII. & aliis, quos retuli *to.*1. *c.*19.*n* 29.

82. Si autem petas qui sint Prælati, quibus competat hæc facultas absoluendi Religiosos, vel dandi licentiam aliis ad id faciendum. Respondeo, quod si Constitutiones, aut statuta particularium Religionum non contradicant, stando in iure communi, & seclusis his, & similibus priuilegiis, Generalis potest id facere pro tota Religione, Prouincialis pro tota Prouincia & Prior, seu Guardianus pro suo Monasterio. Ratio est, quia omnes isti sunt veri Prælati, Pastores ordinarij, & proprij Sacerdotes, ac per consequens possunt id per semetipsos facere, vel aliis delegari. Bordonus *supr.nu.*4. Candidus *supra num.*4. Sanctorus *supr.q.*1.*&* 2. ex aliis. De Custodibus, qui sunt in Ordine Minorum id negat Sanctorus *suprà, q.*3. ex Corduba, & aliis, quod intellige de iilis, qui solum habent munus suffragandi in Capitulis, non de illis, qui sunt veri Prælati, iuxta dicta supr. *circa* §.3. huius Maris magni. De Visitatoribus autem id affirmat *q.*4. Attendendum tamen est, an sint veri Prælati; si enim tales fuerint, proculdubio id poterunt facere; si autem solum sunt missi pro aliqua causa spectante ad forum externum, aut ad formandum aliquem processum, cum tales non sint veri Prælati, sed iudices delegati, non habent prædictam facultatem. Ex quo etiam patet; quid dicendum de Commissariis. Pro quibus vide dicta, *tom.*2. *Summæ cap.*13. *à numero* 16.*&* *tomo tertio, verbo Commissio, & Commissarius Regular. & tomo quarto, verbo Vicarij Religionum.*

83. Si præterea quæras, qualis debeat esse ista licentia Prælati; vt Religiosus possit audire aliorum Religiosorum confessiones, an scilicet debeat esse expressa, & explicita, an verò sufficiat implicita, vel præsumpta. Respondeo consequenter ad dicta *tom. quarto, verbo Licentia quoad Regulares numer.*15. sufficere licentiam implicitam, & præsumptam, si fundetur in aliquibus signis, quibus indipcetur, quod Prælatus de præsenti concedit talem licentiam, & ratam habet de præsenti absolutionem datam; vt si Prælatus videt Religiosum à se non designatum in confessarium audire aliorum Religiosorum confessiones, & tacet nihil dicens; non verò sufficere licentiam implicitam, seu præsumptam fundatam solum in eo quod talis Religiosus credat Prælatum approbaturum de futuro absolutionem ab eo datam, & illam ratam habiturum Ratio primæ partis est, quia scientia, & patientia in iis quæ sunt modici præiudicij, arguit consensum, & ratihabitio se præsenti comparatur mandato, & tribuit iurisdictionem. Ratio verò secundæ, quia tale iudicium est tantum existimatio de futuro consensu Superioris, non de præsenti consensu, ac proinde absolutio data cum tali spe non est valida, siquidem pro tempore quo datur, absoluens non habet iurisdictionem Suarez *tom.*4. *in* 3 *p.q.*93 *ar.*2.*dub.*2. Candidus *sup.ar* 9.*num.*3. & plures alij, quos referunt, & sequūtur Bonac *de pœnitentia disp.*5.*q.*7.*punct.*4.§.1.*nu.*13.*&* 14. & Diana *par.*3.*Tract.*2.*de dub.Reg.Resol.*11. apud quos alia.

Quomodo autem non obstantibus iis, & similibus priuilegiis, possint Religiosi confiteri sua peccata Pœnitentiariis Papæ dixi eo *to.*1. *cap.*18.*n.* 84.
26. & me relato cum aliis tenet Bordonus *Resolut.* 34.*num.*59 Similiter quomodo Fratres itinerantes possint confiteri cuilibet Sacerdoti siue sæculari, siue Regulari, etiamsi approbationem non habuerint ab aliquo Ordinario, ex vi licentiæ saltem implicitæ inclusæ in licentia itinerandi, vt habet Portellus *in Dub. Regular. verbo Confessor. Regularis numero* 12. dixi eo *cap.*18. *num.*27. Ad quod deseruit priuilegium Innocent. VII. pro Prædicatoribus, quod affert Rodriguez *in Bullar. in hoc Pontificè num.*1 & Confertius *in Collect. litter. Apostol. in hoc Pontific. num.* 1. & aliud Sixti IV. pro Minoribus reformatis Castellæ, & Legionis *in eodem Bullar. Rodriguez in Sixto IV. num.*30. & apud Confertium *suprà in Sixto IV. num.*5. Item aliud satis amplum Martini V. pro Hieronymianis Hispaniæ, quod refert Portellus *suprà num.*14 quamuis ignorem an hoc priuilegium sit solum viuæ vocis oraculum, ac per consequens his temporibus reuocatum. Dixi etiam eo *num.*27. quòd licet Religiosi hospites in aliquo Conuentu sui Ordinis debeant confiteri Prælato illius Conuentus, vel alij, qui habuerit ab ipso facultatem, nihilominus quod si tales hospites habuerint facultatem à proprio Prælato confitendi cui voluerint, possint id facere in dicto Conuentu, vbi sunt hospites. Tunc verò Sacerdos audiens istorum hospitum confessiones id faciet ex vi electionis ipsorum hospitum, vel Superioris illorum, non ex vi delegationis à proprio Superiori. Bordonus *Resolut.*4.*num.*6. Pariter etiam quomodo Religiosi possint de suorum Superiorum licentia confiteri etiam alteri Religioso diuersæ Religionis, etsi non ex vi huius priuilegij, siquidem ibi dicitur *vel aliis eiusdem Ordinis Sacerdotibus*, saltem ex priuilegio concesso Prædicatoribus in eorum Mari magno §.29. dixi ibidem, & 1.*tom.Summæ c.*18.*num.*27. relato. Notaui autem ibi generaliter loquendo huiusmodi Confessarium quicunque ille fuerit, ad minus debere esse idoneum. Quamuis autem Diana 3.*p. Tract.*2. *de dub. Regular. Resolut.*2. *in fine*, huiusmodi idoneitatem Confessarij solum videatur restringere ad hoc quod non sit suspensus, vel excommunicatus, & ad id referat Ioannem de Cruce *de stat. Relig. lib.*2. *cap.*6. *dub* 11. *concl.*1. *in fine*, tamen nec hoc video in præfato Ioanne de Cruce eo loco, nec existimo verum, cum certum sit apud omnes, quod etiam in iure naturali, & diuino stando, necesse sit quod Cōfessarius cum sit medicus, & Iudex spiritualis, habeat scientiam, & prudentiam proportionatam tali muneri, nec sufficere ipsi, quod non sit suspensus aut excommunicatus. De quo Nauarrus *in Man. ca.*4.*nu.*12. Toletus *in Summ. lib.*3.*cap.*15. Suarez *to.* 4. *de pœnit. disp.*28.*sect.*2. Reginaldus *lib.*1. Ioannes Sancius *in select. disp.*48.*n.*40. & communiter Summistæ *verbo Confessor, aut Confessarius.*

Quamuis autem confessiones Religiosorum factæ aliis, quam Confessariis designatis à suis Superioribus, vel de eorum licentia electis inualidæ censeri debeant, iuxta dicta *tom.*1. *cap.*18. *num.*26. 85.
& *tom.* 3. *verbo Confessarius Regularis numero* 20. prout etiam tenent Coriolanus eo *numero* 20. adductus, & Bordonus *Resolut.*4. *num.*9. nihilominus si Religiosus solum habeat confiteri peccata venialia, aut etiam mortalia aliàs confessa, poterit validè absolui à quocunq; Sacerdote, etiam seclusa quacūq; designatione, aut licētia Superioris, etsi peccat

 confessarius

confessarius ipsum audiens, si contra præceptum Superioris id faciat, iuxta dicta *tom.1.cap.21.n.12* & propter fundamentum ibi adductum, scilicet quod ad absolutionẽ venialium,&mortalium aliàs confessorum sufficiat iurisdictio generalis,&quam habent omnes simplices Sacerdotes Diana *5.part. tract.14.Resolut.86.* post Suarez, Henriquez. Granadum, Fagundez, & alios, quos referr. Quibus iunge Megalam *lib. 1. cap. 9. ad fin.* & Sanctorum *supr q. 5.* Etsi oppositum multis contendat Bordonus *supra Resol. 6.num.24.& Resol.36.num.57.* post Philippum Fabrum, qui acriter id defendit.

86. Nota præterea, quod quamuis,vt dictum est, licentia ista ad confitendum peccata aliis possit concedi Religiosis à suis etiam Prælatis localibus, & immediatis, hoc tamen limitandum est, nisi maiores Prælati restrinxerint, aut coarctauerint hanc facultatem; provt possunt facere ex iusta,& rationabili causa; siquidem facultas ipsa concessa est talibus Prælatis ordine Hierarchico, id est, taliter vt in executione illius minores pendeant à maioribus, Rodriguez *tom.1.quæst. Regul.quæst.17. art.7.* Candidus *tom.1.disquis. 3.art.39.num.5.* Vide illum *in toto hoc articulo* 39.vbi de hac materia.

Circa §. 33.

87. QVæ in hoc §. continentur de prohibitione facta Prælatis Ecclesiarum, ne confessiones Fratrum audiant, concessa etiam sunt Prædicatoribus, Carmelitis, & Minimis, vt patet ex eorum Mari magno, & dixi in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 30. *&* 31. Præter dicta autem eo loco,& aliis relatis vlterius animaduertendum.

88. Primò quidem, quòd si Prælati aliqui Ecclesiarum, aut alij quicumque audierint confessiones Religiosorum inuitis ipsorum Superioribus, procul dubio tales confessiones, absolutiones inualidæ erunt;ob defectum iurisdictionis in dictos Religiosos; nullus enim habet iurisdictionem supra ipsos nisi ipsorum Prælati,& quibus ipsi eam commiserint. Peirinis *in Constit. 2. Iulij II. §.25. n.61.* Longus *de casib.reser. 1 p.sect.3.art.13.num.1.* Candidus *tom.2 disq.24. art.56. num.4.* post Armillam, Ioannem de Cruce, & Laymanum Limita tamen hoc pro casu quò Superior iniustè negaret absolutionem alicui Religioso, nec ipse haberet intra Ordinem, à quo illam obtinere possent, tunc enim posset recurrere ad Episcopum, & ab illo, seu alio, cui ipse commiserit, absolutionis beneficium obtinere.Quia pro isto casu vel per epicheiam præsumitur hanc esse voluntatem Papæ, & Religionis, ac Superiorum maiorum ipsius. Sic colligo ex Molina *tom.4. de iust.disp 61. num.5.* & Sanchez *in præcept. Decalog. lib. 4. cap.39. num.36.* & expresse tenet Bordonus *Resolut.34.num.22.* Licet, vt bene aduertunt Molina, & Sanchez, tunc esset necessarium, quòd certo constet dictum Superiorem iniustè denegare absolutionem, quia in dubio iudicandum est in fauorem Prælati. In casu etiam quo Superior, & alij Religiosi haberent impedimentum ad absoluendum, vt puta quia essent excommunicati vitandi, tunc Religiosus indigens absolutione potest illam ab Episcopo,vel alio per ipsum delegato obtinere, propter idem fundamentum. Sic etiam colligo ex Sanchez *supra num. 35.* & ex D. Antonino, Siluestro, & Henriquez, quos ipse refert, quibus etiam fauet Bordonus supra. Idem crederem pro casu, quem adduxi *tom.3.Summæ verbo Clericus num.17.* quando scilicet Religiosi alicuius Conuentus mutuò se (saltem publicè) percussissent, nec esset alius intra Ordinem à quo de proximo obtinere possent absolutionem. Pro quo etiam iuuant modò dicenda.

Secundò etiam nota, quod ex illis verbis priuilegij istius, scilicet, *vobis inuitis*, colligitur, quòd si Superiores inuiti non fuerint, sed consenserint tacitè, vel interpretatiue, possint ipsi Religiosi confiteri Ecclesiarum Prælatis, eo quòd possint Superiores dictam facultatem eisdem Prælatis delegare, provt expresse Bordonus *Resol.34. n.19.* referens Rodriguez *tom.1. quæst.Regular.quæst.61. art.4.* vbi nihil tale reperio. Tenent tamen Molina *supra num.3.* & Sanchez *supra num.28.* Quod non solùm est verum respectu casuum, à quibus Superiores Regularium eos absoluere possunt; sed etiam respectu eorum casuum, à quibus non possunt aliqui ex reseruatis Sedi Apostolicæ,iuxta dicta *tom.1.Summ.cap.11.num.6.& tom.3.verbo Clericus num. 16. & verbo Episcopus, quoad Regulares num. 6.* Et ratio est, tum ex *cap. luminoso 18. q. 2.* vbi habetur Episcopum de consensu Abbatis posse exercere iurisdictionem in Monasterio exempto. Tum ex eo,quòd cum exemptio Religiosorum introducta sit in fauorem ipsorum, non debet cedere in damnum eorum,nec debent esse peioris conditionis quàm alij de Diœcesi, in iis præsertim quæ spectant ad maiorem quietem conscientiæ illorum, & in quibus præsumitur totam Religionem consentire. Sanchez *supra num.32.& 33.* post Cordubam, Rodriguez, Molinam, Suarez, & alios, & Bordonus *supra num.21.* referens Nauarrum, Bonacinam, & alios. Hoc tamen intellige de Episcopis locorum,in quibus Religiosi degunt, quia ipsi sunt,qui in ea diœcesi habent iurisdictionem iure communi. Sanchez *supr. num.39.* Portelus *in dub. Regular.verbo Episcopus in Addit num.4.* Bordonus *d.num.21.* Intellige etiam,nisi Superior, v.g.immediatus Religionis prohibitus esset concedere talem facultatem suis subditis ad confitendum extraneis, à Regula, Constitutionibus, vel Prælatis maioribus. Molina *d. num.3.* Sanchez *supra num. 38.* Pro quo vide dicenda infra in Mari magno Minimorum *circa* § 25. 89.

Circa §. 34.

EX dictis in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 32. constat simile priuilegium de exemptione à canonica portione contineri non solùm in præfato Mari magno Prædicat, sed & Eremitarum S.Augustini. Carmelit. & Minim. Quia tamen de ipso plura dixi tum *eo* §. 30. tum maximè in locis Summæ nostræ ibi relatis, ideo solum hic annotare libet quæ nouissimè SS.D. N. Innocentius X. litteris datis sub 22. Februarij 1645. post decretum S. Congregationis de ea re editum approbauit, & confirmauit pro Regularibus Regni Maioricæ, conformiter ad concordiam quandam inter clerum, & dictos Regulares initam, vbi sic: (*Concordatum fuit; quod ea Regularium prædictorum Monasteria, quæ sunt ædificata à quadraginta annis ante confirmationem Tridentini, & sunt in consuetudine soluendi tantum quartam partem ex interstitiis, eandem soluant, & quartam partem de pane, & candelis, quæ dum Missa Conuentualis præsente cadauere cantatur,offeruntur,cum quinq; solidis pro Rectoris cera, quæ comburitur, dum Missa canitur, vt vsque adhuc solitum est. Et nunc de nouo additur, vt deinceps de pãno:quod dicitur.*Drap de cos de frisseta negra, 90.

negra, *de libris, ensibus, & habitibus militaribus quartam partem dare teneantur, & vnum de quatuor cereis, quos, quatuor Regulares iuxta pheretrum defuncti deferre solent. De reliquis autem obuentionibus, nempe de habitu Regulari, de sudario, de sindone, de arma, de panno serico, seu de alia particulari re Confraternitatum Laicorum, seu Conuentuum ipsorum Regularium, duobus cereis duorum Acolythorum Crucem comitantium, de aliis cereis, seu candelis, quæ dantur ad manus Regularium, de Eleemosynis pro Missis, Anniuersariis, Responsis, vel aliis diuinis officiis, psisq; deprecatoribus pro defunctis eisdem celebrandis, de legatis absolutè, vel ad certos vsus, vel etiam datis qualitercumque donatis toti Monasterio, seu alicui ex Regularibus, & de quauis alia re particulari, nihil omnino soluere teneantur. Illa vero Monasteria, quæ sunt ædificata post Concilium Tridentinum, nihil soluere teneantur, nisi aliter concordatum fuerit cum ipsis à principio fundationis Monasteriorum, aut postea, quo casu standum erit concordiæ legitimæ.* Hæc ibi, ex quibus, etsi propria Maioricæ Regno, plura elici possunt pro dictis, & dicendis generaliter de hac materia.

91. Alia ad intentum habes infra *circa* §. 43. & in Mari magno Minimorum *circa* §. 26. vbi affero aliud priuilegium Pauli III. pro exemptione Ordinis Minorum à solutione cuiuscunque personis legatorum ipsis relictorum.

Circa § 35.

92. HOc quoque priuilegium de facultate transferendi bona Monasteriorum, quæ deferuntur, habetur in Mari magno Prædicatorum, Carmelitarum, & Minimorum, eo excepto, quòd in Mari magno Prædicatorum non habetur ea Clausula, *Cum ipsa, & alia loca Fratrum ad Nos, & Sedem Apostolicam specialiter, & immediate pertinere noscantur.* Habetur tamen, & magis ampla in Mari magno Carmelitarum §. 100. illis verbis: *Cum ipsa priora, & alia loca Fratrum ad Apostolicam Sedem, & ad prædictum Ordinem Beatissimæ Dei Genetricis Mariæ de Monte Carmeli specialiter, & immediatè pertinere noscantur.* Fere similiter in Mari magno Minimorum illis etiam verbis: *Cum ipsa priora, & alia loca Fratrum ad Nos, & Apostolicam Sedem specialiter, & immediatè pertinere noscantur.* Prætermissis autem iis, quæ ad alias Religiones, quoad hoc priuilegium spectant, de Minoribus, quorum est hoc Mare magnum, loquendo, dicendum est maiori specialitate verificari de Minoribus de Obseruantia illa verba quam de aliis Religionibus. Ratio est, quia iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 40. quidquid præfati Minores de Obseruantia adquirunt, sub Papæ Dominio venit, cum ipsi capaces non sint nec in particulari, nec in communi dominij alicuius rei. Sin enim habetur ex *cap. Exiit, qui seminat de verb. significat. in* 6 §. *Ad hæc cum Fratribus.* Et ita tenent non solum Thomas de Iesu eo *num.* 40. relatus, sed etiam Sotus *lib.* 4. *de Iust.q.*1.*art.*1. Ledesma 2.*p.*4 *q.*18. *art.*1.*dub.*3. Rodriguez *tom.*2.*quæst.Regul.quæst.*125. *art.* 6. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.*7.*in Decalog.c.*18.*num.*15. Quibus iunge Cassarubium in Compend. *priuileg. Mendicant verbo Paupertas num.*6. Portellum *in dub.Regul verbo Bona in Addit num.*2. & Sanctorum *in Comment supr. stat.Min.c.*4.*stat.*4. Quod extende etiam ad pecunias donatas eisdē Fratribus, ita vt illæ etiam sint sub dominio Sedis Apost. Etsi enim ex *d.c. Exiit,* §. *cæterum cum in eadem Regula*, habeatur earum dominium pertinere ad dantem, seu donantem dictas pecunias Fratribus, provt dixi *tom.*1 *eo c.*6. *num.* 5. hoc tamen moderatum est à Summis Pontificibus posterioribus, præsertim Martino V. & Paulo III. quos ibi retuli, Alexandro VI. & alij; quos refert Cassarubius *supra*, qui declararunt etiam dominium pecuniarum ipsis donatarum pertinere ad Sedem Apostolicam, Rodriguez *supra*, Sanchez *supr. num.* 21. Habere autem præfatos Minores hunc modum paupertatis, quòd nec in communi aliquid possideant, sed eorum, quæ possident, dominium ad Sedem Apostolicam pertineat; *Ad tria potissimum potest deseruire* (inquit Portellus supra) *Primò, vt Minoritæ sint securiores in conscientia, & puriores in voto paupertatis, alieni omnino à dominio rerum temporalium, & illarum tantum vsum habentes necessarium. Secundò, vt videant Minoritæ Prælati se grauius peccare, si bona prædicta indebitè alienent, cum non sint bona sua, sed Sedis Apostolicæ. Tertiò, vt videant sæculares, qui prædicta bona Minorum indebitè vsurpant, vel furantur, se grauius peccare, maxime quando fuerint immobilia, cum vsurpent bona Ecclesiæ.* Hæc Portellus. Alia circa Minorum paupertatem ex S. Bonauentura, Pisano, Aluaro Pelagio, & aliis habet Sanctorus *supra cap.*6.*stat.*1.

Circa §. 36.

HAbetur etiam hoc priuilegium exemptione à subsidiis, exactionibus, collectis, &c. in Mari magno Prædicatorum §.35. Eremitarum S. Augustini § 54. Carmelitarum §.46. & 80. ac 100. & Minimorum §.20. Præter dicta autem eo §.35. & dicta supra in hoc Mari magno circa § 15. 16. & 17. pro intelligentia huius clausulæ, *Nisi dictæ Sedis litteræ impetrandæ plenam, & expressam de indulto huiusmodi, & dicto ordine fecerint mentionem*: vlterius circa dictionem illam, *indulgemus*, nota, illam quandoque significare solùm id quod prius de iure competebat, quandoque verò concessionem priuilegij, vt in *cap. si terra, de priuileg.* de quo Geminianus *cons.*72.*num.*2.*vers. non obstat. verbum indulgemus.* Tuschus *practic. concl. tomo* 2. *littera D. conclus.*293.*n.*1. & 2. & Barbosa *in tract. de dictionibus vsufrequent. dict.*158. Quomodocumque autem sumatur siue in priori, siue in posteriori sensu, vtile est hoc indultum pro Religiosis, & valde explicatiuum exemptionis illorum. 93.

Specialiter autem, & quoad praxim nota, quòd si casus contingeret, quod Domini legati, Nuncij, aut alij Diœcesani compellere vellent præfatos Religiosos ad aliquas procurationes, vel collectas contra hoc priuilegium, tunc iuxta dicta *tomo* 3. *verbo Exemptio Regularium*, *num.* 14. decens esset comparere coram ipsis, & humilitate, ac modestia debitis allegare hoc, & alia similia priuilegia, quibus ab eorum iurisdictione sunt exempti. Non tamen debent exhibere talia priuilegia, quia ea sunt adeo notoria, vt nullus præfatorum Dominorum possint prætendere illorum ignorantiam, & quia hoc esset facere illos iudices in causa propria, iuxta dicta eo *num.* 14. ex Siluestro, Sanchez, & Tamburino. Quibus iunge Nauarrum, Henriquez, & alios, quos refert idem Sanchez *tom.*2.*Consil. moral. cap.*9.*dud.*4.*num.*1. & 2. & 3. Adde, id etiam colligi ex priuilegio Sixti IV. pro Carmelitis in eorum Mari magno §. 60. & 71. vbi ex eo, quod ipsorum exemptio *notoria* sit, colligit Pontifex etiam ipsa 94.

ipsa non allegata sententias quaslibet contra ipsos datas nullius roboris vel momenti esse, & pro infectis haberi. Verba Pontificis sunt hæc: *Decernimus quoque ex nunc, quaslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscumque processus, quasuis pœnas, & sententias generales vel speciales continentes, quos, & quas promulgari, vel haberi, & omnia quæ contra Fratres, domos, & loca dicti Ordinis quomodolibet fieri contigerit, etiam eorum exemptione, vtpote notoria, aliter allegata nullius roboris vel momenti esse, & pro infectis prorsus haberi debere.* Lege eundem Sixtum. I V. in eodem Mari magno §.60. vbi similia ferme; & extensa ad Oblatas, & Mantellatas personas Ordinis reperies. Vide etiam Cassarubium *in Compendio priuilegior. Mendicant. verb. Exemptio n.* 24. & Sorbum *in annotat. ad idem verbum §. Vbi etiam.* referentem ex Iacobo Cassinensi, quòd si exempti citarentur ab Ordinario, & essent notoriè exempti non tenerentur comparere. Pro quo etiam Sanchez *supra num.* 3. refert Panormitanum, Imolam, Angelum, Siluestrum, Tabienam, Cordubam, & alios.

95. Casu autem, quod ex vi alicuius priuilegij, seu facultatis specialis prætenderent dicti Domini Ordinarij facere contra hoc, aut alia Regularium priuilegia, recurrere habent ipsi ad Sedem Apostolicam pro explicatione, & interim super sedere prout colligitur ex quadam declaratione Sacræ Congregationis ex bibliotheca Cardinalis Bellarmini *ad sess.* 22. *Concilij Trident. cap.* 9. & Francisco Leone in Thesauro *fori Ecclesiastici part.* 2. *cap.* 14. *num.* 13. Quod à fortiori procedit, si à Conseruatoribus sint inhibiti: nam inhibitio facit quod gesta contra illam sint attentata, & nulla, *cap. non solum*, &c. *Romana §. quod si abiiciatur de appell. in* 6. Decius *conf.* 103. *initio.* Federicus de Senis *conf.* 300. *num.* 1. Menochius *conf.* 557. *num.* 13. Lancellottus *de attent. cap.* 20. *part.* 2. *num.* 226. Si autem prætenderint id facere propter speciale rescriptum Papæ, vel specialem Papæ authoritatem sibi concessam, tunc debent illam ostendere, aliàs ipsis non parendum, iuxta dicenda infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §.98. Magna tamen humilitate, modestia, & reuerentia procedere debent Religiosi erga Dominos Episcopos in casibus similibus, sua nihilominus iura defendendo.

Circa §. 37.

96. CVm hoc etiam priuilegium de exemptione omnimoda Ordinis cum reuocatione Constitutionis *Volentes* Innoc. I V. *de priuileg. in* 6. habeatur pro Prædicatoribus in ipsorum Mari magno §.36. ideo dicta deseruiunt ad intentum sicut, & ea, quæ ex *tom.* 1. *&* 3. *nostræ Summæ* eo loco retuli. Addendum tamen censeo pro intelligentia ipsius, & similium priuilegiorum, quid importent clausula illa *Irritum, & inane quidquid*, & dictio *Attentatum*, quæ in ipsis ponuntur.

97. Clausula ergo *Irritum, & inane*, &c. denotat inualiditatem eorum, quæ gesta fuerint contra prædicta priuilegia, propter dicta *tom.* 4. *Summæ, verbo Leges Regularium num.* 45. Ad quod etiam deseruiunt, quæ dixi *tom.* 3. *verbo Causa iudicialis Regularium num.* 15. *& verbo Exemptio Regularium num.* 8. Vnde etiam in vtroque foro debent censeri inualida, quia sunt contra legem irritantem obligantem in vtroque foro. Lessius *lib.* 2. *de Iust. c.* 17. *dub.* 6. Salas *de legibus d.* 16 *sect.* 4. & alij, quos refert, & sequitur Bonacina *de leg. d.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. §. 3. *n.* 2. Etiam si talia facientes ignoranter egerint ipsa, iuxta dicta eo *n.* 8. Quod etiam tenet Naldus *in Summ. verbo Clausula* §. *Irritans*, addens id etiam verificari, quamuis talis ignorans sit executor Apostolicus. *cap.* 1. *vers. adiiciebatur insuper de concess. præbend.* Maximè si dicamus, prout dicendum videtur, irritationem in iis casibus non habere rationem pœnæ, sed legis definitiuæ, hæc enim irritat gesta in contrarium quantumuis ignoranter. Thesaurus *in praxi part.* 1. *cap.* 35. §. *Respondeo* 3. ex aliis. Vide alia apud Naldum *supra.* Et Rotam coram Crescentio *in tit. de foro competent. dec.* 3. vbi habetur exemptum à iurisdictione Ordinarij non posse prorogare iurisdictionem, nec in non suum iudicem consentire, cum non de suo tantum, sed etiam Superioris præiudicio tractetur, iuxta doctrinam Abbat. *in c. cũ tẽpore* 5. *not. de arbit.*

Circa dictionem illam *Attentatum.* nota eam denotare conatum ad faciendum aliquid; quod fieri non potest. Quia ergo nequit aliquid fieri contra præfata priuilegia, ideo Pontifex aliter factum vocat *Attentatum.* Quia etiam agitur in his priuilegiis de vsurpatione potestatis, seu de exercitio actus nulli, & irriti, est intelligendum de actu consummato, iuxta doctrinam Thesauri *in praxi p.* 2. *verbo Indulgentias c.* 2 §. *limita secundò.* 98.

Nota præterea gratiam concessam in hoc priuilegio, videlicet quod censuræ latæ contra istos Religiosos non teneant, esse iure communi confirmatam, *cap.* 1. *de priuileg. in* 6 §. *in eos autem.* Vbi cum decretum fuisset Episcopos habere iurisdictionem in exemptos in aliquibus, casibus, subiicitur: *In eos autem, quibus ne interdici, suspendi, vel excommunicari à quoquam valeant à Sede Apostolica est indultum (quales sunt Religiosi quam plures) in quorum priuilegiis continetur, ne quispiam Episcopus, vel Archiepiscopus Monasteriorum suorum Monachos pro vlla causa, vllòve loco, interdicere, suspendere, vel excommunicare præsumat, iidem Ordinarij iurisdictionem suam quantum ad ista, vbicunque illi fuerint, penitus exercere non possint.* Sanchez *lib.* 7. *de Matrimon. disp.* 73 *num.* 23. ex variis Doctoribus. Iunge Seraphinum Freitam *in Scholiis ad Bullarium Ordin. S. Mariæ de Mercede in Bullam* 3. *Alexand. I V.* ex aliis etiam. Vide etiam dicta *circa* §. *præcedentem.* 99.

Circa § 38.

IN hoc §. confirmat motu proprio, & ex certa scientia Sixtus I V. litteras Clem. I V. Eugenij I V. & alias quorumque Pontificum, in quibus Ordini Minorum aliqua priuilegia concessa erant, ac pro maiori cautela ea de nouo concedit, & indulget. Pro quo vide dicta in simili confirmatione priuilegiorum Fratrum Prædicatorum in ipsorum Mari magno §.38. & locis Summæ ibi citatis. 100.

Maximè notandum verba illa, in quibus approbantur, & confirmantur præfata priuilegia, scilicet *Habere volumus pro expressis*, maximam vim habere, ita vt, iuxta dicta *tom.* 3. *verbo Clausula num.* 31. habeant vim specialis, & indiuiduæ expressionis, & tollant necessitatem inferendi tenorem illorum. Vnde continere talem expressionem, vt alia opus non sit, dixit Felinus *c. in nostra Coroll.* 2. *sub n.* 15. *de rescriptis.* Decius *conf.* 373. *col.* 2. *n.* 9. Rebuffus *in Concordat. tit. forma mãdat. Apostol. verb. pro expressis littera* A. Geminian. *conf.* 120. *vers. ad idem facit*, vbi ait, paria esse scribere extensè, & particulariter 101.

particulariter per se, vel referre se ad aliam certam, & determinatam scripturam. Ruinus *cons.* 228. *num.* 7. *vol.* 1. *vbi* cum aliis ait paria esse, quod aliquid exprimatur sufficienter, vel quod Papa velit illud habere pro expresso. Caputaquensis in terminis de confirmatione Pontificia *decis.* 204. *n.* 4. *p.* 1. vbi ait quod dicta clausula operatur, vt totus tenor confirmatus existat. Alia apud Barbosam *de Consulis clausul.* 102.

102. Similiter circa Clausulam illam *Ac pro potiori cautela*, &c. præter dicta *tom.* 3. *verbo Clausula num.* 28. nota, quod quamuis ea non videatur necessaria, eo quòd nihil plus tribuat, quam ipsa confirmatio priuilegiorum, vt decisum est à Rota in vna Tolerana *Admissionis* 17. Iunij 1609. coram Pamphilio impressa per Farinacium *decis.* 192. *n.* 2. *p.* 1. *recent.* nihilominus vtilis est; eo quod abundans cautela non nocet. Tuschus *tom.* 1. *littera* A. *concl.* 67. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell. gloss.* 6. *à num.* 26. Stephanus Gracianus *disceptat. forens. cap.* 141. *num.* 12. & alij apud Barbosam *supr. Clausul.* 103.

103. Alia habes infra in Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* §. 33. Carmelitarum *circa* §. 44. Seruitarum *circa* §. 28.

Circa §. 39.

104. HOc priuilegium de facultate habendi Oratoria, & in eis celebrandi, &c. cum altari portatili ampliatiuum est alterius iisdem Minoribus concessi à Clemente IV. de quo supra *circa* §. 7. 8. *&* 10. huius Maris magni, vbi aliqua de eo dixi; maximè verò in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 39. *&* 40. in quo etiam habetur, & aliis locis Summæ ibi relatis. Præter quæ, pro maiori rei notitia alia subiungenda censeo.

105. Primò quidem clausulam illam *Sicut accipimus*, qua refert Pontifex circa priuilegia olim concessa Minoribus nonnulla dubia fuisse exorta, non egere iustificatione, seu probatione, eo quòd quando ponitur in gratia Motus proprij, qualis est ista, non eget illa, iuxta dicta *tom.* 3. *verbo clausula num.* 66. quod etiam sequitur Barbosa *in tract. de clausul. Clausul.* 148. & Marra *de clausulis part.* 1. *clausul.* 154. plures Rotæ decisiones pro eo afferētes.

106. Deinde, cum in hoc priuilegio concedatur facultas Minoribus habendi Oratoria, & hoc videatur iure communi concessum, iuxta dicta *tom.* 4. *verbo Oratoria quoad Regulares num.* 6. ex *cap. vnicuique, de consecrat. dist.* 1. ideo solum id positum fuisse à Pontifice ad maiorem securitatem conscientiæ credendum est. Sicut propter eandem causam sæpius Pontifices solent Religiosis concedere illa, quæ iure communi ipsis competunt.

107. Præterea circa facultatem celebrandi cum Altari portatili præter dicta locis relatis, nota, quòd cum Episcoporum priuilegium sit celebrare, & facere sibi celebrari vbicunque, etiam extra proprias diœceses, cum altari viatico, & portatili, *cap. quoniam Episcopi, de priuileg. in* 6. & hoc priuilegium non sit reuocatum à Concilio Tridentino *sess.* 22. *in decret. de obseruand. & vitand. in celebrat. Missar.* prout tenent Azor *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 10. *cap.* 26. *q.* 4. referens ita declarasse S. Congregat. ann. 1586. Fagundez *in Ecclesia præcepta præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 19. referens etiam ad verbum S. Congregationis declarationes id affirmantes, Marchinus *de Sacram. Ordin. p.* 3. *tract.* 3. *cap.* 9. *num.* 12. & Cardinalis Lugo *de* *Euchariſt. disp.* 20. *sect.* 9. *n.* 49. & alij, quos refert, & sequitur Pasqualigus *decis.* 55. ideo in Ecclesiis Regularium poterunt id facere. Similiter, quia non obstante decreto Concilij Trid. *loco relato.* possunt Episcopi in propria diœcesi facere celebrari etiam extra locum sacrum cum altari portatili, rationabili aliqua causa subsistente, & in loco honesto, prout tenent Fagundez *supr. num.* 14. Bonacina *de Euchar. disp.* 4 *q. vlt. punct.* 9. *num.* 10. Barbosa *in d.c. quoniam num.* 6. & alij apud ipsos, ideo Regulares si confirmati nolint probabilitati illius sententiæ, quæ asserit id facere posse virtute horum, & similium priuilegium, iuxta dicta *tom.* 3. *Summæ verbo Altare num.* 13. *& sequentibus* poterunt ex Episcopi dispensatione id facere. An verò etiam extra propriam diœcesim id facere possint Episcopi, agit Pasqualigus *disp.* 56.

Circa id verò quod habetur in his priuilegiis pro tempore interdicti, scilicet quod eo tempore possint admitti Tertiarij, & procuratores (intellige pro casibus, in quibus ipsi Religiosi possunt non seruare inrerdicta, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 19. *& tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 21. *& tom.* 3. *verbo Interdictum, quoad Regulares, præsertim num.* 28. *& supra in Mari magno Prædicatorum circa* §. 39. *&* 40.) quæri potest, an etiam possint admittere Confratres Confraternitatum suarum Religionum. Et respondendum, ex vi horum priuilegiorum, non posse id facere, quia in illis non comprehenduntur, & ex *cap. licet, de priuilegiis in* 6. constat non posse admitti tempore Interdicti nisi priuilegiatos; præsertim quia priuilegia tantum valent quantum sonant, & solum extenduntur ad personas in eis expressas, vel quæ in eis comprehenduntur propter significationem vocis, propter materiæ connexionem, aut propter iuris dispositionem, nec in eis attenditur ad similitudinem casuum, vel personarum, iuxta doctrinam plurium DD. quos refert, & sequitur Bonacina *de legibus disp.* 1. *q.* 3 *punct.* 7. §. 2. Dixi, *ex vi horum priuilegiorum*, vt excludam particularia priuilegia ipsorum Confratrum, vel Confraternitatem, de quibus alibi dicetur, vt de nostræ Confraternitatis Scapularis Confratribus dixi *tom.* 2. *c.* 15. *n.* 36. *&* 37. propter priuilegium Clem. VII. in Bulla *Ex Clement. in* 1. *tom. Bullar.* Laertij in hoc Papa *num.* 31. De quo etiam priuilegio Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resol.* 80. post Nauarrum, Henriquez, & Villalobos, quos refert. 108.

Circa §. 40.

HOc similiter priuilegium de facultate concessa Prælatis Minorum ad absoluendum suos subditos, de faciendum se absolui ab ipsis, declaratiuum etiam est alterius, de quo supra §. 12. 13. *&* 14. Cum enim ibi dictum esset hanc facultatem non extendi ad casus, in quibus *adeo fuerit grauis, & enormis excessus*, quòd sint (delinquentes) *ad eandem Sedem* (scilicet Apostolicam) *meritò destinandi*, modo declarat Pontifex, *Hæreticos relapsos, schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem Apostolicam merito destinandos.* Quia verò similis priuilegiis declaratio habetur etiam in Mari magno Prædicatorum §. 41. ideo quæ ibi dicta sunt, huic etiam intento deseruiunt. 109.

Addendū tamen primò, quòd cū in hoc, & simillib. priuilegiis concedatur Prælatis facultas absoluendi suos subditos etiam à casibus reseruatis, illis 110.

exceptis, quos retulit, imò iure communi competat ipsis ista facultas quoad casus non reseruatos, & etiam quoad reseruatos ab ipsis Prælatis; ideo tenentur illos in confessione audire, quoties ipsi subditi id petierint. Ratio est, tum quia subditi habent ius ad id petendum, & Prælati ex vi sui officij tenentur subditorum saluti consulere, per ea præsertim media, quibus ad perfectionem peruenire possunt, qualia sunt Sacramenta; tum etiam à simili de Patocho, qui secundum communiorem opinionem, quoties pœnitens petit ab ipso audiri in confessione, tenetur id facere. Coriolanus *part.1.de casibus reseruat.sect.1.art.10.num.*8. Bonacina *de pœnitent. disp.* 5.*quæst.*7.*punct.*4.§.2.*num.*13. post Nauarrus, Sorum, Suarez, Henriquez, & alios, Excipe tamen casus, in quibus, vel propter magnam occupationem Prælatis, vel propter aliam rationabilem causam, Prælatus non posset, aut non deberet id facere. Sicque supponunt relati authores, & Bordonus *Resol.*2. *num.*25.

111. Secundò nota, quod quamuis in huiusmodi priuilegio expresè declaretur eandem facultatem concedi Prælatis, vt absolui possint à suis confessariis, quam ipsis Pontifex concedit ad absoluendum suos subditos, nihilominus id solum videri factum pro maiori explicatione, & ad tollendos scrupulos. Ratio est, quia iuxta dicta sæpius, præsertim *tom.*4. *verbo Prælatus Regularis num.* 19. possunt Prælati vti illis facultatibus, seu licentiis, quas suis subditis conferre possunt, ne sint peioris conditionis, quam ipsi. De quo non solùm Cardinalis Lugo eo loco relatus, sed Sanchez *lib.*8. *de Matrimon. disp.* 13. Bordonus *Resolut.*3. *num.*23. Bossius *de Iubilæo sect.* 1. *cas.*10. *num.*188. & Pasqualigus *decis.* 86. post plures alios, quos referunt. Illud etiam quod ibi dicitur de eisdem Prælatis, *quos ipsi habuerint pro tempore in Confessarios*, sufficienter intelligitur de Confessariis ab ipsis Prælatis, etiam ad hunc solum effectum absoluendi illos à reseruatis electis, provt in simili habet Sanchez *supra*.

112. Maximè tertiò nota, quod cum in hoc, & similibus priuilegiis non restringatur absolutio ad forum conscientiæ, vel Sacramentale, sed generaliter concedatur Prælatis facultas ad absoluendum à casibus reseruatis, exceptis illis, quos diximus, ideo talis absolutio dari potest ab ipsis, quod attinet ad censuras, etiam pro foro externo, iuxta dicta *tom.*3.*verbo Absolutio num.*6. Quæ maximè roborantur ex Rotæ decisione in hac causa inter decisiones Petri *num.* 90. in qua id fuerit determinatum pro Ordine Prædicatorum propter simile priuilegium, quod in ipsorum Mari magno §. 41. habetur. Idem etiam colligitur ex eo quod Principis beneficium latissimè est interpretandum, *cap. Cum olim de verborum significat l. Beneficium.ff. de constit. Princip.* Sanchez *lib.*6. *in Decalog. c.*17. *num.*43. Portellus *dub. Regul. verbo Prælati potestas num.* 25. Vechius *disp.*9. *dub.*8. *num.* 3. Bordonus *Resolut.* 3. *num.* 19. post alios. Quid verò esset dicendum, si restringerentur ad forum conscientiæ, vel Sacramentale, dixi eo *num.* 6. Quæ etiam forma obseruari debeat, quando daretur hæc absolutio publicè, aut pro foro externo, dixi ibidem *num* 8. Quomodo autem absolutio à peccatis nullo modo possit dari, nec vi huius, nec alterius priuilegij extra Sacramentum Pœnitentiæ, communis est Doctorum sententia, vt propterea necesse non sit illos referre.

113. Similiter, cum in hoc & similibus priuilegiis facultas ista concessa Prælatis ad absoluendum suos subditos à prædictis casibus non restringatur solum ad ipsos Prælatos per seipsos, provt in aliis fieri solet, (quale est illud Pij Quinti, quod retuli *tom.* 1. *Summæ cap.*18. *num.* 31. in quo Pontifex facultatem concessam Episcopis in Concil. Trid. *sess.*24. *cap.*6. extendit ad Prælatos Ordinis Prædicatorum, dicens tamen, *vt ipsi per se ipsos*, &c. ideo facultas in talibus priuilegiis concessa Prælatis potest aliis, iuxta dicta eo *cap.*18. *num.*4. ex Cordubia, & Suarez. Est enim facultas competens ex priuilegio perpetuo, ac per consequens est veluti ordinaria, & delegabilis, præsertim cum non sit concessa personæ, sed dignitati, vel officio. Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Absolutio ordinaria quoad Fratres in fin. dub.*2. Passarellus *in Compend. Minimor. cap.*15. Henriquez *lib.* 13. *de excommunic. cap.* 14. *num.* 2. & Sanchez *lib.* 2. *de Matrimon. disp.* 40. *num.* 14. post plures alios, quos refert. Quibus iunge Hieronymum Rodriguez *in Compend. Resolut.* 4. *num.*14. & Bordonus *Resolut.* 3. *num.* 29. Cum quo adde, etiam extraneis esse delegabilem. Quod intellige, nisi Ordinum Constitutiones contradicant.

Nec obstat, si dicatur hoc esse contra *cap. fin. de offic. & potest. Iudic. delegat.* §. *cæterum*, vbi dicitur: *Nulli cui commissum fuerit prædicare crucem; excommunicare, vel absoluere aliquos; dispensare cum irregularibus, vel iniungere pœnitentias, liceat hæc de cætero aliis demandare.* Quia ibi solum est sermo de illo, commissum est nudum ministerium, vt patet ex verbis sequentibus, *Quia non sibi iurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte.* Tunc enim est electa industria personæ, vt docet Bald. *l. vnica* §. *ne autem C. de caducitat. tollend.* quem sequitur Menochius *cons.* 93. *num.* 16. in casu autem nostro non est concessum nudum ministerium, nec electa industria personæ, sed conceditur priuilegium perpetuum annexum dignitati, & personis Prælatorum, ac per consequens delegabile, iuxta *cap. fin. de offic. Ordin.* Nauarrus *consil.* 15. *in fin. de sentent. excommunicat. in antiq. alias* 11. *de priuileg. in nouis*, & Sanchez *de Matrimon. lib.* 2. *disp.* 40. *num.* 13. *cum sequentib. præcipuè num.* 17. Quod maximè procedit, quia in dubio non censetur electa industria personæ, vt per Peregrinum *variar. lib.* 1. *ad cap. fin. de offic. & potest. Iud. delegat. num.* 7. affert Barbosa *in collect. Doctor. ad d. cap. fin. num.* 4. Vide alia ad intentum in Mari magno Seruitarum *circa* §. 65. 114.

Circa § 41.

Simile priuilegium de libertate, & delatione defunctorum ad proprias Ecclesias Fratrum, etsi cum aliqua variatione, habetur in Mari magno Prædicatorum §. 43. Et de eius materia plura dixi in eodem Mari magno §. 28. & 43. relato, ac in isto Minorum *circa* §. 40. & 31. Quibus si adiungas dicta in Summa *tom.* 2. *cap.*1. *num.*31. & *tom.*3. *verbo Defunctus*, ac *tom.* 4. *verbo Sepultura quoad Regulares per totum*, sufficienter satisfactum videbitur huic materiæ de libertate Sepulturæ in Ecclesiis Regularium. Sed pro copiosiori rei notitia aliqua in præsenti addenda, 115.

Et primò, quod iuxta dicta *tom.*1. *cap.*9. *n.*25. ex *Clem. cupientes de pœnis* §. *sane.* (quod etiam ad libertatem sepulturæ spectat) Religiosi, & Clerici sæculares, qui aliquos *ad vouendum, iurandū, vel fide* 116.

interposita

interposita, seu aliàs promittendum inducunt, *vt sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel iam electam vlterius non immutent*, excommunicationem Papæ reseruatam incurrunt. Similiter incurrunt pœnas statutas à Bonifacio VIII. *in cap.1. de Sepulturis in 6.* quas retuli *tomo 4. verbo Sepultura quoad Regulares, num.6.7.& 8.* Circa quæ præter dicta eo loco vlterius animaduertendum, etiam esse transgressores huius legis eos, qui prædicto modo inducunt alios ad eligendam, vel non mutandam sepulturam, in qua aliàs de iure communi sepeliri deberent, vt si in ea sepulti essent eorum maiores. Ratio est, quia sic inducentes etiam faciunt contra intentionem Ecclesiæ in præfatis Constitutionibus, quæ est, non solum obuiare auaritiæ Religiosorum, vel Clericorum sæcularium, sed etiam conseruare illæsam liberalitatem decedentium è vita ad eligendum sibi sepulturam, vbicunque voluerint, etiamsi aliàs alibi de iure sepeliri deberent. Portelius *in dub. Regular. verbo Sepultura, num.4* & Pasqualigus *decis. 375.* contra Rodriguez *tomo 4. Sum.c.130.n.3.* & alterum Rodriguez *in Compend. resol.128. n.6. in fin.* Credo tamen sic inductos sepeliri debere in dicta Ecclesia, in qua eligunt sepulturam, etiamsi in *dict. cap.1. de sepult.* statuatur, ne inducti dicto modo ad eligendum sepulturam in ea sepeliri possint. Quia textus intelligi debet, quando electio sepulturæ est in Ecclesia, in qua alias de iure sepeliri non deberent. Rodriguez *tomo 3. quæst. regular. quæst.58. art.7. dub.1.* Alter Rodriguez *supra*, Pasqualigus *decis.378.*

117. Nota præterea (quod etiam pro libertate sepulturæ facit) quemlibet, qui sit sui iuris, siue Clericum, siue Laicum, posse sibi eligere sepulturam, imo etiam inter eos, qui non sunt sui iuris, vxorem, filiumfamilias, pubem, & etiam seruum. Ratio est, quia ita iura statuunt, & Ecclesiæ consuetudine firmatur. De quibus Syluester *in verbo Sepultura, quæst.6.* Lauorius *tomo 1. variarum lucubrat. tit.2. cap.11.* Belletus *part.1. disquisit. Cleric. § 3. de Cleric. debit.* Layman *lib.3. tract.5. cap.12. num.5.* Portellus *supra num.6.& 7.* Pasqualigus *decis.381.* & alij communiter. Qualiter autem Religiosi, qui ex opposito non sunt sui iuris, sepulturam eligere non possint, dixi *tomo 1. Summæ, cap.9. num.10.& tomo 4. verbo Sepultura quoad Regulares, num.16.* Secus dicendum de Nouitiis habes ex dictis eo 4. *tomo, verbo Nouitij, num.41.* De illis autem, qui pro aliis eligere possunt sepulturam, agunt Siluester *supra, quæst.7.* Belletus *supra.* Diana *5. part. tract.3. resolut.108.* Pasqualigus *dec.389.& seqq.*

Circa §. 42.

118. DE materia huius priuilegij, scilicet de exemptione à solutione canonicæ portionis quartæ, vel similis, plura dixi in Summa *tomo 1. cap.3. num.12. & tomo 2. cap.1. 29.& 30. & tomo 3. verbo Canonica portio, & tomo 4. verbo Legata Regularibus relicta, & verbo Quarta funeralis*, & in hoc opere in Mari magno Prædicatorum, §.32. 43.44. & 45. Et in hoc eodem Mari magno Minorum §.31.

119. Nihilominus ad maiorem ampliationem nota dictionem illam *Quomodolibet*, qua vtitur Pontifex in hoc priuilegio, non solum comprehendere omnia, de quibus satis est in genere esse cogitatum, iuxta dicta *tomo 3. verbo Dictio, num. 35.* sed etiam comprehendere quemcumque modum, qui comprehendi potest, idemque portare ac *quocunque modo.* Cenedus *post lib. pract. & can. quæst. sing.* *95. num.5.* & Barbosa *in tract. de dictionibus, dict. 330. num.4.* post alios, quos ipsi referunt. Comprehendit propterea omne ius directum, siue indirectum, ac etiam impropriè sumptum, siue iure communi, siue iure speciali, consuetudine, præscriptione, aut priuilegio competens, prout ex Rotæ decisionibus, & Doctoribus aliis tenet Barbosa *suprà, num.2. & 3.* Apud quem alia circa vim, & energiam huius dictionis. Quæ notatione digna duxi pro maiori intelligentia huius amplissimi priuilegij. De quo alibi iterum redibit sermo.

Circa §. 43.

HOc etiam priuilegium de non soluenda aliqua portione de piis legatis habetur in Mari magno Prædicatorum §.45. Eremitarum sancti Augustini §. 41. & Carmelitarum §.59. Quamuis autem de illo, vel illi concernentibus plura dixerim in Mari magno Prædicatorum §. 26. & 32. & in hoc Mari magno Minorum .§.28.34 & 36.& in locis etiam Summæ ibi relatis. Specialiter tamen pro Regnis Hispaniæ nota ex concessione Summorum Pontificum, præsertim Pij V. & Gregorij XIII. impositum esse quoddam subsidium pro expeditione belli contra infideles super bona Ecclesiastica etiam Regularium, cum derogatione quorumcunque priuilegiorum, ac proinde ad ipsius solutionem teneri non obstante hoc, & aliis priuilegiis. Notat autem Rodriguez *tomo 3. quæstionum regularium, quæst.74. art.1.* posse cogi per excommunicationem, & alias censuras ad ipsius solutionem, non obstantibus etiam ipsorum priuilegiis: Notat insuper posse ad id cogi, inuocato etiam auxilio brachij sæcularis; tum quia ita habetur in præfatis concessionibus Pontificiis; tum quia delegatus à Papa, qualis est Nuncius Apostolicus in hac causa, potest iure communi implorare auxilium brachij sæcularis ad executionem illius, quod sibi à Papa committitur exequendum, prout tenent Innocentius, Panormitanus Imola, Felinus, Decius, Archidiaconus Federicus, & Nauarrus, quos ipse Rodriguez refert *ibidem §. Tertiò notandum.* Quo simili modo, proportione seruata, intelligi debent similes Constitutiones Summorum Pontificum, quæ varias ob causas emanare solent ad impositionem similium subsidiorum etiam respectu Regularium, & cum reuocatione priuilegiorum ipsorum. 120.

Supponitur autem in huiusmodi priuilegio Fratres Minores capaces esse legatorum, ita vt ipsis legari aliqua possint, ita tamen, vt iuxta dicta 4. *tomo 1. verbo Legata Regularibus relicta* talia legata non sint tantæ quantitatis, vt hæreditas appellari possint, nec sint perpetua, & quatenus ita fuerint, non sine pro ipsorum Fratrum victu, sed potius pro aliquo vsu pio determinato, & cum aliis conditionibus ibi designatis. Quæ quia firmata sunt à sacra Rota in vna Romanâ *Computorum* decimo Aprilis 1630. coram Merlino, quam affert Tamburinus *de iure Abbat. tomo 3. disp.11. quæsito 1.* placuit eam hic referre: quia per ipsam valde confirmantur dicta eo loco. Sacræ Rotæ verba ex prædicta decisione extracta, ea scilicet, quæ ad præsens intentum deseruiunt, sunt hæc: Quoniam visum fuit Dominis in proposito casu non applicari dictas Constitutiones in *cap. Exiit*, & Clem. *Exiui*, & non obstare validitati prædicti legati, pro quarum Constitutionum intelligentia cum multa inculcarentur ab informantibus; congruum 121.

putarunt Domini aliquas firmare conclusiones. Prima est conclusio, quod Fratres Minores Ordinis sancti Francisci, tam de familia, quàm Reformati, sunt capaces legatorum, quæ vnica solutione seu præstarione adimplentur tam in pecunia numerata, quàm in aliis speciebus, vtputa frumenti, vini, olei, & stabilium: dummodo tamen duo copulatiuè concurrant. Primò, quod legatum fiat modo licito, atque ipsis Fratribus iuxta eorum Constitutiones permisso, hoc est, vt in eorum necessitates conuertantur, vel nullus explicetur vsus, sed absolutè illis legetur, quo casu præsumitur legatum eo modo, qui ad legati valorem necessarius est, non autem fiat modo illicito, & illis prohibito, vt puta si legentur bona stabilia ad excolendum, vel locandum, tunc enim cùm legatum capiat substantiam à modo (siquidem Fratres Minores ex se non sunt rei immobilis relictæ capaces, sed ratione solius modi illis liciti capaces redduntur) vtique legatum corruit, nec etiam æstimatio debetur. Secundò, quòd legati quantitas non sit ingens, & immoderata, quæ sapiat thesaurizationem, & inde violetur votiua paupertas, & videatur fieri in fraudem, hoc est relinqui hæreditatem sub nomine legati, sed modica, & suppetens ad solam necessitatem, vel executionem officiorum sui Ordinis, quod relinquitur arbitrio Superioris, attenta personarum, & temporum qualitate, & conditione locorum, atque aliis circunstantiis. Ita ad normam Regulæ sancti Francisci sanxerunt summi Pontifices, Nicolaus III. *in dicto cap. Exiit*, & Clement. V. *in dicta Clement. Exiui, de verborum significatione*, & tradunt Bartolus *in tract. Minor. lib. 2. distinct. 1. num. 1. & sequentibus*, Baldus *in authent. ingressi, num. 59. Cod. de sacrosanct. Eccles.* Card. Vabarell. *in dict. Clement. Exiui. §. Proinde, num. 11.* & ibidem Ancharan. *num. 13. & 15.* Butr. *in cap. in præsentia, num. 25.* vbi & Felin. *num. 52. ad fin. de probat.* Gabr. *concl. 1. num. 4. de Legat.* Nauar. *consil. 8. num. 1. & 2. de testament.* Peregrinus *de Iure fisc. lib. 3. tit. 14. num. 2. & conclus. 10. & 11.* Menoch. *consil. 1014. num. 41. & seq. vsque ad fin.* Rodericus *de Regul. tomo 2. quæst. 127. art. 1. per tot.* Corduba *super Regul. sancti Francisci, cap. 6. quæst. 8. super 2. punt.* Hier. à Polit. Capucin. *super dicta Regula, cap. 6. num. 62. & 72.* Bene Sanchez *super Decalog. lib. 7. quæst. 26. à num. 10. ad 19. & num. 28.* Nec deficit ratio, quoniam per receptionem huiusmodi legatorum non prouidetur totali necessitati Fratrum, nec excluditur mendicitas, ita vt precatio, & ostiatim sibi quærere victum non cogantur, vt præcipitur in *cap. 1. de Relig. Domib. in 6. cap. nimis il 2. de excessibus Prælat.* sed hæc legata sunt quædam eleemosynæ, quæ nullum tribuunt dominium, proprietatem, aut possessionem, quæ repugnent eorum statui, nec tollunt, quin Fratres diuinæ innitantur prouidentiæ, & quemadmodum Fratres sunt capaces donationis sub modo licito, ita etiam legati, quod est quædam donatio *§. legatum Instit. de legat.* Sanchez *super Decal. dicto lib. 7. cap. 26. num. 10.* Sanctes Capucinus *super Regula sancti Francisci, cap. 6. fol. 305.* Secunda est conclusio, quod Fratres Minores non sunt capaces annuorum redditum perpetuorum, etiamsi illa relinquantur adiecto onere perpetuo celebrationis Missarum. Ita videtur decidere text. *in dict. Clement. Exiui, vers. Cumque annui reditus, de verborum significat. in 6.* & idem voluit Glossa *in cap. Quorundam verb. Mendicantium de elect. in 6. & in cap. 10. De Relig. Domibus, eodem lib.* Abbas *in cap. nimis, il 2. sub n. 2.* & ibidem Ioan. Andr. Anchar. *num. 2. de excessibus Prælat.* Geminian. *consil. 40. num. 4. & seqq.* quod est etiam inter cons. Fulgos. 104. Bald. *in dicta authent. ingressi, num. 59. Cod. de Sacrosanct. Eccles.* Bartol. *in l. legatum, num. 2. ff. de cap. diminut.* Zabarell. *in dict. Clement. exiui, dict. §. cumque annui per tot.* Feder. de Sen. *consil. 12. num. 4. & 5.* Nauar *consil. 8. num. 3. & seqq. de testam.* Polit. Capucin. *super Regul. sancti Francisci, cap. 6. num. 59.* vbi testatur Capucinos non admittere huiusmodi legata. Sanctes Capucinus *super dicta Regula, c. 6.* Sanchez *super Decalog. dicto cap. 26. num. 34.* Quæ quidem conclusio illa potissimum ratione subnititur, quia nihil est, quod magis arctissimæ paupertati Minorum repugnet, quam redditus annui, qui sunt certi, & determinati, & sapiunt nimiam proprietatem, atque inter immobilia connumerantur in *dicta Clement. Exiui, §. cumque annui*, & ibidem notant Doctores, & latè in his terminis Borell. *consil. 17. num. 23.* per quorum possessionem in perpetuum prouideretur Fratrum necessitati, & penitus excluderetur mendicitas, vel in ea certè mentirentur, quod est absonum, vt ex *leg. si quis Cod. de Censibus, & censit. lib. 11.* deducit in proposito Bald. *in dict. authent. Ingressi, num. 60. ad fin. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.* Si qui Fratres reciperent huiusmodi annua legata & obligationes perpetuas etiam pro Missis, & Anniuersariis, celebrandis, tractu temporis nedum mendicitatem desererent, sed conflatis pluribus annuis redditibus, qui superabundarent ad alimenta, & vitæ sustentationem, apertè ditescerent, quod esset magnum absurdum eorum statui repugnans, vt perpendit Nauar. *dicto consil. 8. num. 6.* & Sanct. *Thesaur. Capucin. super Regulam sancti Francisci, cap. 6. fol. 308.* Qui amplius asserit super hoc emanasse Constitutionem Leonis X prohibentem receptionem huiusmodi legatorum, & demum modus similis legati, vt quotannis aliquid soluatur; semper secundum eorum Constitutiones est illicitus. Amodo autem capere substantiam legata facta Minoribus dixit Baldus *dicta authent. Ingressi, num. 59.* Sanchez *super Decal. dicto lib. 7. cap. 26. num. 18.* Et quamuis ab hac opinione, quoad Anniuersaria perpetua relicta Minoribus in stipendium Missarum, & diuinorum officiorum celebrandorum dissentire videatur Siluest. *in Summa, verbo Legatum, il 2. sub num. 4. vers. Tertium Petrus*, quem sequitur Roderic. *quæst. regular. tom. 2. quæst. 127. art. 4.* & Frater Thomas à Iesu Maria Discalceat. Carmelit. *in exposit. Regular. sancti Francisci, part. 5. cap. 3. vers. possunt præterea.* Attamen etiam quoad ista Anniuersaria bene procedit supra firmata conclusio, & militant præallegatæ rationes, annuusque redditus ex eo, quod sit debitus intuitu Missarum, non desinit esse annuus redditus, qui semper Minoribus est interdictus. Et sententiam Siluestri, atque aliorum doctè reprobat Sanchez *dicto cap. 26. num. 42.* contra quam refert per duo Capitula generalia ita fuisse definitum, & capitulares Ordinationes testatur se vidisse Surdus *de aliment. tit. 3. quæst. 4. num. 13.* addens quod in vim huiusmodi Ordinationum Guardianus, vel alius Prælatus protestari debet, quod non intendit legatum acceptare, imo absolutè repudiat, & concordat Corduba *super Regula sancti Francisci, cap. 6. quæst. 11. art. 4. vers. si verò legatum.* Nec aduersantur Federic. de Sen. *consil. 12.* Abb. *consil. 63. lib. 2.* Zabarel. *in Clement. Exiuit, §. cumque annui, de verb. signif.* Menoch. *consil. 1014. num. 41.* & alij Quoniam Federic. de Sen. & Abb. quorum dicto cæteri innituntur,

tuntur, firmant, quod Fratres Minores sunt capaces annui redditus non perpetui, sed ad tempus, vt pura ad vitam vnius Fratris, maximè annosi, vt inquit Abbas. Et hæc opinio Federici temperanda est, vt procedat solum quando legatum annuum continet præstationem modicæ, seu minimæ quantitatis, & est ad modicum tempus, quod reputatur decennium, vel minus. Ita declarat Abb. *dicto consil.63. sub num.6. vers. Sed ego hanc opinionem sequor.* Hieronymus à Polit. *super Regul. sancti Francisci, cap. 6. num. 68. ad fin. vers. Ego verò credo.* Cordub. *super dicta Regula, cap.6. quæst.11. punct.3.* vbi quod licet huiusmodi opinio in rigore litteræ possit videri contra Clement. *Exiui*, tamen in sensu æquitatis non est contra eam. Sorb. *in Compend. priuileg. Mendicantium verb. Legata in suis annotationibus, vers. Modicum autem tempus.* Et cum hoc temperamento opinionem, Federic. de Sen. & Abb. videtur etiam amplecti Sanchez *dict. cap 36. ad fin.* Imo quod Minores sint incapaces cuiuscunque annui redditus etiam exigui, tenet Gemin. *consf.40.* quod est inter *consil.* Fulgos. 104. Dec. *in cap. in præsentia, num.273.* & probat Tiraq. *in tract. de Iudic. in rebus exig. num.158. versic. Quinquagesimo quinto.* Quesada *diuers. quæst. iur. cap. 22. num.39.* Socin. *de obtat. libell. 8. num.35. & seqq.* In quam sententiam videtur etiam declinare Bart. *in tract. Minoricar. lib.2. dist.6. cap.3.* vbi monet Fratres, vt ab huiusmodi legatis penitus abstineant. Tertia est conclusio, quòd legatum annui redditus perpetui factum Fratribus, seu potius Ecclesiæ, & Sacristiæ Fratrum Minorum non ad ipsorum victum; sed ad certum diuini cultus vsum, vt ad frumentum vel vinum, necessaria materiæ consecrationis, oleum pro lampadibus, ornamenta altarium, calicesque, omnino sustinetur, vt apertè docuit Federic. de Sen. *consf.12. num.4.* & ibi adden. Butr. *in cap. In præsentia, num.25. de probat.* Abb. *consf.63. num.4. lib.2.* Card Zabarell. *in Clement. Exiui, num.13. & 25. de verb. signif.* Bald. *in authent. Ingressi, num.59. Cod. de Sacros. Ecclesiis,* Anan. *consil.30. num.3. & seqq.* Menoch. *consf.1014. num.36. & 37.* Cordub. *in Regula sancti Francisci, cap.6. quæst.11. punct.3.* Roderic. *quæst. regular. tomo 2. quæst.117. art.5.* Sanchez qui alios congerit super *Decalog. lib.7. cap.26. num.42.* Frater Thomas de Iesu Maria *super Regula sancti Francisci, part.5. cap.3. col.3. vers. sed an fieri possit.* Frater Hieronymus Polit. Capucinus *super dicta Regula, cap.6. num.70.* Et est ratio, quia legatum non concernit commoditates Fratrum, sed diuinum cultum, nec aduersatur eorum paupertati; siquidem cùm mendicitas Fratrum Minorum in eo versetur, vt quotidie ex pietate Christi fidelium alimenta mendicent, quorum nomine veniunt solum corpori necessaria, vt eorum potus, habitatio, vestes, *leg. legatis, ff. de aliment. & cibar. legat. leg. verbo Victus, ff. de verb. signif.* vtique huiusmodi legato non infringitur, nec tollitur hæc eorum mendicitas, vtpote, quod non in alimenta, seu victum, & vestitum ipsorum cedere debeat, sed in necessaria cultui diuino, vt bene ratiocinatur Bart. *in tract. Minoric. lib.1. num.18.* Abbat. *dict. consil.63. num.2.* & alij supra allegati, & præsertim Sanchez *dicto cap.26. num.42.* & tale legatum nullibi reperitur prohibitum, quod non dicitur Fratribus relictum, sed sacris ædibus, & templis: atque aliud est Ecclesia, aliud Monasterium, vt per Syluestrum *in verbo Legatum il secund. num.4.* Nauar. *consil.9. de testament.* Roderic. *quæst. regular. cap.127. art.5.* Ex quo male sensisse videtur Azor. *instit. moral. lib.12. cap.25. quæst.15.* negans sustineri simile legatum, qui reprobatur per Sanchez *vbi supra, num.42.* Hæc in dicta decisione Rotæ intento nostro valde vtilia, & multum conformia iis, quæ dixi loco relato, videlicet *tomo 4. verbo Legata Regularibus relicta*, præsertim *num.6.*

Circa §. 44.

DE hoc quoque priuilegio, quod non possint Fratres excommunicari, interdici, &c. plura dicta sunt in Mari magno Prædicatorum circa §. 36. & 46. & in hoc Mari magno Minorum §. 37. Quibus etiam locis alia ex Summa nostra retuli, in quibus de eadem materia egi. 122

Nunc verò pro maiori ipsius notitia addendum, ex hoc, & similibus priuilegiis clarè haberi non solum personas Religiosorum Minorum (idem dico de aliis habentibus similia priuilegia, vel communionem cum istis) sed etiam ipsorum loca, Monasteria, aut Ecclesias, exempta omnino esse à iurisdictione cuiuscunque Ordinarij. Ita enim habetur in hoc priuilegio illis verbis, *aut loca Fratrum,* & rursus, *Domos, & loca dicti Ordinis,* & iterum *Domos aut loca huiusmodi,* ac tandem, *Domos, & loca dicti Ordinis.* Item *in* § 37. illis verbis, *aut loca vestra.* Quibus similia verba habentur in Mari magno Prædicatorum §. 36. & 46. relatis. Consonant etiam alia priuilegia aliarum Religionum circa ipsarum Mare magnum inferius suis locis referenda. Specialiter etiam consonat priuilegium Nicolai V. pro Minoribus apud Confettium *in Collect. litter. Apost.* in hoc Pontifice *Bulla* 2. vbi in narratiua habentur hæc verba: *Licet ipsi Fratres, ipsorumque domus, aut loca per speciale Sedis Apostolicæ priuilegium ab omni iurisdictione, & superioritate quoruncunque Ordinariorum sint exempti pariter, & immunes, & duntaxat Rom. Pontifici, & Sedi Apostolicæ immediatè subiecti existant.* Fauet & priuilegium Bonifacij IX. pro Prædicatoribus apud eundem Confettium *in hoc Pontifice Bulla* 1. vbi excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ pœna punit illos, qui *Ecclesias, siue loca quæcunque dicti Ordinis violare, seu in eis violentiam damnabilem exercere præsumpserint.* Hoc enim priuilegium in exemptione dictorum locorum fundari videtur. Colligitur id etiam ex dictis *tomo 1. Summæ, cap.11. num.7.* vbi ex declarationibus sacræ Congregationis dixi non posse Ordinarios visitare Monasteria, aut Ecclesias Regularium, rectè inferrur ea loca exempta esse à iurisdictione Ordinariorum. Confirmatur ex alia decisione, quam afferunt Armendariz in *addit. ad recopil. Leg. Nauar. lib.1. tit.6. num.93.* & Barbosa *in Collectan. DD. in Concil. Trident. sess.7. cap.8. num.15.* in ea enim habetur, quod licet Episcopi possint visitare Ecclesias, in quibus imminet cura animarum, non tamen Monasteria, & Ecclesias Regularium, sanè propter exemptionem talium locorum. 123

Quamuis autem Suarez *5. tomo de censuris, disp. 4. sect.4. num.6.* & Cornexo *tract. de Censuris, disp.6. dub.2. §. Inferò secundò,* dicant Ecclesias, seu Monasteria Regularium non esse exempta ratione sui, sed ratione personarum, nihilominus oppositum est tenendum. Tum quia verba summorum Pontificum in præfatis priuilegiis allata æque omnino tribuunt hanc exemptionem Monasteriis, ac locis Regularium, sicut Regularibus ipsis. Tum etiam, quia si solum essent exempta ratione personarum, & non ratione sui, procul dubio visitari possent 124

saltem

saltem ratione sui, cuius oppositum habetur ex declarationibus allatis. Bordonus in resolutionibus, *resolut.7. num.4.* & fauent Graffius, Reginaldus, & Naldus infra referendi.

125. Pro quorum maiori luce nota, quod exemptio est triplex. Prima est personalis, quæ scilicet eximitur persona, vt à nullo, neque etiam Legato Sedis Apostolicæ, vel Iudice delegato excommunicari, suspendi, vel interdici possit. Secunda est localis, quæ fit loco, seu Monasterio, vel Ecclesiæ, ita vt non solum Monasterium, seu Ecclesia sit exempta, sed etiam res Monasterio, & Ecclesiæ annexæ, & propriæ. Tertia est exemptio vniuersalis, quæ personas, res, & loca eximit ab Ordinariorum iurisdictiones, & subiicit immediatè Papæ. Ioannes de Baccone illustris, & antiquus Ordinis nostri Doctor *in 4 sentent. distinct. 25. quæst. 14.* Hostiensis *in Summa, lib. 5. tit. de priuileg. §. Quot species.* Syluester *verbo Exemptio, num. 2.* Henriquez *lib. 7. de Indulgentiis, cap. 24. num. 4.* Peirinis *tom. 1. priuilegior. Minimor. in Constitut. 2. Sixti IV. §. 7. n. 8.* Regulares ergo, Mendicantes præsertim, hæc triplici exemptione fruuntur, prout colligitur ex præfatis priuilegiis, & specialiter ex alio Bonifacij VIII. pro Eremitis sancti Augustini, vt constabit ex eorum Mari magno §. 31 & ex Sixto IV. in dicto Mari magno §. 42. & pro Carmelitis ex priuilegiis Sixti IV. & aliorum in Mari magno ipsorum. §. 60. & 71. Item ex Vrbano VI. pro Seruitis in eorum Mari magno §. 15. Ac ex alio Sixti IV. pro Minimis in Constitutione relata illis verbis: *Et insuper vos, & vestrum quemlibet, ac Eremitorium, siue Ecclesiam sancti Francisci de Paula prædictum, cæteraque omnia, & singula Eremitoria, Ecclesias, & loca per vos in quibuscunque Ciuitatibus, & diœcesibus, ac vbilibet hactenus recepta, & in posterum recipienda cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, Eremitasque, & personas in illis pro tempore degentes, ac res, & bona quæcunque mobilia, & immobilia, ad vos, & Eremitas, & personas, ac vestrum quemlibet, ac loca, Eremitoria, & Ecclesias huiusmodi quomodolibet communiter, vel diuisim spectantia, & pertinentia ab omni iurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione, & superioritate prædicti, ac pro tempore existentis Archiepiscopi, & aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Ordinariorum, Iudicum, & Superiorum quoruncunque, etiam illorum, in quorum iurisdictione, ciuitatibus, & diœcesibus Eremitoria, loca, Ecclesiæ, vos & Eremitæ, ac personæ, res & bona huiusmodi consistunt, & consistere poterunt quomodolibet in futurum, authoritate, & scientia prædictis de speciali gratia tenore præsentium prorsus eximimus, & totaliter etiam liberamus, ac sub beati Petri, & Sedis memoratæ, ac Romanæ Ecclesiæ, & nostra protectione suscipimus, ac exempta, & immunia esse volumus, nobisque, & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, ac dictæ Sedi immediatè subiacere, &c.*

126. Ex hac autem exemptione locorum Regularium à iurisdictione Ordinariorum colligitur id quod *tomo 1. cap. 11. num. 19.* etsi non resolutoriè, dixi, videlicet, quod delinquens in Monasteriis Regularium non subiiciatur pœnis impositis ab Episcopo, verbi gratia, si Episcopus Salmanticensis præcipiat suis Clericis, ne ludant taxillis, aut chartis, sub pœna excommunicationis ipso facto, & ipsi ludant in aliquo Monasterio Regularium, quod non incidant in præfatam excommunicationem. Ratio est, nam præfata Monasteria licet sint in diœcesi talis Episcopi, sunt tamen ratione propriæ exemptionis extra illius iurisdictionem, ac proinde quoad hoc se habent ac Parochiæ, & Monasteria extra diœcesim existentia. Quare quemadmodum Clerici dictæ diœcesis Salmanticensis si luderent in diœcesi Segobiensi, non incurrerent pœnam impositam à proprio Episcopo, ita neque si luderent in præfatis Monasteriis diœcesis Salmanticensis: quia licet ille materialiter non sint extra diœcesim, sunt tamen extra eam formaliter. Azor & Peirinis eo loco relati. Syluester *in Summa, verbo Excommunicatio 2. §. circa prædicta magis,* ex Ioanne de Lignano, & aliis. Graffius *1. part. decis. aur. lib. 4. cap. 8. num. 39.* Reginaldus *lib. 9. cap. 8. num. 154.* Zerola *1. part. Praxis, verbo Excommunicationis causa materialis § 4* Naldus *in Summa, verbo Exemptio, num. 5.* expresse loquens de hoc casu. Quæ sententia ad minus est vera loquendo de pœna imposita per modum Statuti, prout supponunt dicti Authores, quibus adde Dianam *3. part. tract. 5. Miscellan. resolut. 74.* ex Couarruuia, Bonacinam *de censuris, disp. 1. quæst. 2 punct. 11. num. 8.* ex Auila, Vgolino, & aliis. Addunt etiam alij id esse verum, etiamsi pœna lata sit per modum sententiæ, prout tenent Auila *de censuris, part. 2. cap 3. disp. 2. dub. 5.* Coninch. *de Sacramentis, disp. 13. dub. 7. concl. 6. n. 1.* Henriquez *lib. 13. cap. 26. num. 1.* Sayrus *de censur. lib. 5. cap. 6. num. 40. ex leg. vlt. ff. de iurisdict. omnium Iudicum.* Diana *supra.* Quod tamen admitti non debet propter differentiam, quæ est inter censuram, seu pœnam latam per modum statuti, ac quæ fertur per modum sententiæ: nam illa obligat solum existentes, & delinquentes in territorio legislatoris, quia Statutum respicit directè territorium; ista verò respicit, & afficit personas subditas secundum se, ac per consequens vbicunque existentes. Suarez *supra sect. 5. num. 15.* Bonacina *suprà, num. 2.* ex Vgolino, & aliis.

Si autem quæras nomine Monasterij in præsenti quæ veniant. Respondet Graffius *supra* ex Syluestro *verbo Exemptio, quæst. 2.* venire cœmeterium, & domus, & theatrum cum hortis, & arcus, qui sunt extra Ecclesiam, & dormitorium. Addit idem Syluester idem esse dicendum de dormitorio & domibus Clericorum, quæ sunt iuxta Ecclesiam cum eorum hortis. Sed de his alias. 127.

Vide alia ad intentum super Mare magnum Eremitarum S. Augustini *circa* §. 42. & super Mare magnum Carmelitarum *circa* §. 60. & 71. & 75. Seruitarum *circa* §. 15. & Minimorum *circa* §. 25. 128.

Circa §. 45.

HViusmodi etiam priuilegium de ministranda Eucharistia, & extrema Vnctione confessis cum Fratribus pro casu, quo id maliriosè non velint facere Curati, habetur in Mari magno Prædicatorum §. 47. vbi etiam loca tetuli, in quibus de eadem materia in Summa egi. Præter dicta autem iis locis, vlterius animaduertendum. 129.

Quod licet iuxta dicta eo §. 47. ex Fagundez, & Cardinali Lugo (quod etiam alij tenent) non possint Regulares ex vi huius priuilegij ministrare Eucharistiam in Pascha ea solum ratione, quod Parochus absens est, eo quod in tali casu non obligat præceptum communionis, nihilominus si in tali casu præsumi possit voluntas Parochi circa talem administrationem Eucharistiæ, poterunt illam tunc administrare iure communi siue hoc, aut alio priuilegio, sicut à simili dixi de Peregrinis *tomo 3. Summa, verbo Eucharistia, quoad Regulares, num. 7.* quod 130.

quod scilicet illi accipere possint Eucharistiam à Regularibus, quia talis censetur voluntas Parochi, saltem præsumpta. Suarez *tomo* 3. *de Eucharistia, disput*.72. *sect*.2. §. *hinc sequitur*. Clariùs Portellus *in dub. regul. verbo Sacramentorum administratio, num*.7. Diana 3.*part.tract*.2.*de dub.regul.resolut*.12. *in fine*, & Lugo *de Eucharistia*, *disput*. 18. *sect*. 2. *num*.51. referens Fagundez, & Laimanum. Notat tamen; non ita facile debere præsumi talem voluntatem, aut consensum parochi, ad communionem Paschalem: quia vt in plurimum parochi volunt, vt pastores fidelium retinere ius suum pro illo tempore, vt recognoscantur ab illis. An verò pro casu, quo prædicti parochi sine rationabili causa, seu maliriosè distulerint Sacramentum Eucharistiæ ministrare præfato tempore Paschæ, iis qui dictis Religiosis sua peccata confessi fuerint, possint id facere ex vi huius priuilegij; dubiæ quæstionis est; & satis probabilis pars affirmatiua, iuxta dicta supra in Mari magno Prædicatorum loco relato, & posita limitatione, seu restrictione huius priuilegij, quam attuli 3.*tomo*, *verbo Eucharistia, quoad Regulares, num*.5. Ex Leone X. ibi relato; quando scilicet *talis negatio Eucharistiæ sine legitima causa vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doceretur*. Notat autem Fagundez *de* 3.*Eccles.præcept.lib*.3.*cap*.2. *num*.20. tam vrgentem posse esse casum, vt nullo modo possit id probari coram Notario. Quod tamen negari potest, si quidem tunc, iuxta dicta superius, cessaret præceptum communionis, ac per consequens non esset tam vrgens necessitas. Addendum etiam, quod in casu, quo constaret certò, quòd Parochus ex sua nequitia negaret Eucharistiam in tempore Paschatis, posset administrari à Religiosis, & quibuscunque aliis Sacerdotibus, etiam secluso omni priuilegio. Quia pro tali casu adesset voluntas interpretatiua Episcopi, vel summi Pontificis. Ita Pater Candidus 3.*tomo*, *disquisit*. 2. *de Eucharistia*,*art*.20.*dub*.34.

131. Circa clausulam illam in hoc priuilegio positam, videlicet, *Ecclesiarum Parochialium Rectores*, nota quod licet illi distinguantur à perpetuis Vicariis earundem Ecclesiarum in eo quod illi sint principales personæ in Ecclesia, quibus principalis cura incumbit, Vicarij verò perpetui sint minus principales, & coadiutores ad tale munus, vt notat Glossa vlt. *in cap. Ad hæc*, *de offic. Vicar. & in cap.fi. verbo Annexæ, de prebend.in* 6. recepta communiter per Doctores *ibidem*, nihilominus quia, quæ dicuntur de beneficio curato, habent etiam locum in Vicaria perpetua, vt tenent Paris. *de resignat. benefic. lib*.3. *quæst*.1. *num*. 115. *cum seqq*. Campan.*in diuers. Iur.Can. rub*.7. *cap*.6. *num*.114. Nauar.*consil*.11.*num*.3. *de statu regular.in nouis*, & Barbosa *de Iure Ecclesiastico*, *lib*.3. *cap*.6. *num*.19. Ideo quæ in hoc priuilegio dicuntur de Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, intelligi etiam videntur de Vicariis perpetuis; propter dicta, & æqualem rationem in vtrisque repertam.

132. Occasione autem huius, & similium priuilegiorum dubitari potest cum aliquibus, an melius sit recipere Sacramenta à Parochis, quam Religiosis priuilegiatis; de quo Michael Lochmarius Ecclesiæ Patauiensis Canonicus *in suo parochiali, cap*.4. *concl*.11.& Barbosa 6. *de officio Parochi in* 3. *editione Lugdunensi, part*.2. *cap*.19. *num*.23. & ego infra in Mari magno Eremitarum sancti Augustini *circa* § 50.

Circa §. 46.

DE huius priuilegij materia, scilicet de bonis Monasteriorum Monialibus destitutorum applicandis Fratribus, nonnulla dixi in Summa, *tomo* 2. *cap*.19.*num*.50. *& tomo* 4. *verbo Monasteria Regularium, præsertim num*.32.37. *&* 38.& in Mari magno Prædicatorum § 48.vbi simile priuilegium habetur. Consonantque dicta in eodem Mari magno Minorum *circa* §.35.Pro quorum maiori luce notandum. 133.

Quod cum in hoc priuilegio generaliter sit sermo de bonis præfatorum Monasteriorum Monialibus destitutorum applicandis Fratribus eiusdem Ordinis, ideo bonorum nomine veniunt non solùm mobilia, sed etiam immobilia, iura, & actiones dictorum Monasteriorum: hæc enim omnia bonorum simpliciter nomine veniunt. *leg.bonorum* 49. *in fine*,*leg.rei appellatione* 23.*ff.de verb.significat*. *leg.si legat*.30. § 1 *ff.ad Trebell. leg.Nomen.Cod.quæ res pignori*, Gloss.*in leg.Princeps*.21.*de verb. signific*. Abbas *consil*.43. *Videtur primò*, *num*.3. *lib*.1. Couarruuias *in cap relatum*,2.*n*.1. *de testament*. Rebuffus *in compend. alienat. ad cap. sine except*. 12. *quæst*.2. *num*.54.& alij plures, quos refert, & sequitur Barbosa de appellatiuis verborum iuris, *appellat*. 35. *num*. 1. Vnde etiam bonorum appellatione venit etiam pecunia.*leg. Cum tabernam*. §.*final*. vbi Bart. *ff.de Pignor*. Rota *in vna Beneuentana census* 18. *Martij* 1613.*coram Coccino*, & alij DD apud Barbosam *suprà*, *num* 9. Non tamen venit æs alienum: quia bona non dicuntur nisi deducto ære alieno, prout ex iuribus, & Rectoribus probat idem Barbosa *suprà*, *num*.17. 134.

Præterea nota, quod stando in iure communi, & secluso hoc, & aliis quibuscunque priuilegiis, bona dictorum Monasteriorum Monialibus destitutorum pertinent ad ea Monasteria, ad quæ præfatæ Moniales transferuntur. Tum quia illa bona non possunt manere in dominio Monasteriorum destructorum. *argum.leg.viliss.ff.quando dies*. Ergo, illorum, ad quæ transferuntur, nam illa succedunt in loco ipsorum. Tum quia subrogatum sapit naturam illius, in cuius locum subrogatur.*argum.cap. Ecclesia sancta Mariæ* 1.*vt lite pendent*.& tenet Tiraquellus *de iure primogenit. quæst*.40. *num*.43. Euerardus *in Topic.legalib*.& Barbosa *in dict.cap.Ecclesia S.Mariæ*,*num*.4. Tum denique, quia iuxta Regulam iuris in 6. num. 55. *Qui sentit onus*, *sentire debet commodum*. Cùm ergo Monasteria illa, ad quæ transferuntur dictæ Moniales, sentiant onus sustentationis illarum, etiam debent sentire commodum. Sic fermè Rodriguez *tomo* 3. *quæst. regul. quæst*.5.*art*.4.*&* 6.Tamburinus *de iure Abbatissarum disp*.21.*quæs*.9.ex aliis. 135.

Circa §. 47.

PRiuilegium hoc de cadaueribus defunctorum volentium cum habitu Religiosorum sepeliri, quòd scilicet necessariò sepeliri debeant apud ipsos Religiosos, etiamsi alibi suam elegissent sepulturam, reuocatum à Leone X. iuxta dicta *tomo* 3. *Summa*,*verbo Habitus Regularis*,*num*.6. & supra in Mari magno Prædicatorum §.49. circa simile priuilegium Prædicatoribus concessum. Quamuis autem Cassarubius *in compend. priuileg. Mendicant. verbo Habitus*,*num*.9.videatur dicere limitationem dictam Leonis X. solum pro foro externo debere obser- 136.

obser

obseruari; cæterùm etiam pro foro conscientiæ obseruandam existimo, cùm Leo X. id præcipiat in Bulla locis relatis adductæ, & ita consuetudine obtineatur, in Hispania maximè, vbi crebrius fideles habitu Carmelitarum, aut alterius Religionis: sepeliri volunt. Idque supponit Rodriguez *tomo 2. quæst. regular. quæst. 76. art. 8.* Quia tamen idem Leo in ea Bulla dum statuit., quòd volentes sepeliri cum habitu Mendicantium possint sibi eligere sepulturam etiam apud alias Ecclesias, expressè loquitur de illis, qui in propriis domibus habitant, & extra claustra degunt, vt patet ex verbis relatis eo verbo *Habitus Regularis, num.* 6. Ideo si casus esset, quòd aliqui sæculares degerent intra claustra, & illi vellent cum habitu Religiosorum sepeliri, deberent in ipsorum Ecclesiis, non autem in aliis, in quibus sepulturam elegissent, sepeliri; quia quoad istos non videntur reuocata priuilegia, de quibus in præsenti, & in quibus habetur, quod ij qui volunt sepeliri cum habitu Religiosorum, debeant in eorum Ecclesiis sepeliri, etiamsi alibi sepulturam elegissent. Quod etiam verum videtur pro casu, quo illi sæculares inducti essent à Religiosis ad volendum sepeliri cum habitu religioso, si non fuerint inducti ad id vouendum, vel iurandum (iuxta dicta supra in hoc Mari magno §. 41. & aliis locis ibi relatis.) Quia talis inductio non irritat electionem sepulturæ, vt contra Belletum, & alios probat Pasqualigus *decis. 377.* eo quòd nec sit contra ius, nec de se illicita. Vide Rodriguez *tom. 2. quæst. regul. quæst. 74. art. 8.*

Circa § 48.

137 NOnnulla dixi spectantia ad hoc priuilegium de exemptione Regularium etiam pro casu, quo Parochiales Ecclesiæ ipsis concederentur, dum sermo esset de simili alio Prædicatoribus concesso in ipsorum Mari magno §. 60. Alia tamen in præsenti addenda.

138. Et primò quidem, quòd casu quo tales Parochiales Ecclesiæ concederentur Religiosis, licet hoc, & similia priuilegia subsistant, & maneant in vi sua quantum ad personas, & bona ipsorum Religiosorum, propter communia etiam priuilegia ipsorum, in quibus generaliter ipsis conceditur hæc exemptio, vacant tamen hæc. & alia quæcunque priuilegia quoad illas personas, siue Regulares, siue sæculares, quæ in prædictis Ecclesiis curam animarum sæcularium exercent; illæ enim *in iis quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius diœcesi sunt sita,* immediatè subiiciuntur. Ita enim habetur ex Concil. Trident. *sess. 25. cap. 11.* iuxta dicta *tomo 1. cap. 11. n. 9. & tomo 2. cap. 1. num. 28. & cap. 18. num. 9. & tomo 3. verbo Episcopus quoad Regulares, num. 26. & suprà in Mari magno Prædicatorum* §. 50. Item in dependentibus à tali cura, vel quæ ipsam respiciunt, veluti si Episcopus inquirat, quomodo conseruetur sanctissimum Sacramentum, & Ecclesiastica ornamenta. Ita enim decisum est à Rota *in vna Ciuitatensi Iurisdictionis* 11. *Februarij* 1594. *coram Seraphino,* inter decisiones ipsius *num.* 1067. Vbi etiam dicitur hoc consonare decisioni sacræ Congregationis. Sic etiam tenent Campanile *in diuers. iur. Canon. rub. 12. cap. 13. num. 51.* Tamburinus *de Iure Abbatum, tomo 3. disput. 5. quæsit. 11. num. 50.* Barbosa *in Collectan. DD. in Concil. Trident.* circa præfatum *cap. 11. num. 15.* post alios etiam quos referr. Vbi etiam *num. 16.* licere Episcopis, si, dum ingredi volunt ad prædictam visitationem faciendam, renuant Regulares illos intromittere ostia Monasterij claudendo, illa infringere. Nota etiam Iurisdictionem, de qua in hoc decreto in personas exercentes curam animarum, & administrationem Sacramentorum competere etiam Ordinario inferiori habenti iurisdictionem quasi Episcopalem. Rota in Piscien. *Iurisdictionis* 16. Octobris 1580. & 5. Maij 1589. coram Gipsio, & in eadem 20. Octobris 1593. coram Penia, & 15. Iulij 1590. coram Plato. De quibus Barbosa *suprà, num. 28.* Notandum tamen facultatem in hoc decreto datam Ordinariis ad visitandum personas curam animarum exercentes in Monasteriis virorum, aut mulierum, intelligi datam cumulatiuè, non autem priuatiuè ad eam, quæ competit Abbati, & aliis Superioribus Regularibus. Ita Rota in Piscien. *Iurisdictionis* 15. Iulij 1590. coram Plato, & in eadem 20 Octobris 1593. coram Penia, & in Ciuitatensi *Iurisdictionis* coram Seraphino iam relata, vbi etiam additur, *ita tamen vt decreta Ordinarij præualeant, vbi datur aliqua contrarietas, vel incompatibilitas.* Quando ergo talis contrarietas, aut incompatibilitas non fuerit, poterunt Prælati Regulares visitando præfatas personas curam animarum gerentes statuere, & ordinare quidquid sibi circa prædictam curam conueniens videbitur. Hoc enim denotat dictio illa *Cumulatiuè*, seu accumulatiuè. Pro qua vide dicta *tomo 3. Summæ, verbo Dictio, num. 4.*

Quomodo autem non obstante præfato decreto Concilij nequeant Episcopi visitare Altaria Regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum sæcularium non incumbit, aut loca, vbi in eisdem Ecclesiis asseruatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi audiuntur confessiones personarum sæcularium, constat ex dictis *tomo 1. cap. 11. num. 7.* ex declaratione sacræ Congregationis quam etiam affert Tamburinus *suprà, num. 47.* conformiter ad Constitutionem Gregorij XV. de quibus ibi. 139.

Circa Capellanum, de quo sermo in hoc & similibus priuilegiis, nota illum poni debere ad arbitrium Superiorum Ordinis, non verò Episcoporum, licet ab ipsis Episcopis debeat approbationem obtinere. Ita enim resolutum testantur Piacencus *in praxi Episcop. part. 2. cap. 3. num. 46.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. gloss. 5. §. 3. num. 34.* Consonat etiam Viuianus post praxim Iurispatr. *dec. 86. num. 17.* & Stephanus Daluinus *de potestate Episc. & Abbat. cap. 14. num. 2.* dicens sacram Congregationem censuisse, quod nominatio, seu electio Vicarij spectat ad Abbatem siue Rectorem, approbatio verò ad Episcopum. Specialiter id video decisum à Rota in vna Ianuensi *Parochialis* coram Durano 19. Aprilis 1627. vbi refertur id à pluribus annis declarasse sacram Congregationem: & supponi in aliis eiusdem tituli coram Coccino 1. Iulij 1633. & 21. Februarij 1631. & in alia Eugubina *Beneficij* coram Buratto, anno 1619. Similiter nota Regulares curam prædictam exercentes prohiberi posse ab Episcopo in percipiendis emolumentis, ne excedant taxam ab ipso præscriptam. Ita enim declarasse sacram Congregationem testatur Tamburinus *suprà, num. 52.* ex Barbosa. Insuper nota, quod si declaratio quædam sacræ Congregationis, quam refert Armendariz *in addit. ad recopilat.* 140.

leg.

leg. Nauarræ, leg. 1. tit. 6. num. 8. & ex ipso Barbosa *in Collect. ad Concil. Trident. sess. 6. cap. 8. de reform. num. 9. & de offic. & potest. Episc. allegat.* 74. *num.* 14. ac nos *tomo* 2. *cap.* 18. *num.* 27. est vera, & authentica, posset Episcopus in Ecclesiis Curatis vnitis Monasteriis ponere Vicarios perpetuos, sine temporaneos, prout ei expedire videbitur. Sed vt dixi *circa* §. 50. Maris magni Prædicatorum, aliud est Ecclesiam Curatam vniri Monasterio, aliud verò dari Religiosis pro Monasterio, casus autem de quo loquitur hoc priuilegium, est iste posterior, non ille prior. Et adhuc de illo procedere videntur Rotæ decisiones relatæ, & authores citati. Vide alia in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 67. & Seruitarum *circa* §. 39.

Circa §. 49.

141. DE hoc etiam priuilegio, seu facultate concessa Generali, & Prouincialibus, ipsorumque Vicariis ad dispensandum cum sibi subditis in irregularitatibus, plura dixi *tomo* 1. *cap.* 18. *num.* 40. *& sequentibus, & 3. tomo, verbo Irregularitas, n.* 72. & in Mari magno Prædicatorum §. 42. & alis lociis ibi relatis.

142. Præter quæ notandum primò facultatem in hoc priuilegio concessam ad dispensandum cum illegitimis ad Officia Religionum reuocatam esse à Sixto V. in duabus Constitutionibus, de quibus dixi *tomo* 1. *Summæ, cap.* 18. *num.* 60. *& tomo* 2. *cap.* 12. *num.* 21. *& tomo* 3. *verbo Illegitimi regulares, n.* 17. Nihilominus iuxta dicta eo *num.* 6. possunt aliqui Prælati regulares vti illa secundum moderationem factam à Gregorio XIV. in alia Constitutione, & iuxta aliud priuilegium eiusdem Gregorij pro Congregatione Clericorum regularium ministrantium infirmis, de qua ibidem dixi. An verò extent alia priuilegia propter quæ id etiam fieri possit, dixi eo *num.* 17. *ex* 3. *tomo* relato. De quo etiam Sigismundus de Bononia *de elect. Prælat. dub.* 76. & Bordonus *resolut.* 12. alia quoque priuilegia referentes, quæ sigillatim, & attentè inspicienda sunt, dum casus occurrerit similis dispensationis, ne in re tam graui cœco modo procedant illam concessuri. Quæ verò sint officia religionum, pro quibus requiritur hæc dispensatio in illegitimis, habes ex dictis *tomo* 1. *cap.* 18. *num.* 62. *& tomo* 2. *cap.* 13. *num.* 50. *&* 3. *tomo, verbo Illegitimi regulares, num.* 8. *&* 4. *tomo, verbo Officia religionum, num.* 4. 5. *&* 6. Quibus etiam locis alia spectantia ad illegitimos, eorumque dispensationem dixi.

143. Nota secundò, quòd non obstante generali concessione in hoc priuilegio, & similibus concessa Prælatis religionum ad dispensandum cum sibi subditis in omnibus irregularitatibus, exceptis illis tribus, scilicet, *homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum*; & quòd exceptio istarum trium confirmare videatur, quod in omnibus aliis præter illas possint concedere talem dispensationem iuxta iuris axioma, *Exceptio firmat regulam in contrarium*, quod sumitur ex *leg. quæsitum*, §. *denique, ff. de fund. Instr.* Glossa *in rubr. de reg. iur. in* 6. Dyno, Bartulo, Decio, & aliis apud Barbosam *in tract. de axiomat. iur. axiom.* 85. nihilominus iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 18. *num.* 42. intelligi debent exclusæ ab hac generali concessione, nec in illa inclusæ illæ irregularitates, quæ procedunt ex aliquo enormi corporis, vel etiam animæ vitio, quod posset scandalum generare fidelibus videntibus celebrare illud habentem, prout ex Miranda *tomo* 2. *Mand. Prælat. quæst.* 8. *art.* 5. dixi, quod etiam tenent Rodriguez *tomo* 1. *quæst. regular. quæst.* 24 *art.* 6. Vechius *in prax. Nouit. disp.* 9. *dub.* 20. *num.* 3. Portellus *in dub. regul. verbo Dispensatio, num.* 5. Villalobos *in Summa, tomo* 1. *tract.* 22. *diff.* 9. *num.* 21. Summa Diana *verbo Prælati regularis iurisdictio in dispensando, num.* 17. & ipse Diana 4. *part. tract.* 2. *resolut.* 73. & alij. Ratio huius est non solum ea, quam adduxi eo *num.* 42. quia cùm isti casus sint specialissimi, non est existimandum Pontifices voluisse illos comprehendere in generalibus concessionibus, propter regulam Iuris 81. in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, sed etiam quia in similibus irregularitatibus, nec etiam Papa dispensat, vt bene Auila *de censuris, part.* 7. *disp.* 3. *dub* 3. & Layman *tract.* 5. *de Irregular. cap.* 9. *num.* 3. Non ergo credendus est talem facultatem aliis concedere voluisse.

Hinc primò, non poterunt dispensare, vt sodomita notorius ab irregularitate, quam propter infamiam talis delicti contraxit, liberetur: prout bene Rodriguez, & Miranda *suprà*, ac Porrellus etiam suprà, *num.* 6. quibus iungitur Sigismundus de Bononia *de elect. Prælat. dub.* 87. *num.* 2. supponens committentem tale delictum ipso iure esse infamem. *leg. Cum vir, Cod. de adult. & leg.* 1. *Cod. de secund. nupt. & cap. Infames* 3. *quæst.* 7. Notorium enim sodomitam ad altaris ministerium assumi, proculdubio scandalosum est. Deinde secundò, non poterunt dispensare cùm enormiter leproso, deformiter gibboso, aut notabiliter affecto morbo Gallico apparente, propter eandem rationem, & iuxta dicta 3. *tomo, verbo Irregularitas, num.* 12. 144.

Præterea etiam nec poterunt dispensare ex vi huius aut alterius priuilegij, etiam in casu, quo non esset scandalum, cum carente omnino vsu rationis, iuxta dicta eo verbo Irregularitas *num.* 9. De quo etiam Bordonus *resolut.* 11. *dub.* 2. Nec cum omnino illiteraris, iuxta dicta eo verbo Irregularitas, *num.* 10. De quo similiter Bordonus *ibidem.* Nec cum amentibus, furiosis, mente captis, morbo caduco laborantibus, Epilepticis, Lunaticis, Energumenis, &c. Tales enim nec congruè, nec decenter possunt altaris ministerio deseruire. De quo Filiucius *de Irregularitate, cap.* 7. *num.* 187. & Sigismundus *suprà, dub.* 89. Nota autem, quod si istorum defectus non sit perpetuus, aut continuus, seu habitualis, eo transacto poterunt dicti Prælati Regulares cùm illum patientibus dispensare ex vi huius, aut similium priuilegiorum, vel saltem declarare sublatum esse, aut iam cessasse, sicut Episcopi id facere possunt, *cap. communiter, distinct.* 33. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 7. *num.* 3. Candidus *tomo* 4. *disquis.* 4. *art.* 8. *num.* 5. Sigismundus *dict. dub.* 89. *num.* 14. & Borbonus *suprà, num.* 18. Quod maximè procedit in ordine ad exercitium ordinum iam susceptorum, quia per Ordinationem adquirit ordinatus ius ad exercendum ordinem susceptum, & ideo non potest per superuenientem causam perdere illud, nisi ea durante. Suarez *tomo* 5. *de censuris, disput. vlt. sect.* 1. *num.* 5. Filiucius *suprà.* Iudicium autem de cessatione talis defectus pertinet ad dictos Prælatos regulares, iuxta dicta eo *verbo Irregularitas, num.* 12. ex Suarez, Auila, Layman, & Cornexo, quos citat, & sequitur Diana *dicta resolut.* 73. ac probabile putat Candidus *suprà, num.* 7. Eò quòd eiusdem est iudicium ferre, ac dispensare. Bordonus *dicto num.* 18. ex aliis. Quamuis autem inhærendo in *dicto cap. communiter*, vi- 145.

detur necessarium ad hoc iudicium faciendum spatium vnius anni, vt eo tempore certior capiatur experientia de cessatione illius defectus, nihilominus, vt suarez supra eo *num.5.* dicit, hoc non est in vsu, sed prudenti arbitrio relinquitur, quod etiam non displicet Filiucio *suprà*, & Bonacinæ *de censuris, disp.7. quæst.2. punct.2. num.12.* & fauet Sigismundus eo *num.14.* Idem porrò quod de istis amentibus, furiosis, &c. dictum est, scilicet non posse dispensari à Prælatis Regularium ex vi huius, aut alterius priuilegij, dicendum etiam de Hermaphroditis, iuxta dicta eo *verbo Irregularitas, num. 13.* Fœminis in viros conuersis, iuxta dicta ibid. *num.14.* Seruis professis, iuxta dicta *ibid. n.18.* pro casu videlicet (si dari potest) quo validè professionem emisissent manente seruitute. Quid verò dicendum de iis, qui carent legitima ætate ad Ordines requisita, an scilicet à Prælatis Religionum ex vi priuilegiorum dispensari possint, dixi eo loco *num. 17.*

146. Ex quo etiam fit, quod licet iuxta dicta eo *3. tomo, verbo Infamia, num.17.* possint Prælati Regulares in ea, & in irregularitate, quæ ex illa oritur, dispensare propter præfata priuilegia, cùm vniuersalia sint (quibus etiam iunguntur alia specialia aliquibus Religionibus concessa, de quibus eo loco) nihilominus tamen iuxta dicta etiam ibidem, *num.18.* ex Rodriguez, Miranda, & Portello, id fieri non potest in casibus, in quibus esset scandalosum, id est, in casibus, in quibus scandalum aliquod timeri prudenter posset, si tali infamia notati ad altaris ministerium assumerentur, propter dicta superius. Vnde consequenter, licet iuxta dicta, *tomo 1. cap.16. num.32.* probabile sit posse prædictos Prælatos Regulares dispensare cum suis subditis, qui triremibus damnati fuerunt, vt postquam reuersi sunt ad altaris ministerium assumantur, id tamen intelligi debet, prout eo loco indicaui, & iuxta dicta superius, quando non esset, aut timeretur aliquod scandalum, ex eo quod tales viderentur celebrare, prout contingeret in casu, quo illi pergerent ad loca remota; vbi nullus eos cognosceret, aut sciret tali infamia notatos esse: perseuerante enim tali scandalo, aut in loco, in quo nota est aliis talis infamià, nullatenus debent, aut possunt Prælati præfati cum ipsis dispensare, non obstante vniuersitate suorum priuilegiorum, propter dicta. Vnde esto, quod antiquitus aliquando cum talibus à Papa dispensatum sit, vt audio, modo tamen his temporibus non conceditur hæc dispensatio, ita vt veluti in prouerbium abierit dicere: *A triremibus ad altare non datur regressus.* Supponimus autem taliter ad triremes damnatos esse irregulares, propter infamiam iuris, iuxta dicta eo *num.32.* & eo verbo Infamia, *num.7.* Quod etiam supponunt Rodriguez, Toletus, & Peirinis eo *num. 31.* relati, clariùs Thesaurus *in praxi, part.1. cap.33. §. Quinto modo, & part.2. verbo Missa, cap.5. §. item si esset*, post alios, quos ibi refert, & Barbosa *de offic. & potestate Episcopi, allegat.43. num.15.* referens Nauarrum, Cardinalem, & Molfesium quibus etiam iungitur Campanile *in diuers. iur. can. rubr.11. cap.18. num.16. & seq.*

147. Nec obstat, quod obiicit Diana *part.4. tract.2. resolut.83.* ex Riccio, & Homobono, quòd non inueniatur expressa in iure ista irregularitas, ac per consequens, quod non sit: siquidem ex *cap. Is qui, de sententia excommunicationis in 6.* nulla est irregularitas, quæ in iure non sit expressa. Respondeo enim, quod etsi non inueniatur expressa sub nomine pœnæ triremium, inuenitur tamen sub nomine deportationis, seu damnationis ad opus publicum, seu ad metallum *leg. ad tempus, Cod. ex quibus causis infam. irrog. leg. capitalium ibi Glossa, ff. de pœnis, & leg. quidam ibi Glossa, ff. eod.* eo quod pœna triremium successerit in loco istarum, quibus annexa est infamia. Follerius *part.2. prax. cap.9. n.9.* Diaz *in praxi, cap.146. num.3.* Salzedo *ad Diaz. c. 140. prax. § sic equidem*, Farinacius *quæst.142. num. 165.* & ex ipsis Thesaurus *d. c.33 § Talis est*, & loco relato *ex part.2. prax.* addens remanere infames præfatos ad triremes damnatos, etiam postquam liberati fuerint, peracto tempore suæ pœnæ per dictam legem, *Ad tempus.* Respondeo 2. quod etsi non reperiatur expressa hæc irregularitas in Iure sub nomine præfatæ pœnæ triremium, reperitur tamen sufficienter expressa in causa talis pœnæ, quæ præsertim inter Regulares semper est famosa, id est crimen inferens infamiam, latrocinium v.g. & similia. Certum enim est infamiam iuris ipso facto incurri per sententiam condemnatoriam in causa famosa. *Can. Infames, 3. q.7. §. Porrò l.1. §. Qui in iudicio, ff. de his qui not. infam.* Molin. *tr.4. de Iust. disp.9. à num.1.* Bernard. Diaz *in prax. cap.88. num.3.* Sanchez *opusc. lib.6. cap.3. dub.6. num.14. & num.20.* Barbosa *suprà, num.14.* & Thesaurus *dicto cap. 33. §. Tertio modo.* Addo tertiò, adeo vilem, abiectam, & contemptibilem esse conditionem remigantium in triremibus, vt ipsa sola inspecta, vel in solo lumine rationis stando, haberi debeant vt infames, ac per consequens irregulares. De quo Viualdus *tract. de depositione, & degradatione sub num.38. pag.84.* & Peirinis *tomo 1. de subdito, quæst. 1. cap.27.* Vide alia infra in Mari magno Carmelitarum *circa §.31.* vbi dicam quid statutum fuerit in ipsorum Constitutionibus contra ipsos ad triremes damnatos.

Circa §. 50.

DE simili priuilegio prædicatoribus concesso dixi in ipsorum Mari magno §.51. vbi etiam, qui fuerint isti, qui dixerint, quod confessi Fratribus Mendicantibus iterum teneantur sua peccata confiteri Parochis, contra quos Pontifices volunt veluti contra de hæresi suspectos procedi. Nunc verò addendum, sermonem esse in hoc, & similibus priuilegiis de iis, qui talia dixerint de Confessariis Mendicantium *ad audiendas confessiones iuxta iuris dispositionem* deputatis *pro tempore*, vt dicitur in ipsis. Vnde si talia affirmauerint contra Confessarios non deputatos *iuxta iuris dispositionem*, non subiicientur tali pœnæ. Dicentur autem Confessarij deputati *iuxta iuris dispositionem* illi, qui secundum ius approbati fuerint, his videlicet temporibus non solum licentiam à suis Prælatis habentes, sed etiam ab Ordinariis approbati, iuxta decretum Concil. Trident. *sess.23. cap.15.* Etenim inter alias significationes dictionis *Iuxta*, vna est quod sit idem quod *secundum*. Abbas. *in cap. Abbate, num.20 de verb. sign* Cenedus *post libr. pract. & can. quæst. singul.22. num.3.* & alij apud Barbosam *in tract. de dictionibus, dict.187. num.6.* Idem ergo erit dicere *iuxta iuris dispositionem*, ac *secundum iuris dispositionem.* 149.

Circa illa verba *tanquam de hæresi suspectos* nota quæ dixi *tom.3. Summæ, verbo Hæresis, & Hæreticus, num.3. & seqq.* & præter authores ibi citatos lege Castrum Palaum *in oper. moral. part.1. tract.4. disp.7. punct.* 149.

*punct.*1.Sousam.*in Alphor.Inquisit.lib.* 2.*c.*40. Card. Lugo *de fide disp.*25. *sect.*2. & Cæsarem Carenam *de offic.SS.Inquisit.par.*3 *tit.*12.§.3.Ex eis enim constabit qualiter, & quomodo tales suspecti denunciari debeant S.Officio, iuxta decretum, seu edictum S.Inquisitionis, quod retuli eodem 3.*to.verbo Accusare,& Accusator.num.*7.

150. Quia verò Pontifex in huiusmodi priuilegio vocat propositiones asserentium, quod confessi cõfessariis Mendicantium iterum teneantur sua peccata Parochis confiteri *malè sonantes*, ideo notandum, quod propositio malè sonans est ea, quæ licet nudè sumpta videatur Catholica, iuncta tamen cum circumstantiis loci & temporis, & personarum, malè sonat Carena *supr. tit.*16.§.3 *num.*10.ex Paramo, Suarez, & Molfessio. Exemplum ponitur in hac propositione *fides iustificat*. & in ista *plures saluantur in statu sæculari quam in Regulari*. Potest etiam poni exemplum in propositione, de qua in præsenti priuilegio, scilicet *Confessi Fratribus Mendicantibus teneantur eadem peccata Parocho iterum confiteri*. Siquidem talis vocatur à Pontifice. Quo tamen non obstante potest maiores censuras mereri, cum constans sit apud Doctores non repugnare, imò sæpe euenire, vt vni propositioni secũdum diuersas rationes plures gradus censuræ conueniant. De quo, & gradibus censurarum propositionum Simanches *de Cathol.instit.tit.*54. Ludouicus à Paramo *de Orig.S.Inquisit.lib.*4.*q.*3. Albertinus *de agnoscend.assertionib.q.*6.Ricciullus *de iure person.extra Eccles. grem.exist.lib.*5. Bariola *in Florib.director.tit.de var. proposit.gradib.*Suarez *de fide disp.*19. *sect.*2. Molfessius *in Summ. tom.*1.*tract.*11. *c.*2.Carena *d.tit.*16. & nouissimè Cardinalis Lugo *de fide disp.*20 *sect.*3.

151. Vide alia in Mari magno Eremitarum S. Augustini §.50. Carmelitarum §.12. & 69. & Seruitarum §.42.

Circa §. 51.

152. DE simili communicatione priuilegiorum facta Prædicatoribus dixi supra in ipsorum Mari magno §.52. & de hac materia plura *tom.*1. *c.*3 *nu.*17. *& tomo* 2.*cap.*1. *num.*52. *& sequentib. & tom.*4 *verbo priuilegia Regularium num.*24. Aliquæ etiam sparsim variis in locis. In præsenti tamen explicandæ sunt clausulæ, & dictiones illæ quæ habentur in iis priuilegiis, scilicet *in omnibus, & per omnia, prorsus, & sine vlla differentia, perinde, &c.* quod non solum pro hac, sed & pro aliis quoque materiis vtile erit.

153. Ergo Clausula illa *In omnibus,& per omnia* propter eius vniuersalitatem facit, vt comprehendantur ea, quæ aliàs non comprehenderentur *l.Ballista ff.ad Trebell.l.cum scimus C.de agricol.& censitis lib.*11.Rota in Tirasonen.*Canonicatus* 28. Ianuarij 1575 coram Cantuccio.Marta *de clausul.p.*1.*clausul.* 62.& Barbosa *de clausul.clausul.*53. *numero* 3. Habet etiam vim specialis specificationis.Marta dicta *Clausula* 62. *num.*4. Tuschus *pract. conclus. tomo* 1. *litter. C. conclus.*354. *num.*1. Barbosa *supra num.*7. etiam post alios. Importat omnimodam adæquationem.Rota *decis.*398.*num.*9.*p.*2.*in posthum.Farinac.*aliàs *par.*4.*recent.* Adeò vt nulla sit penitus differentia. Tuschus *sup.num.*6. Barbosa *num.*10. post alios, apud quos alia.

154. Dictio etiam *Prorsus* excludit omnia, & singula quæ in contrarium excogitari possunt, *cap.Statum, § Prouisurus, de rescript.in* 6.ibi *nihil prorsus exigat*, & sic denotat idem quod *Penitus*, secundum Stephanum Gratian. Marchiæ *decis.*188. *numero* 8. Item habet vim præcisæ naturæ, vt *in c. Ad aures*, ibi, *omnem prorsus actionem excludit, de præscript.dicto cap.Statutum*, §. *Prouisurus, c.Præsentium*, §.*Praeterea*, *de testib. lib.*6. notant Dec. *cons.*113. *num.* 5. *tomo* 1. Octauian.Vulpel.*de præpos.& ad verb signific.sub hac dict.pag* 83. Barbosa *in tract.de diction. dict.*294.

Item dictio illa *Sine*, cum sit idem quod *absque*, est negatiua, & exclusiua, ac separatiua, *cap. Qui generaliter.* vbi Archid. *num.* 3. *vers. Absque de procuratoribus*, *lib.* 6. & ibi Ioan. Andr. *num.* 1. & Dominic. *in vers. Quæro quæ sit natura huius dictionis Absq*; Cosm.*in pragmat. Sanction. tit.de collation.*§.*Item insuper, v. Absque.*Bald. *in lib.data opera, col.pen.num.*96.Vulpel *sub hac dict. pag.*3. Cened.post *lib.Canonicar.& practicar.quæst. singular.* 2. *numero* 1. Barbosa *supra diction.*2. Vnde ad intentum denotabit nullam omnino differentiam esse debere in vsu priuilegiorum inter Prædicatores, & Minores. 155.

Præterea dictio *Perinde* denotat omnimodam similitudinem, vt *in l. Cum heres, in princ. ff.de acquirend. hæred. & l.qui a Patre*, vbi Barr. *ff. de confirm.tutor.& in* §.*Item nobis in fin.Instit.per quas personas nobis acquiratur.*Idem Bart.*in Extrauag.ad reprimend.vers.Perinde.*Roland. *cons.*47.*num.*3.*tom.*4. & alij, quos refert, & sequitur Barbosa *supra dict.* 252.Vnde tam ex illa, quam ex præcedentibus infertur mentem Pontificum esse vt in vsu priuilegiorum pares omnino, similes, & æquales sint Prædicatores, & Minores. 156.

Quæ autem sint hæc priuilegia Prædicatorum, quæ Minoribus communicantur hoc loco, colligi potest ex eorum Mari magno, *Bulla Aurea* dicta Compendiis huius Ordinis, Diuo Antonino *in* 1. *p.Summæ tit.*19. Cassarubio *in suo Compendio priuileg.Mendicant.* & Rodriguez *in Bullario*, vbi plura referuntur. 157.

Circa §. 52.

HÆc etiam inhibitio facta Ordinariis, & Rectoribus Ecclesiarum sub istis grauissimis pœnis, ne Prædicatores, aut Minores inquietare, seu molestare præsumant in executione priuilegiorum in hoc Mari magno contentorum, habetur etiam in Mari magno Prædicatorum §.53. Circa quæ præter dicta eo loco. 158.

Vlterius notandum ex verbis huius priuilegij inferri Dominos Ordinarios & Rectores Ecclesiarum impedientes præfatos Religiosos in vsu dictorum priuilegiorum mortaliter peccare. Quod non solum colligitur ex grauissimis illis pœnis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac priuationis officiorum, & beneficiorum, &c. quæ necessario supponunt peccatum mortale, iuxta dicta sæpius in Summa; sed etiam ex dictione illa *districtius*, quæ iuxta dicta 3. *tomo verbo Clausula num.* 24. importat peccatum mortale, quando cadit supra materiam grauem, prout contingit in proposito; siquidem obseruantia priuilegiorum Religionum res valdè grauis est concernens multorum ipsorum commodum. 159.

Deinde circa clausulam illam: *Nec etiam ad præmissa, seu aliquod præmissorum auxilium, consilium, vel fauorem dare, &c. præsumant*, qua prohibetur dare tale *auxilium, consilium, vel fauorem* impedientibus executionem dictorum priuilegiorum, 160.

rum, nota quod *auxilium* tam in præſenti, quam in aliis ſimilibus caſibus denorat actionem, qua quis opem fert ad aliquid faciendum; *Conſilium* verò actionem, per quam quis verbis impellit ad idem *l. in actio ff. de furt. & l. ſæpè ff. de verb. ſignificat.* Fauor autem denorat id quòd confert, & iuuat ad præfatum finem. Ita ferme, etſi ad aliud intentum loquentes videlicet de vndecima excommunicatione in Bulla Cœnæ poſita vbi ſimilia verba habentur, Vgolinus, Duardus, Alterius, & Souſa, quos ſequitur Bonacina *ibidem num.* 26. 27. & 28. 29. Obſeruans etiam *numero* 28. & 29. requiri ad hoc, quod propter prædictas actiones incuttatur cenſura, quòd illæ influant in effectum: quia regulariter loquendo, crimen non intelligitur niſi quando eſt completum, & conſummatum, ac cum effectu *cap. hæc autem dict. 1. de pœnitent. iuncta Gloſſa ibidem, & l. 1. §. hæc verba ff. quid quiſque iuris*, iuxta dicta *tom.* 3. *verbo Caſus reſeruati Regularium num.* 12. Vide & dicta eod. *tom.* 3. *verbo Irregularitas num.* 71.

Circa §. 53.

61. Similis facultas conceſſa cuilibet in dignitate conſtituro, aut Canonico, ad procedendum pro defenſione priuilegiorum huius Maris magni, habetur in Mari magno Prædicatorum §. 54. & præter dicta ibi etiam relatis, vlterius pro explicatione illius dictionis ſeu clauſulæ *Inſolidum* nota, quod quemadmodum in inſtrumentis fideiuſſionum poſita denotat, quod quilibet fideiuſſiorum reneatur ad ſolutionem debiti, vt habenr Molina *de iuſt. tract. 2. diſp.* 542. Rebellus *de Obligat. iuſt. p. 2. lib. 16. q. vnica de fideiuſſor. à num.* 18. & alij plures; ita etiam in præſenti denotat, quod quilibet iſtorum, qui in hoc priuilegio numerantur, ſcilicet in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, & Canonici, &c. poſſint, & teneantur munus Conſeruatoris pro executione priuilegiorum in hoc Mari magno contentorum exercere, quando requiſiti fuerint. Facit enim hæc clauſula, vt quilibet ad totum teneatur. Rota apud Zach. *poſt tract. de obligation. Camer. deciſ.* 22. *num.* 1. & *deciſ.* 23. *num.* 3. vbi fuit dictum hanc clauſulam importare ac ſi dictum eſſet, *Quilibet eorum.* Attribuit namque torum vnicuique *l. 3. de fideiuſſ. l. ſi non ſingula C. ſi cert. pet. l. ſi diuiſ. C. locat.* Bertazolus *de clauſ. inſtrument. clauſ.* 39. *gloſſ.* 7. *num.* 1. Barboſa *de Clauſulis Clauſul.* 72. *in fin.*

162. Circa illa verba *pacifica poſſeſſione, vel quaſi*, &c. nota, poſita ad denotandum præfatos Conſeruatores *efficacis defenſionis præſidio* aſſiſtere debere dictis Religioſis, ſiue in rebus corporalibus, ſiue in incorporalibus, aut iuribus. Etenim iuxta definitionem poſſeſſionis, quam tradunr Silueſter *in Summa verbo Dominium, quæſt.* 1. Couarrubias *in Regula Poſſeſſor. 2. initio, num.* 1. & Molina *tom. 1. tract. 2. de iuſt. diſp.* 12. poſſeſſio eſt *detentio rei corporalis corporis, animi, Iuriſque adminiculo.* Rerum aurem incorporearum, ſiue Iurium non eſt propria poſſeſſio, ſed quaſi poſſeſſio, iuxta *l. 3. ff. eod. tit. l. Seruus §. Incorporales. ff. de acquirend. rerum dominio, & l. ſequitur §. Si viam, ff. de vſurpationibus, & vſucapionibus*, & conſentit *c. Cũ Eccleſia, de cauſ. poſſeſ. & propriet.* iunct. Gloſſ. *verb. quaſi poſſeſſionem.* Molina *ſupra §. dicitur.* Layman *lib. 3. Theologia moralis ſect. 5. tract. 1. cap. 7. num.* 1. Etſi vſu aliquando huiuſmodi rerum incorporearum detentio dici ſoleat poſſeſſio. Molina, *ſupra.* Vt ergo Pontifex declararet præfatum priuilegium ſuffragari dictis Religioſis in quibuſcumque bonis, aut iuribus, ideo vel ad maiorem rei explicationem dictis verbis vſus eſt.

Circa eam clauſulam *Authoritate noſtra*, &c. nota quod licet ipſa non importet iuriſdictionem ordinariam, ſed delegatam iuxta dicta *tom. 3. verb. Clauſul. num.* 12. & reſoluunt Menoch. *de præſumpt. lib. 2. præſumpt.* 16. *num.* 18. Marches *de Commiſſ. par. 1. pag. 64. num.* 216. & *pag.* 802. *n.* 325. & *pag.* 416. *num.* 204. *in vlt. impreſſ.* quos cum aliis refert Barboſ. *in tract. de clauſulis clauſula* 12. ac per conſequens ex vi huius priuilegij Conſeruatores iſti non habere videantur, niſi ſolùm iuriſdictionem delegatam, nihilominus iuxta dicta *tom. 2. cap.* 10. *num.* 25. ex aliis priuilegiis Religionum, quæ ibi adduxi, præfati Conſeruarores ſunt, & dicuntur Iudicis Ordinatij. 163.

Nota præterea verbum illud *Contradictores* appoſitum in illa clauſula *Contradictores authoritate noſtra appellatione poſtpoſita*, &c. non comprehendere conrradictores de Iure, ideſt illos qui agunt coram Iudice, ſed ſolum contradicentes de facto, provt ſæpius Rota firmauit, cuius plures deciſiones affert Garzias *de beneficiis part. 6. cap. 2. n.* 115. *cum ſequentib.* & Barboſa *de clauſulis clauſula* 33. *num.* 2. poſt plures alios DD. vbi etiam *num.* 9 quod extenditur etiam ad turbantes iuriſdictionem executionis litterarum Apoſtolicarum. 164.

Maximè nota, quod ea quæ dicuntur hoc loco de Romanæ Eccleſiæ Syndicis, quod ſcilicet ad eorum requiſitionem teneantur Iudices conſeruatores manutenere Religioſos in iis priuilegiis, quamuis etiam habeantur in Mari magno aliorum Mendicantium, proprius tamen conueniunt Minoribus, illi enim habent iſtos Syndicos nomine Papæ, ſeu Sedis Apoſtolicæ deſignatos ad cauſas ipſorum peragendas, & recipiendum ea, quæ Fratribus competunt, proprer priuilegia mulrorum Pontificum, de quibus, & aliis ad ipſos ſpectantibus Caſſarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Procuratores*, Rodriguez, Sorbus, & Portellus, quos retuli *tom. 2. cap.* 17. *num.* 12. dum de iis Syndicis agerem, & Hieronymus Rodriguez *in Compend. Reſolut.* 119. In aliis autem Religionibus iſti vocantur *Procuratores*, iuxta dicenda infra in Mari magno Eremitarum S. Auguſtini *circa* §. 54. & in Mari magno Seruitarum *circa* §. 69. 165.

Circa §. 54.

Eæ quæ hic apponuntur à Pontifice non obſtantiæ ac firmitates poſitæ etiam ſunt ferè ad verbum in Mari magno Prædicarorum, § 55. & 56. & ideo ibi dicta deſeruiunt etiam ad inrentum. Alia tamen habes in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 108. & Seruitarum *circa* §. 70. 166.

De viuæ vocis oraculis conceſſis Ordini Minorum.

INnumera ſunt viuæ vocis oracula per ſummos Pontifices conceſſa Ordini Minorum S. Franciſci, quæ ſparſim in Compendiis priuilegiorum eiuſdem Ordinis referuntur; maximè apud Caſſarubium *in Compend. Priuilegiorum Mendicantium*, quæ etiam referunrur à Rodriguez Miranda, Portello, & aliis authoribus huius Religionis, quæ de eadem materia ſcripſerunt; ac præcipuè habentur apud 167.

apud eundem Rodriguez in suo Bullario, vbi post Summorum Pontificum Bullas collocat sæpius viuæ vocis oracula concessa Religioni Minorum. Quia tamen hoc Mare magnum editum à Sixto I V. sicut & alia quatuor Mendicantium, ideo ad finem ipsius placuit apponere 55. viuæ vocis oracula ab eodem Pontifice Minoritis concessa, prout ab eodem Rodriguez in dicto Bullario post Bullas Sixti I V. apposita fuerunt. Animaduertendo tamen quæ circa illorum reuocationem, vel permanentiam dixi in variis locis meæ Summæ, dum de ea materia scripsi. Ac maximè quæ circa reuocationes generales viuæ vocis oraculorum, factas per Gregorium XV. & Vrbanum VIII. scripsi *tom.2. cap.3. num. 22.* ac præsertim *tom.4. verbo oracula viuæ vocis, per totum.*

Quinquagintaquinque viuæ vocis oracula concessa à Sixto I V.

1. Sixtus I V. anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, die octauo Ianuarij, ad requisitionem Venerabilis Patris Fratris Ludouici de Vincentia concessit, quod Prælati nostri possint commutare legata facta locis nostris ad vnum vsum in alium; sine scandalo tamen illorum, ad quos solutio talium legatorum pertinet.

2. Item quod illi, qui sunt in seruitio Sororum S.Claræ, & Fratrum habeant indulgentiam plenariam in morte; & semel in vita de reseruatis.

3. Idem Sixtus I V. die septima Martij concessit omnibus Monialibus S.Claræ, & Sororum Tertij Ordinis curæ Fratrum commissis, quod possint tangere, & lauare sacros pannos, exceptis corporalibus. Et postmodum die septimo Ianuarij, anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo, ad supplicationem Fratris Francisci de Placentia concessit idem vt omnes Sorores supradictæ sub Clausura & Congregatione viuentes etiam corporalia & purificatoria tangere possint, dummodo steterint lota à Fratribus & benignè concessit.

4. Idem Sixtus I V. septimo die Martij anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo concessit omnibus Fratribus nostris non valentibus persoluere diuinum officium bene & diligenter in Choro (vt tenentur) per defectum auditus, vel visus, si quid prætermittitur, quod non teneantur illud omissum iterum persoluere, sed dicant vnum Psalmum in fine Horarum, & sufficiat eis.

5. Idem Sixtus I V. eodem die concessit quod non potentes ieiunare bono modo pro infirmitate vel debilitate non teneantur.

6. Idem Sixtus I V. die quinto Martij declarauit, quod mulieres ingredientes Monasteria S. Claræ, & S. Dominici, non teneantur ire ad Curiam pro absolutione ab excommunicatione, sed eas possint absoluere nostri Confessores, etiamsi tales mulieres ingrediantur mala intentione.

7. Idem Sixtus IV. ad petitionem reuerendi Patris Vicarij Generalis præsente Fratre Ludouico de Vincentia concessit quod Vicarij Generalis, & Prouinciales possint dispensare cum Fratribus sibi subditis in irregularitate homicidij: dummodo tales homicidæ non sint certi, quod ipsi actualiter occiderant, nec pro certo sciant quod fuerunt tales mandatores, vel auxiliatores homicidij, quod sine illis nullo modo fuisset tale homicidium perpetratum.

Idem Sixtus IV. concessit quod Fratres possint tuta conscientia tenere, recipere paramenta argentea, & aurea, & alia ad diuinum cultum pertinentia, & habere campanas magnas: & diuersas quando à Capitulo prouidebitur, quod sine scandalo potest fieri, concessit. 8.

Idem Sixtus I V. concessit quod in receptione habitus cuiuslibet trium Ordinum sancti Francisci, sit indulgentia plenaria recipienti, & similiter in die obitus. 9.

Idem Sixtus I V. concessit, quod seruitiales Monialium sanctæ Claræ portent honesta secundum dispositionem, & constitutionem Reuerendi Patris Vicarij Generalis. 10.

Idem Sixtus IV. eodem anno M.CCCCLXXXII.13. Nouembris ad supplicationem Fratris Andreæ Teutonici Commissarij in Curia Romana concessit quod quilibet Catholicus Episcopus possit celebrare Ordines sacros temporibus ad hoc ab Ecclesia deputatis in locis Fratrum de Familia, pro Fratribus de Familia dumtaxat. 11.

Idem Sixtus IV. concessit, quod Fratres sacerdotes Familiæ nostræ possint benedicere paramenta altaris, & missalia indumenta, exceptis corporalibus duntaxat. 12.

Idem Sixtus IV. suppleuit omnes defectus commissos in receptione locorum absque dolo, & quod Fratres secura conscientia possint tenere, & inhabitare loca, etiamsi non reperirentur Bullæ, & quod possint absolui ad cautelam. 13.

Idem Sixtus I V. ad supplicationem Iacobi de Angelo concessit, quod sacerdotes Familiæ nostræ causa necessitatis possint & post horam statutam ab Ecclesia celebrare. 14.

Idem Sixtus IV. concessit, quod Fratres in die sancti Francisci, & stigmatum eiusdem possint dicere præfationem propriam in Missa. 15.

Idem Sixtus IV. ad supplicationem Fratris Alberti de Perusio concessit, quod Fratres Familiæ nostræ præsentes, & futuri possint audire confessiones sæcularium vndique venientium, ea authoritate quam habent ab Episcopo in cuius diœcesi confitentur. 16.

Idem Sixtus IV. concessit, quod non obligantur FF. in conscientia si non recipiunt loca, vel Monasteria tam Conuentualium, quàm etiam de nouo erigenda, vel alia quæcunque, etiamsi eis præcipiatur per obedientiam, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & aliis censuris. 17.

Idem Sixtus I V. concessit, quod Confessores dum sunt in itinere, & requiruntur, possint audire confessiones, sicut Parochiani, etsi non fuerint præsentati secundum formam Clementinæ. 18.

Idem Sixtus IV. ad supplicationem R.P. Vicarij Generalis Petri de Neapoli die quinta Augusti, anno Domini 1481. concessit, quod omnes indulgentias stationum Romæ, & Portiunculæ concessas Fratribus in locis suis Sorores nostræ, siue Moniales in earum Ecclesiis ab intra eo modo, & forma quo Fratres, videlicet cum quinque Pater noster, & totidem Aue Maria cum Gloria Patri, & earum seruitrices in Ecclesia exteriori habeant. 15.

Idem Sixtus IV. declarauit, quod per octauam Omnium Sanctorum semper fiat idem officium quod in die, & dicatur officium beatæ Virginis sine aliquo alio festo, sicut fit in octaua beati Francisci. 20.

Idem Sixtus IV. concessit, quod possumus dicere commemorationes Omnium Sanctorũ nostri Ordinis sub vna antiphona. 21.

22. Idem Sixtus IV. die penultimo ad supplicationem socij Vicarij Generalis Fratris Ioannis Francisci de Herraria concessit, quod Fratres possint legere lectiones de Chronicis Ordinis nostri in solemnitate quinque martyrum de Marrochio, & dicere missam propriam, quam composuit R.D.V. Generalis,& dicere Credo.

23. Idem Sixtus IV. concessit, quod possumus dicere Credo insolemnitatibus Sanctorum nostri Ordinis,& sanctæ Claræ.

24. Idem Sixtus IV. concessit quod Fratres possint dicere officium proprium sancti Ludouici Episcopi, & Confessoris nostri Ordinis.

25. Idem Sixtus IV. concessit quod sæculares laborantes in Monasteriis sanctæ Claræ, ac aliarum possint ibi comedere in loco honesto.

26. Idem Sixtus IV. concessit quod sorores sanctæ Claræ intromittere non teneantur, quando Medicus intra clausuram, aliquem de seruitoribus suis; sed sufficiat quod à tribus, vel quatuor Monialibus de antiquioribus associetur.

27. Idem Sixtus I V. concessit quod Monialium confessores, & socij eorum habeant omnes indulgentias vbi adesse eos contigerit, quas habebant in Ecclesiis suis, & similiter Fratres,maximè Prædicatores,& socij eorum.

Hæc viuæ vocis oracula quæ sequuntur reperit Frater Bernardinus de Guaza, dum esset in officio Commissarius Romæ, quæ fuerunt impetrata per Fratrem Natalem de Pomer à felicis recordationis Sixto IV.mediante quodam ipsius cubiculario Gregorio nomine & Fratre Archangelo.

28. Concessit sanctissimus Dominus Papa Sixtus IV. Fratribus Minoribus Cismontanis de Obseruantia nuncupatis sub obedientia Vicariorum viuentibus, necnon seruitoribus,& seruitricibus eorum omnium quod possunt promereri omnes, & singulas gratias, & indulgentias concessas Fratri Angelo de Clauasio, & Fratri Petro de Neapoli Vicariis Vltramontanis pro Fratribus, & Sororibus sibi commissis dicendo in eorum Ecclesiis orationes, & suffragia consueta, modo & forma Vicariis Vltramontanis concessis. Et hoc concessit ad supplicationem Vicarij generalis Cismontani, tunc temporis.

29. Item placuit sanctissimo Domino nostro communicare Sororibus sanctæ Claræ viuentibus sub obedientia præfati Vicarij Cismontani declarationes primæ Regulæ sanctæ Claræ,quarum principium est, *quam admirandæ Virginis Claræ*, quas quondam Magister Guillelmus de Cassali generalis Minister Ordinis Minorum, authoritate Apostolica composuit; citra tamen obligationis vinculum; sed sicut fuerit visum præfato Vicario generali cum consilio aliquorum proborum Fratrũ.

30. Idem Sixtus IV.concessit quod Fratres qui sunt deputati ad seruitium prædictarum Sororum possint accedere ad Ecclesiam, & loca vbi habitant Fratres earum regimini deputati, habita super hoc licentia à suis superioribus.

31. Idem Sixtus IV. concessit Fratribus Minoribus de Obseruantia nuncupatis, Sororibus sanctæ Claræ, & tertiarum vtriusque sexus Cismontanis, necnon domesticis, & familiaribus eorum omnium omnia indulta, & priuilegia sub quacunque forma, & verborum genere, quæ concesserat Monialibus sanctæ Claræ, & Tertiariis vtriusque sexus Vltramontanis,& seruitoribus,& familiaribus eorum,& quod possint vti dictis gratiis, tanquam si eis fuissent concessa.

Eidem Sixto IV. propter diuersitatem opinionum placuit confirmare casus Episcopales, tam de Iure, quàm de consuetudine, quos ponit fælicis recordationis Bonifacius X I. in sua Extrauaganti quæ incipit *Inter cunctas*, & quod Fratres debitè præsentati, vel gratiosè à Prælatis recepti possint etiam extra diœcesim subditos illorum audire,cùm hoc possint curati de Iure. 32.

Idem Sixtus I V. concessit quod Vicarius Generalis Cismontanus habeat eandem authoritatem quæ concessa fuit Vicario Generali Vltramontano, quoad dispensationem irregularitatis illorum qui in bellis, vel in aliis causis sanguinis interfuerunt secundum quod supra expressum est,& quod tales si qui sunt, dummodo aliàs sufficientes fuerint, possint promoueri vsque ad sacerdotium, & quod in casu in quo aliqui propter Iuris ignorantiam de tali casu non aduertentes promoti fuissent, possint in susceptis ordinibus ministrare, ita placuit sanctissimo Domino nostro. 33.

Item concessit idem Papa Sixtus IV. omnibus Fratribus de Obseruantia, sub cura Vicariorum existentibus præsentibus, & futuris, tam professis, quàm Nouitiis,qui tamen habent propositum profitendi,necnon Sororibus sanctæ Claræ,& tertiariis vtriusque sexus, & famulis, & seruitoribus omnium prædictorum in partibus Cismontanis, quod quilibet eorum possit eligere Confessorem de Familia, qui audita eius confessione pœnitentiam salutarem ei iniungendo absoluat eum ab omnibus criminibus, excessibus, & censuris Ecclesiasticis, & dispenset cum eo in omnibus irregularitatibus, si quas fortè contraxerint (homicidio voluntario, & mutilatione membri semper exceptis) & ei remissionem generalem, & plenariam omnium peccatorum impartiri valeat. Et hoc idem possit in articulo mortis. 34.

Idem Sixtus IV. concessit ad supplicationem Fratris Angeli de Clauasio posse dici Credo in Octaua beati Francisci. 35.

Idem Sixtus IV. concessit liberè, quòd omnes gratiæ, & indulta,seu priuilegia concessa sub quacunque forma, & verborum in genere Patribus Obseruantiæ Cismontanæ, Sororibus sanctæ Claræ,ac Tertiariis extendantur ad Fratres Vltramontanos Sorores sanctæ Claræ, ac Tertiarios sub cura Vicariorum Domino famulantes, ac si pro eis, & suis seruitoribus domesticis fuissent in speciali concessa, dicendo: ex quo sunt vnum corpus Obseruantiæ, volumus, quod gaudeant eisdem priuilegiis. 36.

Idem Sixtus I V. concessit eisdem Fratribus,& Sororibus sanctæ Claræ, atque Tertiariis vtriusque sexus indulgentiam sanctæ Mariæ de Angelis, atque omnes alias indulgentias generales,tam plenarias, quàm non plenarias almæ Vrbis dicendo 5.Pater noster, cum totidem Aue Maria in Ecclesiis suis, ac si visitarent loca personaliter, vbi sunt istæ indulgentiæ diebus suis. 37.

Idem Sixtus IV. confirmauit omnia priuilegia à sua sanctitate, vel à suis antecessoribus concessa Ordini nostro, exceptis indulgentiis generalibus quoad visitantes loca Fratrum, aut Sororum de concessis in genere, addendo, quod non intendit sua sanctitas, quod indulgentiæ nobis concessæ pro personis nostris, siue sint generales, siue non reuocentur per quascunque litteras Apostolicas, etiam Cruciatæ, & idem de aliis priuilegiis, nisi de talibus litteris Apostolicis fiat expressa mentio de indulto huiusmodi, & Ordine. 38.

Idem

39. Idem Sixtus IV. concessit quod confessores Sororum S. Claræ possint absoluere à sententiis latis eos, qui non malitiosè, sed ex quadam curiositate, seu leuitate, vel ignorantia intrant in Monasteria earum, seu aliarum Religiosarum inclusarum, & hoc tam actiuè, quàm passiuè. Alias tamen concessit, quod omnes Confessores nostri possint absoluere omnes mulieres, etiamsi malo animo intraréṭ.

40. Idem Sixtus IV. concessit, quòd omnes Fratres exeuntes, & seruitrices Monialium pro quæstu euntes habeant omnes indulgentias, quas lucrari poterunt modo supradicto in Ecclesiis, vbi adesse contigerit, sicut in Ecclesiis suis.

41. Idem Sixtus IV. concessit, quòd Fratres causa visitandi reliquias Sanctorum, vt caput B. Ioan. Baptistæ ad S. Syluestrum Romæ, & sanguinem S. Francisci Assisij, & huiusmodi de licentia Guardiani illius loci, aut alterius Prælati possint, duntaxat accedere ad Ecclesias Monialium S. Claræ, & tempore stationum, & generalium processionum.

42. Idem Sixtus IV. concessit, vt possint Fratres vestes & pannos prophanos in paramenta, & alios vsus Ecclesiasticos conuertere secura conscientia.

43. Idem Sixtus IV. concessit Sororibus sanctæ Claræ sub cura nostra viuentes omnibus priuilegiis, gratiis, & exemptionibus in genere Sororibus collectaneis factis gaudeant.

44. Idem Sixtus IV. concessit, quòd dictæ Moniales collectaneæ possint absolui à Ministris visitatoribus, & eorum Confessoribus ab omnibus criminibus, pœnis, & censuris etiam Sedi Apostolicæ reseruatis quoties opus fuerit, & ipsæ, & earum Nouitiæ possint promereri omnes indulgentias almæ Vrbis visitando Ecclesias.

45. Idem Sixtus IV. concessit, quod Fratres debitè præsentati Prælatis Ecclesiarum, vel ab eis gratiosè recepti, possunt audire confessiones subditorum extra suam diœcesim, etiamsi essent extra montes. Suprà oraculo XXXII. hoc etiam conceditur.

46. Idem Sixtus IV. concessit, quòd omnes Fratres Clerici, & Laici possint tangere sine scrupulo conscientiæ calices, & corporalia, & alia paramenta, cum reuerentia tamen. Sed quomodo sorores possint tangere, & lauare ornamenta superius habes oraculo tertio.

47. Idem Sixtus IV. concessit quod Confessores nostri possint absoluere omnes confitentes ab omnibus sacrilegiis: dummodo non fiant in sacris, ita quod scandala orirentur, si Fratres absoluerent. Hæc concessio cum aliis quorum in superioribus fecimus mentionem fuerunt asportatæ à Capitulo generali Basiliensi anno Domini 1481.

48. Item anno Domini 1471. concessit Fratri Marco de Bononia Vicario generali, & Fratri Alberto de Perusio, vt omnes Moniales, & Dominæ tertij Ordinis præsentes, & futuræ in Congregatione viuentes, indulgentiam plenariam in articulo mortis consequantur, & rogauit, vt dicerent aliqua psalteria secundum quòd Vicario generali videbitur.

49. Item Fratri Angelo de Clauasio Vicario generali in secundo triennio sui officij concessit, quod fiat officium translationis S. Bernardini die 27. Maij, quẽadmodũ fit de SS. Antonio, & Ludouico.

50. Item quod Moniales, & de tertio Ordine in Congregatione viuentes habeant Iubileum si 50. Pater noster, & totidem Aue Maria dicantur pro salute suæ sanctitatis, & totius Ecclesiæ.

51. Item ad supplicationem Fratris Alberti Floriani socij Fratris Angeli de Clauasio Vicarij generalis die 19. Nouembris 1480. concessit in primis, quòd de S. Iosepho nutritio Saluatoris, & de S. Anna faciamus festa duplicia maiora.

Item secundò quod Fratres totius Familiæ Citramontanæ futuris temporibus prioribus habeant 52. indulgentiam Portiunculæ, siue S. Mariæ de Angelis in Ecclesiis locorum suorum eo tempore, quo est Assisij, & eandem indulgentiam obtineant ingrediendo Ecclesias locorum vbi habitant, ac si ingrederentur Ecclesiam S. Mariæ de Angelis.

Item idem Papa concessit, quod fiat festum 53. Præsentationis Virginis Mariæ 21. die Nouembris, & fiat duplex maius, & accipiatur officium Natiuitatis suæ mutato nomine.

Item concessit, quod faciamus festum Visitatio- 54. nis, vt antea fiebat de Natiuitate, & quod nouum officium dimittatur.

Idem scimus Pontifex ad requisitionem Fratris Petri de Neapoli die 5. Augusti hora 16. 1481. 55. concessit quod in Matutinis, & Vesperis, quando fiunt commemorationes SS. nostrorum possint dicere vnam antiphonam pro omnibus sanctis Ordinis nostri cum vna oratione.

De Bulla Aurea.

BVllà hæc *Aurea* nuncupata veluti appendix est ad Mare magnum Prædicatorũ, & Minorum, ac propterea inseri hoc in loco debuit, & quibusdam annotationibus veluti Commentatio, pro ipsius intelligentia, & operis intento, illustrari.

BVLLA AVREA VOCATA.

SVMMARIVM.

Concedit plures gratias, & exemptiones Ordinibus Mendicantium in hac Bulla quæ dicitur *Aurea*.

Indulgentiæ concessæ visitantibus Ecclesias nostras in festiuitatibus Sanctorum Ordinis Minorum. n. 1.
Indulgentia plenaria semel in vita, & in mortis articulo concessa Fratribus. n. 2.
Restrictio circa potestatem absoluendi, & dispensandi cum Fratribus. n. 3.
Communicantur priuilegia Mendicantium Tertiariis, Oblatis, Syndicis, & Procuratoribus. n. 4.
Prohibet, ne aliquis impediat dare eleemosynas Fratribus. n. 5.
Quod habitus Ordinis Minorum non dentur, nisi per Prælatos, & teneantur mortui sepeliri in Ecclesiis Ordinis Minorum, & deferantur corpora discooperta. n. 6.
Quod Fratres habentes beneficia, vel pro Capellanis seruientes, non gaudeant facultatibus Ordinis. n. 7.
Concedit, quod Magister Prædicatorum, & Minister Minorum possint examinare, & corrigere Inquisitores hæreticæ prauitatis n. 8.
Concedit, quod præfati Ordines, scilicet Prædicatorum & Minorum gaudeant priuilegiis, & indultis aliorum Ordinum. n. 9.
Ponit pœnas, quas incurrunt Prælati, & alij non obedientes, seu aliquid in contrarium mandantes. n. 10.
Ponit non obstantias. n. 11.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines

instar duorũ primorũ fluminũ & cœlestium volu-
ptatum, & amœnitatum à Paradiso egredientium.
Sacrosanctæ Vniuersalis Ecclesiæ terrã;ne mundanarũ cupiditatum,& vitiorum calore arescat,præ-
claræ doctrinæ, virtuosorumque operum multi-
plicium meritorum imbribus irrigantes, magis,
atque magis illam in dies fructuosam efficiunt.Hi
sunt duo Seraphim, qui in sublime contemplatio-
nis, & Seraphici amoris alis eleuari, à terrenis-
que rebus abstracti, assiduo diuinarum laudum
clamore, & immensorum beneficiorum humano
generi à Summo Opifice Deo exhibitorum de-
claratione, feruẽtissimis prædicationibus populos
instruendo, & ad cœleste iter dirigendo insisten-
tes, multiplicata talenta eis credita Domino Deo
mundæ segetis animarum, scilicet Redemptoris
nostri Iesu Christi pretiosi Sanguinis effusione
redemptarum copiosos in horrea Sanctæ Ecclesiæ
manipulos referunt. Hi sunt duæ tubæ, per quas
Dominus præcipit ad pabulum sacri Euangelij po-
pulum vniuersum assiduis prædicationibus aduo-
care, vt in omnem terram exiret sonus eorum, &
redderet sibi populum acceptabilem, bonorum
operum sectatorem. Ad Prædicatorum igitur, &
Minorum Fratrum Ordines, quos pro eorum am-
plissimis meritis, & vberrimis fructibus, quos in
Dei Ecclesia continuè afferunt, præ cæteris
paterna charitate diligimus, nostræ consideratio-
nis intuitum dirigentes: illa eis libenter concedi-
mus, quæ in eis optatæ quietis fructum inducant,
& statum eorum faciant pacificum, & tranquil-
lum. Dudum siquidem, vt Ordinum eorundem
professorum statui, & quieti consuleremus, motu
proprio nonnullas litteras diuersorum Romano-
rum Pontificum prædecessorum nostrorum dictis
Ordinibus concessas, & in illis contenta appro-
bauimus & quoad aliqua declarauimus, ampliaui-
mus, & extendimus,ac nonnulla eis de nouo con-
cessimus, prout in diuersis nostris litteris desuper
confectis plenius continetur. Cum autem, sicut
postmodũ accepimus,per huiusmodi ampliationes,
declarationes, extensiones adhuc totali eorundem
Ordinum, & illorum professorum quieti planè (vt
expedit)non consulatur, asseraturque à nonnullis
per easdem litteras omnes gratias spirituales, &
temporales dictis Ordinibus, & eorum domibus,
& Fratrib à prędecessorib.nostris concessas appro-
batas non fore. Nos attenta meditatione pensan-
tes quantum vtilitatis ad exaltationem Christianæ
fidei, & Euangelicæ veritatis Ordinum prædicto-
rum professores hactenus attulerunt, & afferre
valeant adiuuante Domino in futurum,ac propte-
rea volentes, vt tenemur, eorum tranquillitati
vberius prouidere, motu simili, non ipsorum Fra-
trum, & sororum, aut alterius pro eis No-
bis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed
de nostra mera liberalitate,& ex certa sciẽtia quas-
cumque litteras, & gratias spirituales, & tempo-
rales concessiones, & indulgentias, ac peccato-
rum remissiones in genere,vel in specie Fratribus,
& Sororibus Prædicatorum, & Minorum Ordi-
num, & domorum eorumdem, nec non visitanti-
bus eorum Ecclesias, capellas, & Oratoria con-
cessas: quarum tenorem ac si de verbo ad verbum
præsentibus insererentur, haberi volumus pro ex-
presso: præsentium tenore approbamus, & robur
firmitatis perpetuæ obtinere decernimus. Proque
1. potiori cautela Apostolica authoritate de nouo
iuxta literarum desuper concessarum continen-
tiam, & tenorem concedimus, & largimur. Et vt
Ecclesiæ, domus, & Oratoria Prædicatorum, &
Minorum Ordinum prædictorum per vniuer-
sum Orbem constructæ, & ædificatæ,& quæ con-
strui, & ædificari contingat in futurum, congrua
deuotione à Christi fidelibus visitentur, ac quæ
imperfectæ sunt, perficiantur, & ad complemen-
tum deducantur, ac completæ conseruentur, &
manuteneantur: nec non paramentis, & aliis ad
diuinum cultum necessariis debitè ornentur:ipsius-
que Christi fideles ad dictas Ecclesias collibentius
confluant, & ad præmissa manus promptius por-
rigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono cœ-
lestis gratiæ conspexerint se refectos, de omnipo-
tentis Dei misericordia, ac Beatorum Apostolo-
rum eius Petri & Pauli authoritate confisi, vni-
uersis, & singulis Christi fidelibus vtriusque sexus
verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesias, &
Oratoria domorum Fratrum prædictorum in sin-
gulis Sancti Dominici, & Sancti Francisci cen-
tum annos, & totidem quadragenas, & in San-
ctorum Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Vin-
centij, & S. Catharinæ de Senis, ac Sanctorum
Antonij de Padua, & Ludouici Episcopi, Bernar-
dini, & Sanctæ Claræ, & Beatæ Elisabeth festi-
uitatum diebus à primis vesperis, & per totum
diem ipsarum festiuitatum quinquaginta annos, &
totidem quadragenas deuotè visitauerint annua-
tim, & manus ad præmissa, aut eorum aliqua por-
rexerint adiutrices, de iniunctis pœnitentiis eis
nunc relaxamus præsentibus perpetuis futuris
temporibus valituris. Et vt prædictorum Prædi- 2.
catorum, & Minorum Ordinum Fratres tanto fer-
uentius diuinis beneplacitis insistant, quanto ma-
ioribus se viderint gratiis fore munitos, omnibus,
& singulis Prædicatorum, & Minorum Ordinum
prædictorum professoribus, qui nunc, & pro tem-
pore erunt perpetuò, vt confessor idoneus eorun-
dem Ordinum, quem quilibet pro se, de sui Su-
perioris licentia duxerit eligendum eorumdem
confessione diligenter audita, pro commissis per
eos excessibus, & peccatis semel in vita, in forma
confessionalis per Nos edita, & in mortis articu-
lo plenariam absolutionem, & peccatorum huius-
modi remissionem impendere valeat, etiamsi ante
factam eorundem Ordinum professionem eos de-
cedere contingeret, similibus motu, scientia, &
authoritate indulgemus. Facultatem verò à præ- 3.
decessoribus nostris concessam Magistro Generali,
Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, ac
eorum Vicariis Prædicatorum; Generali, ac Pro-
uincialibus Ministris, ac eorum Vicariis, nec non
Custodibus Minorum Ordinum prædictorum su-
per absolutione Fratrum eorundem Ordinum
suorum, & dispensatione cum eisdem in quibus-
dam casibus (præterquam illis pro quibus essent
ad Sedem Apostolicam mittendi) & per Nos ap-
probatam cum declaratione casuum, pro quibus
mittendi sunt, perstringentes: volumus, quod
Magister, & Minister Generales, eorumque Vi-
carij, & illi quibus ipsi pro tempore duxerint
committendum dumtaxat, & non alij facultate
prædicta de cætero vti possint: illam omnibus aliis
penitus adimentes. Et ne propter Monasteria
Monialium seu sororum sub cura, & institutis Or-
dinis prædicti Fratrum Prædicatorum, & Sanctæ
Claræ,seu Sancti Damiani Ordinum sub eiusdem 4.
Fratrũ Minorum Ordinis cura degentia: S Domi-
nici & S. Francisci de Pœnitentia nuncupatorum
Ordinum vtriusque sexus personas, contingat eo-
rumdem Fratrum turbari,motu proprio,scientia,&
authoritate

authoritate prædictis statuimus, quod huiusmodi Monasteria,& loca,eorumq; Abbatissæ, Priorissæ, Procuratores, Syndici, Oblati, & vtriusque tertij Ordinis prædicti de Pœnitentia nuncupatæ personæ prædictæ,eisdem priuilegiis,& immunitatibus, gratiis,fauoribus,concessionibus,indultis spiritualibus,& temporalibus prædictis Fratrum Prædicatorum Ordinibus,& illorum professoribus, domibus,& locis,ac Procuratoribus,Syndicis, Oblatis, & Conuersis, seu aliis quomodolibet per prædecessores nostros aut Nos hactenus concessis, & in posterum concedendis, quauis authoritate(quatenus earum sexui, & statui non contradicant) liberè,& licitè vti possint, & debeant in omnibus, & per omnia, prorsus, & sine vlla differentia, ac si eisdem Monasteriis, locis, & personis, Syndicis, Procuratoribus, Oblatis, & conuersis Sororum,& Monialium eorundem, ac personis vtriusque sexus de Pœnitentia huiusmodi nominatim concessæ forent,& concederentur expressè. Præterea, quia, vt intelleximus, exortis nonnunquam controuersiis inter locorum Ordinarios, eorumque
5. Vicarios seu Officiales,& Curatos,& Fratres prædictorum Ordinum variis occasionibus locorum Ordinarij,eorumque Vicarij,seu Officiales,& Curati prædicti,ne Christi fideles Fratribus ipsis pias eleemosynas erogare præsumant,ac etiam sub censuris inhibere,ac erogantes excommunicatos fore prædicare, seu prædicari facere, seu pronunciare præsumunt: locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, seu Officialibus, & Curatis prædictis, ac etiam aliis quibuscumque dicta authoritate mandamus,vt ab huiusmodi persuasionibus,inhibitionibus, & mandatis de cætero prorsus, & omnino abstineant:decernentes inhibitiones ipsas,& mandata nullius existere firmitatis, & illis contrauenientes censuris huiusmodi minimè ligari, ac eosdem persuadentes,& inhibentes,mandatóque obtemperare non curantes(nisi pœnituerint, & persuasiones,ac inhibitiones,& prædicta reuocauerint intra triduum.postquam desuper requisiti fuerint) eo ipso Ordinarios interdictum ingressus Ecclesię, ac suspensionem à regimine, & administrationem suarum Ecclesiarum, alios verò inferiores ab eis
6. excommunicationis sententiam incurrere. Cum autem nonnulli ad Ordines prædictos Prædicatorum, & Minorum specialem gerentes deuotionis affectum, eorum cadauera cum habitu FF.Prædicatorum,vel Minorum,seu Fratrum, vel Sororum de Pœnitentia vtriusque Ordinis prædictorum sepeliri mandent: & persæpe antequam moriantur, habitum huiusmodi eis postulant exhiberi, decernimus habitum huiusmodi per Priorem Ordinis Prædicatorum, & Guardianum domus Ordinis Minorum loci,in quo tales decedere contingeret, vel Superiorem Prælatum ipsorum Ordinum, seu Prioratus, vel Guardianiæ, vel cui illi duxerint committendum dumtaxat, & non per alium quauis authoritate, vel prælatione fungentem exhiberi debere, qui prædictum habitum recipientibus declarare teneantur apud eorum Ecclesias debere sepeliri in eorum habitu, quorum habitũ suscipiunt,& illorum sic indutorum cadauera sic discooperta nullo pallio, vel tegumento superimposito,cum habitu huiusmodi ad sepulturam deferri posse:Ordinariorum etiam sub cẽsuris prohibitione,& ordinatione locorum,qualibet in contrariũ editæ nõ obstante,quas quoad hoc mo-
7. dificamus. Et ne ex habilitationibus ad vnum vel plura beneficia Ecclesiastica in titulũ, vel commẽdam obtinenda cum facultate,vt interim donec illa assequantur pro Capellanis aliorum in beneficiis deseruire; & quod etiam postquam beneficia huiusmodi assecuti fuerint in domibus dicti Ordinis residere,cameras habere in illis, & in Generalibus Capitulis Fratrum eorundem Prædicatorum, & Minorum Ordinum vocem actiuam, & passiuam habere, ac priuilegiis, & fauoribus,gratiis, & indultis concessis ipsorum Ordinum professoribus gaudere possint, præfatis Ordinibus, & illorum professoribus grauamen inferatur,eisdem motu,& authoritate decernimus huiusmodi concessas, & quas eis concedi contigerit, habilitationis litteras intelligi,& interpretari debere,vt Fratres ipsi, quibus litteræ huiusmodi concessæ sunt, & concedentur in posterum quandoque per Sedem prædictam, postquam aliquod beneficium adepti fuerint pacificè, aut pro Capellanis in aliquibus Ecclesiis deseruire, concessionibus prædictis (prout vocem actiuam,& passiuam, residentiam in domibus ipsorum Ordinum, ac retentionem dictarum domorum,camerarum,& alia, quæ Ordinum Præfatorum sunt,concernunt)de eorum Ordinũ Prælatorum consensu dumtaxat gaudere possint, & non aliàs,nec alio modo. Idem statuentes de pro- 8.
motis ad Cathedrales etiam titulares appellatas Ecclesias,& alias dignitates Ecclesiasticas. Cæterum vt dictorum Ordinum professores,qui Inquisitores hæreticæ prauitatis pro tempore diuersis mundi partibus deputantur; tantò diligentius eorum officia studeant exercere, ac ab illicitis, & eis prohibitis abstinere, quanto cognouerint posse eorum errores faciliùs corrigi,& puniri,quod Magister Prædicatorum, & Minister Minorum Ordinum prædictorum Generales præfati,nunc, & pro tempore existentes, gesta pro tempore per ipsos Inquisitores suorum Ordinum respectiuè examinare,& querelas contra ipsos propositas audire, ac super illis,quantum eis iustum, & æquum videbitur, statuere, & ordinare, & si eos in aliquo deliquisse inuenerint,illos iuxta excessuum exigẽtiam, etiam per eorum ab officio amotionem, ac alias corrigere,& punire, dictósque Inquisitores secundum quod æquum, & iustum aut necessarium videbitur (non tamen in vna eademque diœcesi) multiplicare liberè,& licitè valeant. Et Prædicatorum in Minorum,& è contra Minorum Ordinum prædictorum Inquisitores in Prædicatorum Ordinum huiusmodi professores quoscumque, officio Inquisitionis huiusmodi fungi; illúdque exercere nullatenus possint absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, de præsentibus litteris specificam, & expressam faciente mentionem. Postremò, quia
Prædicatorum, & Minorum Fratrum, prædictorum Ordinum professores pro fidei Catholicæ dilatatione, incremento, & defensione continuò indefessè laborant, & eorum exemplari vita, prædicationibus verbi Dei,audientia confessionum, sana doctrina, assidua sacrarum Litterarum instructione, & deuota diuinorum officiorum celebratione hæreticorum extirpatione,aliisque innumeris piis operationibus præ cæteris Ordinum Mendicantium professoribus, fructus in Ecclesia Dei salutares copiosius attulerunt hactenus, & continuò afferre non cessant, atque allaturos in futurum,Deo propitio,spe firma tenemus, & propterea conuenit vt ipsi ampliores præ cæteris fauores, & gratiarũ prærogatiuas à præfata Sede recipiant, & reportent, aliorúmque Ordinum Mendicantium indultis,& priuilegiis apud Sedem præfatam gaudeant 9.

gaudeant, ne illis inferiores esse videantur, omnes & singulas gratias, concessiones, & peccatorum remissiones, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, & indulta spiritualia, & temporalia, qualiacumque sint, Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum, & Seruorum Beatæ Mariæ Fratrum Ordinibus, & illorum Ecclesiis, & Oratoriis, domibus, Prioribus, Fratribus, & Sororibus, Conuersis, & Oblatis, & vtriusque sexus personis de Pœnitentia nuncupatis à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus prædictis, & à Nobis, aut aliis authoritatem habentibus (quæ omnia si nominatim exprimerentur, haberi nunc volumus pro sufficienter expressis) coniunctim, vel diuisim, in genere, vel in communi concessa, eisdem, & eorum cuilibet Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordinibus, Ecclesiis, Oratoriis, Generali Magistro, Ministro, Prioribus, & Ministris Prouincialibus, Conuentualibus Prioribus, & Guardianis, Sororibus, oblatis, conuersis, & vtriusque sexus tertij Ordinis, seu de Pœnitentia nuncupatis, & aliis eorundem Ordinum personis de nouo concedimus, & in eis locum habere volumus, ac si eisdem nominatim, directè & expresè concessa fuissent. Mandantes etiam motu, scientia, & authoritate prædictis, vt dum priuilegiorum, indulgentiarum, prærogatiuarum, concessionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, & indultorum dictorum Fratrum Eremitarum Sancti Augustini. Carmelitarum, & Seruorum Sanctæ Mariæ originales litteræ, seu transumpta authentica ex illis pro, & in fauorem Ecclesiarum, domorum, & Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinum adducerentur, vel exhiberentur, eadem fides indubia, adhibeatur tam in iudicio, quàm extra iudicium, & aliis locis quibus opus fuerit, ac si pro, & in fauorem dictorum Ordinum, Ecclesiarum, domorum Fratrum Prædicatorum, & Minorum à Sede Apostolica emanassent, ac eis, & cuilibet ipsorum fuissent
10. immediatè concessa. Inhibentes districtius ipsis locorum Ordinariis sub interdicto ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, & Parochialium ab Ecclesiarum Rectoribus, & aliis quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ, priuationis earundem Ecclesiarum Parochialium, & omnium aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum quæ obtinent; nec non inhibitionis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis eo ipso quod contra fecerint, incurrendis: ne personis quibuslibet Ecclesiasticis vel sæcularibus in genere vel in specie, directè vel indirectè aliquid inhibeant, præcipiant, ordinent, vel statuant, quominus Ordines prædicti, illorum domus, & professores prædictis gratiis sibi concessis liberè vti possint. Non obstanti-
11. bus quibuscumque Apostolicis suspensionibus, reuocationibus, restrictionibus, ac in Prouincialibus, Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, nec non Parisiensis, & aliorum locorum generalium studiorum Vniuersitatis, & Curiæ Vicegerenti Auinionis, & quibusuis Ordinariis Prælatis, & personis concessis, & condendis litteris, & priuilegiis, ac per illos deputatis in eis Conseruatoribus priuilegiorum, & huiusmodi facultatibus, & iurisdictione cum quibusuis clausulis etiam derogatoriarum derogationis, ac fortioribus, & insolitis, quibus omnibus illa etiam si de eis, eorumque totis renosibus, & datis non per huiusmodi generales, clausulas etiam specialem mentionem importantes, sed specifica, & indiuidua ac de verbo ad verbum, seu quæuis alia mentio habenda esset, præsentibus pro expressis habentes: illis aliàs in suo robore permansuris, quoad præmissa specificè, & nominatim derogamus, & ea nemini in præiudicium præmissorum suffragari posse, aut debere, & irritum aut inane quidquid secus contigerit attentari decernimus nec non omnibus illis, quæ in dictis litteris nostris præfatis Ordinibus concessis volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Verùm quia difficile foret præsentes litteras ad singulas Prouincias originaliter destinare volumus, & dicta authoritate decernimus, quod transumptis eorum manus Notarij publici, & Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Auditoris, vel Protectoris, qui est vel pro tempore erit, aut alicuius Archiepiscopalis, vel Episcopalis, seu cuiuscumque in dignitate constituti sigillo munitis, eadem prorsus in iudicio, & extra, vbicumque exhibita vel ostensa fuerint, fides adhibeatur indubia, ac si ipsæ originales litteræ forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1479. septimo Kalend. Augusti Pontificatus nostri anno octauo.

IN BVLLAM AVREAM.

SVMMARIVM.

Bulla hæc Aurea *dicta, vbi habeatur. n.* 1.
De ipsius Procemio. n. 2.
De laude, & commendatione Ordinum Prædicatorum, & Minorum. ibidem.
Motiuum concessionis huius Bullæ. ibidem.
Procemium Bullæ: seu priuilegij notandum pro ipsius intelligentia. n. 3.
Indulgentiæ hoc loco concessæ visitantibus Ecclesias horum Religiosorũ an maneant modo in sua vi. n. 4.
De priuilegio vt absolui possint semel in vita, & in morte, &c. n. 5.
Per plenariam absolutionem quid intelligatur. ibid.
Restrictio facultatis vt possint absolui. n. 6.
Sublata est postea hæc restrictio. ibid.
Priuilegia Fratrum, extenduntur ad Moniales. n. 7.
An Moniales Mendicantium Ordinum nomine Mendicantium veniant. ibid.
Priuilegium contra Ordinarios prohibentes dari eleemosynas istis Religiosis. n. 8.
Alia illi similia. ibid.
Declaratio Sacræ Congregationis pro Discalceatis Carmelitis. ibid.
An teneantur Mendicantes petere licentiam ab Ordinariis ad quæstuandum. n. 9.
Alia remissiuè. n. 10.
De sepeliendis cadaueribus defunctorum cum habitu Fratrum. n. 11.
A quo dandus talis habitus. ibid.
De habentibus beneficia, &c. extra Ordinem non admittendis in Capitulis sine suorum Superiorum consensu. n. 12.
De similibus priuilegiis, & priuilegiatis. ibid.
Facultas Prælatorum supra Inquisitores hæreticæ prauitatis. n. 13.
An subsistat his temporibus. ibid.

An

An Inquisitores Ordinis Prædicatorum procedere, possint contra Inquisitores Ordinis Minorum, & e contra.n.14.

Communicantur his Ordinibus priuilegia aliorum Mendicantium.n.15.

Canonizata est in Rota huiusmodi Communicatio priuilegiorum.ibidem.

Inhibitio facta Ordinariis, ne impediant Religiosos istos vti libere suis priuilegiis.n.16.

Non obstantiæ.n.17.

1. HABETVR hæc Bulla (quæ *Aurea* vocatur, quasi pretiosa, & magnæ æstimationis, sicut alia Caroli IV. Imperatoris apud Belgas, propter eandem rationem Aurea etiam vocata) in Bullario Rodriguez inter Bullas Sixti IV. *num.* 20. & apud Confettium *in Collect. litter. Apostolic. in Sixto IV. n.2.* & in Bullario communi Laertij Cherubini inter Constitutiones Sixti IV. *n.* 19. Dicitur etiam in dicto Bullario Rodriguez reperiri originaliter in Conuentu S. Francisci Salmanticensis. Eam etiam commemorant alij authores, qui de priuilegiis Regularium Mendicantium præsertim, scripserunt, & Peirinis *tom.1. Priuileg. Minorum in Sixto IV. Constitut.*1.

Circa Proœmium, seu Præfationem Bullæ Aureæ.

2. DVo continentur in hoc Proœmio; alterum pertinet ad laudem seu commendationem Ordinum Prædicatorum, & Minorum, de quo dixi supra in ipsorum Mari magno, & latè tractant Authores ibi relati. Alterum verò ad rationem seu motiuum, propter quod Pontifex Sixtus hanc Bullam in fauorem dictorum Ordinum edi fecerit, scilicet, quod cum ipse in Mari magno relato concessa prædictis Ordinibus à Romanis Pontificibus prædecessoribus approbauerit, & quoad aliqua declarauerit, & ampliauerit ac extenderit, nonnullaque de nouo concesserit, nihilominus per huiusmodi ampliationes, declarationes, extensiones, & concessiones totali eorundem Ordinum quieti non esset consultum, assererentque nonnulli per dictum Mare magnum non fuisse approbata omnia, quæ prædecessores concesserant, propterea eorum tranquillitati vberius prouidere motu proprio, & certa scientia quascumque litteras, & gratias spirituales, & temporales concessiones, & indulgentias, ac peccatorum remissiones in genere, vel in specie Fratribus, & Sororibus Prædicatorum, & Minorum Ordinum, & domorum eorundem, nec non visitantibus eorum Ecclesias, & Capellas & Oratoria concessas: quarum tenorem ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi voluit pro expresso, approbauit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decreuit, & pro potiori cautela, Apostolica authoritate de nouo concessit.

3. Est autem vtile pro intelligentia huius, & aliorum priuilegiorum attendere ad Proœmium, & præfationem, quia ea vt in plurimum causam finalem legis continent. *l. fin. ff. de hæred. instit. l. Titia, §. Idem respondit ff. de verb. obligat. & l. Item quia § fi. ff. de pactis* iuxta dicta 4 *tom. Summæ verbo Leges Regularium num.* 37. ex Bart. Baldo. Panormit. & Granado. Vnde in specie priuilegij seu indulti ipsius initium attentè considerandum est: quia iuxta illud solent adiungi omnia subsequentia, vt sumitur *ex l. vlt. ff. de hæred. instit.* & notant Bart. *in l. Ambitiosa, C. de decretis ab Ordine facien.* & Panormit. *in cap. Aduersus, de immunit. Eccles. num.*2. ac Suarez *lib.8. de legibus cap.*28. *num.*19.

Circa § 1.

INdulgentiæ in isto §. concessæ visitantibus Ecclesias Prædicatorum, & Minorum in diebus præfatorum Sanctorum permanent modo in sua vi. Etsi enim, iuxta dicta *tom.3. verbo Indulgentia, quoad Regulares num.* 7. Indulgentiæ personales Regularium, quæ ante tempora Pauli V. concessæ erant, reuocatæ fuerint ab eo in Bulla *Romanus Pontifex*, quam eo loco, *& tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. retuli, Indulgentiæ tamen locales, quales sunt istæ, de quibus in præsenti, reuocatæ non sunt à Paulo V. aut alio Pontifice, iuxta dicta tum eo *num.* 19. tum eo verbo *Indulgentia quoad Regulares num* 8. Notandum tamen, quòd, cum istæ Indulgentiæ sint ex numero illarum, quæ concessæ sunt exhibentibus manus adiutrices, vt ex ipsis patet, & similes indulgentiæ reuocatæ sint à Pio V. in Bulla *Etsi Dominici gregis*, quam retuli eo verbo *Indulgentia quoad Regulares num.* 14. ideo ex hac parte reuocatæ videntur, nisi iuxta commutationem factam à Gregorio XIII. in Bulla *Vt laudes* eo loco relata, quæ etsi solum pro Carmelitis edita fuerit, per communicationem tamen priuilegiorum Mendicantium ad eos extendi videtur, iuxta dicta eo *num.*14 & consequenter ad dicta ibidem *num.*8. Nota etiam dicenda infra in Mari magno Seruitarum *circa* §. 56. de indulgentiis stationum Vrbis, & an illæ sint reuocatæ per Bullam relatam Pauli V. & an in illis etiam intret communicatio Religionum. 4.

Circa §. 2.

DE priuilegio hoc concesso Fratribus prædicatoribus, & Minoribus, vt possent absolui semel in vita, & in morte ab omnibus excessibus, &c. dixi *tom.1. Summæ cap.19. n.7. &* 28. vbi etiam ex Casarubio, quid sit Confessionale illud, de quo loquitur Pontifex, & iuxta cuius formam vult concedi talem absolutionem. De eo etiam Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 62. art. 6.* Extenditur etiam ad Nouitios, prout patet ex illis verbis. *Etiamsi ante factam eorumdem Ordinum professionem*, &c. Per illa autem verba *Plenariam absolutionem, & peccatorum remissionem impendere valeat.* denotatur Confessarium electum ad præfatam absolutionem dandam posse etiam indulgentiam plenariam in articulo mortis concedere dictis Fratribus, quod si ita est, talem indulgentiam reuocatam non esse à Paulo V. collige ex dictis *tom.3. verbo Indulgentia quoad Regulares num.*10. Quid verò per articulum mortis intelligatur consule dicta *tom. 3. verbo Bulla Cœnæ num.* 53. de quo præter authores ibi relatos Rodriguez *tom.1. quæst. Regul. quæst.62. art.7.* 5.

Circa §. 3.

REstringit hoc loco Pontifices concessionem à se factam Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 14. *&* 15. *ac* 41. & Minoribus in eorum Mari magno §. 12. *&* 40. circa facultatem absoluendi Religiosos horum Ordinum, & cum illis dispensandi, 6.

dispensandi, ita scilicet, vt ea solum competat Generalibus, & eorum Vicariis, & ab ipsis designatis, non autem aliis. Hæc tamen restrictio postea sublata est ab eodem Pontifice in duabus Bullis per modum Breuis, quas refert Rodriguez in Bullario *in Sixto IV. Bulla 21. & 22.* In priori enim concedit Prædicatoribus Obseruantiæ Hispaniæ, & Lombardiæ facultatem, quam in Mari magno illis concesserat quantum ad absolutionem, & dispensationem; in posteriori verò concedit Generalibus, & Prouincialibus, ipsorumque Vicariis, & iis, quibus ipsi commiserint, eandem quoque facultatem, non tamen Prioribus Conuentualibus. Vide tamen priuilegia, quoad hoc Eremitarum sancti Augustini, Carmelitarum, Seruitarum, & Minimorum suis locis afferenda, quia eis vti etiam possunt Prædicatores, & Minores per communicationem.

Circa §. 4.

7. EXtendit Pontifex, in loco priuilegia concessa à se, & aliis Summis Pōtificibus, ac in posterum concedenda Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, ad Moniales eorumdem Ordinum, & personas eisdem Monialibus annexas, respectiuè quidem ad earum sexum. Vnde tam propter hoc, quàm propter alia priuilegia eiusdem Sixti IV. Bonifacij VIII. Leonis X. & Clem. VII. quæ refert Casarubius *in Compend. Priuileg. Mendicant. verb. Communicatio priuilegiorum, num. 2. 3. 4. 5. 6. 17. 18. & 19.* & alia etiam quæ referunt Rodriguez *tom. 1. quæst. Regular. quæst. 55. art. 13. & 14.* & Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 1. disp. 17. quæst. 1. & de Iure Abbatissarum disp. 17. ferè per totam*, communiter tenent Doctores, Moniales gaudere priuilegiis Religionum, quas profitentur. De quo D. Antoninus *3. part. tit. 16. cap. 3.* Palud. *in 4. dist. 38. quæst. 2. n. 17.* Syluester *verb. Religio 3 quæst. 3. dict. 4.* Angelus *verbo Nouitius, num. 6.* Tamburinus *suprà*, post hos, & alios authores. An autem propterea Moniales Mendicantium Ordinum nomine Mendicantium veniant in dispositionibus, quæ de Mendicantibus loquuntur, agunt post alios Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 116.* & Barbosa *de Iure Ecclesiastico, lib. 1. cap. 41. num. 217.* Tangit etiam in hoc loco Pontifex priuilegia quæ competunt Tertiariis, & Oblatis, de quibus egi *tom. 2. cap. 8. & 14.* & aliqua dicam infrà in Mari magno Eremitarum S. Augustini § 8. 9. 35. & 36. & Carmelitarum § 33. 47. 48. & 49.

Circa §. 5.

8. PRiuilegium hoc continens mandatum, seu præceptum contra Ordinarios prohibentes dari eleemosynas istis Religiosis, & similia, conformia sunt iis quæ adduxi *tom. 1. Summæ cap. 6. num. 43. & 44. & tom. 2. cap. 1. num. 4. & 5. & tom. 4. verb. Quæstuarij Regulares*, & specialiter quoad oblationes, *eo tom. 4. verb. Oblatio facta Regularibus, num. 2.* Consonat etiam priuilegium aliud Bonifacij VIII. pro Prædicatoribus, quod referunt Corduba *in annotat. ad Compend. priuileg. Mendicant. verb. Eleemosyna, § 9.* Rodriguez *tom. 2. quæst. Regul. q. 57. art. 8.* & Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Constit. 4. Sixti IV. §. 8. num. 40.* Maximè consonat priuilegium Sixti IV. pro Eremitis S. Augustini in eorum Mari magno §. 51. & pro Carmelitis, *in eorum Mari magno* §. 70. quod retuli *tomo 2. cap. 1. num. 4.* in eo enim habetur, quod contra Ordinarios inhibentes dari eleemosynas Fratribus, Protectores, & Auditor Cameræ, imò & Inquisitores hæreticæ prauitatis veluti contra hæreticos procedere possint. Extat etiam pro RR. PP. Discalceatis nostri Ordinis hæc declaratio sacræ Congregationis: *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit Fratres Carmelitas Discalceatos non esse molestandos, neque impediri posse in quæstuatione eleemosynarum, non obstante quod alij Fratres Mendicantes eadem die eleemosynas quærere soleant, qua isti quærunt, & ita decreuit ac ab omnibus Regularibus Mendicantibus, & præsertim à Fratribus sancti Francisci de Obseruantia, obseruari, ac exequi mandat. Romæ 9. Ianuarij* 1608. *A Mar. Card. Gallus. Locus † signi A Hortensius secretarius.* Item pro Fratribus sanctæ Mariæ de Mercede extat Bulla Alexandri IV. *in Bullario huius Ordinis, num. 4.* in qua præcipit Ordinariis, vt iniungant Presbyteris sibi subiectis sub pœnis priuationis offi[...]j, & beneficij, vt prædictos Fratres eleemosynas quærere permittant.

Consequenter etiam addicta *4. tomo, verbo Quæstuarij regulares, num. 2.* dicendum, quod regulares, præsertim priuilegiati hoc, & similibus priuilegiis, quales sunt Mendicantes, non tenentur petere facultatem ad quæstuandum ab Ordinariis, pro diœcesibus, in quibus morantur, cùm in erectione Monasteriorum hæc licentia eis tacitè ab Ordinariis impartita censeatur. Aldana *in Compend. Canonic. resol. lib. 3. tit. 8. num. 6.* attestans ita censuisse S. Congreg. Episcoporum, & Regularium in Vener. 6. Octobr. 1597. Barbosa *in Collectan. Concil. sess. 21. cap. 9. num. 6.* Bordonus *in resolut. resolut. 7. n. 119.* ex Bariola *verbo Regulares, pag. 267.* dicente idem fuisse decisum Episcopo Papiensi. Consonant etiam aliæ declarationes factæ Congregationis, quas refert idem Bordonus *ibidem, num. 120.* Sufficit ergo ad quæritandum in Diœcesibus, vbi habent Conuentus, licentia suorum Prælatorum, nec illam tunc Ordinariis ostendere tenentur, iuxta dicta eo *num. 2.* licet conueniens sit ita facere, vt ab ipsis confirmetur, quia sic fideles liberalius Religiosis eleemosynas elargientur, & magis certum erit eas quærere pro suis Conuentibus, nec esse fugitiuos, qui pro seipsis illas quærere solent. Peirinis *suprà, num. 43.* Bordonus *suprà, num. 119.* 9.

Alia pro hoc intento inuenies infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 53. & 70. & in Mari magno Seruitarum. *circa* §. 23. & 61. 10.

Circa §. 6.

DE materia huius priuilegij (quod est de sepeliendis cadaueribus defunctorum cum habitu Fratrum, & de Superiori, à quo is habitus concedi debet, & quomodo tales ad Ecclesias Fratrum deferri possint, & in eis sepeliri) plura dixi in Mari magno Prædicatorum circa §. 49. & in Mari magno Minorum circa §. 47. Quibus si adiungas, quæ de ea etiam materia dicta sunt *tomo 3. Summæ, verbo Habitus Regulares, num. 5. 6. 7. & sequentibus*, sufficienter de illa dictum erit. Iuuant etiam ad intentum dicenda infra in Mari magno Eremitarum sancti Augustini *circa* §. 47. Carmelitarum *circa* § 66. & Seruitarum *circa* §. 38. 11.

circa.

Circa §. 7.

12. MEns Papæ in hoc priuilegio esse videtur moderari priuilegia aliquibus Religiosis particularibus concessa, nempe quòd quamuis aliquod beneficium extra Religionem obtinuissent, aut alicui Ecclesiæ pro Capellanis deseruissent, nihilominus habere possent residentiam, aut cameras in eorum Conuentibus, aut vocem actiuam seu passiuam in Capitulis; quæ quidem sic moderatur Papa, vt solum de suorum Superiorum consensu illis gaudere possit, & non aliàs, nec alio modo. Cui priuilegio consonat aliud Leonis X *in Bullario Rodriguez in hoc Pontifice Bulla* 4. vbi Minoribus concedit, quod nullus Ordinis huiusmodi Obseruantiæ professor de cætero exemptionem, aut indultum Apostolicum obtinere possit sine Superiorum assensu, & si illa impetrauerit, nullatenus sibi suffragantur. Item aliud Innocen. VIII. pro Prædicatoribus *in eodem Bullario in hoc Pontifice Bulla* 3. *num.* 12. De quo Ioannes de Cruce *de stat. Relig. lib.* 1. *cap.*6. *dub.*7. *concl.*4. Consonant etiam ea, quæ dixi *tom.* 1. *Summ. cap.*17. *num.*18. videlicet assumptos ex Religionibus non gaudere priuilegiis ipsorum, quæ in illarum damnum, aut incommodum redundant; etsi gaudeant priuilegiis commodum priuatim concernentibus. Vide etiam ad intentum aliud priuilegium Innocentij VIII. pro Seruitis in eorum Mari magno § 66. vbi etiam affero aliud Iulij III. pro eisdem Seruitis hanc eandem materiam concernens. Item in Mari magno Minimorum *circa* §. 18. vide priuilegium Pauli III. quo prohibet, ne residentes extra claustra portent habitum omnino similem illi quem portant, qui intra claustra ipsa viuunt.

Circa §. 8.

13. DE materia huius priuilegij dictum est supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §.19. vacare his temporibus quoad facultatem concessam Prælatis ad remouendum Inquisitores Regulares, & substituendum alios pro ipsis, solum enim ab Inquisitoribus id fieri potest, iuxta ibidem dicta, vbi etiã an dicti Inquisitores Regulares à Prælatis ipsorum puniri possint, casu quo deliquerit. Pro quo nota, quod cum olim Inquisitores Regulares eligerentur ad hoc munus à Prælatis ipsorum ex priuilegiis Apostolicis Innocent. IV. Alex. IV. & Clem. IV. de quibus in Bullario S.Officij, & non notant Eimericus *in direct. p.*3.*q.*3. *vers. regulariter tamen*, Azorius *tom.*1. *institut. Moral. lib.*8 *cap.*18. *quæsit.* Farinacius *de hæres. q.* 186. *num.*3. Sanctarellus *de hæret. cap.*40. *dub.*1. *concl.*6. *num.* 6. & alij, quos refert, & sequitur Catena *de offic. S. Inquisit. p.*1. *tit.*5. §.3. *num.* 10. ideo non immerito pro illis temporibus priuilegium hoc à Sede Apostolica emanauit. Cum autem hoc tempore non eligantur ab ipsis, sed vel à Summo Pontifice, S. Congregatione, vel Inquisitoribus generalibus, ideo quoad prædicta non subduntur propriis Prælatis. Cuius signũ est, quod contra illos procedere possunt, etiamsi sint Generales suorum Ordinum, vt habent Freitas *ad Roderic. de confess. solic. q.*17. *n.*20. & Catena *supra* §. 9 *num.*78. Licet æquo, & bono decens videtur, vt antequam contra proprios procedant, Generales præsertim, supremum inquisitorem consulant, vt obseruant Zanardus *in direct. Theolog. p.*2. *cap.*6. *quæst.*13. Peirinis *tom.*2. *Priuileg. Minim. in Const.*9. *Pauli V.* §. 1. *num.*1. Diana 4. *p. tract.*8. *Resol.*23. Catena *supr.* Hoc enim dumtaxat sensu accipiendi sunt.

Circa id quod habetur in hoc priuilegio, scilicet Inquisitores Ordinis Prædicatorum non posse procedere contra Inquisitores Ordinis Minorum, neque è contra, notat Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. q.*81. *art.*2. & eius Conditor aliter Rodriguez *in Compend. Resol.*73. *num.*2. id non obseruari in Hispania, quia in ea Prouincia tales Religiosi non exercent munus Inquisitorum. Notari etiam potest, nec in aliis Prouinciis id obseruari, propter vniuersalem facultatem, quam habent procedendi cõtra omnes, & quoscumque iure non exceptuatos. De qua Molina *de Iust. & Iur. tract.*5. *tom.*6. *disp.*28. Castrus Palaus *tract.*4. *d.*8 *punct.*12. §.2. *num.*5. Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib.* 1. *cap.*4. *num.* 1. Zanardus *cap.* 6. *quæst.*19 & Catena *supra* §. 9. *num.* 73. Vide priuilegium hoc vocare hoc tempore propter Bullam Pauli V. de ann. 1606. quæ incipit *Romanus Pontifex*, tenet Peirinis in margine huius Bullæ Aureæ *circa* §. 12. 14.

Circa §. 9.

IN Mari magno Prædicatorum, vt constat ex iis, quæ ibi dixi *circa* §.52. & in Mari magno Minorum, vt etiam constat ex ibi dictis *circa* §. 51. concessa est iis duobus Ordinibus communicatio priuilegiorum dumtaxat eorumdem Ordinum; cæterum in hoc priuilegio ipsis etiam conceditur communicatio priuilegiorum Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, & Seruitarum. Vnde concessio amplior est, & extensior, vt de se patet. De qua plura dixi tum locis relatis, tum aliis quoque ibi adductis. Additur autem in hoc priuilegio mandatum illud, seu præceptum Papæ, quod scilicet exhibentibus priuilegia dictorum Ordinum siue originalia, siue transumpta authenticè eadem fides indubia adhibeatur, acsi propriis eorum Ordinibus essent concessa. Ex quo magis corroborantur ea, quæ in præfatis locis de huiusmodi communicatione priuilegiorum dicta sunt. Præsertim cum eadem clausula habeatur etiam in Mari magno Carmelitarum §. 105. Adde quod communicatio hæc priuilegiorum sæpius fuit in Rota canonizata, videlicet in Burgensi *Iurisdictionis S. Ioannis* 20. Decemb. 1596 coram Orano, & in Burgeñ. *Procurationum* 11. Martij 1598. coram eodem, & in *Exemptionis* coram Verospio 25. Maij 1618 Pro authoritate autem transumptorum Bullarum, seu priuilegiorum consule dicta supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 56. & pro notabili priuilegio Minorum, scilicet, quod possint priuilegiis aliorum Mendicantium vti mutatis eorum nominibus in nomen Fratrum Minimorum; & alio eidem Ordini concesso de priuilegio dato pro vno Monasterio communicando aliis, vide dicenda infra in Mari magno Minimorum *circa* §.34. Hæc enim, & alia Mendicantium priuilegia ipsorum Ordinibus communia sunt. 15.

Circa §. 10.

INhibet hoc loco Ordinariis Pontifex sub grauibus censuris, & pœnis, ne aliquid faciant, quo minus prædicti Ordines præfatis priuilegiis liberè vti possint. De qua re in simili inhibitione aliqua dixi in Mari magno Prædicatorum *circa* §.53. & in Mari magno Minorum *circa* §. 52. Expendenda tamen 16.

tamen est dictio illa *Liberè*, quæ ponitur ibi *gratiis sibi concessis liberè vti possint*. Ea enim denotat talem vsum priuilegiorum debere esse spontaneum, & sine alterius licentia, aut authoritate, Panormitan. *in cap. si pro debilitate num. 1. de offic. delegat.* Tiraquellus *in l. si vnquam verb. Reuertatur num.* 135. *C. de reuocat. donat.* Menochius *de arbitr. lib.* 1. *quæst. 7. num.* 34. & plures apud Barbosam *in tract. de dictionib. dict.* 190. *n.* 2. Denotat etiam tamen vsum debere esse sine impedimento, contradictione, onere, grauamine, vel obstaculo, aut diminutione, provt idem Barbosa *ibid. num.* 3. ex variis iuribus, & Doctoribus affert. Expendendum etiam has pœnas imponi contra simpliciter aliquid facientes contra dicta priuilegia, vnde etiamsi id non fiat ex præsumptione, incurrentur, iuxta dicenda infra in Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* § 53.

Circa § 11.

Hic ponuntur non obstantiæ amplissimæ. Sed quia de illis, quæ habentur in Mari magno Prædicatorum, & Minorum, aliqua dixi, quæ ad hoc intentum deseruiunt; ad illa remitto lectorem. De aliquibus clausulis, aut dictionibus, quæ in eis sunt, aliqua etiam dixi, & dicam in discursu Operis. 17.

MARE MAGNVM EREMITARVM S. AVGVSTINI.

SVMMARIVM.

Quod Priores Generales per se, & Prouinciales in Capitulo Prouinciali cum Diffinitoribus possint instituere Prædicatores, & Confessores. n. 1.
Quod in Ecclesiis Fratrum libera sit sepultura. n. 2.
Quod sepelire, & celebrare Fratribus inuitis in suis Ecclesiis nullus possit. n. 3.
Constitutio de Confessoribus, & Prædicatores edita pro Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus extenditur ad Eremitas. n. 4.
Vrbanus confirmat omnia priuilegia, & libertates à suis prædecessoribus Fratribus concessa. n. 5.
Alexander concedit Fratribus, vt ad receptionem vel prouisionem in pensionibus, vel beneficiis Ecclesiasticis, aut ad solutionem collectarum, exactionum, &c. cogi non possint, etiam per litteras Apostolicas, &c. n. 6.
Quod Priuilegia concessa domibus diuisim ante vnionem sint communia omnibus domibus. n. 7.
Quod possint Fratres recipere mantellatas, & Pinzocheras instar mantellatarum Ordinum Minorum, & Prædicatorum. n. 8.
Quod tales mantellatæ gaudeant omnibus priuilegiis concessis Ordini, & Fratribus Eremitarum. n. 9.
Domus Fratrum assumuntur sub protectione Romani Pontificis. n. 10.
Quod Ordo canonicus perpetuò obseruetur. n. 11.
Omnes possessiones præsentes, & futuræ liberè, & integrè Fratribus firmantur. n. 12.
De decimis non soluendis. n. 12.
Authoritas recipiendi fugientes à sæculo. n. 14.
Quod non licet professos ab Ordine decedere. n. 15.
Quod nullus Episcopis valeat conuocare Fratres ad Synodos. n. 16.
De consecrationibus, & similibus gratiis concedendis num. 17.
Quid pro Sede vacante. n. 18.
Quid quando non est copia Episcoporum. n. 19.
De tempore Interdicti. n. 20.
De Chrismate, & consecrationibus. n. 21.
De Capella, & Oratorio non construendis in locis Fratrum sine eorum assensu. n. 22.
De nouis exactionibus non admittendis. n. 23.
De sepulturæ libertate. n. 24.
De hortis, & siluis restituendis. n. 25.
De electione Generalis mortuo prædecessore. n. 26.
De non inferenda ipsis violentia. n. 27.
De libertatibus, & exemptionibus. n. 28.
Prohibitio violentiæ faciendæ. n. 29.
Pœnæ contra impedientes. n. 30.
De omnimoda exemptione Ordinis. n. 31.
Quod ratione contractus, aut delicti conueniri non possint. n. 32.
Confirmatio Priuilegiorum. n. 33.
De non soluendis decimis. n. 34.
De priuilegiis Pinzocherarum. n. 35.
De oblatis & commissis ipsorumque priuilegiis. n. 36.
Priuilegiorum pro tempore Interdicti. n. 37.
De intelligentia illius clausulæ, Salua Iustitia Ecclesiarum. n. 38.
De canonica portione. n. 39.
De candelis, quæ manu dantur. n. 40.
De quarta non soluenda ex piis legatis. n. 41.
De omnimoda exemptione Ordinis. n. 42.
De facultate absoluendi subditos à censuris. n. 43.
De facultate dispensandi cum illis in irregularitatibus. n. 44.
De Sacramentis ministrandis, quando Rectores Ecclesiarum id distulerint facere malitiosè. n. 45.
De bonis Monasteriorum Monialium applicandis Fratribus. n. 46.
De volentibus sepeliri cum habitu Religiosorum. n. 47.
De exemptione Ecclesiarum, apud quas domus Fratrum constructæ sunt, & Capellani per quem Ecclesia reguntur. n. 48.
Confirmatio Prioris Generalis post electionis præsentationem, & assensum. n. 49.
Extensio ad Inquisitores hæreticæ prauitatis facultatis procedendi contra asserentes confessos Fratribus teneri ad confessionē Rectoribus iterum faciendā. n. 50.
De impedientibus eleemosynas Fratrum. n. 51.
Communicatio priuilegiorum Prædicatoribus, & Minoribus concessorum. n. 52.
Pœnæ quas incurrunt facientes contra prædicta. n. 53.
De Conseruatoribus. n. 54.
Non obstantia. n. 55.
De authoritate extrahendi transumpta. n. 56.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Dum fructus vberes, quos Sacer Ordo Fratrum Eremitarum S. Augustini in agro militantis Ecclesiæ in propagatione Religionis, & fidei orrodoxæ hactenus produxit

produxit vtiliter, & producit, atq; in futurum pro-
ducturum fore indubitanter speramus diligenter
attendimus, dignum censemus, & debitum Nos ad
illa nostros debere dirigere cogitatus, per ea, quæ
pro diuini diuini cultus, & dicti Ordinis incremen-
to, animarum salute à Romanis Pontificibus præ-
decessoribus sublatis ambiguitatibus, quæ exinde
emersisse noscuntur, in sua integritate persistant,
vt tanto firmius obseruentur, quanto erunt sæpius
Sedis Apostolicæ munimine stabilita. Dudum si-
quidē à felicis recordationis Nicolao Papa V. præ-
decessore nostro emanauerunt litteræ tenoris se-
quentis. Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei.
Dilectis filiis Generali, Prouincialibusq; Prioribus,
& Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini sa-
lutem, & Apostolicam benedictionē Sinceræ de-
uotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam ge-
ritis Ecclesiam promeretur, vt petitionibus vestris
in his præsertim, quæ commodum, & vtilitatem
Ordinis vestri concernunt, quantum cum Deo
possumus, fauorabiliter annuamus. Nuper siqui-
dem pro parte vestra Nobis fuit humiliter suppli-
catum vt quasdam per felicis recordationis Bo-
nifacium VIII. Vrbanum VII. Alexandrum IV.
Martinum V. & Eugenium IV. Romanos Pontifi-
ces prædecessores nostro vobis & Ordini vestro
concessas litteras, quę incipiant vetustate consumi,
& quas difficile esset ad diuersa loca pro diuersis
incumbentibus vobis negotiis destinare, confirma-
re, & ex certa scientia, & cum illarum insertione
approbare, & innouare de benignitate Apostolica
dignamur. Quarum quidem litterarum tenores
sunt tales. Bonifacius Episcopus seruus seruorum
Dei Dilectis filiis Generali, & Prouincialibus Prio-
ribus Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augu-
stini præsentibus, & futuris salutem, & Apostoli-
cam benedictionem. Inter solicitudines nostras il-
la debet esse præcipua, vt super Dominicum gre-
gem commissum Nobis obseruemus vigilias, inde-
fessam exerceamus curam, & exactam diligentiam
apponamus, ne illum lupus rapax inuadat, & eius
sanguis secundum Prophetam, quod absit, de no-
stris manibus requiratur. Hoc autem benè fit, si
oleo dulcedinis verbi Dei foueantur subditi, incre-
pationis vino peccatorum suorum mordeantur
vulnera, & pœnitentiæ acrimonia purgata regan-
tur. Ad id verò exequendum scientia diuinæ legis
exposcitur, desideratur ordo, & vitæ integritas fla-
gitatur, scriptum est enim: *Tu scientiam repulisti,
& ego te repellam ne Sacerdotio fungaris mihi*; quia la-
bia Sacerdotum custodiunt scientiam, & legem re-
quirunt ex ore eius. Aliàs provt ad eum pertinet
inter lepram, & lepram non posset discernere, nec
peccator existens Dei deberet narrare iustitias, &
testamentum ipsius assumere per os suum, nam
cuius vita despicitur, consequens est, vt eius prædi-
catio contemnatur. Quapropter vt ipsi gregi ea-
dē cura nostra eo plenior impendatur, quo plures
operarij in agro Domini fuerint constituti, vester-
que Ordo, qui Sacerdotibus abūdat, & in suis Fra-
1. tribus viget scientia, & vitæ sinceritate per Dei
gratiam pollet, in eodem agro fructus vberes affe-
rat. Tibi fili Prior Generalis per te, vobis Prouin-
ciales Priores in Prouincialibus Capitulis cum
Diffinitoribus ipsorum Capitulorum, Fratribus
eiusdem vestri Ordinis Sacerdotibus in Sacra pa-
gina eruditis, examinatis, & approbatis à vobis
prædicationis, & tam ipsis quā aliis Fratribus dicti
Ordinis ad id idoneos audiēdi cōfessiones, absol-
uendi pœnitentes, iniungendi eis pœnitentias sa-
lutares, officia authoritate Apostolica committen-
di; eisdem quoque Fratribus, quibus dicta officia
per vos taliter cōmissa fuerint, quod liberè valeant
exercere, plenam tenore præsentium damus, & cō-
cedimus facultatem, districtiùs inhibentes, ne quis
Fratres ipsius Ordinis, quibus dicta officia totali-
ter committenda duxeritis in executione officio-
rum ipsorū audeant quomodolibet impedire. Ad- 2.
hæc sepulturam in Ecclesiis, & locis vestris liberā
esse censemus, vt eorum deuotioni, & extremæ vo-
luntati, qui se illic spelire deliberauerint, nisi ex-
communicati, vel interdicti, aut etiam publicè
vsurarij fuerint, nullus obsistat, statuentes, vt nulli
Religiosi, vel sæculares vobis inuitis, aliquorum
corpora defunctorum in vestris cœmeteriis sepeli-
re, aut in Ecclesiis vestris Missarum solemnia, vel
pro animabus eorum qui ad loca vestra tumulandi
forent, ibidem exequias celebrare sine vestro con-
sensu, & voluntate præsumant. Cœterùm Consti- 3.
tionem nostram, quam super prædicationibus fa-
ciendis, & confessionibus audiendis, iniungendis
pœnitentiis, absolutionibus impendendis, sepul- 4.
tura, & quarta portione obuentionum tam fune-
ralium, quam relictorum, datorum, & donatorum
in personis Fratrum Prædicatorum, & Minorum
Ordinū olim edidimus, in vobis, & vestri Ordinis
Fratribus per omnia volumus integraliter & incō-
cusse seruari. Ita quod considerata personarū, quas
ad id habueritis idoneas, & Cleri, & populi quan-
titate eorum, quos ad huiusmodi audiendarū con-
fessionum officium eligitis metiamini numerum,
vos infra modum congruū continentes, & nunquā
in aliquo excedentes, vt sic moderatione seruata
nec alios quibus per eandem Constitutionem con-
cessimus ad inuidiam vel scandalum, nec locorum
Episcopos, quibus à vobis electos præsentare de-
betis, ad repulsam prouocetis ipsorum. Nulli ergo
omnino hominū liceat hanc, &c. Datū Lateran. 17.
Kalendas Februarij Pontificatus nostri anno VIII.
Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis
filiis Priori Generali, & Fratribus Ordinis Eremi- 5.
tarum Sancti Augustini, salutem, & Apostolicam
benedictionem. Solet annuere Sedes Apostlica piis
votis, & honestis iusta petentium desideriis fauorē
beneuolum impartiri. Ea propter dilecti in Domi-
no filij vestris iustis postulationibus grato occur-
rentes assensu: omnes libertates, & immunitates à
prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus per
priuilegia, siue per alias indulgentias vobis, & Or-
dini vestro concessas nec non libertates, & exem-
ptiones sæcularium exactionū à Regibus, & Prin-
cipibus rationabiliter vobis, & Ordini prædicto in-
dultas, sicut ea iustè, & pacificè obtinetis, vobis, &
per vos eidem Ordini authoritate Apostolica con-
firmamus, ac præsentis scripti patrocinio com-
munimus. Nulli ergo omnino hominum liceat
hanc paginam, &c. Datum Perusij pridie Kalend.
Maij Pontificatus nostri anno 11. Alexander Epi-
scopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Priori 6.
Generali, & vniuersis Prioribus, & Fratribus Ere-
mitarum Ordinis Sancti Augustini salutem, &
Apostolicam benedictionem. Quanto studiosius
diuinæ contemplationi vacatis Domino famulan-
do, tanto quieti vestræ libentiùs prouidemus. Cum
igitur, sicut pro parte vestra fuit propositum coram
Nobis nōnulli vestri grauaminis auidi frequēter su-
per pensionibus, & exactionibus indebitis vos, &
mansiones vestras multipliciter inquietent. Nos
deuotionis vestræ precibus inclinati authoritate
Apostolica vobis tenore præsentium indulgemus,

vt ad receptionem, vel prouisionis alicuius in pensionibus, vel beneficiis Ecclesiasticis, aut ad solutionem collectarum, seu axactionum quarumlibet, vel vicesimæ cogi à nemine valeatis per litteras Apostolicas impetratas, vel etiam impetrandas absque mandato Sedis Apostolicæ speciali faciente plenam, & expressam de verbo ad verbum de vobis, vestro Ordine; & hac indulgentia mentionem. Nulli ergo omnino, &c. Datum Neapoli 13. Kalend. Aprilis Pontificatus nostri anno 1.

7. Martinus Episcopus seruus seruorum Dei Dilectis filiis Generali, & Prouincialibus Prioribus, ac vniuersis Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. Sinceræ deuotionis affectus, quam ad Nos, & ad Romanam geritis Ecclesiam, non indignè meretur, vt petitionibus vestris, illis præsertim per quos iura vestri Ordinis vtilius conseruentur, fauorabiliter annuamus. Sanè pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, vt priuilegium concessum vobis per litteras felicis recordationis Alexandri Papæ IV. prædecessoris nostri, quas in Cancellaria nostra diligenter inspici, quarumque tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, cum iam incipiāt vetustate consumi, innouare de benignitate Apostolica dignaremur. Quarum quidem litterarum tenor est talis. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, & Prouincialibus Prioribus, ac vniuersis Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. Oblata Nobis ex parte vestra petitio continebat, quod Sedes Apostolica nonnullas domos Ordinis vestri, antequam essetis in vnius Religionis corpus de mandato nostro redacti, duersis priuilegiis, & indulgentiis per speciales litteras decorauerit, vt igitur vobis per diuina, & nostram dispositionem, in vna obseruantia vno professionis fœdere coniunctos omnino perficiat, quod diuisim aliquibus domibus vestris ante vnionem huiusmodi fuerit ab eadem sede concessum. Nos vestris precibus inclinati, priuilegia, & indulgentias huiusmodi eisdem domibus singulariter olim indulta, ad omnes, & singulos extendentes, vtendi eis, quoties opus fuerit, liberam vobis omnibus concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Datum Lateran. 12. Kalend. Maij Pontificatus nostri anno 3. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, præfatas litteras authoritate Apostolica innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus: per hoc autem nullum ius de nouo vobis acquiri volumus sed antiquum, si hoc habetis, tantummodo conseruari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum quarto Kalend. Maij Pontificatus nostri anno 6. Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ex clementi prouisione Sedis Apostolicæ, nec non Religiosarum personarum præsertim sub Regulari obseruantia Altissimo famulantium studio piæ vitæ deuotione, & meritis dignoscitur prouenire, vt Romanus Pontifex quandoque prædecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta corroborer, & indulto confirmet. Sanè pro parte dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum Eremitarum S. Augustini Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod felicis recordationis Martino Papæ V. prædecessori nostro exposito, qualiter quondam Bonifacius in sua tunc obedientia Nonus nuncupatus propagatione, & aumento dicti Ordini quasdam suas litteras Apostolicas, nonnullas concessiones, ordinationes, & statuta, immunitates, & gratias continentes super receptione quarumcumque mulierum aliàs ad hoc idonearum, quæ habitum Regularem prædicti Ordinis ad instar mantellatarum, seu pinzocheratum Fratrum Minorum, 8.
& Prædicatorum Ordinum recipere vellent, & gestare indulserat, ac demum eidē prædecessori supplicato, vt præfatas cōcessiones, & indulta de speciali gratia confirmare authoritate Apostolica dignaretur, præfatus prædecessor huiusmodi supplicationibus inclinatus venerabili Fratri nostro Ioāni Episcopo Briocensi tunc in Romana Curia residenti, eius proprio nomine non expresso, per suas certi tenoris litteras mandauit vt super eiusmodi expositis informaret, & si concessa, & indulta prouide facta fuisse reperiret, ea authoritate confirmaret, provt in eisdem prædecessoris litteris, in quibus verbo ad verbum litteræ præfati Bonifacij insertæ sunt, plenius continetur. Idemque Episcopus in litteratum prædecessoris executione procedens post habitam super indulto huiusmodi plenariam informationem, & fidelem, concessiones, & indulta præfata authoritate Apostolica confirmauit, provt instrumento desuper confecto, & ipsius Episcopi sigillo munito, cuius tenorē habere volumus præsentibus pro expresso, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, vt litteras prædictas, & processus desuper confectos, ac contenta in eis (pro eorum subsistentia firmiori) robur Apostolicæ confirmationis adiicere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque qui Religionis, & Ordinis huiusmodi prosperum incrementum, quantum cum Deo possumus, fauorabiliter procuramus, huiusmodi suplicationibus litteras & processus huiusmodi, atq; omnia inde secuta, provt prouidè facta sunt, authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & præsentis scripti patiocinio communimus, tenorem verò litterarum prædecessoris cum insertione præfata præsentibus de verbo ad verbum inseri fecimus, & est talis. Martinus Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili Fratri Guillielmo Episcopo Briocēsi in Romana Curia residenti salutem, & Apostolicam benedictionem. Dum fructus vberes, quos Sacer Ordo dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum S. Augustini in agro Ecclesiæ militantis in propagatione Religionis, & fidei Orthodoxæ hactenus produxit vtiliter, & producit, ac in posterum producturum spe firma speramus, diligenter attendimus, dignum censemus, & congruum, vt circa ea, quæ ipsius Ordinis incrementum concernere poterunt, benignis fauoribus intēdamus. Exhibita siquidem Nobis nuper ex parte dilectorum filiorum Prioris Generalis eiusdem Ordinis, & Fratrum prædictorum petitio continebat, quod dudum quondam Bonifacius in ipsius obedientia Nonus nuncupatus præmissa prouida consideratione recensens quasdam litteras Apostolicas, nonnulla statuta, concessiones, & ordinationes, atque alias immunitates, & gratias continentes eis concessit, provt ipsis litteris, quarum tenorem de verbo ad verbum præsertim inseri fecimus, plenius cōtinetur. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, vt litteras prædictas, & contenta in eis pro ipsorum subsistentia firmiori authoritate Apostolica confirmare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, ac de præmissis

missis certam notitiam non habentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus de litteris, & contentis huiusmodi authoritate nostra te diligenter informes, & si per eandem informationem ea prouide statuta, ordinata, & concessa repereris (super quo tuam conscientiam oneramus) litteras, & contenta huiusmodi authoritate præfata approbes, & confirmes. Tenor autem dictarum litterarum talis est, Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. In sinu Sedis Apostolicæ Sacer Ordo Fratrum Eremitarum Sancti Augustini consistens sic splendet per incrementa virtutum, quod dignè meretur præcipuè attolli fauoribus, & spiritualibus gratiis confoueri, & Nos equidem Ordinem ipsum libenter prosequimur prærogatiua fauoris, & augmenta suorum successuum, præsertim in his, quæ diuini cultus augmentum, & Sacræ Religionis propagationem recipiunt, paternis affectibus promouemus. Hinc est, quod Nos dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum dicti Ordinis precibus annuentes, ac cupientes vt Ordo prædictus eo proficiat felicioribus incrementis, quo maioribus fuerit gratiis à Sede Apostolica communitus, authoritate Apostolica præsentium tenore statuimus, concedimus, volumus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis temporibus tam Generali, quam cuilibet Officiali Priori dicti Ordinis secundum morem, & instituta eiusdem Ordinis in quibuscumque Prouinciis constitutis tam præsentibus, quam futuris sit licitum, ac permissum, quascumque mulieres, si aliàs sint idoneæ, & aliud canonicum non obsistat, quo habitum Regularem prædicti Ordinis ad instar mantellatarum, seu pinzocherarum Ordinum Fratrum Minorum, & Prædicatorum habere voluerint, & gestare tam virgines, ac matronas, quam viduas, immantellatas, seu pinzocheras dicti Ordinis Eremitarum recipere, & admittere, ac earum singulis habitum Regularem, ac Regulam eiusdem Ordinis Eremitarum ad instar huiusmodi mantellatarum, seu pinzocherarum Ordinum Fratrum Minorum, & Prædicatorum præfatorum, provt secundum Deum saluti animarum earundem salubrius visum fuerit expedire, etiam exhibere. Quæ sic recipiendæ
9. authoritate præfata gaudeant, & gaudere possint, & debeant tam exemptionis priuilegio, quam omnibus immunitatibus, libertatibus, indulgẽtiis, ac aliis priuilegiis quibuscumque præfato Ordini Eremitarũ, eiusque Fratribus, ac personis per Sedẽ Apostolicam concessis, & quæ in futurum concedentur, quatenus huiusmodi exẽptionis priuilegiũ, immunitates, libertates, indulgentiæ, ac quæcumque alia priuilegia ipsis Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum competunt, seu competere possunt, seu poterunt, & Priores, & Fratres, ac loca ipsa esse capacia eorundem. Volentes insuper, & authoritate prædicta decernentes, quod exemptionis præfatæ priuilegium, immunitates, libertates, & alia supradicta, etiam ad iam per ipsos, & Fratres eiusdem Eremitarum receptas, & mantellatas, seu pinzocheras huiusmodi plenariè se extendant, ipsæque illis gaudere possint, & debeant, provt de recipiendis mantellatis, & pinzocheratis huiusmodi superiùs est expressum. Constitutionibus Apostolicis, ac Statutis, & consuetudinibus, tam vestris, quam aliorum Ordinum quorumcumque, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Datis Romæ apud Sanctum Petrum septimo Idus Nouembris Pontificus nostri anno nono Datum Romæ apud Sanctos Apostolos quarto Idus Iulij Pontificatus nostri anno nono. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ 1434. decimo tertio Kalend. Augusti Pontificatus nostri anno quarto. Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex Apostolicæ prouisione Sedis, & humilium deuotione personarum prouenire dignoscitur, vt Romanus Pontifex quandoque prædecessorum suorum gesta innouet, & innouationem restauret, ac authoritate Apostolica fulciat innouata. Hinc est quod Nos ad instantiam dilectorum filiorum Generalis, & aliorum Priorum; nec non Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini, quasdam felicis recordationis Innocentij Quarti, Alexandri Quarti, & Bonifacij Octaui, nec non Clementis Sixti Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum litteras in Cancellaria Apostolica inspici, & examinari diligenter, & earum (cum incipiant vetustate consumi) tenores subscriptionibus, & characteribus omissis de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, qui talis est. Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Priori Generali Ordinis Eremitarum, ac aliis Prouincialibus, & Conuentualibus Prioribus, Conuentibusque ac aliis Fratribus vniuersis sibi subiectis, tam præsentibus quam futuris Eremiticam vitam professis in perpetuum salutem, & Apostolicam benedi- 10.
ctionem Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito vocet, aut robur, (quod absit) Sacræ Religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis supplicationibus clementer annuimus, & domos vestras, in quibus Domini mancipati estis obsequio, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis quidem statuimus, vt ordo ca- 11.
nonicus, qui secundum Deum, & Beati Augustini Regulam in domibus ipsis institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiter obseruetur. Prætereaquascumque possessio- 12.
nes, quæcumque bona prædictæ domus in præsentiarum iustè ac canonicè possident, ac in futurũ Pontificum concessione, largitione Regũ, vel Principũ oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstãte Domino poterũt adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc duximus propriis exprimenda vocabulis, loca ipsa, in quibus præfatæ domus sitæ sunt cum pertinentiis suis, videlicet cum Ecclesiis, hortis, pratis, nemoribus, vsuagiis, pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, ac omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sane noualium vestrorum, quæ propriis ma- 13.
nibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, siue de hortis, virgultis, & piscationibus vestris nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos liberos, & absolutos à sęculo fugientes ad cõuersionẽ recipere, & eos absq; cõtradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, vt nulli Fratrũ vestrorũ post factã in domib. vestris professionẽ fas sit sine Prioris sui licẽtia de eisdẽ locis discedere, discedentẽ verò absq; communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis forsan retinere præsũpserit, licitum sit

sit vobis in ipsos Fratres clericos, vel laicos Regularem sententiam promulgare. Insuper authoritate Apostolica prohibemus, vt nullus Episcopus, vel quælibet alia persona ad Synodos, vel Conuentus forenses vos ire, vel in iudicio sæculari de propria substantia, vel de possessionibus vestris subiacere compellat, vel ad domos vestras causa Ordines celebrandi, causa tractandi, vel aliquos Conuentus publicos conuocandi venire præsumat, nec Regularem Prioris vestri electionem impediat, aut de instituendo, vel remouendo eos, qui pro tempore fuerint, contra instituta Ordinis vestri se aliquatenus intromittat. Illud adiicientes, vt scilicet Priores ipsi Episcopo (saluo Ordine suo) obedire debeant, & contra instituta sui Ordinis authoritate Sedis Apostolicæ confirmatam nullam obedientiam facere compellantur.
17. Pro consecrationibus verò altarium seu Ecclesiarum, pro Oleo sancto; quolibet Ecclesiastico Sacramento nullus à vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis Episcopi diœcesani impendant, alioquin liceat vobis, quoscumque malueritis, Episcopos Catholicos adire, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentes, qui nostra freti authoritate vobis, quod postularis,
18. impendat. Quod si sedes diœcesanorum Episcoporum forte vacauerit, interim omnia Ecclesiastica Sacramenta à vicinis Episcopis accipere liberè, & absque contradictione possitis, sic tamen,
19. vt ex hoc in posterum propriis Episcopis nullum præiudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non habetis, si quos Episcopos Romanæ Sedis (vt diximus) gratiam, & communionem habentes, & de quibus plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eis benedictionem vasorum, & vestium, & conse-
20. crationem altarium authoritate Sedis Apostolicæ percipere valeatis. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, dummodo causam non dederitis interdicto, suppressa voce diuina officia celebrare. Chrisma verò, Oleum, consecrationem alta-
21. rium seu basilicarum, ordinationes à diœcesanis suscipiatis Episcopis, siquidem catholicè, & ritè gratiam, & communionem sacro sanctæ Romanæ Sedis habuerint, & vobis voluerint sine prauitate
22. aliqua exhibere. Prohibemus insuper, quod infra fines locorum vestrorum, nullus sine assensu diœcesani Episcopi, & vestro capellam, & Oratorium de nouo construere audeat saluis priuilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc nouas, & indebi-
23. bitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seu Decanis, aliisque hominibus Ecclesiasticis, vel sæcularibus, personis à vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam, quoque
24. in Ecclesiis vestris liberam decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illis sepeliri desiderauerint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publicè vsurarij, nullus obsistat, salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.
25. Præterea hortos, & syluas ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, reuocandi, libera sit vobis de nostra authoritate facultas. Obeunte verò generali vestro Priore, vel suorum quolibet successorum nullus ibidem qualibet subreptionis astutia, seu violentia proponatur, nisi, quem Fratres communi consensu, vel eorum maior pars consilij senioris secundum Deum, & Beati Augustini Regulam prouiderint eligendum. Pa- 26.
cique, & tranquillitati vestræ paterna in posterum solicitudine prouidere volentes, authoritate Apostolica prohibemus, vt intra clausuras locorum nullus rapinam, vel furtum facere, ignem appo- 27.
nere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, vel violentiam audiat exercere Præterea omnes libertates, immunitatesque nostris Romanis Pontificibus locis vestris concessas, 28.
nec non libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, Principibus, & aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo, 29.
quod nulli omnino hominum liceat præfatas domos temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integrè conseruentur, eorum pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ authoritate, & diœcesanorum Episcoporum canonica iustitia. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica, vel sæcularis persona hác nostræ concessionis paginam scienter 30.
contra eam temerè contraire tentauerit, secundò, tertióve comonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reumque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Domini Redéptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in districto examine districtæ subiaceat vltioni. Cunctis autem eisdem domibus sua iura seruantibus sit pax Domini Iesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicium præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Datis Anagniæ per manum Guilielmi magistri scholarum Parmen. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarij 7. Idus Septembris indictione 12. Incarnationis Dominæ anno 1254. Pontificatus verò Innocentij Papæ IV. anno 12. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, & Prouincialibus Prioribus, ac vniuersis Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem Vt eo fortius diuinis insistatis obsequiis, quo à Nobis potiorem gratiam vos noueritis assecutos, deuotionis vestræ precibus inclinati authoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis de virgultis, vel hortis vestris, aut vestrorum animalium nutrimentis, nec non de terris, vineis, & possessionibus nuper quibusdam domibus vestris de mandato Apostolico reseruatis, quas propriis manibus, vel sumptibus colitis, decimas à vobis exigere, aut extorquere præsumat. Nulli ergo omnino, &c. Datum Laterani pridie Idus Aprilis Pontificatus nostri anno secundo. Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Priori Generali, & vniuersis Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum D. Augustini, tam præsentibus quam futuris Religiosam vitam professis salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacer Ordo vester in agro Dominico diuina dispositione plantatus Apostolicis gratiis dignè meretur attolli, cuius professores mundanis à se relegatis illecebris cœlestium contemplationi vacantes insistunt iugiter profectibus animarum. Nos autem ad dictum Ordinem, quem 31.
in

in ſtatu firmo, ſolido, & ſtabili decernimus, & volumus permanere, Apoſtolicæ confirmationis intuitu dirigentes ad ea libenter intendimus, per quæ profeſſores iam dicti nullum interuæ pacis patiantur excidium, nullumque Religionis ſtatus perferant detrimentum, ſed eo deuotius diuino cultui, ac ſalutis inſiſtant operibus, quo quietior ſtatus fuerit eorundem, ipſique ampliori fuerint libertate donati. Ea propter, dilecti in Domino filij, deuotionis veſtræ precibus fauorabiliter annuentes vos, & prædictum Ordinem, perſonas, & Eccleſias, Oratoria, domos, & res alias, & loca veſtra, ac ſpectantia ad eadem, in quibus inhabitatis ad præſens, vel inhabitabitis in futurum, cum omnibus iuribus, & pertinentiis ſuis, ac perſonis degentibus in eiſdem, in ius, & proprietatem B. Petri, & Apoſtolicæ Sedis aſſumimus, illaque à cuiuſcunque diœceſani alterius poteſtate, iuriſdictione, & dominio omnino in perpetuum, prorſus eximimus de gratia ſpeciali. Decernentes ex nunc vos, & Ordinem veſtrum, ac perſonas, Eccleſias, & Oratoria, domos, & loca præfata, ac pertinentia ad eadem ſoli Romano Pontifici, & dictæ ſedi, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, abſque vllo medio ſubiacere. Ita quod nec locorum Ordinarij, nec aliqua quæuis perſona Eccleſiaſtica in vos, & Ordinem, perſonas, Eccleſias, & Oratoria, domos, & loca prædicta, vtpote prorſus exempta, poſſint excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti promulgare ſententias, vel aliàs poteſtatem, ſeu iuriſdictionem aliquam exercere. Quod ſi forſan quidquam in contrarium à quoque fuerit attentatum, illud omnino ſit irritum, & inane. Nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Laterani 12. Kalend. Februarij Pontificatus noſtri anno 4. Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis Generali, ac aliis Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem, Ad fructus vberes, quos ſacer Ordo veſter in agro militantis Eccleſiæ, cœleſtis agricolæ diſpoſitione plantatus indeſinenter producit, conſiderationis aciem conuertentes, & conſiderantes attentè, quod vos voluntariam eligentes pro Chriſti nomine paupertatem, ſub arctæ Religionis iugo deuotum Deo inceſſanter obſequium exhibetis, dignum duximus, vt vos, & Ordinem veſtrum ſpecialibus Sedis Apoſtolicæ libertate, ac priuilegio muniamus. Sanè petitio veſtra Nobis exhibita continebat, quod licet felic. record. Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter tunc in humanis agens, vos & Ordinem veſtrum, ac perſonas, Eccleſias, Oratoria, domos, res alias, & loca veſtra, ac ſpectantia ad eadem, in quibus inhabitabatis tunc, vel inhabitaretis in poſterum, cum omnibus iuribus, & pertinentiis ſuis, ac perſonas degentes in eiſdem in ius, & proprietatem Beati Petri Apoſtolorum Principis, ac Sedis Apoſtolicæ aſſumpſiſſet, illaque à cuiuſque diœceſani, & cuiuſcunque alterius poteſtate, iuriſdictione, & dominio in perpetuum exemiſſet, omnino decernens ex tunc vos, & Ordinem ipſum, ac perſonas, Eccleſias, Oratoria, domos, & loca præfata, necnon pertinentia ad eadem ſoli Romano Pontifici, & eidem Sedi in ſpiritualibus, & temporalibus abſque vllo medio ſubiacere: ita quod nec locorum Ordinarij; nec vlla quæuis perſona Eccleſiaſtica in vos, & Ordinem, perſonas, & Eccleſias, Oratoria, domos, & loca prædicta, vtpote prorſus exempta, poſſent excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti promulgare ſententias, vel aliàs poteſtatem, vel iuriſdictionem aliquam exercere, ac omnino irritum, & inane, ſi quid foret in contrarium attentatum. Tamen, quia indulto exemptionis huiuſmodi non cauetur, quòd vos ratione delicti, ſeu contractus, aut rei de qua ageretur, conueniri minime valeatis, vos timentes ſuper hoc forſitan in poſterum moleſtari, Nobis humiliter ſupplicaſtis, vt prouidere vobis ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, qui 32.
vos, & Ordinem ipſum ſpeciali proſequimur in Domino charitate, cupientes attentè, vt eo ſit quietior ſtatus veſter, quo ampliori dictæ Sedis donati fueritis libertate, ſupplicationibus veſtris in perpetuum authoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, vt huiuſmodi eiuſdem indulto, in ſuo robore permanente coram quibuſuis diœceſanis, & locorum Ordinariis, ac aliis Iudicibus quibuſcunque ratione delicti, contractus, aut rei de qua agitur, conueniri, vel impeti nullatenus valeatis, felicis recordationis Innocentij Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Decernentes nunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper hoc à quoque quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino, &c. Datum Auinioni decimo quarto Kalend. Auguſti Pontificatus noſtri anno ſexto. Nos igitur ipſorum Priorum, & Fratrum in hac parte ſupplicationibus inclinati, litteras ac tenores huiuſmodi authoritate prædicta innouamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, per hoc autem nullum ius de nouo volumus acquiri, ſed antiquum, ſi quod eſt, tantummodo conſeruari. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datis Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, tertio Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno nono. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati prædictas litteras, quas in Cancellaria noſtra diligenter inſpici fecimus, ex certa ſcientia authoritate Apoſtolica ratificamus, approbamus, confirmamus, & innouamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſitan interuenerint in eiſdem. Nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1450. 33.
Pridie Kalend. Maij, Pontificatus noſtri anno quarto. Nos igitur attendentes, quod dictus Ordo multa refulget gloria meritorum, & gratia redolet ſanctitatis, ac propterea illius ſtatum proſperum, & tranquillum intenſis zelantes affectibus, Innocentij, Bonifacij, Alexandri, Vrbani, Clementis, Eugenij, & Nicolai prædictorum, aliorumque diuerſorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, qui Ordinem prædictum variis priuilegiis non immerito decorarunt, inhærentes veſtigiis motu proprio, non ad eorundem dicti Ordinis Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, vel alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera voluntate, & deliberatione, ac ex certa noſtra ſcientia prædictas Innocentij Bonifacij, Alexandri, Clementis, necnon Martini, Eugenij, Nicolai, & aliorum Romanorum Pontificum, prædeceſſorum noſtrorum litteras etiam indulgentiarum, & aliarum gratiarum quarumlibet ſpiritualium, & temporalium, dicto Ordini, & illius domibus, aut Fratribus in genere, & in ſpecie quomodolibet conceſſas, quas etſi de verbo ad verbum vna cum præfatis litteris Nicolai prædeceſſoris præfati inſertæ forent præſenti-

bus habere volumus pro expressis, ac omnia, & singula in eis contenta authoritate Apostolica tenore præsentium innouamus, approbamus, ac robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, proque potiori cautela, omnia, & singula per Innocentium, Bonifacium, Vrbanum, Alexandrum, Clementem, Martinum, Eugenium, Nicolaum, aliosque prædecessores nostros, & Nonum nuncupatum Bonifacium prædictos in eisdem litteris pro, & in fauore dicti Ordinis, & illius domorum, & personarum, etiam oblatarum, commissarum, & mantellatarum, atque aliarum quarumlibet Ecclesias domorum huiusmodi visitantium, & illis pias eleemosynas erogantium quomodolibet ordinata, statuta, & decreta, concessa, & indulta, vim, vigorem, & efficaciam habere, atque fieri, & obseruari debere motu scientia, & authoritate prædictis de nouo ordinamus, statuimus atque decernimus, dictoque Ordini, & illius domibus, & professoribus concedimus, & indulgemus. Et quia, sicut accepimus (Nosque ipsi in
34. minoribus constituti experientia dicicimus) circa litteras, & priuilegia huiusmodi nonnulla dubia postmodum sunt exorta, habita super illis consideratione decenti motu, scientia, & authoritate similibus prædictas, & in præfati Eugenij litteris insertas, alias Alexandri, per quas dicti Ordinis professoribus conceditur, quod ad solutionem collectarum, siue exactionum quarumlibet, vel vicesimæ cogi à nemine valeant, & in præfatis Eugegenij præfati, & insertis Innocentij prædecessorum prædictorum litteras prædictas, in ea parte, in qua idem Innocentius prædecessor concedit dictis Fratribus, vt de noualibus eorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colunt, ac de hortis, virgultis, & piscationibus eorum nullus ab eis decimas exigere præsumat, ad quæcunque bona dictorum Fratrum, & quæcunque onera, quæ etiam sub cuiusuis alterius quotæ, vel subsidij etiam charitatiui, aut datij, pedatij, aut gabellæ, seu alio quouis nomine indicerentur, & per Apostolicæ Sedis Legatos, locorum Ordinarios, vel Clerum, aut populum, vel sæculares Principes, & dominos temporales, aut alios quoscunque exigerentur, quamuis etiam Apostolica authoritate, necnon ad quascunque decimas etiam quas vulgus Papales appellat: & Apostolica Sedes pro fidei Christianæ defensione, aut aliis imminentibus ei persæpæ necessitatibus indici, extendimus. Et decernimus dicti Ordinis professores etiamsi decimæ, & onera huiusmodi per quoscunque exemptos, etiam Mendicantium Ordinum professores solui mandarentur, cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, & efficacioribus clausulis ad decimarum, & onerum huiusmodi solutionem non teneri, & in illorum solutione cessando censuras, & pœnas aliquas non incurrere, nisi præsentibus non per generales, aut alias clausulas specialem mentionem importantes, sed aliàs sit derogatum specificè earum de verbo ad verbum,
35. inserto tenore. Et vt virgines, viduæ, & coniugatæ personæ, matellatæ, seu Pinzocheræ dicti Ordinis nuncupatæ prædictæ tanto feruentius iuxta earum viuendi ritum, & morem sub cura, & secundum statuta dicti Ordinis, ac ordinata per præfatum Bonifacium Nonum nuncupatum in dictis suis litteris, vt præfertur, authoritate Martini, & Eugenij prædecessorum prædictorum confirmata diuinis studeant vacare beneplaciti quanto maioribus priuilegiis & fauoribus præfatæ Sedis propterea se cognouerint fore refectas, motu, scientia, & authoritate præfatis volumus, & eisdem personis concedimus, quod omnibus, & singulis priuilegiis, immunitatibus, & fauoribus, gratiis, & indultis spiritualibus, & temporalibus Ordini, & Fratribus prædictis concessis, & concedendis, & quibus illi in genere quomodolibet potiuntur, & gaudent tam in vita, quàm in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissionem, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationem, vti, potiri, &
gaudere, ac participes esse possint, & debeant, liceatque Fratribus prædictis eisdem Pinzocheris, 36.
& mantellatis personis in illarum etiam domibus, quoties opus fuerit, Eucharistiæ, & Extremæ-Vnctionis Sacramenta ministrare, & dum eas decedere contigerit, illarum cadauera ad eorundem Fratrum Ecclesias cumulanda deferre etiam Parochialium Ecclesiarum personarum earundem Rectorum licentia desuper minime requisita, & contradictione qualibet non obstante. Et ne oblati eiusdem Ordinis, quorum Bonifacius VIII. prædecessor præfatus in dictis suis litteris merito considerationem habuisse videretur eorum puræ deuotionis ad Ordinem ipsum frustrentur effectu: omnia, & singula circa Fratres, & Sorores de Pœnitentia, ac mantellatas, & Pinzocheras nuncupatas personas prædictas in prædictis, & præsentibus litteris statuta, concessa, & ordinata, aut illis, & Fratribus prædictis in earum commodum, & fauorem indulta ad easdem dicto Ordini nunc, & pro tempore oblatas, & commissas vtriusque sexus personas, eisdem scientia, motu, & authoritate extendimus, & ampliamus, ac in eis locum habere debere perinde, ac si pro eisdem oblatis, & personis, & circa illas emanassent, decernimus,
volumus, & ordinamus. Et quia ex concessione 37.
dicti Innocentij prædecessoris, quod liceat eis, cùm interdictum generale terræ fuerit, dummodo non causam dederint interdicto, clausis ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, submissa voce Missas, & alia diuina officia celebrare, eorundem Fratrum deuotioni non plenè consulitur: concessionem eandem extendendo eisdem Fratribus, vt liceat eis habere altare portatile cum debita reuerentia, & honore, super quo ad hoc in locis conuenientibus, & honestis, præterquam in Ecclesiis ab Ordinarij obedientia non exemptis, quoties id eis contigerit interdici, possint Missas, & alia diuina officia in quoruncunque præsentia celebrare, & interdicti tempore ad diuina huiusmodi cum eis mantellatas, & Pinzocheras, ac oblatas, commissasque personas, & ipsorum Fratrum, & Monasteriorum Monialium Ordinis prædicti Procuratores, Syndicos, & negotia gerentes vtriusque sexus admittere præfatis scientia, motu, & au-
thoritate indulgemus. Præterea cum persæpe re- 38.
uocetur in dubium, quatenus intelligatur pars illa dictarum litterarum Bonifacij VIII. & Innocentij prædecessorum, in qua sepulturam in Ecclesiis Fratrum dicti Ordinis liberam esse voluerint. *Salua iustitia Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora sumuntur*, vt litibus, quæ exinde oriuntur, obuiemus, motu, scientia, & authoritate prædictis declaramus libertatem huiusmodi intelligi debere etiam quoad hoc, vt Fratres ipsi nullius super hoc petita licentia, Parochias, in quibus corpora prædicta forent, cum cruce processionaliter ingredi, ac corpora ipsa leuare, & ad eorum Ecclesias sepelienda deferre possint, vbi hoc consuetum fores, vel Presbyteri de leuatione requisiti id facere re-

cusa

recusarent. Nec cogantur inuiti etiam prætextu cuiusuis consuetudinis ipsi, vel defunctorum consanguinei illa ad Parochiales Ecclesias, vel ad alia loca deferre, & cum illis, vel sine inibi celebrare, vel celebrari facere pro eisdem defunctis aliqua diuina officia ante vel post sepulturam eorundem, Iustitiam autem Ecclesiarum, à quibus corpora ipsa sumuntur, iuxta eorundem Bonifacij VIII. & Innocentij prædecessorum voluntatem saluam esse debere decernimus eo casu, quo dumtaxat apud
39. loca ipsorum Fratrum corpora ipsa sepelientur. Si verò non apud eos, sed etiam mendicantium Ordinum professores corpora ipsa contigerit sepeliri, ex his, quæ ad Fratres prædictos, apud quos tunc corpora ipsa non sepelirentur, ex bonis defunctorum quomodolibet obuenirent, quouis particulari, vel vniuersali titulo, directè vel per obliquum nullam canonicam, aut parochialem portionem dare teneantur, nec similiter aliqua portio debeatur de his, quæ ad certos determinatos vsus eisdem Fratribus, vel eorum domibus in genere, aut specie etiam de bonis eorum, quorum cadauera apud eos contingeret sepeliri, nec etiam in casibus, in quibus per eorundem Bonifacij VIII. & Innocentij, & aliorum prædecessorum nostrorum specialia priuilegia Fratres ipsi ab huiusmodi solutione
40. quartæ sunt exempti. Nec aliquo casu de candelis, quæ dantur ad manus Fratribus, quarta aliqua quomodolibet detrahatur, in reliquis verò casibus, quam in præmissis, quibus quarta ipsa soluenda veniret, conuentiones si quæ sunt inter Fratres prædictos, & locorum Ordinarios, ac Ecclesiarum Rectores initæ laudabiles, & honestæ, in poste-
41. rum obseruentur. Et si forte per Nos, vel Sedem Apostolicam de piè legatis, dispositis, & relictis in genere, vel in specie decima, vel alia portio, seu quarta alteri piæ, vel non piæ causæ ex quauis causa hactenus concessa foret, vel in posterum concedi, & solui, aut dari, vel mandari contingeret, Fratres prædictos, & illorum domos, ac eis legata relicta, aut alias in illorum fauorem disposita in concessione, & mandatis huiusmodi decernimus, & volumus non includi, nisi de ipsis Fratribus, & præsenti decreto, & voluntate nostra non per generales clausulas, quæ etiam specialem mentionem importare viderentur, sed vera, & pacifica
42. mentio fiat. Exemptionem quoque Ordinis domorum Fratrum, & bonorum prædictorum per Innocentij & Bonifacij prædecessorum eorundem litteras prædictas concessam, & illius approbationem, & extensionem in Clementis præfatis litteris prædictis contentam, vtpote notorias allegatione, & approbatione non indigere, ac quaslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscunque processus, quasuis pœnas, & sententias generales, vel speciales continentes, quos, & quas promulgari; vel haberi, & omnia, quæ contra Fratres, domos, & loca, atque personas oblatas, & mantellatas dicti Ordinis, & in illius exemptione huiusmodi quomolibet comprehensas, etiam ratione cuiuscunque contractus, vel delicti, vel rei de qua ageretur, vbicunque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat, fieri, vel haberi contigerit, etiam exemptione huiusmodi aliter non allegata, vtpote notoria nullius roboris vel momenti, & pro infectis haberi debere, pari motu, scientia, & authori-
43. tate decernimus. Litteras verò felicis recordationis Benedicti Papæ XI. etiam prædecessoris nostri, per quas dicti Ordinis Generali Priori facultatem concessit, vt illius professores ab excessibus, & delictis per eos commissis, nisi talia forent, propter quæ merito essent ad Sedem Apostolicam destinandi, ac etiam à censuris, & pœnis, quas illorum occasione incurrissent, absoluere, & super irregularitate per eos contracta dispensare, & Prioribus Prouincialibus dicti Ordinis facultatem huiusmodi communicare valeret, cum persæpe reuocetur in dubium, quæ sunt illa, propter quæ Fratres ipsi sunt ad Sedem Apostolicam destinandi, vt absoluentium, & absoluendorum, & dispensantium, & dispensandorum pro tempore puritati conscientiæ consulamus, hæreticos relapsos, schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent duntaxat ad Sedem Apostolicam merito destinandos, reliquis verò omnibus etiam simoniæ prauitate qualitercunque irretitis posse per illos, quibus inibi conceditur, absolutionis beneficium, & gratiam iuxta casuum exigentiam impartiri. Et nihilominus vt dicti Or- 44.
dinis professoribus omnis vagandi tollatur occasio, & ad Sedem Apostolicam recurrendi subtrahatur pro posse necessitas, Generali, & Prouincialibus dicti Ordinis pro tempore existentibus, & illorum Vicariis, dispensandi cum dicti Ordinis Eremitarum diui Augustini professoribus defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientem patientibus, necnon cum his, qui ex quauis causa præter quam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum irregulares forent, postquam Ordinem ipsum professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstantibus, irregulares ipsi ad quoscunque etiam sacros Ordines promoueri, & in illis etiam in altaris ministerio ministrare, & tam ipsi irregulares, quam defectum natalium patientes prædicti ad quæcunque administrationes, & officia dicti Ordinis, eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere liberè, & licitè valeant motu, scientia, & authoritate prædictis concedimus per præsentes. Et quo- 45.
niam Parochialium Ecclesiarum Rectores præfati erga illos, qui dictis Fratribus Eremitarum sancti Augustini eorum peccata confitentur, persæpe se reddunt in exhibitione Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis difficiles, concedimus ipsis Fratribus Eremitanis, vt eisdem personis eis confessis, quibus Rectores præfati sine rationabili causa denegauerint, seu malitiosè distulerint Eucharistiæ, seu Extremæ Vnctionis Sacramenta ministrare, super quo eorundem confessorum assertione stare debeat, illa petentibus possit impunè exhibere. Et 46.
cum aliquando contingat Monasteria Monialium dicti Ordinis Monialibus destitui, adeout de eorum reformatione spes nulla supersit, conuenientiusque sit, quod illorum sic destructorum bona ad illos Fratres deueniant, quorum erant curæ commissa, quàm ad alios: illa quæ sic destitura existunt, & destitui contigerit in futurum cum eorum bonis omnibus perpetuis vsibus Fratrum domus dicti Ordinis eisdem destitutis Monasterij propinquorum applicamus: ita vt Fratres illi possint de illis, & de eorum Monasteriorum structuris, & ædificiis pro eorum voluntate disponere, prouiso quod illorum Ecclesiæ, & Oratoria ad profanos vsus non redigantur, sed in illis diuina celebren-
tur officia. Insuper cum nonnulli ad Ordinem prædictum Eremitarum diui Augustini specialem gerentes deuotionis affectum, ordinent eorum cadauera cum habitu Fratrum Eremitarum dicti Ordi- 47.
nis,

nis, aut Sororum, seu mantellatarum prædictarum sepeliri, ne ex illorum corporum delatione ad alia loca Ordini, & Fratribus prædictis iniuria irrogetur, decernimus tales apud ipsos esse sepeliendos, etiamsi alibi suam elegissent sepulturam, nec posse etiam in loco per eos electo cum habitu prædicto quomodolibet sepeliri, aut ad sepeliendum portari absque Fratrum domus, loci, in quo tales decesserint, expressa licentia, & assensu. Ceterum ne si
48. ratione Parochialium Ecclesiarum, apud quas domus Fratrum constructæ fuere, aut construentur in posterum, locorum Ordinarij in eosdem Fratres aliquam superioritatem vendicare tentarent, Fratrum eorundem quies in aliquo perturbaretur, concedimus ipsis Fratribus, vt sic concessis, & quas eis concedi contigerit curatis Ecclesiis possint per Capellanum per eos pro eorum nutu ponendum & amouendum, curam huiusmodi exercere, qui quandiu Capellanatus huiusmodi fungetur officio, ac si dicti Ordinis Eremitarum existeret professor, dictorum Fratrum Eremitarum libertate & exemptione fruatur: Ecclesiæ verò prædictæ, & illarum bona, illa, qua domus Fratrum dicti Or-
49. dinis prærogatiua lætetur. Illi præterea particulæ litterarum prædictarum Innocentij prædecessoris præfati, in qua Patribus prædictis eligendi Generalem Priorem dicti Ordinis facultatem concedit, adiicimus motu, scientia, & authoritate prædictis, quod idem Generalis Prior sic electus, postquam electionis sibi præsentato decreto consenserit, intelligatur authoritate Apostolica confirmatus eo ipso, & liberè administret, & exerceat, quæ ad suum Prioratus pertinent officium, reiecta quauis professorum dicti Ordinis, & aliorum sibi ratione dicti officij subditorum appellatione, quæ ab eius præceptis, monitionibus, ordinationibus, mandatis, & decretis Regulari disciplina eorundem quo-
50. modolibet interponi continget. Rursus quia intelleximus, quod etsi bonæ memoriæ Ioannes Papa XXII. prædecessor noster illorum opinionem, qui asserebant, quod confessi Fratribus prædictis, & aliorum Ordinum Mendicantium ad audiendas confessiones iuxta iuris dispositionem deputatorum pro tempore tenebantur eadem peccata Rectori eorum Parochialis Ecclesiæ iterum confiteri, reprobauerit, & deinde præfatus Eugenius reprobationem huiusmodi approbando contra talia asserentes tanquam de hæresi suspectos per locorum Ordinarios, inquiri, & procedi mandauerit, ac successiuè Nicolaus prædecessor prædictus gesta in præmissis ab eisdem Ioanne, & Eugenio prædecessoribus robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreuerit, nihilominus adhuc nonnulli eorum inhærentes potentiæ, opinionem prædictam, & desuper factos, damnatos, & male sonantes, ac reprobatos articulos veros esse affirmare non verentur, vt talium præsumptuosa temeritas tantò minus inualescat, quanto plurium erit Superiorum correctio subiecta, concessam contra tales per eiusdem Eugenij prædecessoris litteras locorum Ordinariis facultatem ad Inquisitores hæreticæ prauitatis extendimus, ac volumus, quod Inquisitores ipsi, quicunque fuerint, eadem qua Ordinarij contra tales authoritate fungantur.
51. Quod si per quoscunque processus, lites, & controuersias quomodolibet inter ipsos Fratres prænominatos, & Ecclesiarum Rectores, ac Ordinarios emergentes Ordinarij ipsi, seu quicunque alij inhibitionem eleemosynarum per Christi fideles Fratribus ipsis faciendarum quocunque modo fuerint, prolapsi: volumus, & præsenti patrocinio decernimus omnes, & singuli tales inhibentes ipso facto excommunicationis incurrant sententiam, & contra tales ipsi Inquisitores hæreticæ prauitatis ad prædictorum Fratrum requisitionem possint, & debeant sicut contra hæreticos, procedere. Postremo cum prædictorum, sicut & Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordinum professores
pro fidei Catholicæ dilatatione continuè indefessè laborent, fructusque afferant in Dei Ecclesia salutares, ac propterea fuerint variis per Sedem Apostolicam prædictam priuilegiis decorati, aut quos par labor, pariaque merita coniungant priuilegia, & fauores; eisdem Fratrum Eremitarum professoribus, vt concessis eisdem Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus priuilegiis, indulgentiis, & gratiis, & fauoribus, ac indultis, tam spiritualibus, quàm temporalibus à prædictis, & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, aut aliis authoritatem habentibus, quæ omnia, ac si nominatim exprimerentur, haberi volumus pro expressis, & nostræ approbationis munimine solidamus, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere, potiri, & gaudere possint, & debeant perpetuis futuris temporibus in omnibus, & per omnia prorsus, & vlla differentia, perinde ac si, quæ eisdem Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordinibus prædictis sunt concessa, præfato Ordini Fratrum Eremitarum diui Augustini nominatim fuissent concessa, aut concederentur in futurum, & quæ de Magistro Prædicatorum, & Ministro Generali Minorum, ac de Prouincialibus Prioribus Prædicatorum, & Ministris Minorum Fratrum, necnon Monasteriis Monialium sub eorundem Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratrum cura, & secundum ipsorum Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordinum instituta viuentium sunt statuta in Generali, & Prouincialibus Prioribus, & Vicariis dicti Ordinis sancti Augustini sub eorum cura, & secundum ipsius Ordinis Eremitarum instituta viuentium vice versa statuta sunt, &
esse censeantur. Districtius inhibentes eisdem locorum Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & aliis quibuscunque sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem Parochialium Ecclesiarum, ac omnium beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis eo ipso per eos, qui contra fecerint, incurrendis, ne Ordinis prædicti Fratrum Eremitarum domos, & professores præter, aut contra prædictarum Innocentij, Bonifacij, Alexandri, Martini, Eugenij, & Nicolai, & benedicti prædictorum, & aliorum quoruncunque prædecessorum nostrorum, & præsentium litterarum tenorem inquietare, seu molestare, & eos, aut testamentorum, vltimarumque voluntatum executores, & hæredes prædictos, seu quoscunque alios directè, vel indirectè ad solutionem alicuius quartæ Parochialis, seu Canonicæ, vel alterius portionis, seu oneris, & ad faciendum celebrari aliquod officium in eorum Ecclesiis, vel alibi dum apud ipsos Fratres decedentium cadauera tumulantur, ante vel post eorum sepulturam cogere; nec confessis dictis Fratribus Eremitarum pro tempore, Eucharistiæ, seu Extremæ-Vnctionis Sacramenta sine rationabili causa, denegare, vel illorum exhibitionem malitiosè differre, aut eorum Parochianis, ne dictis Fratribus confi

confiteantur, prohibere vel perſuadere, neque etiam ad præmiſſa, ſeu aliquod præmiſſorum auxilium, conſilium, vel fauorem dare directè, vel indirectè quoquomodo præſumant. Et nihilominus
54. cuilibet in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Eccleſiæ Canonico, qui deſuper prædicti Ordinis Eremitarum Priores, & Fratres, ac illorum, ſed commodum eorum Romanæ Eccleſiæ Syndicos deſuper requiſitus fuerit, per Apoſtolica ſcripta in ſolidum mandamus, quatenus per ſe vel alium, ſeu alios, præmiſſa, vbi, & quando opus fuerit, ſolemniter publicantes, ac eiſdem Fratrum Eremitarum Ordinis illiuſque domibus, & profeſſoribus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant eos pacifica poſſeſſione, vel quaſi priuilegiorum, & conceſſionum huiuſmodi gaudere, non permittentes eos, ſeu teſtamentorum executores, & hæredes prædictos, aut quoſcunque alios contra illorum tenorem per Ordinarios, aut Rectores prædictos, aut quoſcunque alios indebitè moleſtari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, ſeu quomodolibet irrogari, ac etiam ſummariè, & de plano ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſola facti veritate inſpecta contra quoſcunque cuiuſcunque qualitatis, vel conditionis exiſtant, & quacunque etiam Eccleſiaſtica Patriarchali, Archiepiſcopali, & Epiſcopali, & mundana forent dignitate, & exemptione muniti, in quibuſcunque cauſis per eos mouendis, quacunque ratione, vel cauſa, quæ excogitari poſſit, eis miniſtrent iuſtitiæ complementum, exequentes, quod per eos fuerit ordinatum, & illos, quos cenſuras, & pœnas prædictas incurriſſe conſtiterit, illis irretitos eſſe declarent, & faciant, & mandent interdictos, ſuſpenſos, & excommunicatos publicè denunciati, & ab omnibus arctius euitari, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, illos, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauare procurent, contradictores authoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus
55. præfati Bonifacij Octaui Conſtitutionibus, quibus cauetur, ne quis extra ſuam ciuitatem, & diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam dietam à fine ſuæ diœceſis ad iudicium euocetur, ſeu ne iudices à Sede Apoſtolica deputati extra ciuitatem, & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alij, vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Conc. Generali, necnon quæ incipiunt *Super cathedram*, præfati Bonifacij, & *Dudum* Viennenſis Concilij, ac recolendæ memoriæ Caliſti Papæ III. etiam prædeceſſoris noſtri litteris, aliiſque Apoſtolicis, ac etiam in Prouincialibus, & Synodalibus Conc. editis ſpecialibus, vel generalibus, necnon Othonis, & Othoboni olim in Regno Angliæ Apoſtolicæ Sedis Legatorum Conſtitutionibus Eccleſiarum, vel locorum quorumlibet ſtatutis, & conſuetudibus, & inter quoſcunque dicti Ordinis Fratrum Eremitarum profeſſores, ac locorum Ordinarios, ſeu Rectores prædictos initis, & concluſis, ac hactenus obſeruatis pactis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis etiam alia firmitate roboratis necnon omnibus illis, quæ Innocentius, Bonifacius, Alexander, Clemens, Martinus, Eugenius, & Nicolaus, & alij noſtri prædeceſſores præfati in prædictis eorum litteris voluerunt non obſtare contrariis quibuſcunque, quibus omnibus illa, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, & derogatoriarum derogatorias clauſulas in ſe continerent præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad præmiſſa ſpecialiter, & expreſsè derogamus, aut ſi Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Rectoribus præfatis, ſeu quibuſuis aliis communiter, vel diuiſim à Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel vltra ad certa loca ad iudicium euocari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali cuiuſcunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus earum, & conceſſa in eis iurisdictionis executio impediri poſſit quomodolibet, vel differri, & de qua cuiuſque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, nos enim ex nunc illa, & quæcunque alia, quæ in futurum per Nos, vel Sedem Apoſtolicam quomodolibet concedi, ſtatui, & ordinari contigerit contra Innocentij, Bonifacij, Alexandri, Clementis, Martini, Eugenij, & Nicolai, ac aliorum prædeceſſorum prædictorum, & præſentium litterarum huiuſmodi tenorem, necnon ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irrita, & inania, nulliuſque roboris, vel momenti eſſe decernimus. Et quia difficile 56.
foret præſentes litteras ad ſingulas Prouincias originaliter deſtinare, volumus, & dicta authoritate decernimus, quod tranſumptis earum manu notarij publici, & Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, vel Protectoris, qui eſt, & qui pro tempore erit, aut alicuius Epiſcopalis, vel Archiepiſcopalis ſigillo, ſeu dicti Ordinis Prioris Generalis munitis, ea prorſus in iudicio, & extra, vbicunque exhibita, vel oſtenſa fuerint, fides adhibeatur indubia, ac ſi ipſæ litteræ originales forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, innouationis, Conſtitutionis, ordinationis, applicationis, Statuti, conceſſionis, indulti, extenſionis voluntatis, ampliationis, declarationis, confirmationis, ſuppletionis, mandati, derogationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1474. ſeptimo Idus Februarij Pontificatus noſtri anno quarto.

COMMENTARIVS IN MARE MAGNVM Eremitarum S. Auguſtini.

SVMMARIVM.

Hoc Mare magnum vbi extat. num. 1.

De antiquitate, inſtitutione, laudibus, & excellentia Ordinis Eremitarum S. Auguſtini. n. 2.

Alia pertinentia ad nomen Mare magnum *remiſſiue. num. 3.*

Facultas ad deſignandum Confeſſores, & Concionatores. num. 4.

An, & quomodo ſit reuocata per Concilium Tridentinum. ibid.

An

An Clementina Dudum de Sepult. *quoad Religiosos Confessarios sit reuocata per Concilium Tridentinum.ibid.*
Quæ sit forma designata pro Confessariis Regularibus in d.Clementina Dudum.*ibid.*
De præsentatione, & approbatione Confessariorum. num.5.
Audire possunt confessiones infirmorum in ipsorum domibus.ibid.
Quomodo id faciendum ex decreto sacræ Congregationis,ibid.
An ad præsentationem requiratur attestatio sub iuramento ibid.
An audiant sine approbatione confessiones familiarium,Tertiariorum,Oblatorum,&c.num.6.
De facultate designandi Concionatores.n.7.
De libertate sepulturæ.
Ab ea omnibus concedenda.ibid.
In Ecclesiis Fratrum nullus sepeliendus ipsis inuitis. num.9.
Exequiæ à quibus faciendæ.ibid.
Extrauagans Super Cathedram *extenditur ad hos Religiosos.n.10.*
Alia remissiuè.n.11.
Libertates, & exemptiones huic Ordini concessæ à Principibus sæcularibus confirmantur.n.12.
An possit illis priuari ab eisdem Principibus.ibid.
Exemptio circa receptionem, vel prouisionem in pensionibus,beneficiis,&c.n.13.
Pensiones an possint poni à Prælatis religionis. n. 14.
Rotæ decisio circa hoc refertur.n.15.
Quid in alia decisione Rotæ habeatur.n.16.
Communicatio priuilegiorum quorundam Monasteriorum ad alia.n.17.
An priuilegia concessa vni Monasterio aliis communicentur.n.18.
De iure communi non communicantur.n.19.
Secus verò propter priuilegia aliqua Religionum. num.20.
Quomodo id limitandum.ibid.
Facultas recipiendi Tertiarias, seu pynzocheras. num.21.
De Regula,& habitu ipsarum.ibid.
Ipsarum priuilegia.n.22.
An extendantur ad viros Trtiarios.ibid.
De aliis remissiuè.n.23.
Domus horum Religiosorum sub B.Petri,& Sedis Apostolicæ protectione.n.24.
An ex hoc inferatur exemptio Ordinis,ibid.
De clausula. Et præsentis scripti patrocinio communimus.*n.25.*
Ordo Canonicus conseruandus in domibus Fratrum. n.26.
Possessio quoruncunque bonorum confirmatur.n.27.
Donationes ipsis factæ à Principibus validæ sunt.ibid.
Possessionis nomine quæ veniant.ibid.
Clausula Quascunque possessiones, *&c. quem effectum producit.n.28.*
Exemptio à decimis.n.29.
Priuilegia religionum circa hoc.ibid.
Alia remissiuè.n.30.
Facultas recipiendi in Nouitios tam Clericos quàm Laicos.n.31.
De iure communi competit religionibus.n.32.
Quomodo intelligenda.ibid.
Clerici siue in maioribus,siue in minoribus, an recipi possint.n.33.
Non Episcopi,etiam Titulares.ibid.
Quid de Abbatibus.aut aliis Prælatis.ibid.
Serui an recipi possint.n.34.
An coniugati,aut ære alieno grauati.ibid.
An illi qui habent parentes in graui, vel extrema necessitate.n.35.
Valida est talium professio.n.36.
Contraria fundamenta diluunt.n.37.
In aliquibus etiam casibus possunt filij licitè etiam religionem ingredi, parentibus in graui,aut extrema necessitate constitutis.n.38.
Alia ad intentum.n.39.
Prohibitio ad non discedendum sine licentia.n.40.
Litterarum, seu patentium diuersa genera.ibid.
Per Regularem sententiam *quid intelligatur. n.41.*
Eadem habentur in Bulla Innoc.IV.n.42.
Fratres non cogendi ad Synodos.n.43.
Conuentus *appellatione quæ veniant.ibid.*
Episcopi an celebrare possint Ordines in domibus Regularium.n.44.
An erigere baldachinum.ibid.
An prædicare.n.45.
Contentiosam iurisdictionem ibi non exercent.n.46.
Nec se intromittunt in electionibus, aut remotionibus Prælatorum.n.47.
Altarium consecrationes,Oleum sanctum,& Ecclesiastica Sacramenta,à quo Episcopo petenda.n.48.
Oleum sanctum pro infirmis concedi debet ab Episcopis.n.49.
In qua quantitate.ibid.
Ecclesiastici Sacramenti nomine quid veniat.n.50.
Alia pro intento.n.51.
Vacante Sede Episcopali à quo accipienda.n.52.
Benedictio vasorum,vestium,consecratio altarium,&c. an à quocunque Episcopo postulanda.n.53.
Priuilegia circa hoc an reuocata per Conc. Trident. num.54.
Facultas ad celebrandum tempore Interdicti.n 55.
Ad recipiendum Ordines,Chrisma, Oleum, consecrationes,&c.ab aliis quam Diœcesanis.n.56.
Qui dicantur Episcopi gratiam, & communionem S.R.Sedis *habentes.n.57.*
An hæretici,schismatici,&c.ibid.
Illi maximè.n.58.
An à talibus peti possint prædicta.n.59.
Quid quando ea nolunt exhibere Catholici Episcopi sine prauitate *aliqua.n.60.*
Intra fines istorum Religiosorum nullus Capellam,aut Oratorium construit.n.61.
An cum assensu Diœcesani.n.62.
Dictio & *aliquando ponitur pro* seu.*n.63.*
Immunes sunt hi Religiosi ab exactionibus, & oneribus.n.64.
Sepulturæ libertas in eorum Ecclesiis.n.65.
Facultas redimendi bona ipsorum de manibus eorum, à quibus detinentur.n.66.
Alienatio arborum quomodo prohibita Regularibus. ibid.
Arbores quæ dicantur.n.67.
Sunt in duplici differentia.n.68.
Arborum incisio species est alienationis.n.69.
Prohibita.ibid.
In quibus casibus licita.n.70.
Si sunt in parua quantitate.ibid.
Si sunt inutiles fundo.n.71.
Quando loco earum reponuntur fructiferæ.n.72.
Quando non æ reponerentur.n.73.
Quid quando arbores sunt caduæ.n.74.
Non semper est licita arborum caduarum incisio. num.75.
An earum venditio licita.n.76.
An beneficiarius possit incidere aliquas arbores prædij seu beneficij.n.77.

Priuilegium reducendi hæc ad Eccleſiam. num. 78.
Conforme priuilegio Iuris communis de reſtitutione in integrum. ibid.
De Generali à Fratribus eligendo. n. 79.
Quæ forma ſeruanda in electione ipſius. n. 80.
Alia ſpectantia ad electionem. n. 81.
Regula S. Auguſt. n. 82. & 83.
In domibus Fratrum prohibetur rapina, furtum, ignis appoſitio, hominis captio, violentia, &c. n. 84.
Praxis Regularium circa reos ad eorum Eccleſias confugientes. n. 85.
An immunitas Eccleſiæ ſuffragetur violenter extractis è manibus ſatellitum, aut è carceribus confugientibus. n. 86.
Proſequi fabricam Monaſterij an prohiberi poſſit Religioſis. n. 87.
Confirmatio libertatum, immunitatum, exemptionum, &c. n. 88.
Priuilegia irrationabilia non ſubſiſtunt. ibid. Maximè ſi ſunt contra ſtatuta religionum. ibid.
Ius commune concedit Principibus ſæcularibus dare poſſe exemptiones regularibus. n. 89.
Damnum non inferendum domibus religioſorum. num. 90.
Clauſula Salua Sedis Apoſtolicæ authoritate. *n. 91.*
Alia circa hoc priuilegium. n. 92.
Peccatum detrahentium religionibus grauiſſimum. ibid.
Pœna carendi communione Chriſtiana, ſeu ſacratiſſimo Corpore Chriſti. n. 93.
Exemptio Ordinis ab Ordinariorum iuriſdictione. num. 94.
Clauſula In ius, & proprietatem B. Petri, Sedis Apoſt. &c. *an arguat exemptionem. n. 95.*
Immediatè ſubiacere Sedi Apoſtolicæ quid importet. num. 96.
Non poſſunt Fratres excommunicari, ſuſpendi, &c. ab Ordinariis. n. 97.
De ſimili priuilegio aliorum Mendicantium. n. 98.
Nec ratione delicti, contractus, &c. conueniri poſſunt coram Ordinariis. n. 99.
Clauſula nullum ius de nouo volumus adquiri quid importet. n. 100.
Confirmatio priuilegij in forma communi quæ. ibid.
Sixtus IV. confirmat relata priuilegia. n. 101.
Qui ſint effectus confirmationis in forma communi. num. 102.
Qui effectus confirmationis ex certa ſcientia, *ſeu* motu proprio. *n. 103.*
Quando cenſetur Papa confirmare ex certa ſcientia. *n. 104.*
An ad id requiratur, quod inſeratur tenor priuilegij. ibid.
Alia ex Rota deciſionibus. n. 105
Extenſio exemptionis à decimis. n. 106.
Quota, ſubſidium charitatiuum Cathedraticum, Datum, *& ſimilia quid importent. n. 107.*
Quid de eo S. Rota decideri. n. 108.
An ad hoc deſeruiat communicatio priuilegiorum, quæ eſt inter religioſos. ibid.
Quomodo litteræ ex motu proprio *ſint magis qualificatæ. n. 109.*
Per remiſſionem peccatorum an denotetur Indulgentia. ibid.
Clauſula Et iniunctarum Pœnitentiarum relaxatio *quid denotet n. 110.*
An cum Indulgentia ponitur cum iſta clauſula, ſatiſfiat per ipſam pœnitentiæ impoſitæ à Confeſſario. ibid.
Priuilegia de miniſtranda Eucharistia, & Extrema Vnctione, tribuendaque ſepultura Pinzocheris. num. 112.
Extenduntur ad perſonas oblatas. n. 112.
Priuilegium habendi altare portatile tempore Interdicti. n. 113.
An etiam ſit facultas audiendi Miſſam. ibid.
Alia priuilegia. n. 114.
Circa quartam funeralem. n. 115.
S. Rotæ deciſio circa illam. n. 116.
An pro illa deſeruiat communicatio priuilegiorum. ibid.
De non ſoluenda portione de legatis piis. n. 117.
Conformiter ad ius commune. ibid.
Quod dicatur legatum ad cauſas pias. n. 118.
Omnimoda exemptio Ordinis confirmata. n. 119.
Exemptio alia loci, alia perſonæ. n. 120.
Non infirmantur hæc priuilegia exemptionis quod Papa in illis non exprimat ſe derogare iuri tertij. num. 121.
Alia circa ſimilia priuilegia. n. 122.
Prælati abſoluunt ſubditos ab omnibus cenſuris, exceptis paucis. n. 123.
Et diſpenſant in irregularitatibus, paucis etiam exceptis. ibid.
An etiam diſpenſent in pœnis priuationum, inhabitationum, &c. n. 124.
Pœnæ an tollantur per abſolutionem, vel diſpenſationem. n. 125.
Inhabilitates an ſint irregularitates. n. 126.
Tempore viſitationum, & ſolemnitatibus maioribus an vti poſſint Prælati iſta facultate. n. 127.
Facultas miniſtrandi Sacramenta quædam conceſſis huius Ordinis Fratribus, quando parochi nollent id facere. n. 128.
An liceat religioſis baptizare. n. 129.
An aſſiſtere Matrimonij ſolemnitati. n. 130.
An ſepelire eos, qui alibi ſuam ſepulturam elegerint. num. 131
Bona Monaſteriorum Monialium ſi deſerantur, cui applicanda. n. 132.
Monialium nomine multæ fœminæ veniunt. ibid.
Quæ in hoc priuilegio. ibid.
De exemptione, & ſubiectione Monialium. n. 133.
Vbi ſepeliendi qui cum habitu Fratrum ſepeliri volunt. n. 134.
De domibus Fratrum conſtruendis apud Eccleſias parochiales. n. 135.
Qualiter regulares adminiſtrent Sacramentum Pœnitentiæ. n. 136.
An ſine conſenſu Parochi. ibid.
Euchariſtia an adminiſtretur ab illis. n. 137.
An Extrema Vnctio. n. 138.
An aſſiſtant Matrimonij Sacramento. n. 139.
De obligatione ad ſoluendam quartam funeralem. num. 140.
Quas functiones Parochorum facere poſſint regulares in ſuis Eccleſiis. n. 141.
Quid de benedictionib. proceſſionibus, & ſimilibus. ib.
Generalis electus eo ipſo confirmatus. n. 142.
Decretum electionis an ſit de ſubſtantia illius. n. 143.
Quando facit plenam fidem. ibid.
Exercet Generalis ſuum officium reiecta appellatione. n. 144.
An ſit requiſitum neceſſario, vt poſt electionem inſtalletur electus, ſeu poſſeſſionem accipiat. n. 145.
Facultas cognoſcendi de errore aſſerentium, quod confeſſi Mendicantibus teneantur eadem peccata confiteri Parocho ad Inquiſitores extenſa. n. 146.
An expediat accipere ſemper Sacramenta à Parochis potius quàm à regularibus. n. 147.

Maximè quando accipiuntur ex præcepto.n.148.
Quibus limitationibus id tenendum.n.149.
Quid respondendum ad Extrauagantes Summorum Pontificum.ibid.
Pœna contra inhibentes fieri eleemosynas Fratribus. num.150.
Inquisitores contra illos procedunt.n.151.
In quibus causis procedant Inquisitores.n.152.
Communicatio priuilegiorum Prædicatorum, & Minorum.n.153.
Pœna contra se opponentes dictis priuilegiis.n.154.
Quando incurrentur.ibid.
An si id faciant ex metu.n.155.
Iudices Conseruatores pro his priuilegiis.n.156.
Non obstantiæ.n.157.
Transumptis priuilegiorum fides adhibetur.ibid.

1. EXTAT hoc Mare magnum in Bullario Rodriguez *tomo* 1. inter Bullas Sixti IV. *Bulla* 34. à Cameræ Auditore authenticatum. Et in Bullario Ordinis Eremitarum sancti Augustini à Laurentio Empoli eiusdem Ordinis edito inter Bullas, seu Constitutiones Sixti IV. *num.*5. Vbi dicitur extractum ex Transumpto authentico, quod asseruatur Romæ in Archiuio sanctæ Mariæ de Populo, & haberi in libro *Compendij priuilegiorum Ordinis, pag.*26. De eo etiam sæpius Authores, qui de priuilegiis Regularium, Mendicantium præsertim, loquuntur.

2. De antiquitate porrò, institutione, excellentia, laudibus, & prærogatiuis huius grauissimi Ordinis agunt sanctus Antoninus 3.*part.tit.*24.*cap.*21. Pelagius *de planct. Eccl. c p.*23. *&* 51. Cassanæus *in Catalogo gloriæ mundi, part.*4. *consid.*71. Nauclerus *vol.*3.*gener.*41.*an. Christi* 1215 Garibai *in Compend. lib.*7. *cap.* 57. *anno* 398. Rodriguez *tomo* 1. *quæst. regul.quæst.*2.*art.*4. Azorius *tomo* 1. *Instit.moral.lib.* 12.*cap.*23. Miranda *in Man. Prælat. tomo* 1.*quæst.*4. *art.*6. & ex Authoribus eiusdem familiæ Arnoldus Duscus *in tract. de viris illustribus Ordin. Eremit.* Hieronymus Romanus *in Chronic. Eremit.* Ioannes Marquez vir doctissimus *de Orig. Eremit. sancti Augustini*, & alij plures, quos refert Barbosa *de Iure Ecclesiastico, lib.*1.*cap.*41.*num.*94.

3. Alia quæ pertinent ad nomen *Maris magni*, quo hæc Bulla appellatur, & ad Sixtum IV. qui eius Compilator fuit, habes ex dictis circa Mare magnum Prædicatorum.

Circa §. 1.

CONceditur in hoc priuilegio facultas Generali Eremitarum sancti Augustini, & Prouincialibus cum Diffinitoribus in Capitulis Prouincialibus ad designandum Confessores, & Concionatores, qui in talium munerum executione à nullo impediri possint. Quod, quidem priuilegium, & aliud simile, quod habetur in Mari magno Carmelitarum §.85. quod attinet ad Confessarios (intellige sæcularium personarum) reuocatum est his temporibus post Concilium Tridentinum, *sess.* 23. *cap.* 15. vbi cum reuocatione priuilegiorum, & consuetudinum etiam immemorabilium in contrarium statuitur, *Nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, idoneus iudicetur.* Vnde non solum hoc priuilegium, sed & alia Bonifacij VIII. & Benedicti XI. quæ retuli *tomo* 1. *Summæ, cap.*19.*numero* 2. item alia aliorum Pontificum apud Bordonum *in resolut.resolut.*6.*num.*1. vacant his temporibus, vt communiter supponunt Doctores. Imo etiam à tempore Leonis X. qui in Bulla, *Dum intra mentis*, in Bullario Laertij *in Leone X. Bulla* 22. statuit posse dictos Regulares ab Episcopis *super sufficienti litteratura, & aliqua saltem huiusmodi Sacramenti* (scilicet Pœnitentiæ) *peritia dumtaxat examinari.* Bordonus *suprà, num.*1 Quamuis autem Pius V. in Bulla. *Etsi Mendicantium*, statuerit Mendicantes solùm cum approbatione suorum Superiorum posse audire confessiones sæcularium; quia tamen, iuxta dicta *tomo* 2. *Summæ, cap.*1. *num.* 16. hæc Bulla Pij V. reuocata est à Gregorio XIII. in alia, quæ incipit *In tanta*, quantum ad ea quæ in ipsa conceduntur contra Concilium Tridentinum, cum hoc sit contra dictum Concilium, ideo nullo modo subsistit, prout eo loco *num.*18. dixi. Nec video esse aliquod priuilegium his temporibus perseuerans, ratione cuius possint Regulares sine dicto examine Episcoporum confessiones sæcularium excipere, maximè propter Constitutionem Vrbani VIII quam *tomo* 1.*cap.*19.*num.*2 retuli. De quo etiam Bordonus *suprà, num.*2. An autem in casu raro quo Episcopi ex indeuotione, odio, mala voluntate, aut sine iusta causa voluerint illis facultatem ad id concedere, possint sine illa id facere, affirmant non solum Nauarrus, & Miranda, quos retuli *dicto cap.*19. *num* 3. sed etiam Rodriguez *tomo* 1.*quæst.regul quæst.*59.*art.*2.*&* 3 Erasmus Cochier *de Iurisdict. Ordin.in exemp. part.*4. *quæst.* 77. Layman *in Theolog moral.lib.*4. *tract.*6. *cap.*11. *num.*4 Finellus *de casibus, reseruat.cap.*3.*num.*3 Villalobos *in sum.tom* 1.*tract.*1. *diff.*53. *num.*3. Hieronymus Rodriguez *in compend. resolut.*32. *num.* 2. Ioannes de Cruce *in Epi om.religios stat.lib.*2.*cap.*6. *dub.*1.*concl.*2. Cœlestinus *in compend. Theolog mor. tract.* 1. *cap.*16. *num.*1 *& cap.*14. *quæst* 2. *num* 4. & alij, quos referunt Fagundez *de* 2. *Eccles. præcept. lib.*7.*cap.* 2.*num.*15. & Diana 3.*part. tract.*2. *resolut.* 24 *& part.*5 *tract.*13.*resolut.*45. Eo quòd in Clem. *Dudum de sepult.* Id conceditur, imo in Concilio Lateranensi sub Leone X. in Bulla relata, dum dicitur: *Talibusque præsentatis admissi, vel etiam indebitè recusatis confitentes Constitutioni, quæ incipit: Omnis vtriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur.* Vnde inferunt plures ex illis Episcopos tantum habere nudum ministerium in approbatione religiosorum, nec illis tribuere iurisdictionem, sed eam habere à iure communi, seu à Papa in dicta Clement. *Dudum*, quæ non est derogata per Conc. Trid. quia cùm sit lex inserta in corpore iuris, necessariò deberet fieri mentio de illa, vt derogaretur. De quo specialiter Miran.*tomo* 1.*manual.quæst.*45.*art.*5.*&* 6. Hieronymus Rodriguez *dicta resolut.* 32. *num.*1. 2. *&* 3. & Ioannes de Cruce *suprà.* Alij verò negant, quales sunt Suarez *in* 3.*part. tomo* 4. *disp.*28.*sect.*5. *num.*6. Coninch.*de sacram.disp.*8. *dub.*7. *num* 58. Filiucius *tom.*1.*tract.*7.*cap.*1.9 *num.*257. Barbosa *in Collectan. tom.*3.*part.*2.*lib.*3 *Clem. tit.*7. *Clem. dudum, n.*8 *& in Collectan. ad Concil. Trident. sess.*23.*cap.*15.*num.*31. Syluius *in addit.ad* 3.*part.quæst.*8. *art.*5. *quæritur* 4. Vasquez *in* 3.*part.tom.*4. *quæst.*93. *art.*3. *dub.*3. *n.*2. Pitigianus *in* 4. *sent. tom* 2. *distinct.*17. *quæst.vnica, art.*4.*dub.*4. Sancius *in selectis, disp* 48. *n.*16. Reginaldus *in praxi, tomo* 1. *lib.*1. *n.*192. Fernandez *in exam. Theolog.mor.part.*3.*cap.*9.§.8.*n.*2. & alij: quia Concil. statuens nullum nisi habentem Parochiale bene-

beneficium, aut approbatum an Epiſcopo idoneum eſſe audiendis confeſſionibus, ſatis indicata ad eam idoneitatem requiri approbationem actu datam. Nam particula concitionalis, *Niſi*, eam vim habet, vt ſi conditio requiſita non ponatur, reipſa non ſequatur effectus. Duo tamen certiora ſunt in præſenti. Primum grauiter peccare Epiſcopos talibus Religioſis ſine iuſta cauſa huiuſmodi approbationem negantes; cùm ita illos impediant vti priuilegio à Sede Apoſtolica conceſſo, quod tenentur integrum ipſis ſeruare iuxta *cap. 4. de priuilegio*, Suarez *dicta ſect. 5. num. 15.* Reginaldus *dicto lib. 1. num. 195.* Coninch. *dicta diſp. 8. num. 59.* Tamburinus *de Iure Abbatum, tomo 2. diſp. 6. quæſit. 12. num. 6.* Secundum eſt, quod niſi clarè conſtet Epiſcopum iniuſtè, & ſine cauſa hanc approbationem negare, credendum eſt iuſtè id feciſſe; quia ſemper Ius Superioris integrum manet, iuſteque feciſſe præſumitur, quando oppoſitum non conſtat. Suar. *dicto num. 5.* Tamburinus *ſuprà, num. 5.*

3. Quæ autem ſit forma præſcripta pro confeſſariis Regularibus in dicta Clementina *Dudum* & de qua Authores primæ ſententiæ dicunt non eſſe reuocatam per Concilium Tridentinum, ex verbis ipſius Clementinæ ſic habetur: *ſtatuimus etiam, & ordinamus auctoritate prædicta, vt in ſingulis ciuitatibus, & diœceſibus, in quibus loca fratrum ipſorum conſiſtere dignoſcuntur, vel in ciuitatibus, & diœceſibus locis ipſis vicinis, in quibus loca huiuſmodi non habentur, Magiſtri, Priores prouinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarij, & Generales, & Prouinciales, Miniſtri, & Cuſtodes Minorum, & Ordinum prædictorum ad præſentiam Prælatorum eorundem locorum ſe conferant per ſe; vel per Fratres, quos ad hoc idoneos fore putauerint, humiliter petituri, vt fratres, qui ad hoc electi fuerint in eorum ciuitatibus, & diœceſibus confeſſiones ſubditorum ſuorum confiteri ſibi volentium audire liberè valeant, & huiuſmodi confitentibus (prout ſecundum Deum expedire cognouerint) pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem abſolutionis beneficium impendere de licentia, gratia, & beneplacito eorundem. Ac deinde præfati Magiſtri, Priores prouinciales, & miniſtri Ordinum prædictorum eligere ſtudeant perſonas ſufficientes, idoneas, vita probatas, moleſtas, atque peritas ad tam ſalubre miniſterium, & officium exequendum, quas ſic ab ipſis electas repræſentent, vel faciant præſentari Prælatis, vt licentia, gratia & beneplacito in ciuitatibus, & diœceſibus eorundem huiuſmodi perſonæ ſic electæ confeſſiones confiteri ſibi volentium audiant, imponant pœnitentias ſalutares, & beneficium abſolutionis in poſterum impendant, prout ſuperius eſt expreſſum, extra ciuitates, & diœceſes, in quibus fuerint deputatæ, per quas eas volumus, & non per prouincias deputari confeſſiones nullatenus audituræ. Numerus autem perſonarum aſſumendarum ad huiuſmodi officium exercendum, eſſe debet prout vniuerſitas cleri, & populi, ac multitudo, vel paucitas exigit eorundem. Etſi iidem Prælati petitam licentiam confeſſionum huiuſmodi audiendarum conceſſerint, illam præfati Magiſtri Miniſtri, & alij cum gratiarum recipiant actionem dictæque perſonæ ſic electæ commiſſum ſibi officium exequantur; quod ſi fortè iam dicti Prælati quenquam ex dictis fratribus præſentatis eiſdem ad huiuſmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittēdum, eo amoto, vel ſubtracto loco ipſius ſimiliter eiſdem præſentandus Prælatis poſſit, & debeat alius ſurrogari. Si verò iidem Prælati Prælatis Fratribus ad confeſſiones, vt præmittitur, audiendas electis, huiuſmodi exhiberi licentiam recuſarint, nos ex nunc ipſis, vt confeſſiones ſibi confiteri volentium, liberè, licitéque audire valeant, & eiſdem pœnitentias imponere ſalutares, atque eiuſdem beneficium abſolutionis impartiri gratioſè concedimus de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis. Per huiuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus perſonis, ſeu Fratribus ipſis ad id aliter deputatis poteſtatem in hoc impendere ampliorem, quàm in eo curatis, vel parochialibus Sacerdotibus eſt à iure conceſſa, niſi forſan eis Eccleſiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent faciendam.* Hæc ibi maximè, & pro omni euentu ponderanda Religioſis.

An verò præſentatio Confeſſariorum Regularium facta in vno Epiſcopatu, ſufficiat pro aliis, 4. dixi eo *cap. 19. num. 4. & 5.* qualiter etiam Regulares graduati ſiue Lectores debeant examinari, & approbari ab Epiſcopis, dixi *ibidem, numero 6.* Pro quo etiam conſule dicenda infra in Mari magno Seruitarum *circa* §. *16. num. 55.* An hæc approbatio ſit perpetua, reſtringibilis, aut expiret morte concedentis, dixi eo loco *numero 7. & ſequentibus.* Nunc addendum ſpecialiter, Ordinarios locorum non poſſe impedire Regulares approbatos ad audiendas confeſſiones quominus audire illas poſſint in domibus pœnitentium ægrotorum, quando ab eis vocantur, verum poſſunt iidem Ordinarij ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi confeſſiones præcipere, quod Regulares huiuſmodi infirmorum Parochos de audita confeſſione eodem die certiores reddant; vt cenſuit ſacra Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum ſub die 1. Iulij 1606. Et ideo cùm Curatus quidam apud eandem ſacram Congregationem conquereretur, quod Fratres ſancti Franciſci iunioris obſeruantiæ Reformati confeſſiones Parochianorum ſuorum ægrotantium abſque eius licentia audirent, ipſa ſacra Congregatio reſpondit, dictis Fratribus id prohiberi non poſſe, dummodo ab Ordinario prius approbati exiſtant, & poſteaquam infirmorum Confeſſiones audiuerint, ſtatim dictum Curatum certiorent. *In vna Senogallien. 22. Ianuarij 1616.* Barboſa *de Iure Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 43. num. 214.* Tamburinus *ſuprà, num. 10.* Vide & dicta *eo cap. 19. num. 31. & 32.* Nota autem huiuſmodi certiorationem poſſe eſſe ſolum relinquendo ſchedulam in domibus infirmorum de ipſorum confeſſione audita. Ita enim declarauit ſacra Congregatio Concilij 13. Septembris 1641. Romæ authenticè, etiam ſubſcriptione Cardinalis ſancti Honuphrij, & Secretarij ſacræ Congregationis. Alia infra in Mari magno Seruitarum *circa* §. 16. propter nouam declarationem ſacræ Congregationis in quadam epiſtola tranſmiſſa ad Epiſcopum Piſcurienſem.

Eſt verò dubium, an Ordinarij poſſint obligare 5. Superiores Regulares, vt quando præſentant ipſis aliquos Religioſos, vt examinentur pro Confeſſionibus audiendis, atteſtentur ſub iuramento de ſufficientia, idoneitate, vel morum probitate ſic præſentatorum. Reſpondeo negatiuè. Tum quia hoc eſt contra vſum Eccleſiæ vix ab vno, vel altero tentatum, & non ſine notabili querela. Tum quia neque in Clemen. *Dudum*, vbi eſt ſermo de modo, quo Prælati debent præſentare ſuos Religioſos Ordinariis, & de modo, quo ipſi Ordinarij illos debent admittere, talis facultas ipſis conceditur, neque in Concilio Tridentino, aut alibi de ipſa fit mentio. Tum præterea quia obligare ad iurandum ſolum pertinet ad Superiorem reſpectu ſubditorum non exemptorum, Epiſcopi autem non

sunt Superiores Religiosis exemptis, aut super illos habent aliquam iurisdictionem. Moronus *resp. 85. num.* 55.

6. Quinimò non obstante præfato decreto Concilij Tridentini, in quo statuitur nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium audire, nisi beneficium habuerit, aut ab Episcopo examinatus fuerit, probabiliter dici potest iuxta dicta *tomo* 2. *Summæ, cap.* 16. *num.* 16. posse Religiosos, quibus hoc priuilegium, de quo in præsenti, conceditur, & alios qui cum ipsis in priuilegiis communicãt, sola suorum Superiorum, & sine aliqua Episcoporum approbatione audire confessiones sæcularium, qui sunt de ipsorum familia, & habent conditiones requisitas à Concilio Lateranensi, & Tridentino iuxta dicta eo *cap.* 16. *num.* 13. *&* 14. propter dicta ibi eo *num.* 16. ex variis authoribus. Quibus iunge Fernandez *in exam. Theolog. Mor. part.* 3. *cap.* 9. §. 8. *num.* 1. Homobonum *de exam. Eccles. tract.* 8. *cap.* 2. *quæst.* 7. & decisionem, quam affert Armendariz. *in addit. ad recopil. leg. Nauarræ, lib.* 2. *tit.* 18. *leg.* 7. *de Relig. num.* 53. *& lib* 4. *tit.* 28. *lib.* 1. §. 1. *de confitendo semel in anno, num.* 10. Quos non reiicit Barbosa *Collectan. in Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 15. *num.* 11. An verò idem dicendum sit de Tertiariis, consule dicta eo *tom.* 2. *cap.* 14. *num.* 34. & Barbosam *suprà, num.* 13. Similiter an idem dicendum sit de Oblatis, seu Commissis Religionum, consule etiam dicta eo *tom.* 2. *cap.* 8. *num.* 30. *& seqq.*

7. Circa alterum quod tangitur in hoc priuilegio, de facultate scilicet concessa Prælatis Eremitarum sancti Augustini, ad designandum, seu creandum Concionatores, qui in ipsorum munere à nemine impediri possint, constat ex dictis *suprà in Mari magno Minorum, circa* § 5. priuilegium hoc moderatum esse à Concilio Tridentino *sess.* 5. *cap.* 2. *& sess* 24. *cap.* 4. vbi etiam aliqua spectantia ad huiusmodi Concionatores Regulares, ipsorumque examen, & approbationem. De quo etiam aliqua infra in Mari magno Carmelitarum *circa* § 85.

Circa §. 2.

8. DE hoc priuilegio, quod est de libertate sepulturæ in domibus, seu Ecclesiis Eremitarum sancti Augustini nonnulla dixi in simili priuilegio Prædicatorum *in eorum Mari magno, circa* §. 28. & Minorum *in eorum etiam Mari magno, circa* §. 30. ac aliis locis ibi relatis. Solum ergo in præsenti addendum videtur quod cum in hoc, & similibus priuilegiis concedatur libera sepultura in Ecclesiis Regularium pro omnibus fidelibus, qui ibi sepeliri elegerint, *Nisi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publicè, vsuarij fuerint.* ideo videtur dicendum, quod alij omnes, quibus sepultura de Iure communi negatur, quos retuli *tomo* 4. *verbo Sepultura quoad Regulares, num.* 23. possint etiam in domibus seu Ecclesiis prædictorum Regularium sepeliri, seu sepulturam eligere. Exceptio enim illa *Nisi, &c.* firmare videtur regulam in contrarium, ita scilicet, vt omnes alij præter excommunicatos, interdictos, aut publicos vsurarios, si sepulturam elegerint in Ecclesiis horum Religiosorum, sepeliri in eis valeant. Quia tamen, vt in plurimum scandalosum erit plures ex illis, quos eo loco retuli, in Ecclesiis sepeliri, imo & contra praxim Ecclesiæ, ideo cautius in hac re procedendum, de qua nullum Doctorem vidi in terminis agentem; maximè cum multa etiam licita dimitti debeant scandali vitandi causa, imo à iure ipso recedendum. Cardinal. *Clem.* 1. *in princ. de pœn.* Panormitanus *c. consideranimus, n.* 5. *de elect.* Additionator eius *ibid.*

Circa §. 3.

DE hoc priuilegio etiam dixi in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 28. & Minorum *circa* §. 31. Et quidem primò, id quod in eo cauetur, scilicet quòd nullus siue Religiosus, siue sæcularis præsumat in Cœmeteriis Fratrum ipsis inuitis aliquem sepelire, confirmatum est ex decreto sacræ Congregationis, quod retuli *tomo* 4. *verbo Sepultura, num.* 12. vbi etiam dicitur id non licere *non obstante contraria consuetudine.* Deinde id quod etiam cauetur in hoc priuilegio, scilicet quòd nullus ex prædictis præsumat in Ecclesiis Fratrum Missarum solemnia, aut exequias pro defunctis facere, etiam est confirmatum à sacra Congregatione, iuxta dicta *tomo* 1. *Summæ, cap.* 12. *num.* 38. *& tomo* 2. *cap.* 1. *num.* 7. ex declarationibus sacræ Congregationis ibi relatis, & ab Auditore Cameræ authenticatis. Et consonat alia etiam declaratio sacræ Congregationis adducta loco relato ex 4. *tom.* ac Rotæ decisio in Veronensi *Iurium Parochialium* coram Vitili anno 1629. vbi ex decretis sacræ Congregationis Concilij, & Rituum deciditur, quod dum cadauera defunctorum sepeliuntur in Ecclesiis Regularium, vel ipsis vnitis, non possit Parochus se intromittere, nec aliquos actus ibi exercere, quia non habet iuris assistentiam, etiamsi sint intra suos limites sitæ. 9.

Circa §. 4.

COnceditur in hoc priuilegio Bonifacius VIII. Eremitis sancti Augustini extensionem Extrauagantis *super Cathedram* (inter Extrauagantes communes *lib.* 3. *cap.* 2.) quæ edita erat in fauorem Prædicatorum, & Minorum. In ipsa autem multa habentur circa conciones ipsorum, præsentationem Ordinariis ad audiendas confessiones sæcularium, libertatem sepulturæ in eorum Ecclesiis, & quartam funeralium, quæ prætermitto, tum quia in Conc. Trid. partim moderata, partim verò explicata sunt; tum quia de illis sæpius in hoc opere egi, & qualiter hoc tempore subsistant, aut non, scripsi. 10.

Alia ad hoc intentum dabo infrà in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 11. propter similem extensionem factam pro Carmelitis à Ioan. XXII. 11.

Circa §. 5.

COncedit hoc loco Vrbanus VI. Eremitis Augustinianis omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus suis ipsis concessas necnon libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus illis indultas rationabiliter, sicut ea iustè, & pacificè obtinebant. Pro quorum luce primò sciendum, non solum Summos Pontifices, sed etiam sæculares Principes supremos posse fauores, & priuilegia Regularibus concedere, in sua videlicet, materia, & ditione; nimirum in rebus, immunitatibus, honoribus, ac potestatibus temporalibus. Regula enim generalis est quod quicunque potest legem concedere, quales sunt tales Principes supremi, potest etiam priuilegium concedere; cùm priuilegium sit quædã lex priuata, ac per consequens ab eo pendens, qui legem communem 12.

munem condit. D. Anton. 1. *part. tit.* 19. *c.* 1. *in princip.* Syluester *in Summa, verbo Priuilegium, quæst.* 2. Angelus *quæst.* 3. Tabiena *quæst.* 2. Armilla *num.* 3. Suarez *de legibus, lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 2. *&* 11. Miranda *in Man. tom.* 2. *quæst.* 41. *art.* 3. Præfata autem priuilegia concedi posse Regularibus, & de facto ipsis concedi à præfatis principibus supremis, ex hoc, & similibus priuilegiis manifestè conuincitur, praxi Ecclesiæ habetur, & communiter tenent Doctores. Secundò sciendum conformiter ad dicta, *tomo* 4. *verbo Priuilegia Regularium, num.* 20 quod licet priuilegia Regularibus concessa à Summis Pontificibus reuocari possint iuxta modum ibi, *num.* 19. relatum, concessa tamen à Principibus sæcularibus, qui Regularium Superiores non sunt, reuocari ab eis minime possūt; quia iuxta dicta eo *num.* 20. ex Suarez, Laymano, & Diana, (quod etiam est communis sententia Canonistarum *in cap. Nouit. de Iudic.*) talia priuilegia postquam Regularibus acceptata sunt, transeunt in contractum, ac per consequens habent ius ad illa conseruanda, & ne ipsis inuitis tollantur. An verò in hoc sit aliqua limitatio, ibidem dixi. Illud certum, quod cum talia priuilegia à Sede Apostolica fuerint confirmata, maiorem vim habent, itaut amplius à Principibus sæcularibus reuocari non possint, vt propterea meritò hæc confirmatio ab hoc Pontifice postulata fuerit. Similiter certum, quod priuilegium à pluribus Pontificibus, Principi suo confirmatum, difficilius censetur tolli. Decius *consil.* 165. *num.* 3. Barbosa *in tract. de clauf. vsufrequent. clauf.* 83. *num.* 25. Præsertim cùm accedit fauor piæ causæ, vel religionis, iuxta tradita per eundem Dec. *dict. cons.* 165. *num.* 1. & Alexand. *consil.* 123. *num.* 16. *lib.* 4 Marc. Anton. de Amat. *decis.* 17. *num.* 6. geminatio enim manifestè monstrat Principis voluntatem, *leg balista*, cum ibi notatis, *ff. ad Trebell.* Paris. *cons.* 94 *n.* 4 *vol.* 2. Crauett. *consil.* 101 *num.* 42. Menoch. *consil.* 10. *num.* 1. *& consil.* 255. *num.* 41. & actus geminati censentur gesti cum maiori animi deliberatione, *cap. Etsi Christus, de Iur. Iur.* Rolandus à Vall. *cons* 61. *num.* 39. *& seqq. volum.* 2. Ossasc. *dec.* 38. *num.* 16. Barbosa *dict. clauf.* 83. *num.* 27. Tamburinus *de Iur. Abbatum, tomo* 1. *disput.* 16. *quæst.* 13. *num.* 3.

Circa § 6.

13. PRiuilegium hoc Alexandri IV. eximit Eremitas sancti Augustini à coactione, quæ posset ipsis fieri circa receptionem, vel prouisionem in pensionibus, vel beneficiis Ecclesiasticis, vel circa solutionem collectarum, vel similium exactionum. Quod quia est simile aliis priuilegiis Prædicatorum in ipsorum Mari magno §. 17. 30. *&* 35. & Minorum in ipsorum etiam Mari magno §. 15. 16. 17. *&* 36. Ideo quæ ibi dicta sunt, ad hoc etiam intentum deseruiunt. Nota etiam dicenda inferius in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 46. dum est sermo de simili fermè priuilegio illis à

14. Sixto IV. concesso.

Quia verò in hoc priuilegio mentio fit de beneficiis, & pensionibus, notandum, quòd id, quod dixi *tomo* 2. *cap.* 18. *num.* 37. scilicet, posse Prælatos Regulares imponere aliquam pensionem impropriam super beneficium aliquod regulare ab ipsis prouidendum, & rationabili causa soluendam alicui Religioso, prout fieri dixi in Religione Sancti Spiritus, postea firmatum vidisse à sacra Rota in vna Troiana *pensionis* coram Pirouano anno 1610. his verbis hoc loco referendis, quia pro plurium Religiosorum praxi necessaria. 15.

Quæ pro fundamento decisionis bonæ memor. Scoti deducta fuere solo Fratre Ioanne informante, nunc dubio iterum proposito, & agentibus pro Hospitali sancti Spiritus informantibus, censuerunt Domini non obstare, quin à decisis sit recedendum. Eo prius præsupposito beneficia, quæ Fratribus Ordinis sancti Spiritus per generalem Præceptorem solent conferri, siue sint præceptoriæ, siue Prioratus, manualia esse beneficia, & ad nutum amouibilia, cùm regularia sint, nec administrationem, aut iurisdictionem contineant. Bellam. *decis.* 203. Paris. *consil.* 44. *num.* 3. *lib.* 4. & de beneficiis Hospitalis sancti Spiritus Rota resoluit in vna Aquilana *Prioratus* 1. Februarij 1584. inter impressas 772. *part.* 1. *num.* 1. Personæ autem, quibus conferuntur, teneantur præstare obedientiam Generali Præceptori tanquam Religiosi, & profitentes tria vota, qui propterea nihil sibi possunt appropriare, sed omnia dispositioni Superioris relinquere, vt in Authent. *ingressi, Cod. de sacros. Eccles.* Mohed. *dec.* 10. *de causis possess. & proprie.* à quo nec quicquam Fratribus potest concedi in perpetuum, vbi Abb. *de statu Monach.* Mohed. *ead. dec.* 10. *n.* 2. Quo stante dicebant Domini suscipientem præceptoriam, vel Prioratum non posse excipere contra præseruationem, cùm nihil contra voluntatem Superioris habeant proprium; sed nudam duntaxat fructuum administrationem, vt fuit resolutum de Commendatario Ordinis Hierosolymitanæ Religionis in Militensi *imposit.* coram Illustrissimo Mantica 20. Maij 1563. & in Melitēn. *Pensionis* coram Seraphino, quos Fratres Reuerendissimus Generalis Commendatarius, prout & Abbas potest inter Fratres diuidere non perpetuò, sed ad tempus, vel eorum loco pensionem reseruare secundum Card. *Clement.* 1. *de supl. neglig. Prælat. num.* 4. *vers.* 5. *Oppono.* Vt etiam soluatur alteri Fratri eiusdem Ordinis, vt voluit Abbas *in cap. nisi essent, n.* 12. *de præbend & dign.* Non enim repugnat paupertati habere pensionem ex permissu Superioris, quæ ad nutum sit amouibilis, vt dictum fuit in allegata Aquilana *Prioratus, num.* 2. Nec obstare videtur, quod cùm de iure communi Ordinarius collator non possit sine causa pensionem reseruare, Gig. *de pens. quæst.* 6. *per tot.* ita nec Generalis Præceptor, qui fungitur loco Ordinarij collatoris, idem potuerit nisi causa expressa, de qua non constare fuit dictum in decisione bonæ mem Scoti: Quia pro resolutione fuit dictum, non defuisse iustam causam, scilicet, vt talis pensio alteri Fratri assignetur pro indumentis, & aliis necessariis, pro quibus aliàs Religio esset grauanda, stante voto paupertatis, sed & præterea conclusionem non procedere in beneficiis Regularibus ad nutum amouibilibus, quæ respectu proprietatis non transeunt ad Religiosum, in quem beneficium confertur, vt supra dictum fuit. Hæc in dicta Rotæ decisione pro multis casibus vtilia. 16.

Eam verò confirmat altera Rotæ decisio Romana *Hæreditatis*, seu Melitensis *Impositionis* coram Mantica, vbi decernitur Religionem Hierosolymitanam habere facultatem imponendi onus soluendi aliquam partem fructuum communi thesauro super Prioratus, Baiuliuatus, & Præceptorias. Idem ergo dici debet de facultate imponendi onera ad modum pensionis super beneficia Regularia.

Circa §.7.

17. EX historiis huius Ordinis, & Bulla Alexandri IIII. de qua in præsenti, constat eum auctum, & locupleratū esse variis Conuentibus, & Monasteriis Regulam B. Augustini profitenribus, sub Innocentio IV. primum, & postea sub Alexandro IV. provt ex Laurentio Empoli *in Bullario Ordinis Eremitarum S. Augustini in Catalogo, & Priorum Generalium*, & ex Barbosa *de Iure Ecclesiastico lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 88. habetur. Quia ergo dubitari poterat, an priuilegia illis Conuentibus, seu Monasteriis primitus concessa communicarentur etiam toti Ordini Eremitarum, ideo, dubio ad Papam proposito, respondit priuilegia, & indulta prædictis domibus concessa ad totum Ordinem extendi debere, quod etiam confirmauit Martinus V. in Bulla hic relata.

18. Huius occasione grauis quæstio, & valde necessaria pro priuilegiis Regularium, præsertim Mendicantium, hic occurrit, an scilicet priuilegia, an indulta vni domui, Conuentui, vel Monasterio concessa extendantur ad alia Monasteria eiusdem Ordinis.

19. Et quidem de Iure communi loquendo certa est pars negatiua. Primò, ex illo principio, quod priuilegia tantum valent, quantum sonant,& non amplius, quæ Regula non solùm intelligitur, quoad res concessas, sed etiam, quoad eos, quibus conceduntur: cum eadem sit vtriusque ratio, ergo priuilegia, tantum valent illis, quibus expresse conceduntur, quia illis tantum sonant (vt sic dicam) in ipso priuilegio. Secundò, quia illis tantum conceditur priuilegium, ad quos dirigitur intentio concedentis,cum ex eius voluntate pendeat concessio, & extensio priuilegij, sed intentio tantùm extenditur ad eos, qui verbis concedentis exprimuntur, quia non potest nobis aliter de illius intentione constare. Ergo, &c. Tertio, quia priuilegium est stricti Iuris, & ideo extendi non debet vltra verba formalia, & expressa. Ita Suarez *de legib.l.*8.*c.*10.*n.*2.

20. Propter priuilegia tamen aliqua Religionibus concessa, priuilegium, quod vni aut quibusdam Monasteriis eiusdem Ordinis concessum est, ad alia eiusdem Ordinis Monasteria extenditur, iuxta dicta *tom.*2.*Summa c.*1.*n.*52.ex priuilegio Pij IV.& Sixti V. pro Hieronymianis in Hispania, Iulij II. & Clementis VII. pro Minimis.Imo & Leonis X. pro eisdem Minimis, iuxta dicenda infra in Mari magno Minimorum *circa* §.34. Item ex priuilegio Alexandri VI pro Congregatione S. Iustinæ concesso, & à Iulio I I. extenso ad Congregationem Vallisumbrosæ, provt refert Tamburinus *de Iure Abbatum tom.*1.*disp.*17.*quæsit.*2.*num.*1.Similiter ex priuilegio Clementis VIII. pro Præmostratensibus, quod refert Rodriguez *in Bullario in Clem. VIII. Bull.* 20.& eiusdem Clementis pro Congregatione S.Benedicti Vallisoleti,apud eundem Rodriguez *ibidem Bulla* 22. Alia autem priuilegia ad intentum refert Ioannes de Cruce *de priuilegiis Regular. lib.*2.*cap.*4.*concl.*3.§. *Ex dictis sequitur.* Quia tamen hoc valde exorbitat à Iure communi, ideo iuxta ea, quæ dixi eo *n.* 52. limitandum id est, vt solum verum sit, quando in aliis Conuentibus militat eadem ratio, vel saltem similis aut æquiualens illi, propter quam Pontifex illud priuilegium concessit. Limitandum id etiam est, vt non teneat verum in iis, quæ sunt speciali nota digna, & quæ valde exorbitant à Iure communi, provt ex variis Rotæ decisionibus probat Tamburinus *supra num.* 5. *&* 6. Et specialiter id non procedere in indulgentia plenaria, quæ concedi solet aliquibus Altaribus priuilegiatis alicuius Ecclesiæ vel Monasterij, & dixi 3. *tom.verbo Altare n.*19. & tenet non solùm Peirinis eo loco relatus,sed etiam Tamburinus *supra n.* 4 Etiamsi Ioannes de Cruce *supra* oppositum tenere videatur.

Circa §. 8.

HOc loco concedit Eugenius I V. Martinum V. & Bonifacium I X. sequens, Eremitis S. Augustini facultatem, quascumque mulieres aliàs idoneas tam virgines, quam matronas, seu viduas in Pinzocheras, seu Mantellata ad instar Pinzocherarum, seu Mantellatarum Ordinis Prædicatorum, seu Minorum ad habitum Ordinis recipiendi, ac Regulam S. Augustini eis communicandi. Quod etiam colligitur ex Iulio I I. in Bulla, quam retuli *tom.*2.*Summa cap.* 14. *num.* 10. vbi etiam notaui,quod licet in his priuilegiis solum sit sermo de fæminis Tertiariis, non de viris, ex aliis tamen priuilegiis id etiam de viris haberi. Quomodo autem intelligatur id quod in hoc priuilegio habetur, scilicet de habitu Regulari, ad quem huiusmodi Tertiariæ admittuntur, dixi eo *cap.*14. *num.* 15. Similiter id, quod etiam habetur de exhibitione Regulæ Ordinis, explicatum quoque manet ibidem *num.* 15.de Regula scilicet Ordinis, quatenus accommodari, & aptati potest iis, qui verè Religiosi non sunt. Alia etiam spectantia ad huiusmodi personas habes ex dictis eo *cap.*14. per totum, & *tom.*4. *verbo Tertiarij,& Tertiariæ* etiam per totum. Nota autem idem priuilegium, & magis extensum, videlicet etiam pro viris Tertiariis concessum esse Ordinis Carmelitarum, vt patet ex eorum Mari magno §.47. *&* 84. Quæ verò sit ista Regula S. Augustini, quæ hoc loco dicitur communicari posse huiusmodi mulieribus, constabit ex dicendis *circa* §.26. huius Mari magni. 21.

Circa §. 9.

IN hoc priuilegio, quod est veluti appendix ad præcedens, concedit Pontifex præfatis pinzocheris Ordinis Eremitarum S. Augustini communicationem priuilegiorum concessorum, & concedendorum Fratribus, & personis eiusdem Ordinis. Quamuis autem solum in eo sermo sit de prædictis pinzochris,seu de fœminis Tertiariis,nihilominus Paulus II. in Bulla *Exposcit* in Bullario Empoli in hoc Pontifice *Constit.* 2. concedit viris Tertiariis eiusdem Ordinis in Prouincia Lombardiæ communicationem priuilegiorum Ordinis,& Congregationis. Idem autem habetur pro pinzocheris, seu Tertiariis Ordinis Carmelitarum in eorum Mari magno §. 47. Quomodo autem huiusmodi priuilegia moderata sint primò à Leone X. in Concilio Lateranensi, & deinde à S. Congregat. Concilij de anno 1608. & postea à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium de anno 1616.habes ex dictis *tom.*2.*c.*14.*n.*27.*& seqq.* specialiter quod attinet ad sepulturam,præter dicta *ibid.n.*33. *& tom.*4.*verbo Tertiarij, & Tertiaria n.*2.*&* 4. Expendendæ etiam sunt duæ declarationes Sacræ Congregationis, vna pro 25. Ianuarij 1541. vbi cadauer cuiusdam Tertiariæ præcipitur restitui quibusdā Regul.& alia pro 3.Octob.1642. 22.

Alia

23. Alia ad intentum habes infra *circa* §. 35. huius Maris magni, & in Mari magno Carmelitarum loco relato, & Seruitarum *circa* §. 25. & 26.

Circa §. 10.

24. CONceditur in hoc priuilegio ab Innocen. IV. vt domus Fratrum Eremitarum S. Augustini sub B. Petri, & Sedis Apostolicæ protectione maneant, prout etiam Innocentius IV. concessit Carmelitis in ipsorum Mari magno §. 3. & Clementis IV. in eodem Mari magno §. 19. & Vrbanus VI. Seruitis in eorum etiam Mari magno §. 15. De quorum verborum significatione aliqua dixi *tom. 3. verbo Exemptio Regularium, num. 6. & 7.* Nunc specialiter audiendum, quod licet ex similibus verbis inferri exemptionem Regularium ab Ordinariis teneat Rodriguez *tom. 2. quæst. Regular. quæst. 63. art. 3. in fine*, nihilominus est tenendum iuxta dicta *eo verbo Exemptio Regularium, num. 7.* propter ibi dicta, & prout tenent Barbosa, & Tamburinus ibi relati. Quibus iungitur Sanchez *tom. 2. consilior. moral. lib. 6. c. 9. dub. 2. n. 4.* post Panormit. Soccin. & alios. Nec obstat, quod indicat Rodriguez supra, quod scilicet ex *c. solicitud. cap. dilecti, & cap. ad audientiam, de appellat.* colligi, quod quando aliquis propter grauamen sibi illatum in aliqua causa submittit se protectioni Sedis Apostolicæ, eximitur à potestate Ordinarij, & suspendit iurisdictionem ipsius. Hoc enim non prouenit ex eo, quod talia verba habeant hanc vim eximendo aliquem ab Ordinarij iurisdictione, sed quia habent in tali casu vim tacitæ, & virtualis appellationis, prout Barbosa, & Tamburinus eo loco relati. Quamuis autem ex vi horum verborum non habeat hæc Religio talem exemptionem à iurisdictione Ordinariorum, habet tamen illam propter alia priuilegia, vt constabit ex dicendis.

25. Addit Pontifex in hac exemptione illa verba, *Et præsentis scripti patrocinio communimus*, quæ, prout habet Seraphinus Freitas *in Scholiis ad Bullarium Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede super eadem verba eiusdem Innocentij IV. in Bulla prima*, Pontifex se constituit immediatum Patronum, Superiorem, Iudicemque Ordinarium, eximitque Religiosos à cuiuscunque alterius iurisdictione.

Circa §. 11.

26. PRæcipit hoc loco idem Pontifex, vt Ordo canonicus, qui in domibus, de quibus §. *præcedenti* dixerat institutus erat, perpetuis temporibus conseruetur. Quis verò dicatur *Ordo Canonicus*, de quo in præsenti, dubitari potest. Et videtur dicendum nomine *Ordinis Canonici* intelligi eum, qui communiter *Ordo Canonicorum Regularium S. Augustini* vocatur, huic enim, & non *Ordini Eremitarum* videtur tribuendum nomen *Ordini Canonici.* Video tamen in margine huius Bullæ notari in Bullario Empoli in Innocentio IV. cuius est hæc Bulla, quod ipse Ordo S. Augustini enuncietur *Caconicus*, quo denotetur nomen Ordinis canonici tam tribui Ordini Canonicorum Regularium, quam Ordini Eremitarum, idemque colligitur ex eo, quod in Bulla eiusdem Innocentij pro Ordine B. Mariæ de Mercede, qui sub Regula S. Augustini militat, habentur eadem verba. Hoc tamen huius Sacri Ordinis grauissimis scriptoribus remittendum. Sicut de antiquitate, nobilitate, & institutione Canonicorum Regularium ad ea, quæ Gabriel Pennotus *in Historia sua tripart. Clericor. Regular.* præsertim *lib. 2. cap. 4.* scripsit, vbi mira sanè reperiet lector, quorum aliqua in nostris Annalibus, si Deus dederit, expendemus.

Circa §. 12.

CONfirmatur, & consolidatur his Patribus in hoc priuilegio possessio quorumcumque bonorum iustè, & canonicè possessorum, ac in futurum possidendorum. Pro quo notandum primò donationes Castrorum, & Villarum facta per Reges, vel Principes Monasteriis Regularibus validas esse, prout inter alia firmat Rota in vna Iacensi *Vicariæ* coram Buratto anno 1604. & in alia Terraconensi *Primitiarum* anno 1637. Nota secundo occasione nominis possessionis, de quo in præsenti, possessionis appellatione, vbi simpliciter profertur, venire propriam & veram possessionem, quæ importat ius detinendi aliquam rem, quia verba in dubio semper in principaliori significatu sunt accipienda *l. 1. §. qui in perpetuum ff. si ager, vectig. c. penult. de sent, excommunic.* Mantica *de coniectur. vlt. volunt. lib. 5. tit. 1. num. 6.* Menochius *de præsump. lib. 3. præs. 39. à num. 8.* Barbosa *de appell. verb. iur. signific. Appell. 270. num. 1.* Principale autem significatum possessionis est possessio propria, & vera, quæ possessio *iuris* appellatur, non possessio impropria, qualis est possessio *facti*, quæ est detentio quædam in solo facto consistens Gregorius Tholosan. *lib. 1. Syntagm. c. 13. n. 22.* Lessius *lib. 2. de iust. c. 3. dub. 9. n. 41.* Laymanus *lib. 3. sect. 5. tract. 1. c. 7. n. 4. in fine.* Barbosa supra ex variis iuribus, & Doctoribus in præsenti autem sermonem esse de possessione propria, & vera, non de impropria, quæ *facti* dicitur, colligitur clarè ex verbis illis *Iustè ac Canonicè*, quibus vtitur Pontifex. Nota etiam verbum *Vsuagiis*, quo etiam Pontifex vtitur, est enim idem ac *Vsuariis*, & importat res, quæ vsui nostro deseruiunt, prout ex Martiano habent Calepinus, & Thesaurus linguæ Latinæ. 27.

Notat etiam Seraphinus Freitas super similia verba, quæ habentur in simili priuilegio eiusdem Innocentij IV. pro Ordine B. Mariæ de Mercede clausulam illam *Quascumque possessiones, quæcumq; bona*, &c. magnum effectum producere, quoniam etsi titulus acquisitionis fuerit inualidus, confirmatioque in forma communi, attamen præbet causam præscribendi intra tempus legitimum, ex Rebuf. *de decimis quæst. 13. n. 90. cum seqq.* quod est planius respectu futurorum Religiosorum, qui bona fide, & illo titulo possident, Mascard. *concl. 225. num. 12.* 28.

Circa §. 13.

CONceditur hic istis Patribus exemptio à solutione decimarum de noualibus, aut hortis, virgultis, seu piscationibus. Imò, prout in hac Bulla Innocentij IV. apud Empol. *inter Constitutiones huius Papæ constit. 4.* habetur, additur etiam, *siue de vestrorum animalium nutrimentis.* Similia quoque reperies in Bulla Innocentij eiusdem pro Ordine S. Mariæ de Mercede, de qua in præsentibus dixi. Cui priuilegio, quod attinet ad exemptionem à solutione decimarum de hortis, aut virgultis simile est aliud, quod pro Prædicatoribus adductum est in ipsorum Mari magno §. 26. & pro Minoribus in ipsorum Mari magno §. 28. Quod attinet 29.

verò ad nouaria, quæ sint talia, patet ex dictis *tom.3.verbo Decima quoad Regulares num.11.* & in dicto Mari magno Prædicatorum *circa §.26.* & sufficienter explicatur in hoc priuilegio, dum dicuntur ea, *de quibus aliquis hactenus non percepit*, intellige, fructum. Quamuis autem iuxta dicta *eo §.26.* de Iure communi *cap.Ex part.1.de decim.* Religiosi exempti sint à solutione decimarum de illis, nihilominus ferè omnes Religiones habent circa hoc specialia priuilegia, provt de Monachis Cœlestinis, Cluniacensibus, Cassinensibus, Si Iustinæ, & Vallisolitanis, Camaldulenbus, Siluestrinis, ac de Fratribus S. Mariæ de Mercede, S. Antonij Viennensis, Cruciferis, Carthusianis, & aliis pluribus affert Barbosa *in Collectan. Doctor. in d.cap.Ex parte num.5.* De quo etiam Rebuff. *de decim q.14.n.45.* Moneta *de decim.c.4.num.56.* Renat. Cophin. *Monasticon. lib.2.tit.1.num.5.* Quod attinet etiam ad animalium nutrimenta, iam dixi loco relato ex Mari magno Prædicatorum de Iure communi exemptos esse Religiosos à solutione decimarum de illis, propter *capitulum Ex parte 1. de decim.* Nutrimenta porrò animalium, sunt hordeum, grana, semina, palea, fœnum, & similia, quibus ea vescuntur.

31. Alia ad intentum huius priuilegij habes ex dicendis infra in Mari magno Carmelitarum *circa* § 46. Consule etiam pro hoc, & similibus priuilegiis Mandosium *de priuilegiis ad instar, Glossa 15. num.40.* Castrum Palaum *p.2. tract. 10. disp. vnic. punct. 12.* Hieronymum Rodriguez *in Compendio resol.50.* post alios.

Circa §. 14.

32. IN hoc priuilegio conceditur facultas eisdem Patribus Eremitis S. Augustini ad recipiendum in nouitios quoscumque iam clericos, quam laicos liberos, & absolutos. Quæ quidem facultas licet in Mari magno Prædicatorum §. *16.* & Mari magno Minorum §. 14. concessa supponatur iis Ordinibus, non tamen id ibi expresse conceditur, sicut in hoc loco. Provt etiam habetur in Bulla eiusdem Innocentij pro Ordine S. Mariæ de Mercede, in Bullario huius Ordinis *in Innocent. IV. Bulla 1. num.3.* & pro nostris Carmelitaris ex Sixto IV. in Mari magno §.73. eisdem etiam verbis, de ea aliquid dictum est *tom.1.cap.2.num.25.* & maximè *cap.18.num.60.* ac *4.tom.verbo Prælatus Regularis num. 9.* nihilominus aliqua vlterius addenda, vel pro maiori rei notitia.

33. Et primò quidem hanc facultatem de iure communi competere cuilibet Religioni à Sede Apostolica approbatæ, imo in ipsius approbatione contineri; cum approbate Religionem sit virtualiter, & implicitè ipsi concedere, quidquid pertinet ad conseruationem ipsius, qualis est ista facultas, quia sine illa non posset Religio conseruari. Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 3. disp. 6. q.1. num.4.* Competit autem hæc facultas de iure communi cuilibet Conuentui, seu Monasterio Religionis approbatæ, iuxta dicta *tom. 4. verbo Nouitij, & Nouitiæ Religionem num. 2.* licet propter Statuta particularium Religionum restricta sit, & meritò, solùm ad Conuentus, in quibus magis viget Reformatio, seu ob seruantia Religionis Imo etiam iuxta dicta eo *num.2.* & *tom 1 cap.24 num.13.* propter decretum Clementis VIII. innouatum à Sacra Congregatione Concilij sub Vrbano VIII. non possunt Religiones (quibusdam exceptis) intra Italiæ, & insularum adiacentiũ fines Nouitios recipere nisi in Conuentibus authoritate Apostolica approbatis, itavt receptiones, & professiones aliter factæ irritæ omnino sint & transgressores varias pœnas incurrant. An verò hæc facultas competat Prælatis talium Conuentuum, itavt sine Religiosorum consensu Nouitios recipere valeant, dixi *tom.1.c.13. num.66.* & *tom.4. eo verbo Prælatus Regularis num. 9.* Distinguitur autem hæc facultas recipiendi Nouitios à facultate illos professandi, sicut receptio ad habitum, & receptio ad professionem: etsi enim hoc posterius supponat prius, nihilominus certum est distingui, nam receptio ad professionem est contractus formalis, & purus, quo incorporatur receptus in membrum Religionis, itavt deinceps neque Religio eum expellere, neque ipse Religionem deserere, rebus immutatis, possit. At verò receptio ad habitum est contractus mutabilis, & quasi conditionalis, quo scilicet receptus recipitur probandus, an manere velit in Religione, vel Religio eum retinere. Peirinis *tom.2.de Prælato q.2.c.1.n.3.*

Cum autem in hoc priuilegio concedatur facultas prædictis Religiosis recipiendi ad Ordinem *Clericos*, ideo generaliter loquendo Clerici siue in minoribus, siue in maioribus constituti possunt ad Religionem admitti, cum ex vi huius priuilegij generaliter id concedatur, nec aliquo iure contrarium statuatur, imo etiam iure naturali, & diuino aditus ad maiorem perfectionem nulli præcludi debeat, & status Religiosorum perfectior sit statu Clericorum. Excipiuntur Episcopi, qui nequeunt ad Religiones admitti sine licentia Papæ, iuxta dicta *tomo 1. cap.24.num.11.* non solùm *ex capit. Nisi cum pridem de renunciat. & cap.licet de Regul.* sed etiam, quia status Episcoporum est perfector statu Religiosorum. Quod maximè procedit in Episcopo confirmato, & consecrato, actualiter habente suam Ecclesiam. Nam de hoc maximè loquitur *d.capitulum, Nisi cum pridem*, & in eo præcipuè locum habet omnis ratio, quæ in hoc impedimento assignati potest. Suarez *tom.2. de Relig.lib.6.c.8.n.1.* Peirinis *dicto cap 1 § 2.n.47.* Tamburinus *de Iure Abb. tom.3. disp.6. quæsito.3. num. 3.* Episcopus autem electus cum non sit simpliciter Episcopus, sed secundum quid, id est electus, vt si Episcopus, & Ius *dicti capitis, Nisi cum pridem* solum loquatur de Episcopo simpliciter, & iam desponsato suæ Ecclesiæ, potest Religionem ingredi. Suarez & Peirinis *supra.* Episcopus verò confirmatus licet non consecratus cum iam sit verè Episcopus, habeatque potestatem iurisdictionis, sitque sponsus suæ Ecclesiæ, excluditur etiam ab ingressu in Religionem. Suarez *supra num.2.* Peirinis supra. Idem dic de Episcopis Titularibus, propter eandem rationem, & qui solum per accidens non possunt exercere suum munus. Suarez *num. 5.* Peirinis *supra.* Loquendo autem de clericis beneficiatis, illi quidem possunt ad Religionem admitti sine Papæ licentia, cum iura solum de Episcopis loquantur, & tales beneficiati non obligentur speciali voto perpetuo ad munus suum. Suarez *num. 13.* Tamburinus *n. 8.* Peirinis *num. 48.* Addunt tamen requiri pro eis, quod petat licentiam ab Ordinario, cui subduntur, etsi illam non obtineant. Id tamen negat Suarez *lib.4.in Decalog.cap.25.num.48.* Ad minus tamen, vt puto, requiritur, vt moneant illum de suo discessu, vel vt sciat beneficia illa vacare, saltem transacto Nouitiatu, iuxta dicta *tom.1. cap.2. num.17.* 34.

num. 17. *&* *cap.* 24. *num.* 37. De Abbatibus autem, & Prælatis Episcopo inferioribus habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem in diœcesi ipsis pleno Iure subiecta, idem prorsus dicendum est, quod supra de Episcopis, asserui, quia in his militat eadem prorsus ratio, quæ Episcopis: nam cum in omnibus ad iurisdictionem pertinentibus censeantur Episcopi, solaque consecratione ab eis differant, sunt veri Ecclesiarum suarum sponsi ad instar Episcoporum: quare, Romano Pontifice inconsulto, nequeunt ad Religionem transire, nisi eo modo, quo possunt, & debent Episcopi, vt dictum est. Ita Sanchez *dic.* 25. *num.* 49. Tamburinus *supra num.* 8.

34. Ex eo autem quod in hoc priuilegio concedatur facultas recipiendi ad Religionem *laicos liberos*, *&* *absolutos*, denotatur seruos recipi non posse, nisi iuxta modum præscriptum *tomo* 1. *cap.* 2. *num.* 21. *&* *eo cap.* 24. *num.* 20. Neque etiam Coniugatos, nisi iuxta modum etiam præscriptum eo *cap.* 2. *num.* 31. *&* *eo cap.* 24. *num.* 19. De quibus etiam impedimentis, & Authoribus de ipsis agentibus, dixi aliqua *tom.* 4. *verbo Pontifex Regularis*, *num.* 15. De ære alieno grauatis, seu debitis, & ratiociniis obligatis dixi eo *cap.* 24. *num.* 17. & agunt Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 19. Bartholomæus Vecchius *in prax. Nouit. d.* 2. *dub.* 13. Peirinis *tom.* 2. *de Prælato q.* 3. *cap.* 1. §. 2. *n* 71. *&* *sequentibus* Tamburinus *supra num.* 9 *&* *sequentibus* post alios. De grauatis autem debitis incertis quid sentiendum, dixi *super Mare magnum Prædicatorum circa* §. 27. & *super Mare magnum Minorum circa* §. 29.

35. Specialiter tamen inquiri potest, an per *liberos*, *&* *absolutos*, qui solum ex vi huius priuilegij admitti permittuntur in Religione, intelligi etiam possint illi, qui habent parentes in graui aut extrema necessitate constitutos, & idem est de parentibus habentibus filios in eadem necessitate positos. Nec quæstio est, an licitum sit tales ad Religionem admittere, quia cum iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 2. *num.* 13. *&* *cap.* 24. *num.* 40. non liceat prædictis in Religionem ingredi, neque etiam licebit illos admittere. Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 101. *art.* 4. *&* *quæst.* 189. *art.* 6. *&* *quodlibeto* 3. *art.* 16. Passatellus *in Nota. ad priuileg. Minim. not.* 41. Peirinis *tom.* 1. *de subdito quæst.* 1. *cap.* 9 §. *limitat tamen*, *&* *tom.* 2. *quæst.* 3. *cap.* 1. §. 2. *num.* 69. Tamburinus *supra num.* 6. Sanctorus *Statut. Minor. c.* 2. *stat.* 1. §. 2. Solum ergo procedit quæstio de validitate professionis talium, specialiter propter quoddam dubium modo Romæ agitatum de quodam Religioso, qui post professionem solemnem factam in quadam Religione, iam cassari & irritari prætendebat, propterea quod emissa fuerit ab ipso, matre in extrema necessitate constituta. Fundamentum ipsius erat quod subuenire parentibus est præceptum naturale, & diuinum; ergo cedere illi debet status Religiosus, qui solum est de consilio, ita vt non valeat in tali casu. Confirmatur, quia in illo non obligaret votum simplex Religionis, ergo nec solemne quia eadem est vtriusque ratio.

36. Nihilominus dicendum est talium professionē in Religione validam esse. Ita enim communiter Doctores, nullo quem viderim, excepto, Nauar. *lib.* 3. *conf. de Regul. cons.* 3. *in* 2. *edit. in* 1. *vero cons.* 26. Rodriguez *tom.* 3. *quæst. Regular. quæst.* 1. *art.* 5 *dictio* 4. *&* *tom.* 2. *Sum. cap.* 6. *num.* 4. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæst.* 17. *art.* 8. *clauſ.* 4. Sanchez 4. *in dec. cap.* 20. *num.* 10. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 3 *num.* 34. Suarez *cit. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 1. Vecch. *d.* 13. *dub.* 1. *num.* 9. Porrellus *in Dub. Regul. verbo Nouitij num.* 26. Peirinis *loco relato ex tom.* 2. *num.* 70. non bene referens pro contraria sententia Porrellum, Sanctorus *supra*. Fagundez *in* 4. *præcept. Decalog. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 30. Candidus *tom.* 2. *disq.* 25. *art.* 15. *num.* 6. Tamburinus *supra num.* 18. Commune fundamentum, quia id nullo iure est prohibitum. Non Ecclesiastico, quia nullus textus pro eo extat: non naturali, aut diuino, quia illud facit homines quoad hoc sui iuris, & capaces Religionis, præsertim cum bonum spirituale huius status præponderet bono temporali aliorum, &, quia vt dixi *tom.* 1. *c.* 2. *num.* 13. *&* *c.* 24. *n.* 40. adhuc perseuerante statu Religioso liberum est præfatis exire Religionem ad subueniendum parentibus, vel filiis in tali necessitate constitutis. Probant etiam Nauarrus, & Miranda, quia professio Religionis facta ab excommunicato, etiamsi sit illicita, & valida *cap. cum illorum de sent. excommunicat.* similiter professio debitoris in magna quantitatis, & obligati ad ratiocinia etiam est valida, quamuis sit illicita *cap.* 2. *de obligat. ad ratiocin.* Pariter ergo talium professio valida erit, etsi illicita, & peccaminosa. Adde, professio Episcopi in Religione sine licentia Papæ facta illicita esset, vt dictum est, non tamen inualida, saltem quoad vinculum, vt habet Suarez *cap.* 8. *num.* 8. idem ergo erit in præsenti. Similiter matrimonium illius, qui sic contrahendo impotentem se redderet ad subueniendum parentibus, vel filiis in necessitate extrema vel graui constitutis, illicitum esset, & tamen validum. Pariter ergo in præsenti, professio illorum, qui parentes vel filios in extrema, vel graui necessitate constitutos habent, quamuis sit illicita, valida esse poterit.

Nec fundamentum in contrarium vrget. Ex eo enim quod subuenire parentibus sit de iure naturali, & diuino (idem dico de obligatione parentum erga filios) status autem Religionis solum sit de consilio, sequitur quidem quod illicitè præponatur status Religiosus tali obligationi, non quod inualidè. Etenim iuxta tritum illum ex *cap. Ad Apostolicæ de Regularibus* depromptum; *Multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent.* Idque constat in exemplis adductis. Confirmatio etiam inefficax est, quia cum votum simplex Religionis extra illam factum sit simplex promissio ipsius, multo minoris efficaciæ esse debet, quàm professio in Religione, quæ vltra professionem includit etiam traditionem promittentis ipsi Religioni. Si autem instes, promissio de re illicita non solùm est illicita, sed etiam inualida. Ergo professio talium cum illicita sit, etiam erit inualida. Respondeo cum Sanchez *dict. cap.* 20. *n.* 17. *in solutione ad* 1. id solum intelligi de voto, aut promissione, quæ solum promissionem continent, non autem de iis, quæ continent etiam traditionem, prout contingit in professione. 37.

Pro maiori etiam materiæ notitia nota, aliquos esse casus, in quibus, non obstante parentum graui, imo & extrema necessitate, possint filij licitè Religionem profiteri. Idem dico de parentibus respectu filiorum in simili necessitate positorum. Primus est, quando filius non potest extra Religionem viuere absque periculo peccandi mortaliter, quia ordo charitatis poscit salutem propriam spiritualem anteferre temporali parentum bono. D. Thomas *quodlibeto* 10. *art.* 9. Toletus *in Summa lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 6. Sanchez *d. c.* 20. *num.* 11. post Rossellam, Angelum, Siluestrum 38.

Tabienam,

Tabienam, Cordubam, & Passarellum, Fagundez *supra num.* 21. Vecchius *de Nouitiatu disp.* 2. *dub.*8.*num.*17. post Suarez, Sayrum, & Graffium, Candidus *supra num.* 3. post alios etiam. Secundus est, quando parentes prouocarent filios ad peccandum, itavt probabiliter filiorum lapsus timeretur, propter eandem rationem. S. Thomas 2.2. *quæst.*101. *art.*4. *ad* 1.*&* 3. Caietanus *ibidem*. Sanchez *num.* 12. Fagundez, & Candidus *supra*, Vecchius *num.*15. post Mirandam & alios Tertius est, quando parет vel mater habent alios filios, vel alium modum, quo suæ necessitati succurere possint: quia tunc eximitur filius à tali obligatione, & potest prospicere propriæ vtilitati, maximè spirituali. D. Thomas *d. art.* 4. *ad* 2. *eo quodlibet.* 3. *art.* 6. Sanchez *supra num.*3. Vecchius *num.*14. post alios. Quartus, cum filius non habet spem probabilem subueniendi necessitati parentum manendo in sæculo, quia tunc impossibile reputatur tale adiutorium, iuxta glossam *in l. in condemnatione, in princip. ff. de reg. iur.* Sayrus *in claui Regia l.*7. *cap.*6. *num.*9. Vecchius *supra, num.* 1. alios etiam referentes. Quid verò dicendum pro casu dubij talis excusationis, habes apud Bartholomæum à S. Fausto *lib.*5. *de Religioso stat. quæst.*142. & Candidus *supra*.

39. Alia pro hac materia de facultate recipiendi Nouitias, habes infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §.73. &, pro prædictis volentibus intrare Religionem habentibus parentes, vel filios, fratres, aut sorores, &c. in graui aut extrema necessitate constitutos, aut id vouentibus, habes multa apud P. Candidum eo *art.*15.16. *&* 17.

Circa § 15.

40. De simili priuilegio ac prohibitione facta professis ad non discedendum sine licentia pro Prædicatoribus dixi super eorum Mare magnum, *circa* §. 20. & pro Minoribus etiam super eorum Mare magnum *circa* §. 21. vnde dicta ibidem, & locis ibi relatis ad huius etiam priuilegij maiorem intellegentiam spectant. Expendenda verò sunt illa verba *Absque communium litterarum vestrarum cautione*, quæ non habentur in Mari magno Prædicatorum, aut Minorum, vbi solum sic, *Absque cautione litterarum alterius ipsorum*, quæ idem important, scilicet litteras patentes Prælatorum, quibus conceditur facultas Religiosis ad eundum aliquò. Dicuntur autem, vt puto, litteræ *communes* ad distinctionem litterarum quarundam, quæ *formatæ* dicebantur, de quibus *dist.*73. *cap.*1. *&* 2. *& de consecrat dist.*5.*cap.non oportet*. ac inter Doctores Gratianus *in princip. d. dist.*73. Suarez *de Relig. tom.*2.*lib.*3. *de voto cap.* 4. *num.*9. & Barbosa *in collect. DD. in d. dist.* 73. Dicebantur autem *formatæ*, quia certa ac præscripta forma litterarum Græcarum scribebant, & per eas mittebantur clerici ad alia loca, vt ex præfatis iuribus inferunt relati authores. Quibus iungitur Baronius *tom.*2. *Annal. ann. Christ.*142. vbi de variis generibus litterarum, quæ olim erant in vsu Ecclesiæ. Vt ergo Pontifex innueret, quod ad mittendum aliquem Religiosum ad alium locum non sint necessariæ dictæ litteræ *formatæ*, aut similes, sed solum ordinariæ, & communes Prædicatorum, ideo, vt puto, in hoc priuilegio dicitur *Absque communium litterarum vestrarum cautione*.

41. Per verba illa *Regularem sententiam* intelligitur etiam, vt credo, excommunicatio; tum quia ea exprimitur in similibus priuilegiis aliorum Mendicantium, tum quia cum ea variis nominibus vocetur in sacris canonibus & diplomaribus Pontificiis, scilicet *districtio Ecclesiastica, anthema, maranatha, mors, medicina, mucro, virga ferrea, neruus Ecclesiasticæ disciplinæ*, de quibus Sayrus, Vgolinus, Bonacina, & alij Authores, qui de ea loquuntur, potuit etiam hoc nomine à Papa in hoc priuilegio appellari. An verò denotent ista verba aliam censuram præter excommunicationem; dicam inferius in Mari magno Carmelitarum *circa* §.74.

Nota præterea contenta in hoc §. haberi etiam in Bulla Innocentij pro Ordine S. Mariæ de Mercede, de qua in præcedentibus, eo excepto, quod in alia non ponitur illa Clausula: *Quod si quis forsan. retinere præsumpserit*, &c. sicut habetur hoc loco vide alia infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §.74.*&* 91. & Minimorum *circa* §. 13. Vbi similia priuilegia habentur. 42.

Circa §. 16.

Plura dici possunt circa contenta in hoc priuilegio, nisi de ipsis, alia in Superioribus dicta fuerint; alia nihilominus addenda pro maiori rei notitia. Et primò quidem priuilegium de non cogendis Fratribus ad Synodos, explicatum est nō solùm *tom.*1. *cap.*11.*num.*20. sed etiam super Mare magnum Prædicatorum *circa* §.30.*&* 31. Per *Conuentus forenses* ad quos vt Pontifex præcipit, non possunt cogi ab Episcopis isti Religiosi, intelligi videntur *Conuocationes* ipsorum Episcoporum de quibus fit sermo *in Mari magno Prædicatorum* §. 30. *& in Mari magno Minorum* §. 33. Etsi enim Conuentus appellatione veniat Congregatio Regularium, Panotmit. *in cap. Edoceri notab. vltimo, de rescript. & in cap. Cum Ecclesia, notab.*3.*de caus. possess. & propr.* Philip. Franc. *in cap. Si Relig. vers. nota, de elect. lib.*6. quod refert, & sequitur Rebuff. *ad l.*3.*vers. Insuper. ff. de verb. significat. pag.*30. Nihilominus aliquando in proprio significatu appellatione Conuentus venit sæculariū Congregatio. Card. Tusch. *pract. conclus. tom.* 2. *litter. C. conclus.* 1031. *& tom.*6. *litter. P. conclus.*706.*num.*2. *&* 3. Barbosa *de appell. verb. Iur. appellat.*61. Vocantur autem Conuentus *Forenses*, quia ad forum iudiciale pertinent. Ab illis autem eximit Pontifex istos Religiosos quoad personas, & bona, prout colligitur etiam ex verbis sequentibus, *vel in iudicio sæculari de propria substantia, vel possessionibus vestris subiacere compellat*. De qua materia dixi *tom.*1.*cap.*11. fere per totum, *& tom.*3.*verbo Causa iudicialis Regularium, verbo Delinquens Regularis*, verbo *Episcopus quoad Regulares*, & verbo *Exemptio Regularium*, & verbo *Immunitas Ecclesiastica Regularium*. 43.

Circa priuilegium illud hoc loco concessum, scilicet, quod Episcopi non possint venire ad domos præfatorum Religiosorum *causa Ordines celebrandi*, nota, quod quamuis Bordonus *Resolut.*7. *num.* 108. dicat *ex Clem.* 2. *de priuileg. iuncta gloss. ibidem, verb. Celebrare*, & quadam declaratione Sacræ Congregationis, seu decreto Clementis VIII. haberi, possit Episcopum in domibus Regularium tenere ordinationes; nihilominus ex *dict. Clement.* solum habetur posse Episcopum in locis suæ diœcesis *populo benedicere, laudare diuina officia, & ea etiam celebrare, & in sua præsentia facere celebrari*; Glossa etiam nihil habet ad intentum; decalratio quoque illa, seu decretum parum fauet 44.

fauet illi, quia solū ibi habetur Episcopum posse erigere Baldachinum in Ecclesiis Regularium, dum Pontificalia exercet, id est, casu dato quod illa exerceat ibi, *tam ex consuetudine, & priuilegio, quam ex sacrorum canonum Constitutionibus, & Pontificalis Romani præscripto aut alio Iure*, vt videre est in ipsa declaratione, seu decreto, quod attuli *tom.3.verb.Baldachinum n.3.* Ideo, etsi credam Religiosos morem genere Dominis Episcopis volentibus in eorum Monasteriis ordinationes facere; nihilominus existimo ad id nō teneri, propter priuilegium adductum, quod etsi Eremitis S. Augustini & Carmelitis in Mari magno §. 75. concessum tantum sit, alij etiam Mendicantes cum ipsis communicationem priuilegiorum habentes, eo vti possunt, præsertim quia *in d.Clem.* expresse cauetur, ne Episcopus *personis exemptis vel priuilegiatis molestiam inferat vel grauamen, nullumque exemptionibus, vel priuilegiis eorumdem aliud præiudicium generetur.* Accedit quod locus exemptus, & locus extra diœcesim indicantur à pari Doct. *in c.* 1. vbi Anchar. *num.* 10. Gemin. *num.* 17. & Franc. *in §.Statuto, num.*10 *de constitut.* cum aliis per Roland. *conf.*33.*num.*23. *vsque ad finem, & seqq.lib.*3. Henriq. *in Summ. lib.*7. *cap.*15.§.4. vbi *gloss.litt. F.* Erasmus Cochier. *de iurisdiction. Ordin.in exempt. part.*2.*quæst.*1. Barbosa de *offic.& potest.Episcop.par.* 3. *allegat.* 80. *num.*9. Rosa *decis.* 107. *num.*3. *ad fin. & seq. par.*2. *diuers.* & Constantien. *iurisdictionis* 10. *Maij* 1611. *coram Ortembergo.* Cum ergo Episcopi non possint Ordinationes facere aut Pontificalia exercere extra suam diœcesim, iuxta doctrinam Concilij Tridenr. pluresque S. Congregationis declarationes, neque etiam id facere poterunt in Ecclesiis Regularium exemptorum. Vnde in terminis Iuris communis dictæ Clementiæ, & sine priuilegio, de quo in præsenti, id tenent Portellus *in dub. Regul. verbo Processionibus, num.*10. Peirinis *in Const.*26. *Leonis X. n.*45. Tamburinus *de Iure Abbat.tom.*1.*disp.*15.*quæst.*15.*n.*10. & Diana *tract.*2. *de dubiis Regularium resolut.*109. Quare quod dixi *tom.*1. *cap.* 11. *num.*3. ex Erasmo Cochiero, scilicet posse Episcopum in locis exemptis exercere Pontificalia, intelligi debet, vbi est talis consuetudo, & Religiosi non resistunt.

45. Posse tamen Episcopum in Ecclesiis Regulariū prædicare propter declarationem quandam Sacræ Congregationis dixi *tom.* 3. *verbo Baldachinum, num.*4 contra Peirinum, & Tamburinum. Hanc quoque resolutionem propter Sacræ Congregationis declarationem tenent Gauantus *in Manuali Episcopor. verb. Concio. Sacra, num.*1. Barbosa *in Collectan. DD. in Concil.Trident.sess.*24.*de Reform. cap.*4.*num.*3.& Bordonus *supra, num.*25.

46. Non posse tamen in Regularium prædictorum Ecclesiis contentiosam iurisdictionem exercere, habetur non solùm ex hoc priuilegio illis verbis *causas tractandi, vel aliquos Conuentus publicos conuocandi*, sed etiam ex Iure communi *c. Cum Episcopus de offic. Ordin. in* 6. Glossa *in Clement. quamuis, verb. aut eo de foro competen.* Sebastianus Vant *tit. de nullit. art.ex defectu iurisdict. Ordinar.n.*108. Nauarr. *consil.*3. *in antiq.alias* 4.*in nouis, tit.de offic. Ordinar.* Gonzal. *ad reg.*8 *Cancell.Gloss.*43.*num.*180 Campanille *in diuer. Iur. Canon. rubur.* 11. *cap.*23. *num.*151.*versic. Limitatur.* Tamburinus *supra quæst.* 14.*num.*2. Bordonus *dicta resolut.*7. *num.*105. ex variis iuribus, & Doctoribus.

47. Id quod additur in dicto priuilegio, scilicet de Episcopo non se intromittendo in electione Priorum aut eorum remotione, non solùm conforme est generali exemptioni Religiosorum, sed etiam aliis priuilegiis Regularium, præsertim Prædicatorum Mari magno §. 5. & Minorum in eorum etiam Mari magno §. 3. quibus etiam locis aliqua dixi ad interum. Alia quoque infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §.75. vbi de simili priuilegio agetur, & *circa* §.98. in similibus priuilegiis, aliqua etiam *circa* §.76.

Circa §. 17.

PRiuilegium hoc ad habendum consecrationes Altarium, seu Ecclesiarum, Oleum Sanctum, & quodlibet Ecclesiasticum Sacramentum à quocumque Episcopo Catholico in casu quo diœcesani nollent ista concedere gratis præfatis Religiosis, habetur etiam in Mari magno Carmelitarum §. 24. Cæterum reuocatum videtur à Concilio Tridentino *sess.*6. *de reform.cap.vlt.* vbi dicitur: *Nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius diœcesi exercere nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantum.* Potest tamen dici reuocatum non esse, sed manere in sua vi, maxime iuxta limitationem traditam à Leone X. in Concilio Lateranensi pro Mendicantibus, videlicet quando *Ordinarius bis, aut ter requisitus debitis reuerentia, & instantia si legitima causa id recusauerit*, iuxta dicta à simili 3. *tom.verbo Altare num.*5.*& verbo Ecclesia seu Templum, num.* 5. quia dici potest Concilium generaliter loqui, non autem in casu particulari, de quo in præsenti, in quo scilicet diœcesani prædicta facere recusauerint gratis vt debent, vel ad fugiendum simoniæ notam, quæ incurritur, si prædicta fiant propter pretium iuxta dicta 4. *tomo verbo Simonia quoad Regulares, num.*7. Pro quo facit *cap. cum sit Romana de Simonia, cap. statuimus* 1.*quæst.*1 Rodriquez *tom.*1.*quæst.Regular. q.*19.*art.*5 Barbosa *de iure Ecclesiast. lib.*2.*c.*2.*n.*38. Alter Rodriguez *in Compendio Resolut.* 13. *num.* 4. post Mirandam 2.*tom.Man.q* 40.*art.*5.*&* 6. 48.

Specialiter quoad Oleum Sanctum, scilicet infirmorum, constat ex dictis 4. *tom. verb. Oleum Sanctum quoad Regulares, num.* 4. concedi debere ab Episcopis Prælatis Regularibus pro vsu suorum Monasteriorum in administratione Sacramenti Extremæ Vnctionis, tum quia ipsi Prælati sunt veluti Parochi suorum Religiosorum; tum ex declaratione Sacræ Cōgregationis ibi adducta, maximè verò pro Carmelitis ex Bulla Clementis VIII. & pro Cruciferis ex concessione Vrbani III. iuxta ibi dicta, vbi etiam quid in casu, quo Episcopus proprius absit, vel Sedes vacauerit: Nota etiam debere Dom. Episcopos dare istud Oleum Sanctum in ea quantitate, quæ sufficiat pro toto anno, absque eo quòd propter ipsius defectum cogantur Religiosi addere ipsi aliud oleum non benedictum. Ratio est, quia licet id fieri possit, iuxta dicta *tom.* 4. *verbo Oleum Sanctum num.* 5. si tamen quantitas, quæ additur, sit minor, quam Oleum ipsum benedictum, quia tamen in materia Sacramentorū semper quantum fieri potest, obseruari debet, quod sit certa, & indubia, ideo congruum est, vt tale Oleum, quod est materia Sacramenti Extremæ Vnctionis, in ea quantitate cōcedatur, vt non sit necessarium addere ipsi aliud oleum non benedictum. Pro quo videndus Quintana Dueñas *in Singul.tract.*5.*singul.*1.*&* 2. 49.

Nomine autem Ecclesiastici Sacramenti, quo 50.
vtitur

vtitur Pontifex in hoc priuilegio, cum loquatur de illis Sacramentis quæ ab Episcopis recipere debent Religiosi, intelligi videtur Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, cum solum ista ab ipsis recipere teneantur.

51. Vide dicenda infra *circa* §. 21. & in Mari magno Seruitarum *circa* §. 64. vbi permittitur dari refectionem, vel prandium Episcopis in consecrationibus Ecclesiarum, vel altarium. Maxime vide dicenda in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 24.

Circa §. 18.

52. PRiuilegium hoc veluti appendix est ad præcedens, pro casu videlicet, quo vacaret Sedes Episcoporum diœcesanorum, vt scilicet pro eo casu à vicinis Episcopis accepere possint Ecclesiastica Sacramenta præfati Religiosi. Quod quidem quatenus attinet ad Sacramentum. Ordinis, quasi ter sit his tempotibus practicandum, constat ex dictis *tom. 1. c. 14. num. 12. & tom. 3. verbo dimissoria num. 5.* Et super Mare magnum Prædicatorum *circa* §. 8. & super Mare magnum Minorum *circa* §. 6. Maximè propter decretum Clementis VIII. quod retuli ad extensum loco relato ex *3. tom.* Nota etiam simile priuilegium habere Carmelitas ex Sixto IV. in ipsorum Mari magno §. 77. & dicenda in Mari magno Seruitarum *circa* §. 64.

Circa §. 19.

53. HOc etiam priuilegium de benedictione vasorum, & vestium, ac consecratione Altarium recipienda à quocumque Episcopo bene noto, & gratiam ac communionem S. R. Sedis habente, quando non est copia propriorum Episcoporum, appendix etiam est ad præcedentia. Simile aliud Nicolai V. pro Regularibus Tertij Ordinis S. Francisci video apud Bordonum *resol.* 17. *num.* 11. Extat etiam simile in Mari magno Carmelitarum §. 77. Aliud quoque adhuc magis amplum, & extensum pro Congregatione S. Hieronymi Fesulani, refert Sorbus *in addit. ad compend. priuileg. Men. verbo Benedicere Ecclesiastica*, quod dicit à Martino V. concessum. Illud tamen non vidi, nec scio an sit solum viuæ vocis oraculum. Alia quoque retuli *3. tom. verbo Ecclesia num.* 5. Videntur autem illa omnia vacare his temporibus propter decretum Concilij Tridentini superius adducti *num.* 48. vbi decernitur nullum Episcopum posse Pontificalia in alterius diœcesi exercere nisi de licentia proprij Episcopi diœcesani. An verò subsistant pro casu quo diœcesani bis, aut ter requisiti sine legitima causa id facere recusauerint, tractat Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 19. art. 4.* & resoluit probabilem sibi esse partem affirmatiuam. Quod etiam sequitur Miranda *tom. 2. Manualis Prælator. quæst. 39. art. 1.* quorum fundamentum est, quia ita videtur esse iure communi concessum, *cap. 1. de supplen. negligen. Prædicator.* provt etiam dixi *tomo 3. verbo Altare. num. 5. & verbo Ecclesia, seu templum num. 5.* Vbi alia ad intentum.

54. Adde nec videri reuocatum à Concilio priuilegium, de quo in præsenti, pro casu, quo loquitur Pontifex, scilicet, quando non est copia Episcoporum, vt est, quando Fratres sunt in locis remotis ab illis, in quibus degunt Episcopi diœcesani, vt contingere poterit in Indiis, Brasiliæ, &c. tunc enim si esset necessitas celebrandi, & non esset Altare aliquod cōsecratū, si transiret aliquis Episcopus Catholicus benè notus ipsis Fratribus, is posset eorum Altaria consecrare, iuxta dicta etiam eo *verbo altare, num. 4.*

Circa §. 20.

DE facultate hic istis Religiosis concessa ad celebrandum diuina officia tempore interdicti generalis, plura dicta sunt in præcedentibus, dum de simili, & ampliori priuilegio loquerer, super Mare magnum Prædicatorum *circa* §. 10. & 40. & super Mare magnum Minorum *circa* §. 8. & 39. ac *tom. 1. cap. 21. num. 19. & tom 2. cap. 1. n. 21. & tom. 3. verbo Interdictum quoad Regulares, præsertim num. 28.* Nota autem, quod, provt in simili dixi de priuilegiis Prædicatorum, & Minorum, priuilegium hoc conforme iam est post tempora Bonifac. VIII. iuri communi *cap. Alma mater, de sent. excommunicat. in 6.* Hoc verò priuilegium, & alia contenta in hoc Mari magno ab hoc §. vsque ad 30. habentur etiam in Bulla Innocentij IV. pro Ordine S. Mariæ de Mercede, de qua in præcedentibus diximus. 55.

Circa §. 21.

HOc priuilegium appendix etiam est ad ea, de quibus supra §. 17. 18. & 19. nihilominus aliquid speciale continet explicatione dignum: videlicet, facultatem recipiendi Ordines, Chrisma, Oleum, consecrationem altarium, & basilicarum ab aliis, quam ab Episcopis Diœcesanis, in casu quo ipsi ritè, & catholicè S. R. Ecclesiæ communionem non habuerint, aut sine aliqua prauitate ea exhibere noluerint. In quo duo continentur, alterum explicitè, alterum verò implicitè. Explicitè quidem, quod extra prædictos casus talia recipi debeant ab Episcopis Diœcesanis. Quod est de iure communi non solùm propter decretum Concilij Trident. relatum *supra*, sed propter *cap. veniens, de præscrip.* vbi Abbas *not. 2.* Glossa *in cap. Abbatibus 17. quæst. 2* Francus *in capitul. 1. num. 7. de priuileg. in 6.* Barbosa *in d. c. veniens num. 2. & de offic. potest. Episcop. Allegat. 105. num. 65.* Quibus iunge Erasmum Cochier, & Nouarium, quos ad hoc intentum retuli *tom. 3. verbo Episcopus quoad Regulares num 15.* & declarationem S. Congregationis, quam ipse Nouarius affert. Implicitè autem, quod si prædicti Episcopi communionem S. R. Ecclesiæ non habuerint, aut illa conferre noluerint dictis Regularibus *sine aliqua prauitate*, non teneantur ab ipsis ea petere. Hæc etiam est natura dictionis *Si*, vt maximè iuncta verbo futuri temporis (provt hic contingit) habeat vim conditionis vt *in l. 1. ff de cond. & demonstr. & in l. quibus diebus §. quidam Tertio, ff. eod. tit. & in l. quis ff. de verb. obligat.* noant communiter Doctores, quorum plures cum Rotæ decisionibus affert Barbosa *in tract. de dict. dict. 364. num. 1.* Conditio autem talis etiam naturæ sit, vt ipsa omissa; dispositio non sortiatur effectum *l. qui hæred. l. Mæuius ff. de condit. & demonstr.* Tiraq. *de retractu, tit. 2. §. 2. Glos. 1. art. 3. & 4.* Menoch. *cons. 60. n. 48. & cons. 69. n. 72.* Garc. Gironda *de explicat. priuileg. & exemp. num. 667.* Cald. Pereira *de potest. eligendi cap. 2. num. 16. & cap. 4. num. 30.* Guttier. *pract. lib. 1. q. 17. num. 11.* Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 5 num. 2.* Rota *decis. 315. num. 3. apud Farin. par. 1. recent.* Grat. *Cons. 12. num. 22. vol. 2.* Paris. *cons. 97. num. 86. lib. 2.* 56.

Card.

Card. Tusch. *pract. concl tom. 2. liter. C. concl.* 483. *n.* 8. & alij apud Barbosam *in axiomatibus Iuris. axiom.* 48. *num.* 1. Plura etiam in sequentibus.

57. Qui verò in præsenti priuilegio sint Episcopi, qui *catholicè, & ritè gratiam, & communionem S. R. Sedis habuerint*, inquirendum est. Et dicendum primò, esse alios, qui non sunt hæretici, sed Catholici; illi enim non habent *ritè, & Catholicè* communionem S. Romanæ Sedis. Pro quibus vide, quæ dixi *tom.* 3. *verbo Hæresis, & Hæreticus.* Dico 2. intelligi etiã illos, qui non sunt schimatici, sed viuunt sub obedientia Summi Pontificis, eum recognoscentes vt caput vniuersalis Ecclesiæ. Ratio est, quia schismatici è contra cum se subtrahant ab obedientia Summi Pontificis, non possunt dici habere communionem cum Sacrosancta Romana Ecclesia. Pro quo vide dicta eodẽ 3. *tom. verbo Bulla Cœnæ num.* 9. Vnde fit primò, illum Episcopum, qui contempto Summo Pontifice facit, aut tentat facere Synodos generales, creare Episcopos, & similia, esse schimaticum, ac per consequens non haberec ommunionem cum Sacrosancta Romana Ecclesia. Farinacius *de hæresi quæst.* 184. *n.* 8. Santarellus *de hæresi cap.* 43. Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 1. *quæst.* 56. *num.* 7. Carena *de officio S. Inquisit. part.* 2. *tit.* 3. §. 10. *num.* 28. Fit etiam 2. illum Episcopum dicendum esse Schismaticum, & non habere communionem cum Sacrosancta Romana Ecclesia, qui renuerit communicare cum Catholicis, & veris membris eiusdem Ecclesiæ. Farinacius *supra num.* 9. Duardus etiam *num.* 9. Sanchez *lib.* 2. *Summæ c.* 36. *n.* 2. Carena *supra, n.* 29. Quia ergo schismatici sunt in triplici differentia. Alij enim sunt diuisi ab Ecclesia quoad obedientiam solùm; vtpote quia cum nullum habeant in fid e errorem, moti malitia, superbia, vel auaritia deuiant ab obedientia Ecclesiæ. Alij verò sunt diuisi ab Ecclesia & quoad obediendiam, & quia nolunt determinationibus Ecclesiæ credere, & hi propriè sunt hæretici. Alij verò illi, qui probabili, & insuperabili ignorantia ducti putant aliquem esse Summum Pontificem, qui rectè electus non est provt contingere solet, complures de Papatu disputant, & non est certum in Ecclesia, quia eorum sit legitimus Papa (de qua distinctione Farinacius *dicta quæst.* 184. *num.* 14. Rieillius *de Iure personarum lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 17. *& sequentib.* & Carena *supra n.* 32. *&* 33. post alios idcirco etsi schismatici primi, & secundi generis non possint dici habere communionem cum S. R. Ecclesia propter dicta; schismatici tamen tertij generis possunt dici habere illam, nec esse propriè schismaticos; quia iuxta dicta eo verbo *Bulla Cœnæ num.* 9. illi non recedunt ab obedientia Summi Pontificis formaliter vt talis, sed huius personæ, quam credunt non esse talem. Valentia, & Naldus eo loco relati, ac Carena *supra num.* 33. Idem dico de Episcopis excommunicatis, aut qui nolunt obedire Summo Pontifici, vel ob odium particulare quod contra ipsius personam habent, vel ob grauitatem rei quam præcipit, vel tamquam domino temporali, & in re tẽporali. Isti enim nõ sunt schismatici, aut se subtrahentes obediẽtię Summi Pontificis, vt talis est. Duardus *supra n.* 4. Sãctarellus *n.* 9. Sanchez *n.* 3. *&* 4. Carena *n.* 30.

58. Ergo ad intentum, cum in hoc priuilegio conceditur Eremitis S. Augustini facultas ad non suscipiendum ea, quæ spectant ad Ordinem Episcopalẽ, ab Episcopis, qui non habent communionem S. R. Sedi; per tales Episcopos intelliguntur hæretici, vel schismatici primo, & secundo modo ex adductis, non tamen alij, etiamsi sint excommunicati, inobedientes, aut infensi personæ Summi Pontificis, vt dictum est.

Si verò petat an possunt præfati Religiosi petete aut accipere prædicta, quæ pertinent ad Ordinem Episcopalem, ab illis Episcopis, qui non habent communionem cum S. R. Ecclesia hæreticis videlicet, vel schismaticis primo, & secundo modo relatis. Respondeo primò, si prædicta ab ipsis accipiantur, validè recipiuntur. Ratio est, quia quamuis heretici, & schismarici priuentur omni Ecclesiastica potestate *cap. didici* 24. *q.* 1. hoc tamen intelligitur quantum ad potestatem iurisdictionis, non quantum ad potestatem Ordinis, ad quam pertinent prædicta; nam potestas Ordinis indelebilis est, & inamissibilis, S. Thom. 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. noster antiquus Doctor Michael de Bonom *in* 4. *dist.* 25. *q.* 4. Bañez *ibid.* Azorius 1. *p. Instit. moral. lib.* 8. *cap.* 20. 3. 9. Bonacina *de Cens. in Bull. Cœnæ contentis disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 5. *num.* 8. Marchinus *de Sacrament. Ordin. Tract.* 1. *p.* 2. *cap.* 15. Vnde in specie huius difficultatis consecrationes, vel benedictiones receptas ab excommunicato vitando; eò quod pertineant ad potestatem Ordinis, tenet Bonacina *de Sacrament. disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 2. §. 4. *n.* 5. ex Siluestro, Tabiena, Sayro, & aliis quibus iunge Candidum *tom.* 4. *disquisit.* 4. *art.* 3. *num.* 40. Respondeo secundò, si prædicta ab ipsis petantur in casu, quo sequatur scandalum, aut nota communicationis cum illis in schismate, vel hæresi, illicitè id fiet, maximè si adsit periculum peruersionis. Etenim ius etiam naturale, & diuinum iubet euitari scandalum, aut similem notam, seu periculum, iuxta doctrinam communem Theologorum loquentium de communicatione cum similibus personis in talibus casibus. Respondeo tertiò, cessantibus tamen præfato scandalo; nota, aut periculo possunt licitè prædicta à talibus postulari, in casibus necessitatis, quantumuis illi sint excommunicati, etiam non tolerati. Ratio etiam sumitur ex communi doctrina Thologorum asserentium Sacramenta posse postularis à similibus personis, quantumuis censura, & impedimento affectis, etiam non toleratis, propter necessitatem postulantium, & quia Ecclesia non præcipit contrarium. De quo Bonacina *loco relato de Sacram. num.* 7. ex aliis. 59.

Ex dictis autem intelligi potest, cur in isto priuilegio, de quo in præsenti, Pontifex dicat; *Et ea vobis voluerint sine prauitate aliqua exhibere.* Ad denotandum videlicet, quando præfata Sacramenta, Consecrationes, &c. noluerint Episcopi Diœcesani dictis Religiosis exhibere nisi simoniacè, iuxta dicta superius *circa* §. 17. aut suadendo ad aliquid malum, præsertim contra authoritatem, & communem cum S. R. Ecclesia, vt dictum est, possint ea ab aliis postulare. 60.

Circa §. 22.

Priuilegium hoc loco Fratribus Eremitanis concessum, quòd scilicet nullus intra fines locorum ipsorum possit sine assensu illorum Capellam, & Oratorium de nouo construere, Ius commune videtur; cùm in fundo alterius nullus possit ædificare sine Domini fundi consensu; si autem ædificauerit, etiamsi propria materia id fecerit, ædificium erit illus, cuius est solũ *l. adeo*, §. *cũ in suo, & §. ex diuerso, & Instit. de rer. diuis.* §. *Cũ in suo.* Laymanus *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 21. §. *Dico quinto,* 61.

L &

& alij communiter. Videtur etiam inutile positis priuilegiis tam huius, quam aliarum Religionum, quibus cauetur, ne alij circa Monasteria Regularium Ecclesias aut similia ædificent. Si enim iuxta illa id facere nequeunt, multò minus intra fines illorum id poterunt. De his autem priuilegiis dixi 4. *tom. verbo Monasteria Regularium, num.* 19. Deinde, si iuxta dicta eodem verbo *Monasteria Regularium, num.* 23. sæculares prohibentur erigere domos circa Monasteria Regularium, ita vt ab ipsis cerni possint Religiosi, multò ergo magis prohibitum erit fabricare aliquid intra terminos Monasteriorum, provt in hoc priuilegio conceditur. Accedit quod nullus potest nouam Ecclesiam construere cum præiudicio alterius, *cap. Ecclesiæ, cum seqq.* 16. *q.* 1. & si cum tali præiudicio Ecclesia construeretur, esset destruenda. *cap.* 1. & per totum, *de nou. oper. nonciat.*

62. Dicitur in hoc priuilegio nullum *sine assensu Diœcesani Episcopi* posse intra fines locorum dictorum Religiosorum *Capellam, & Oratorium de nouo construere*, quia sine illius consensu Ecclesiam aut aliquid huiusmodi ædificari non posse, probant *text. in cap. Nemo, & in cap. Placuit. de consecr. dist.* 1. *& in cap. Adhæc, de Religios. domib. & in cap. Cum olim,* 14 *vers. Insuper de priuileg. Auth. de Eccles. tit.* §. *Si quis autem collat.* 9. *& auth. de Monachis, vers. Illud igitur, coll.* 1. notant Roch. *de iure patron. verb. Construxit, n.* 8. Lambert. *eod. tract. art.* 3. 2. *q. princ.* 1. *p. lib.* 1. *n.* 3. *cum seqq.* Petrus Gregorius *in suis partit. lib.* 1. *tit.* 4 *c.* 5. Selu. *de benefic. part.* 1. *q.* 6 *à n.* 9. Paulus Fusc. *de visitat. lib.* 2. *c.* 10 *num.* 2. Zerola *in prax. Episcop. part.* 1. *verb. Ecclesia in princ.* Idē Petr. Gregor. *Syntag. iuris. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 10. Piasec. *in praxi noua Episcop. part.* 1. *c.* 5. *à num.* 1. & alij apud Barbosam *de officio, & potestate Episcopi p.* 2. *allegat.* 26. *n.* 1. De quo etiam aliqua dixi *eo verb. Monast. Regular. n.* 3.

63. Quod dicitur in hoc priuilegio *Capellam, & Oratorium*, idem est, ac Capellam seu Oratorium. Tum quia iuxta dicta *tom.* 3. *verbo Dictio num.* 19. dictio hæc, *Et*, aliquando ponitur pro *Seu*. Tum quia in huiusmodi Bulla, provt à Laurentio Empoli copiata fuit, expressè dicitur *Capellam, seu Oratorium.*

Circa §. 23.

64. PRiuilegium hoc de immunitate horum Religiosorum ab exactionibus quibuscumque imponendis à quibusuis personis siue Ecclesiasticis, siue sæcularibus communissimum est inter Regulares, & de eo plura dicta sunt non solùm supra Mare magnum Prædicatorum *circa* §. 35. & supra Mare magnum Minorum *circa* §. 36. sed etiam 3. *tomo verbo Gabella, quoad Regulares, & verbo Immunitas Ecclesiastica Regularium, & 4. tom. verbo Statuta.* Et ita sufficienter pro hac materia, præsertim cum de illa iterum agere debeam circa Mare magnum Carmelitarum §. 46. vbi etiam alia.

Circa §. 24.

65. DE hoc quoque priuilegio ad libertatem sæpulturæ in Ecclesiis huius Religionis plura dicta sunt supra Mare magnum Prædicatorum *circa* §. 28. & supra Mare magnum Minorum *circa* §. 30. 31. 41. & in hoc eodem Mari magno *circa* §. 2. *&* 3. Quibus si adiungas, quæ de eadem materia dixi 3. *tom. verbo Defunctus, & 4. tom. verbo Sepultura quoad Regelares*, abundè satis de hac materia dictum erit. Alia etiam dabo in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 57. *&* 80.

Circa §. 25.

PRiuilegium hoc de facultate redimendi hortos, & siluas ad Ecclesias istorum Religiosorum spectantes de manibus eorum, à quibus detinentur, amplam nobis tribuit materiam disserendi de bonis Regularium, capacitate ad ea possidenda, prohibitione ad ea alienanda, & aliis huiusmodi. De quibus latè egi *tom.* 2. *c.* 19. *per tot. &* 3. *tom. verbo Administratio, & administrator, & verbo Alienare, & alienatio, & verbo Bona Regularium num.* 9. *&* 10. Specialiter tamen, quoad intentum huius priuilegij qualiter damnificantes, seu occupantes bona Regularium variis pœnis, & censuris afficiantur, propter varia etiam Religionum priuilegia, dixi *eo cap.* 19. *num.* 51. *& eo verbo Bona Regularium in num.* 9. Quia verò in præsenti sermo videtur esse de huiusmodi bonorū alienatione, ita vt ea non obstante, restitui præcipiantur à Papa Religiosis domibus, ad quas spectabant: ideo operæ pretium videtur, agere de arboribus, quæ in huiusmodi hortis, & siluis nascuntur, an scilicet inpossint, vendi, aut alienari à Regularibus, non obstantibus Bullis; seu decretis Pontificiis prohibentibus alienationem bonorum Regularium. Dubium sanè vulgare satis inter illos, & de quo non semel consultus ab ipsis fui. 66.

Pro cuius maiori luce notandum primò, arborem dici, quæ solo radices egit, & durioris ligni est. Vulpianus *l. vitem ff. arbor. furt. cæs.* Montolonius *in promptuar. iur. verb. Arbor. litter. D.* Filiucius *tract.* 44. *de alienat. rer. Ecclesiastic. c.* 4. *dub.* 7. Vnde infert primò, quod id quod solo infixum est, & radices non egit, vt sunt trabes, pedamentum, arundices siccæ, &c. arbores non esse. Secundò, quòd id quod est tenerum, & molle, etiam si radices egerit, arborem non esse, sed herbam, aut fruticem. Tertiò, arbores esse dicendas, vites, oleas, hederas, & similia. Vulpianus *supr.* & cum eo Doctores *ibid. & ff. de arbo. cæd.* Filiucius *supra.* 67.

Nota secundò, arbores esse in duplici differentia, aliæ enim sunt fructiferæ, vt oleæ, ficus, pirus, &c. aliæ verò infructiferæ, vt vlmus, salices, & similia. An verò quercus dici debeant fructiferæ, vel infructiferæ, Bonacina *de contractibus disp.* 3. *q.* 8. *punct.* 4. *num.* 19. refert ex Afflicto, & Quaranta partem affirmatiuam, quam non impugnat. Et tamē parti adhæteo, quia quercus fructificāt glandes, quibus vescūtur aliqua animalia, & etiā homines. 68.

His positis dico primò, incisio arborum quarumcumque est propria speies alienationis, ac proinde prohibita Ecclesiasticis, & Regularibus eo iure, quo prohibita est alienatio bonorum Ecclesiæ, & sub eisdem pœnis, & censuris. Ita communiter DD. *l. si fundum.* §. *fin. l. seqq. ff. de vsufruct. l. diuortio* §. *si fundum ff. soluto matrimonio*, ex quibus plures refert, & sequitur Filiucius *supra dub.* 6. Quibus etiam iunguntur Nauarrus *lib.* 3. *consil. de reb. Eccles. alien. consil.* 7. *num.* 2. Quaranta *in Summ. Bullarij verbo Alienatio rer. Eccles. num.* 33. Bonacina *supra* Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Constit.* 9. *Iulij II. num.* 23. Ratio est, quia incisio arborum est quædam destructio illarum, sicut destructio domus, ergo est propriè alienatio ipsarum; nihil enim magis alienatur, quam id, quod destruitur, cum illud amplius in potestate domini non maneat. Quia ergo arbores istæ sūt res immobiles, provt ex variis Doctoribus tenet Filiucius *supra*, & sequitur Peirinis, vel ad minus sunt res mobiles pretiosæ, e 79.

ſæ, provt indicat Nauarrus *ſupra*, & ſequitur Bonacina etiam *ſupra*, manifeſtè ſequitur, eas incidentem tranſgredi iura prohibentia alienationem rerum Eccleſiæ, & incidere in eaſdem pœnas, & cenſuras. Ea enim iura omnino interdicunt alienationem bonorum immobilium, ſeu mobilium pretioſorum Eccleſiæ, vt conſtat ex iis, quæ adduxi *tom.1.cap.10.à num.1.& tom.2.cap.19. num.59.& tom.3.verbo Alienatio, ſeu alienare*. Vnde fit incidi non poſſe arbores quaſcumque ex ſiluis, hortis, aut ſimilibus locis ſine ſolemnitate de iure requiſita ad alienationem bonorum Eccleſiæ, ac præſertim ſine Sedis Apoſtolicæ licentia, provt in prædictis iuribus cauetur.

70. Sunt autem aliqui caſus, in quibus id fieri poteſt. Primus, ſi arbores inciſæ ſiue non fructiferæ, ſiue etiam fructiferæ, ſint in parua quantate, vna ſcilicet, vel duæ, aut tres. Ratio eſt non ſolum, quia hoc cenſetur paruitas materiæ inſufficiens ad incurrendas graues pœnas, quæ impoſitæ ſunt contra alienantes bona Eccleſiæ; ſed etiam, quia in æquiualentibus eadem ratio ſeruatur.*l.1.ff.leg.1.* conſtat autem ex dictis eo verbo *Alienatio, ſeu alienare n.7.* poſſe alienari ſine licentia, aut ſolemnitate requiſita terrulas exigui valoris, minus vtiles, aut longe poſitas, ſi adſit neceſſitas, ergo idem dici poteſt de inciſione arborum. Rota in vna Melitenſi *Beneficij* coram Andrea *in 2.part. deciſ. Farinacij tom.4.deciſ.553.* Filiucius *ſupra.dub.8.* Peirinis *ſupra n.22.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom.3. diſp.23.q. 3. num. 5.* Secus tamen eſſet, ſi arbores illæ, etſi numero paucæ, eſſent tamen magnæ æſtimationis, vel quia extraordinariæ, ſingulares, aut propter aliam rationem; quia tunc non cenſerentur parua materia.*l.æquiſſimum,C.de vſufruct.* Filiucius *ſupra q.10.* Peirinis, & Tamburinus *ſupra*.

71. Secundus, etiam quando eſſent in magna quantitate, ſi tamen illæ eſſent inutiles, aut nociuæ fundo, vel prædio, quia videlicet ob nimiam denſitatem, vel vmbroſitatem impedirent, ne aliæ arbores creſcerent, aut fructum facerent; nam talium cœſio vtilis eſt, & bona.*ſupra,* Nauarrus *ſupra conſ.6.* Rodriguez *tom.1. quæſt. Regul. quæſt.27. art.4.* Quaranta, *ſupra,* Peirinis *num. 18.* Tamburinus *num.2.* & ego *tom.1. cap.10.num.4.& tom.3.verbo Alienatio, ſeu alienare num.16.*

72. Tertius, iuxta dicta *eo num. 16.* quando loco earum arborum, quæ inciduntur, reponuntur aliæ fructiferæ, ſeu magis fructiferæ; tunc enim eſſet vtilis fundo talis inciſio. Quaranta *ſupra,* Peirinis *num.19.* Tamburinus *num.3.* contra Filiucium *ſupra quæſt.14.*

73. Quartus, quando inciderentur arbores veteres, vt earum loco reponantur nouæ eiuſdem, vel alterius qualitatis, vtiliores tamen, quam inciſæ; propter eamdem ratioñe. Rota *ſupr.* Quaranta *ſup.* Peirinis *n.20.* Tamburinus *n.4.* plures alios referens.

47. Quintus, & præcipuus cauſus, in quo incidi poſſunt arbores ſine prædicta licentia, au ſolẽnitate, eſt quando arbores ſunt cæduæ. Pro quo ſuppono, arbores cæduas dici illas, quarum totus, vel præcipuus fructus conſiſtit in inciſione ipſarũ, eò quòd tantum ſunt vtiles ad lignandum, quales ſunt arbores infructiferæ, & ſteriles, & quæ ſunt in nemore, arundineto, &c. inutiles, niſi ſolum, vt ex illis fiant ædificia, fabricæ, &c. *l. Silua, ff. de verb.ſignificat.* Caius *ibid.* Filiucius *ſupra q.11.* Peirinis *num. 21.* Tamburinus *num. 7.* De iis ergo loquendo dico incidi poſſe ſine ſolemnitate, aut licentia Sedis Apoſtolicæ, ſolum pro vtilitate Eccleſiæ. Ratio eſt, quia quemadmodum poſſumus vti fructu arborum fructiferarum ſine periculo alienationis, ita & incidere iſtas arbores cæduas, ſeu infructiferas, quia fructus earum conſiſtit in ipſarum inciſione, cum per inciſionem ſint in fructu, & poſtea renaſcantur, adeo quod per ipſarum inciſionem non deterioretur fundus *l. diuortio §. ſi fundum. cum ſeq.* vbi Bartol. Laſſo *ff. ſol.mat.l. qui fundum §.cum fundum ff.de contrah. empt.l. Silua ff. de verbor. ſignific.* Quaranta *ſupra.* Bonacina *ſupra,* Peirinis *num.21.* Tamburinus *num.7.*

Nota tamen valde non omnem inciſionem arborum iſtarum cæduarum eſſe permiſſam, ſed eam ſolum, quæ fit cum triplici modificatione, ſcilicet temporis, quantitatis, & modi. *Temporis* quidem, vt fiat eo tempore, quo ſecundum regulas agriculturæ fieri debet, quando ſcilicet hæ arbores ad ſuam altitudinem peruenerunt, vel iuxta patriæ conſuetudinem. *Quantitatis* etiam, vt non omnes, ſed pars illarum cædatur, in quo ſimiliter, vt credo patriæ mos obſeruari debet. *Modi* præcipuè, qui in hoc conſiſtit, vt ita cædantur, vt in eundem, vel æquiualentem ſtatum repullulare poſſint Baldus *l.diuortio §. ſi fundum ff Sol. matr* Curtius *conſ. 70.* Alciatus *l. Sylua, ibi* Rebuffus *ff. de verb ſignificat.* Aretinus *d.§. ſi fundum.* Filiucius, & Peirinus *ſupra* Triplex autem hæc modificatio ad vnum reducitur, ſcilicet, quod huiuſmodi arborum cæduarum inciſio fiat ſolum eo modo, vt nihil agriculturæ, & arboribus noceat, & proprietas fundi non deterioretur. Quaranta *ſupra*. 75.

Nota tandem, quod quoties licita eſt arborum inciſio, licita etiam erit earum venditio, diſtractio, vel combuſtio, poſtquam inciſæ ſunt. Quia iam non ſunt bona immobilia, aut mobilia pretioſa. Nauarrus *d.conſ.6.* Rodriguez *ſupra,* Tamburinus *n.2.* Bordonus *Reſol.27.num.18.* 76.

Ex quibus omnibus elicitur, quid dicendum de beneficiario habente in prædiis ſui beneficij aliquas arbores, an ſcilicet illas poſſit incidere, quod quia non multum ad Regulares ſpectat, ideo ſolum dico ex dictis ſolui id poſſe, & conſulendos Quarantam *ſupra,* Filiucium *ſupr. quæſt.12.& ſeqq.* ac Bonacinam *ſupra.* Elicitur etiam ſecundò, quid dicendum de vineæ, aut nemoris inciſione, an ſit vel non alienatio Eccleſiaſticis prohibita, de quo Bordonus *ſupra num. 14. & 18.* Ea enim, quæ ibi dicit, vt verum teneant ad communem ſententiam, quam ſequor, reduci debent, & iuxta eam accipienda. 77.

Pro his ergo hortis, & Siluis redimendis de manibus eorum, qui ea tenent, & ad Eccleſias horum Religioſorum, ad quas ſpectant, reducendi, ſeu reuocandi, conceſſum eſt præſens priuilegium. Conforme ſatis Iuri communi, quod concedit reſtitutionem in integrum Eccleſiis, & locis piis. *cap.1.& 2.de reſtitut.in integrum in 6.* Molina *tom.1. de iuſt. diſp.574.* Bonacina *de contractib. diſp.3. q.1. punct. vlt.* Trullenc. *in Decalog.7.cap.16. dub.7.n.3.* Barboſa *in dict. cap.1.& 2.* 78.

Circa §. 26.

Priuilegium hoc de nemine ſe intromittendo in officium Generalis, ſed à Fratribus legitimè eligendo ſupponi videtur in alio conceſſo Prædicatoribus in eorum Mari magno §.1.& Minoribus in ipſorum etiam Mari magno §.1.& 2.& cum ipſo cohærent dicta *tom. 2. cap. 13. num.10.& tom.4. verbo Prælatus Regularis num. 2.* Spectare autem electionem Generalis ad totum Ordinem, conſtat 79.

constat est iis quæ dixi *tom.1.cap.15. num.1.* & habetur ex *cap. fin. 16. q.7. cap. Abbatem.12. & 18. q.2. cap. Cum dilectus de consuetud.§. iubemus. Authent. de Sanctiss. Episcop.* Doctores *in d.cap.cum dilectus*, maximè Burrius *in 1. lect.num.7.& in 2.lect. num.38. & 45.* Cardinal *num 9.q.1.* Rota *decis.65. num. 1.p.1. in recent.* & alij apud Sigismundum de Bonacina *de elect. Prælat.dub.101.num.1.* & Franciscum Mariam Samuellium *de elect.tract.3.disp.1.* Congregatione autem Capitulum pro electione Generalis spectat ad eum, quem iura, consuetudo, aut priuilegia Religionum designant. *cap. quia inter vniuersos, cap.quia propter, & cap.coram delecto*, vbi Glossa *verbo Prouincia*, Imola, & Panorm.*n.3. de elect.* Rota *decis.288.*coram Mantica.Sigismundus *sup. n. 7. & dub.9.n.1.* Samuellius *supr.concl.6.*

80. Cùm autem dicatur in hoc priuilegio electionem Generalis fieri debere *secundum B. Augustini Regulam*, & ex alia parte dixerim sæpius scilicet *tom.1.cap.15.num.11.& tom.2.cap.2.num.26. maximè tom. 3. verbo Electio inter Regulares num. 3. & tom.4.verbo Prælatus Regularis num. 2.* Seruandam esse in electionibus Prælatorum Regularium formam præscriptam *in cap.quia propter, de elect.* Ideo dubium esse potest quam formam seruare debeant Eremitæ S. Augustini in electione Generalis. Et dicendum proculdubio obseruare debere formam *d.cap.quia propter*, tum quia non est contraria Regulæ B Augustini, tum quia esto contraria esset, illi standum erat, cum sit decisio Concilij Generalis Lateranensis sub Innoc.III.quæ obligat super omnes Regulas,& Constitutiones Ordinum.

81. De aliis spectantibus ad electionem Generalium dixi locis relatis.De quo etiam agunt Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant.verbo Electio*, Sorbus *in Annotationibus ad idem Compendium verbo Electio*, Rodriguez *tom.2.quæst.Regular.q.52.* & alij quos in dictis locis retuli. Alia quoque circa huius priuilegij ampliationem habes infra *in §.49.*huius Maris magni; & in Mari magno Carmelitarum *circa §.81.*

82. Quia tamen tam in hoc, quàm in aliis Priuilegiis huius Maris magni sermo est de Regula Sancti Augustini, eamque huius Religionis Professores præ manibus desiderent, operæ pretium duxi eam hoc loco afferre.

Regula Sancti Augustini Episcopi Hipponensis, & Ecclesiæ Doctoris.

83. ANte omnia, Fratres charissimi, diligatur Deus; deinde proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data. Hæc igitur sunt, quæ vt obseruetis, præcipimus, in Monasterio Constituti. Primum, propter quod in vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo,& sit vobis anima, & cor vnum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vbi omnia communia. Et distribuatur vnicuique vestrum à præposito vestro victus, & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius vnicuique, prout cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum, quia *erant illis omnia communia,& distribuebatur vnicuiq; prout cuiq; opus erat.* Qui verò aliquid habebant in sæculo, quando ingressi fuerint Monasterium, libèter velint illud esse commune. Qui autẽ non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerint. Sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur, etiamsi paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Non tamen ideo putent se esse felices, quia inuenerunt victum, & tegumentum, quale foris inuenire non potuerunt. Nec erigant ceruicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant, sed sursum cor habeant, & terrena vana nõ quærant, ne incipiant Monasteria diuitibus esse vtilia, nõ pauperibus, si diuites illic humiliantur,& pauperes illic inflantur. Rursus etiam illi, qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio Fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt. Magis autem studeant non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperũ Fratrum societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt, nec de suis diuitiis magis superbiant, quia eas in Monasterio partiuntur, quàm si eis in sæculo fruerentur. Alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant; superbia verò etiam in bonis operibus insidiatur, vt pereant. Et quid podest dispergendo dare pauperibus, & pauperem fieri; cum anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo, quàm fuerat possidendo? Omnes ergo vnanimiter, & concorditer viuite, & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti estis.

Orationibus instate horis, & temporibus constitutis. In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit, & si fortè aliqui etiam præter horas constitutas (si eis vacat) orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint. Psalmis, & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum. Quod autem non ita scriptum est, vt cantetur, non cantetur.

Carnem vestram domate ieiuniis, & abstinentia escæ, & potus, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat. Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentione audite, ne solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant verbum Dei. Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec iniustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsi, sed sibi potius gratulentur, quia valent, quod non valeant illi. Et si eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad Monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorumve datur, quod aliis fortioribus, & ideo felicioribus non datur, cogitare debent quibus non datur, quantum de sua seculari vita illi ad istam descenderint, quamuis vsque ad aliorum, qui sunt corpore firmiores frugalitatẽ peruenire nõ potuerint. Nec debent velle omnes, quòd paucos vident amplius (non quia honorantur, sed quia tolerantur) accipere: ne contingat detestanda peruersitas, vt in Monasterio, vbi quantum possunt, fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes delicati. Sanè quẽmadodũ ægrotantes necesse habent minùs accipere, ne grauentur, & ita post ægritudinem tractandi sunt, vt citiùs recreentur, etiamsi de humillima sæculi paupertate venerint, tanquam hoc eis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo. Sed cùm vires pristinas reparauerint, redeant ad feliciorem consue

conſuetudinẽ ſuã, quæ famulos Dei tantò ampliùs decet, quanto minus indigent, ne cibi eos tenent voluptas iam vegeratos, quos neceſſitas leuarat infirmos. Illos ſanè exiſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores. Melius eſt enim minùs egere, quam plus habere. Non ſi notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. Quando proceditis, ſimul ambulate, cum veneritis quò itis, ſimul ſtate. In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Oculi veſtri, etſi iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini, ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Nec ſolo tactu, & affectu, ſed & aſpectu quoque appetitur, & appetit concupiſcentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius. Et cum ſeinuicem ſibimet etiam tacente lingua conſpectu mutuo corda nunciant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis, alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, & illius in ſemetipſum diligit fixum, ab aliis ſe non videri, cum hoc facit. Videtur omnino, & à quibus ſe videri non arbitratur. Sed etſi lateat, & à nemine hominem videatur, quid faciet de illo de ſuper inſpectore, quem latere nihil poteſt? An ideo putandus eſt non videre, quia tanto videt patientius, quantò ſapientius? Illi ergo vir ſanctus timeat diſplicere, ne velit fœminæ malè placere. Illũ cogitet omnia videre, qui velit fœminã malè videre. Illius namque & in hac cauſa commendatus eſt timor, vbi ſcriptum eſt: Abominatio eſt Domino difigens oculum. Quando ergo ſimul eſtis in Eccleſia, vel vbicunque fœminæ ſunt, inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis.

Et ſi hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo veſtrũ aduerteritis, ſtatim admonete, ne malè cœpta progrediantur, ſed de proximo corrigantur: ſi autem & poſt admonitionem iterum, vel alio quoque die idipſum facere videritis, iã velut vulneratum, ſanandum prodat, quicumque hoc potuerit inuenire. Prius tamen eſt alteri, vel tertio demonſtrandum, vt duorum, vel trium poſſit ore conuinci, & competenti ſeueritate coërceri. Nec vos iudicetis eſſe maleuolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non eſtis, ſi Fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim Frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, dum timet ſecari, nonne crudeliter à te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quantò ergo potius debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde? Sed antequam aliis demonſtretur, per quos conuincendus eſt, ſi negauerit, prius Præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglegerit corrigi, ne fortè poſſit ſecretius correctus, non innoteſcere cæteris. Si autem negarit, tunc neganti adhibendi ſunt alij (etiam coram omnibus) vt poſſit non ab vno teſte argui, ſed à duobus, vel tribus conuinci. Conuictus verò, ſecundùm Præpoſiti, vel etiam Presbyteri (ad cuius diſpenſationem pertinet) arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam, quam ſi ferre recuſauerit (etiam ſi ipſe non abſceſſerit) de veſtra ſocietate proiiciatur. Non enim crudeliter hoc fit, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, iudicandiſque peccatis, diligenter, & fideliter obſeruetur cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Quicunque autem in tantum progreſſus fuerit malum, vt occultè literas ab aliquo vel quodlibet munus acceperit, ſi hoc vltrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur, & conuincitur ſecundùm arbitrium Presbyteri, vel Præpoſiti grauiùs emendetur.

Veſtes veſtras in vnum habeatis ſub vno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere poſſint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et ſicut paſcimini ex vno cellario, ſic induamini ex vno veſtiario. Si fieri poteſt; ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnuſquiſque, quod depoſuerat, an aliud, quod alter habuerat, dum tamen vnicuique, provt cuique opus eſt, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, & conqueritur aliquis ſe deterius accepiſſe, quàm prius habuerat, & indignum ſe eſſe, quod non ita veſtiatur, ſicut alius Frater veſtiebatur: hinc vos probate, quantum vobis deſit in illo interiori ſancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis; tamen ſi veſtra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod poſueritis, in vno tamen loco ſub communibus cuſtodibus habete, quod ponitis: ita ſanè quod nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera veſtra in vnum fiant, maiori ſtudio, & frequentiori alacritate, quàm ſi vobis ſinguli propria faceretis. Charitas enim, de qua ſcriptum eſt, quòd *Non quærit, quæ ſua ſunt*, ſic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo quantò ampliùs rem communem, quam propria veſtra curaueritis tantò ampliùs vos proficere noueritis, vt in omnibus, quibus vtitur tranſitoria neceſſitas, ſuperemineat quæ permanet Charitas. Conſequens ergo eſt, vt etiam quis filiis ſuis, aut aliqua neceſſitudine ad ſe pertinentibus, in Monaſterio conſtitutis, aliquam contulerit veſtem, ſiue quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum, non occultè accipiatur, ſed in poteſtate Præpoſiti, vt in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit, præbeatur. Quod ſi aliquis rem ſibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.

Indumenta veſtra ſecundùm arbitrium Præpoſiti lauentur, ſiue à vobis, ſiue à fullonibus, ne interiores animæ ſordes contrahat mundæ veſtis nimitis appetitus. Lauacrum etiam corpori, cum infirmitatis neceſſitas cogit, minimè denegetur. Fiat ſine murmure de conſilio medici, ita vt (etiam ſi nolit) iubente Præpoſito faciat, quod faciendum eſt pro ſalute. Si autem velit, & fortè non expedit, ſuæ cupiditati nõ obediatur. Aliquando enim (etiã ſi noceat) prodeſſe creditur, quod delectat. Denique ſi latens eſt dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid ſibi doleat, ſine dubitatione credatur. Sed tamen vtrum ſanando illi dolori, quod delectat, expediat, ſi non eſt certum, medicus conſulatur. Nec eant ad balnea, ſiue quocumque ire neceſſe fuerit minus quam duo, vel tres. Et ille, qui habet aliquò eundi neceſſitatem, cum quibus Præpoſitus iuſſerit ire debet. Ægrotantiũ cura, ſiue poſt ægritudinem reficiendorũ, ſiue aliqua imbecillitate (etiam ſine febribus) laborantium, vni alicui debet

debet iniungi, vt ipse de cellario petat, quod cuique opus esse prospexerit. Siue autem, qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiant Fratribus suis. Codices certa hora singulis diebus petantur. Extra horam, qui petierit, non accipiat. Vestimenta verò, & calceamenta quando fuerint indigentibus necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt quæ poscuntur. Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: *Qui odit Fratrem suum homicida est.* Quicunq; conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læserit, meminerit satisfactione quantocyus curare quod fecit, & ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Si autem inuicem se læserint, inuicem sibi debita relaxare debent propter orationes vestras, quas vtique quanto crebriores habetis, tantò sanctiores habere debetis. Melior est autem, qui quamuis ira sæpe tentetur, tamen impetrare festinat, vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quàm qui tardius irascitur, & ad petendam veniam tardiùs inclinatur. Qui autem numquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in Monasterio, etiamsi inde non proiiciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite; quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera. Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, etiamsi ipsi modum vos excessisse sentitis, non à nobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda venia ab omnium Domino, qui nouit eos quos plus iusto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.

Præposito tanquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Vt ergo cuncta ista seruentur, & si quid minus seruatum fuerit, non negligenter prætereatur, sed vt emendandum, corrigendumque curetur, ad Præpositum præcipuè pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius est apud vos maior authoritas, referat quod vires, vel modum eius excedit. Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed Charitate seruiente felicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamuis vtrumque sit necessarium, tamen plus amari à vobis appetat, quàm timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Vnde & vos magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur.

Monet Dominus, vt obseruetis hæc omnia tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona vestra conuersatione fragrantes, non sicut serui sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Vt autem vos in libello hoc tanquam in speculo possitis inspicere, ne per obliuionem aliquid negligatur, semel in septimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem sibi quicunque vestrum viderit aliquid deesse, doleat de præterito; caueat de futuro; orans vt sibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.

Finis Regulæ Sancti Augustini.

Circa §. 27.

De priuilegio in hoc §. concesso, in quo prohibetur rapina, furtum, ignis appositio, 84.
sanguinis effusio, hominis captio, aut aliqua violentia in domibus horum Religiosorum, aliqua dixi *tom. 2. cap. 19. num. 51. & tom. 4. verbo Monasteria Regularium num.* 24. Vbi alia etiam priuilegia ad intentum, specialiter circa id quod in eo tangitur de captione alicuius in dictis domibus, quod pertinet ad immunitatem Ecclesiarum, dixi *tom. 3. verbo Immunitas Ecclesiarum, & tom. 4. eo verbo Monasteria, Regularium num. 25. &* 26. & limitandum est tam hoc quam similia priuilegia iuxta moderationem factam à Gregorio XIV. de qua latè dixi locis immediatè relatis.

Pro praxi tamen Regularium circa reos confugientes ad eorum Ecclesia, præter dicta eo verbo 85.
Immunitas Ecclesiarum num. 2. & sequentibus nota confugas, qui commiserunt delicta, propter quæ non priuantur immunitate Ecclesiastica, sed possunt illa gaudere (de quibus eo loco dixit) non debere expelli, sed potius recipi in domibus Regularium, *cap. miror. cap. rerum, cap. ad constitutum, cap. Sicut antiquitus 17. quæst. 4. cap. de raptoribus 36. p. 1. cap. inter alia, de immunit. Eccles. & l. præsenti C. de his qui ad Eccles. confug.* Et ratio est, quia eo ipso quod leges dant talibus reis ius ad confugiendũ in loca sacra, consequenter prohibent, ne ab ipsis excludantur, ne priuentur iure quod habent, quod est contra iustitiam. Pasqualigus *decis.* 469. Quod si tales rei in dictis locis immodestè se gerant, aut aliquid agant contra ipsorum reuerentiam, monendi sunt, vt modestè, & religiosè agant, alioquin si inemendabile videantur, eiici poterunt, quia ius conseruandi propriam habitationem est naturale, & proprium. Personarum Regularium, ac per consequens præponi debet iuri conseruando incolumitatem reorum. Præsertim quia quod ob gratiam alicuius fit, non debet in alterius nocumentum retorqueri, iuxta Regulam iuris in 6. Pasqualigus *supr. decis.* 470. referens S. Congregat. declarationem, Nauarrum, & Farinacium.

Pro hac etiam materia de immunitate Eccle- 86.
siarum, an scilicet suffragetur Religiosis delinquentibus, dicam infra in Mari Magno Seruitarum *circa* §. 57. & animaduerte probabile valde esse hanc immunitatem suffragari etiam illis delinquentibus, qui violenter extrahuntur è manibus satellitum, aut è carcere etiam iustè detenti ad Ecclesias confugiunt, in casibus videlicet, in quibus immunitas Ecclesiarum fauet reis iuxta moderationem Constitutionis Gregorij XIV. de qua supra. Ratio est, quia prædictis reis competit ius ad libertatem, & vitam suam tuendam in quocunque statu versentur, cuius signum est, quod possunt ipsi è carceribus, in quibus iustè detinentur, fugere ad saluandum vitam, & libertatem; & ex alia parte Ecclesia debet præbere suum patrocinium reis ad illam quoquomodo venientibus, quia iura, quæ hanc immunitatem concedunt, & quæ retuli *tomo 3. verbo Immunitas Ecclesiarum numero* 1. generaliter loquuntur,

tur, concedi lergo debet immunitatem præfatam illis suffragari etiam in casu relato. Et ita credo in Hispania practicari, prout sæpius intellexi, & refert Gutierrez *in quæstionibus pract. lib. 3. quæst. 4. num.* 10. De hoc puncto late Pater Diana *part. 6. tract. 8. resolut. 5.* doctis aliis viris consultis, contra Pasqualigum, & Nouarium. Ioannes Sancius autem *in selectis, disput. 44. num. 52.* vtramque sententiam probabilem putat, & vtriusque defensores refert. An verò idem sit dicendum pro casu, quo in carcere detentus ex eo exeat promittens sub iuramento custodi se reuersurum, tractat Trullenc. *in Decalog. lib. 1. cap. 11. dub. 1. num. 11.* post alios.

87. Vide alia infra *circa* §. 29. Et nota, quòd violentia prohibita in hoc priuilegio fieri domibus Religiosorum sufficienter completur, si impediantur Religiosi facere, aut prosequi aliquam fabricam in proprio solo, inhibendo cæmentariis, ne id faciant, aut alio modo. Hoc enim est contra iura Religionis, & immunitatem Ecclesiasticam. *cap. eos qui, de Immunit. Ecclesiast. in 6.* Reginaldus *lib. 9. prax. cap 24. num. 358.* Filiucius *tomo 1. tract. 16. cap. 10. num. 271.* Diana *part. 1. tract. 2. resolut. 54.* Bonacina *tomo 3. disp. 2. de censur. q. 10. punct. 4. num. 2.* & alij plures. Imò si hoc fiat per modum statuti, incurret sic faciens in excommunicationem Bullæ Cœnæ *cap. 15.* Vgolinus *de Censur. in Bulla Cœnæ ibid.* Bonacina *suprà, disp. 1. quæst. 16. puncto 1. n. 2.* post alios.

Circa §. 28.

88. CONfirmantur hoc loco à Pontifice istis religiosis omnes libertates, & immunitates, ac exemptiones à sæcularibus exactionibus à Summis Pontificibus prædecessoribus, Regibus, & Principibus aliàs concessæ. Pro quo vide dicta suprà, circa simile priuilegium Vrbani VI. in hoc Mari magno §. 5. Et nota, quòd, cùm tam in hoc, quàm in relato priuilegio Vrbani VI. vtantur Pontifices verbo *Rationabiliter*, denotant sanè solùm confirmari iusta, & rationabilia priuilegia, non inutilia, & iniusta, vt notatur in margine huius priuilegij in Bullario Rodriguez, & habet ipse in *tomo 1. quæst. regular. quæst. 10. art. 9.* Imo talia priuilegia irrationabilia, inutilia, aut iniusta non sunt propriè priuilegia, cùm priuilegium sit *priuata lex*, & de ratione legis sit quod sit iusta, rationabilis, & honesta, iuxta dicta *tomo 4. verbo leges regularium, num. 7.* Quod maximè dixerim propter aliqua priuilegia, quæ quandoque impetrari solent à Religiosis particularibus contra statuta suorum Ordinum. De quibus, & de modo, quo se gerere debeant Prælati circa impediendum vsum talium priuilegiorum, dixi eo verbo *leges regularium, n. 19. & verbo Litteræ Apostolicæ, num. 7. &* 8. Et pro eo videndus Miranda *tom. 2. Man. Prælat. quæst. 43. art. 4.* confirmationem porrò non extendi ad illicita, colligitur etiam *ex cap. ad nostram, de confirm.* vt per Alexand. *consi. 39. num. 10. vol. 4.* Auiles *ad cap. 17. Prætorum, verbo Proeuer. num. 7.* Ioseph. Sesse *Aragoniæ, dec. 93. n. 5.* colligit Barbos. *in Collectan. ad dictum cap. num. 2. & seqq.* vbi multa ad intentum ex DD. & Sac. Rot. *dec.*

89. Quia tamen in hoc priuilegio confirmantur libertates, & exemptiones sæcularium exactionum huic Ordini concessæ à Regibus, Principibus, & aliis fidelibus; ideo notandum, illud tanto magis validum esse, quantò est conforme iuris communis dispositioni *cap. Quanquam, de censibus in 6. c. 1. de immunitate Ecclesiæ in 6. Clem. præsente, eod. tit. cap. 1. de Decim. cap. non minus, & cap. aduersus, de immunitate Ecclesi.* Cardin. *in d. cap. non minus, eod. tit.* Abb. *in cap. innouamus de censibus, num. 4. & consi. 13. part. 2.* Bald. *in leg. 1. num. 9. Cod. de contrahend. empt.* Bertazzol. *de gabell. seu vectigal. §. 7. princip. num. 10.* Et fuit dictum à Rota in Corregiensi *Gabellæ* coram iusto 27. Nouembris 1602. & in Valentina *Gabellæ* 4. Decembris 1595. coram Cardinali Pamphilio & in Brundusina *Gabellæ* 13. Februarij 1604. coram Penia, & in Bononiensi *Exemptionis* coram Verospio 25. Maij 1618. Pro qua re maximè iuuat illa Brundusina *Gabella* coram Penia, vbi non solum generaliter de Ecclesiasticis personis, quod non teneantur ad soluendas gabellas, & alia onera à laicis imposita, sed etiam quod laici ad id cogentes, sint excommunicati. Legenda est decisio, quia magistralis valde cum omnibus exceptionibus necessariis. Item alia Albensis *gabellæ* seu *onerum* coram Merlino, vbi id etiam magistraliter deciditur. Et specialiter quod hæc immunitas sit de iure diuino ex testimoniis, vel exemplis ex sacra Scriptura, vel traditione Ecclesiæ deducta, & quod bona aliqua dum Ecclesiis traduntur, eo ipso eximuntur à dominio, & potestate laicorum; & ex speciali iure sub dominio Christi Domini nostri constituuntur.

Circa §. 29.

PRiuilegium hoc de non inferendo damno, vel præiudicio aliquo domibus vel possessionibus 90.
istorum Religiosorum ampliatiuum est alterius, de quo suprà *circa* §. 27. De ipsius tamen materia aliqua dixi *tomo 4. verbo Monasteria Regularium, num. 24.* Adde tamen vtrumque priuilegium iuri communi conforme esse; in eo namque contra bonorum Ecclesiasticorum raptores, inuasores, aut vsurpatores pœnæ plurimæ statuuntur, *cap. nulli liceat in fin. & in cap. prædia, cap. hac huius in fin. & in cap. in legibus 12. quæst. 2. & in cap. qui oblationes 2. in fin. 13. quæst. 2.* Decianus *in tract. crim. leg. 6. cap. 30. in prin. & num. 18. &* 20. Petrus Gregorius *Syntag. iur. lib. 33. cap. 18. num. 2.* Tuscus *tomo 7. lit. S, concl. 6. à num. 4.* Nauarrus *in Man. cap. 27. n. 94.* Suarez *tomo 5. de censur. disp. 22. à num. 4.* Sairus *de censur. lib. 3. cap. 29. à num. 14.* & Barbosa *de iur. Ecclesiast. lib. 3. cap. 29. num. 6. 7. & seqq.* vbi *num. 9.* qualiter hoc etiam extendatur ad Prælatos, vel Rectores Ecclesiarum qui à propriis Ecclesiis aliqua surripiunt, vel auferunt. Et *num. 10 & seqq.* ad clericos bona Prælatorum decedentium surripientes. Quæ omnia Regularibus quoque applicari debent.

Circa illud autem quod dicitur in hoc priuilegio *Salua Sedis Apostolicæ authoritate*, quo deno- 91.
tatur Summum Pontificem derogare posse prædictis priuilegiis concessis Regularibus, & eorum domibus, aut possessionibus, nota quod licet hoc ita sit, iuxta dicta *tomo 4. verbo Priuilegia Regularium, num. 19.* & talis sit vis clausulæ *Saluo, &c.* quæ tuetur ius illæsum quod quis habet, prout sentit Rota *dec. 610. in fin. in 1. collect. nouiss.* nihilominus tamen Summus Pontifex nunquam tollit, aut tollere censendus est priuilegia Ecclesiis, aut Regularibus concessa, sine causa. *cap. priuilegia cum seqq. 25. quæst. 2. & cap. quanto in fin. 63. dist.* Papæ enim iure applicatur, quantum ad constantiam in priuilegiis concessis illud quod debeat esse sicut lapis

angularis, aut sicut polus in cœlo. Baldus *conf.* 377. *sub num.* 4. *volum.* 1. & alij apud Barbosam *de Iure Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 115.

92. Alia habes infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 83. in simili ipsorum priuilegio. Quibus adde, quòd inferens iniuriam particulari Ecclesiæ, aut Monasterio, infert etiam illam quodammodo toti Ecclesiæ, & Summo Pontifici, qui est caput ipsius. *leg.* 1. *Cod. de Sum. Trinit. & fid. Cathol.* vbi Baldus. Alban. *in lucubrat. ad Barth. in leg.* 1. *num.* 10. *Cod. de Summa Trinit. & fid. Cathol.* Pasqualigus *in Centur. quæst. moral. quæst.* 64. *in fin.* Quod notandum pro detractoribus Religionum, quorum peccatum grauissimum esse, & sapere hæresim, tenet Trullenc. *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 10 *dub.* 14. *num.* 3.

Circa §. 30.

93. PRo pœnis in hoc priuilegio contentis consulenda sunt, quæ dixi *tomo* 4. *verbo pœna Ecclesiastica*, & quæ circa Mare magnum Prædicatorum §. 53. & Minorum §. 52. & Bullam Auream §. 10. in superioribus dicta sunt specialiter circa illa verba: *Et à sacratissimo corpore, & sanguine Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat*, scilicet persona contraueniens dictis priuilegiis; dubitari potest, an per ea denotetur interdictum partiale, quod scilicet priuat solum receptione venerabilis Sacramenti Eucharistiæ; an potius excommunicatio, quæ à præcipuo ipsius effectu, scilicet separatione ab Eucharistia talis dicitur; alibi dicetur. Obiter tamen nota pœnam impositam illis verbis *Communione careat Christiana*, prout habetur in aliquibus dispositionibus Pontificiis, præsertim *cap. si quis Romipetas* 24. *quæst.* 3. *& cap. Innouamus de cens.* cui similis videtur ista, de qua in præsenti, denotare pœnam excommunicationis. Molina *disp.* 666. *in fin. tract.* 2. *de iust.* Alterius *tomo* 1 *lib.* 5. *disp.* 6. *capitulo* 2 Cardinalis *in dicto cap. innouamus num.* 2. & Thesaurus *in prax. part.* 2. *verbo Peregrinus, n.* 1. *& verbo Vectigalia*, §. *nota.* Imo & excommunicationem latæ sententiæ, vt approbat idem Thesaurus *ibid.* ex Butrio, Tiraquello, Felino, Azotio, & Alterio, licet Odiensis, Turrecremata, Angelus, Syluester, Armilla, & alij solum credant denotare pœnam excommunicationis ferendæ. De quo etiam aliàs.

Circa §. 31.

94. COncedit sub hoc §. Bonifacius VIII. Eremitis sancti Augustini (quod etiam postea concessit Ioannes XXII. Carmelitis, prout patet in eorum Mari magno §. 7. & Vrbanus VI. Seruitis in ipsorum Mari magno §. 15.) eorumque bonis omninodam exemptionem à cuiuscunque Diœcesani iurisdictione, declarans ipsos, & ipsa soli Romano Pontifici, & Sedi Apostolicæ immediatè subiacere, in ius, & proprietatem Beati Petri, & prædictæ Sedis illa assumendo, ita quod nullus possit in ipsos, aut ipsa censuras aliquas promulgare. De qua materia plura dixi *tomo* 1. *cap.* 11. *& tomo* 3. *verbo Causa iudicialis Regularium, & verbo Clericus, & verbo Delinquens Regularis, & verbo Episcopus*, maximè verbo *Exemptio Regularium*, an in hoc Opere *supra Mare magnum Prædicatorum*, §. 36. *&* 46. & *supra Mare magnum Minorum*, §. 37. *&* 44.

95. Specialiter circa illa verba, *In ius & proprietatem Beati Petri, & Apostolicæ Sedis assumimus*, nota, ex illis sufficienter probari prædictam exemptionem. Ita enim habetur expressè in *cap. Si Papa de priuileg. in* 6. Panormitanus *in cap. recepimus*, *num.* 2. vbi etiam Soccin. *num.* 7. *&* 32. *de priuileg.* Erasmus à Cokier. *de Iurisd. Ordin. in exempt. part.* 1. *quæst.* 9. *num.* 1. *vers. in primis*, Mascardus *de probat. concl.* 713. Et ratio est, quia vt dicitur in *dicto cap. Si Papa*, communiter etiam receptum, *Cum iure communi omnes Ecclesiæ per Orbem diffusæ ad Romanam Ecclesiam pertineant, si id alicui concedatur Ecclesiæ, vel de ea per sententiam iudicetur, ex hoc ipsius comprobatur exemptio, &c. cùm verba aliquid operari debeant, &c.* Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar.* §. 7. *proœm. num.* 127. *& Glossa* 6. *à num.* 26. Barbosa *de officio, & potestate Episcopi, allegat.* 123. *num.* 15. *& in dicto cap. Si Papa, num.* 3. *& in cap. recepimus de priuileg. num.* 2. Nec obstat quod *in cap. recepimus de priuileg.* dicatur per prædicta verba non probari dictam exemptionem à iurisdictione Ordinariorum, nisi vlterius concurrat solutio census in signum subiectionis facta. Omissis enim multis, quæ latè, & doctè prosequitur idem Barbosa loco allegato *de officio, & potestate Episcopi, num.* 16. *& sequentibus*, quæ etiam refert, & sequitur Tamburinus *de Iure Abbatum, tomo* 1. *disput.* 15. *quæsit.* 5. *num.* 5. *& sequentibus*, Breuiter dico, quod quando priuilegium, sententia, aut scriptura non fiunt principaliter super exemptione, seu libertate, sed incidenter propter aliud; tunc si enuntient aliquod Monasterium, seu Ecclesiam, vel personam esse iuris diui Petri, vel ad Ecclesiam Romanam pertinere, vtique huiusmodi enunciatiuæ exemptionem non probant; vt decidit *text. in dicto cap. Si Papa*, & constat ex generalibus principiis, quod verba narratiua, quæ non proferuntur principaliter propter se plenam probationem non efficiunt, *leg. ex hac*, vbi id notant omnes ff. *de donat. leg. ex his verbis. Cod. de testam. milit.* cum similibus, de quibus Mascardus *concl.* 622. Menoch. *de præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 133. Mant. *de coniect. vltim. volunt. lib.* 3. *tit.* 12. Rota *dec.* 176. *num.* 4 *part.* 1. *Recent.* & in enunciatiua Summi Pontificis probat generaliter *Clement.* 1. *de probat.* Quando verò econtra dicta verba, quod Ecclesia, Monasterium, aut persona sit iuris Beati Petri, &c. vel similia enunciantur à Papa exemptionis priuilegium concedente, aut à iudice super exemptione sententiam proferente, tunc vtique probant exemptionem, propter dictum *cap. Si Papa*, & rationem in illo assignatam, & supra adductam, vt scilicet prædicta verba aliquid operentur, & ne maneant sine effectu, quemadmodum remanerent, si non concederetur per illa specialis exemptio ab Ordinariorum imperio, cùm omnes mundi Ecclesiæ ad Beati Petri ius pertineant, & Romanæ Ecclesiæ subiectæ esse noscantur, *cap. cuncta per mundum* 9. *quæst.* 2. Barbosa *suprà, num.* 16. *&* 17. *& in dicto cap. recepimus, num.* 3. Tamburinus *suprà, num.* 5. *&* 6. Cum autem in præsenti Papa Bonifacius nihil aliud in hac Bulla intendens expressè de præfatis Fratribus, Ecclesiis, domibus, & rebus dicat, *In ius, & proprietatem B. Petri, & Apostolicæ Sedis assumimus, illaque à cuiuscunque Diœcesani alterius potestate, iurisdictione, & dominio omnino in perpetuum prorsus eximimus*, manifestè ex illis colligitur dicta exemptio.

Eadem etiam exemptio ab Ordinariorum, & 96.
quorumcunque aliorum iurisdictione colligitur ex verbis illis sequentibus. *De gratia speciali decernentes ex nunc vos, & Ordinem vestrum, ac personas, Ecclesias, & Oratoria, domos, & loca præfata, ac pertinentia ad eadem soli Romano Pontifici, & dictæ Sedi*

tam

tam in spiritualibus, quàm in temporalibus absque vllo medio subiacere, iuxta dicta eo verbo *Exemptio Regularium, num.6.* ex Syluestro, & Sanchez ibi relatis, quibus etiam iunguntur Diuus Antoninus, Angelus, & Tabiena ab eodem Sanchez citati.

97. De illo autem priuilegio, quod subiungitur, scilicet, quod à nemine possint excommunicari, suspendi, vel interdici sub pœna irritationis, & inanitatis, dixi in simili priuilegio Prædicatorum *circa* §.46. eorum Maris magni, & Minorum super eorum etiam Mare magnum §.44.

98. Alia quoque ad intentum habes in simili priuilegio Carmelitarum in ipsorum Mari magno §. 5. 60. & 71. & Seruitarum *circa* § 15. Specialiter, qualiter non obstante, quod in hoc, & similibus priuilegiis dicatur Ordinem, & domos, seu Monasteria illius esse subiecta *immediatè*, seu *sine medio* Sedi Apostolicæ, non proprerea comprehendantur sub dispositione Concilij Tridentini *sess.25. de Regularibus, cap.8. & 9.* vbi Monasteria immediatè subiecta Sedi Apostolicæ subduntur visitationi Episcoporum, dicam infra in Mari magno Minimorum *circa* §.25. *num.*84.

Circa §. 32.

99. DEclaratio etiam, seu extensio præcedentium priuilegiorum, quæ in hoc paragrapho continetur, quod scilicet nec ratione delicti, contractus, aut rei de qua agitur, conueniri possint dicti Religiosi coram Ordinariis, aut aliis quibuscunque Iudicibus non obstante constitutione Innocentij Quarti, aut aliis Apostolicis, habetur etiam in Mari magno Prædicatorum §. 36. & Minorum §.37. ideo quæ ibi dixi, ad hoc etiam propositum deseruiunt.

100. Circa verba illa ab Eugenio Papa in confirmationem præfatorum priuilegiorum posita, & sub hoc paragrapho contenta, videlicet: *Per hoc autem nullum ius de nouo volumus adquiri, sed antiquum (quod est) tantummodo conseruari*, nota ex his haberi hanc confirmationem solum esse in forma communi iuxta dicta *tomo 4. verbo priuilegia Regularium, num. 23.* non verò ex certa scientia, iuxta ibidem dicta. Præter quæ notandum primò, quod in dubio nunquam præsumitur confirmatio facta ex certa scientia. Rota *dec.192. num.3. part.1. recent.* & in Cæsaraugustana *Camerariæ 26.* Nouembris 1632. coram Pirouano. Barbosa *in Collect. ad cap. cùm dilecta, num.13. de confirmat. vtil.* Tamburinus *de Iure Abbatum, tomo 1. disput.18. quæst.1. num.5.* Nota secundò, quod confirmatio in forma communi non suffragatur si non constet de priuilegiis confirmatis, & intelligitur, saluo iure tertij, & quatenus valida sunt, & recipit eandem interpretationem, & obiectiones, quas priuilegia confirmata, Cassad. *decis.1. de confirmat. vtil. de inutil.* Bertrand. *consil.181. num.3. lib.3. part.3.* Rota *decis.702. num.6. part.1. diuers.* cum aliis in d. Cæsaraugustana *Camerariæ, num.5.* Tamburinus *suprà, n.9.* Pro quo vide dicenda infra *circa* §.33. *sequentem*, & quæ in simili clausula dixi in Mari magno Prædicatorum *circa* § 38.

Circa §. 33.

101. AB hoc §. incipit Sixtus IV. author huius Maris magni confirmare primò priuilegia Innocentij, Alexandri, Bonifacij, Clementis, Martini, Eugenij, & Nicolai Prædecessorum Ordini Eremitarum sancti Augustini concessa, & cum magna amplitudine, prout ex verbis relatis in Bulla manifestè constat. Est autem huiusmodi confirmatio non in forma communi, prout dixi §. *præcedenti* de ea, quæ facta fuit per Eugenium IV. sed ex motu proprio, mera voluntate, deliberatione, & certa scientia Pontificis, prout ex verbis Bullæ constat. Vnde habebit hæc confirmatio illos effectus, quos similes aliæ habere solent. De quibus plura dicta sunt *supra Mare magnum Prædicatorum* §.38. & *supra Mare magnum Minorum*, §. *etiam* 38. vbi similes confirmationes priuilegiorum reperiuntur, & locis aliis ibi etiam relatis.

Pro maiori tamen luce declarandi hic sunt effectus, quos confirmatio in forma communi, & quos confirmatio alia ex *certa scientia, motu proprio, &c.* producunt. In primis enim confirmatio in forma communi facit actum, seu rem confirmatam maioris authoritatis, & vt magis timeatur, *cap. quamquam 23. distinct.* quia funiculus triplex difficilè rumpitur *cap 1. de tregua, & pace*, & quia Princeps per talem confirmationem actum illum suum facere videtur, iuxta *leg.1. Cod. de iur. vet. enuclean.* Deinde, quod in idem recidit, confirmatio hæc priuilegiorum potest dici ipsorum roboratio. Suar. *lib.8. de Legibus, cap.18. num.8.* An verò confirmatio hæc in forma communi iustam præstet causam præscriptionis; aut interrumpat præscriptionem iuceptam contra priuilegium, agit Barbosa *in cap. cum dilecta, de confirmat. à num.23.* post Suarez, & alios contra Cordubam, & Rodriguez. 102.

Confirmatio autem *ex certa scientia*, seu *motu proprio*, habet hos effectus. Etenim ex eo quod fit *ex certa scientia*, iuxta dicta *tomo 3. verb. Clausula, num. 29.* & supra Mare magnum Prædicatorum, *circa* §.38. non solum confert nouum ius priuilegiis confirmatis, & æquiualet concessioni, adeout per ipsam actus aliàs nullus validus efficiatur, si Papa de tali nullitate verisimiliter notitiam habebat, sed tollit omne iuris obstaculum, & facit quod nullus audiatur contra Papam illam concedentem. Ex eo etiam quod fit *ex motu proprio*, habet quòd fit magis voluntaria, maius beneficium, & ideo ampliandam quantum, proprietas verborum patitur; & nunquam retorquenda contra eum cui conceditur, & quòd tollat aliquam subreptionem, iuxta dicta *eo verbo Clausula, num.41.* Item quod intelligi debeat, prout iacet, & sonat, iuxta dicta *eo* §.38. 103.

Nota etiam Papam censeri debere confirmare aliquid *Ex certa scientia* non solum quando id exprimit in rescripto, sed etiam, & multo magis, quando in ipso rescripto narrat substantiam rei, seu gratiæ confirmatæ. Ita enim expressit Rota *in vna Toletana admissionis* 17. Iunij 1609. coram D. Pamphilio, nunc SS.D.N. Innocentio X. apud Farinac. *decis.192. num.3. part.1. recent.* ex alia Rotæ decisione, & Doctoribus, quæ omnia refert Barbosa *supra in dict. cap. cùm dilecta, num.15.* Num verò econtra quando Papa dicit in rescripto se confirmare *ex certa scientia*, & tamen tenor priuilegij, vel contractus, aut rei confirmatæ insertus non est, censeatur talis confirmatio in forma communi solum, aut in forma speciali, scilicet ex certa scientia, disquirunt Doctores. Et communis sententia tenet iudicari debere *ex certa scientia*, vt verificetur dicta clausula. Ita Abbas, Romanus, & Decius, ac Rota in vna Abulensi, & alia Burgensi apud Nicolaum Garziam *de Beneficiis, part.3. c.2. num.230.* Quibus etiam iungitur Suarez *d. cap.18. num.* 104.

num.6 alios etiam referens. Econtra verò alij tenent non esse dicendam talem confirmationem ex certa scientia, sed in forma communi, propter plures decisiones Rotæ, quas refert idem Garzia *ibid. num.231*. Conciliant tamen vtramque sententiam idem Garzia *num.233*. Barbosa in *dicto cap. cum dilecta, num.17.* & Tamburinus *de iure Abbat. tom.1. disput.18. quæst.1.num.6.* Itaut prior sit vera quantum ad effectum confirmandi actu de iure nullum, seu insolidum, posterior verò quantum ad effectum tollendi defectum intentionis, & surreptionis. Cæterum ex Rotæ decisione in Leodiensi *Collectarum*, de qua infra habetur absolutè confirmationem censeri *ex certa scientia*, quando in illa narratur substantia rei, quæ confirmatur, etiamsi totus ipsius tenor non referatur.

105. Alia dabo infra in Mari magno Carmelitarum *circa* § 44. & Seruitarum *circa* §.28. Interim pro prædicta clausula. *Ex certa scientia* consulenda S. Rotæ decisio in vna Leodiensi *Collectarum* coram Coccino 7. Aprilis 1628. quam refero infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 44. *num.* 299. vbi plura ad intentum, & in vna Cæsaraugustana *Camerariæ* coram Pirouano anno 1631. vbi pulchra hæc, quando agitur de confirmatione ex certa scientia, *Quæ valuerunt, approbantur; quæ valida non sunt, recipiunt robur ex confirmatione; & quæ nullam habent relationem ad ea, quæ præcesserunt, de nouo conceduntur. Ita magistraliter declarat Dec. consil.341.num.7. Quod tamen prius in substantia fuit dictum per Rotam penes Cassad. dict. decis. vnica de Confirmat. vtil. vel inutil. & nunc absque vlla hæsitatione pro indubitato admittitur. Seraph. decis.1432. num.1. & in eadem decis.192. num.2. part.1. recent.* Hæc in d. Rotæ decisione.

Circa §. 34.

106. PRiuilegium hoc §. contentum ampliatiuum est illius, de quo in §.13. dictum est. Cum enim ibi solum concessum fuerit his Religiosis exemptio à solutione decimarum de noualibus, quæ propriis manibus colunt, seu de hortis, virgultis, & piscationibus; hic tamen ad quæcunque bona ipsorum, & ad quæcunque onera etiam Apostolica authoritate imposita eximuntur. Præter dicta autem eo loco, & aliis ibi relatis, vlterius pro maiori explicatione exponendi sunt aliqui termini, quibus vtitur Pontifex in hoc priuilegio.

107. Et primò *quota* nomen, quantum ex Calepino, Thesauro linguæ Latinæ, & aliis colligi potest, significat Summam, portionem, quantitatem, vel partem alicuius oneris, *Subsidij* etiam nomen, iuxta dicta supra Mare magnum Prædicatorum §. 35. generaliter loquendo importat idem quod auxilium alicui concessum, maximè quando propria illi deficiunt, sicut subsidiaria actio datur, quando deficit propria, vt §. *fin. Instit. ad leg. Aquil. & in §. fin. instit de Interdict.* Nomen verò *Charitatiui* significat speciale quoddam subsidium, quod datur Episcopis, quando proprij redditus non sufficiunt pro oneribus incumbentibus, iuxta dicta eo §.35. de quo aliqua ibidem, plura etiam Azorius, & Barbosa locis ibi relatis. Cùm autem vtatur Pontifex dictione *etiam*, dum dicit *Etiam Charitatiuis* sitque hæc ampliatiua, augmentatiua, & extensiua, ac ampliatiua, Baldus *cons.209.lib.3* Gemin. *consil. 275.num.10.* & plures sacræ Rotæ decisiones, & DD. apud Barbosam *in tract. de dictionibus dict.113.* ideo per illam denotatur istam dispositionem extendi ad omne, & quodcunque onus, siue subsidium, quodcunque illud sit. Vnde multo magis extenditur ad subsidium illud *Cathedraticum* vocatum, quod etiam dari solet Episcopis *cap. conquerente, de offic. Ordin. cap. pastoralis de donat.* Præter quam quod illud non tenentur soluere Regulares in iure communi stando, propter *cap. inter cætera 10. quæst.3.* Barbosa *de officio, & potestate Episc. allegat.86. num.vlt.* Nomen *datij* idem importat, quod *datio* seu *donatio*. Vox verò *Pedatij*, seu *pedagij*, iuxta dicta *tom.3. verbo Bulla Cœnæ, num.17.* est id quod datur pro aptandis viis, seu pontibus, per quos inceditur, sicut *Gabella*, iuxta ibidem dicta, est tributum publicum à Principe in communem vtilitatem exactum. Ab iis ergo omnibus, & similibus oneribus eximuntur Eremitæ sancti Augustini ex vi istius priuilegij, imo tam ipsi quàm alij Regulares ex iure communi, iuxta dicta eo *tomo 3. verbo Gabella quoad Regulares, num.5.* ex Ioanne Beetz, Prospero Augustino, Tamburino, & aliis ibi relatis.

Ad quod etiam deseruit sacræ Rotæ decisio in vna Bononiensi *Exemptionis*, 25. Maij 1618. coram Verospio, vbi non solum huiusmodi exemptio à Datiis, Gabellis, vel Vectigalibus, aut similibus oneribus eximuntur aliqui Religiosi, & ab illis declarantur exempti, sed quod magis est, firmatur ad id deseruire communicationem priuilegiorum Religionis hisce verbis. Lite coram me inter nonnullos Regulares, & regimen Bononiense super exemptionibus introducta ad instantiam Canonicorum Regularium Lateranensium, & sancti Saluatoris; dubitaui, circumscriptis pro nunc coram laboratoribus, Colonis, & Emptoribus, necnon subsidio triennali: An ipsi sint ab aliis datiis, gabellis, vectigalibus, & oneribus, tam realibus, quàm personalibus exempti. Et Rotæ visum fuit affirmatiuè respondendum, cum istis Regularibus, tam ex iuris communis dispositione competat hæc exemptio, *cap. quamquam, de censibus in Sexto, cap.1. de immunitate Ecclesiæ in Sext. Clement. præsenti eodem titulo cap.1. de Decimis, cap. non minus, &c. aduersus, de immunitate Ecclesiæ.* Cardinalis *in dicto cap. non minus eodem titulo* Abbas *in cap. innouocamus de censibus, num.4. & consil.13. part.2.* Baldus *in leg.1.num.9. Cod. de contrahend. empt.* Bertazzol. *de Gabellis, seu Vectigalibus, §.7. princip. num.10.* & fuit dictum in Corregiensi *Gabellæ* coram bon. memor. Iusto 27. Nouembris 1602. & in Valentina *Gabellæ* 4. Decembris 1595. coram Cardinali Pamfilio, & in Brundusina *Gabellæ* 13. Februarij 1604. coram Penia. Quam vigore priuilegij ab Eugenio IV. sub datum Florentiæ 7. Kalendas Martij 1434. motu proprio concessi Monachis Cassinensibus, & per Sixtum IV. Congregationi Lateranensi, necnon per Iulium II. Congregationi sancti Saluatoris communicari. Quæ communicatio idem operatur, ac si dictis Congregationibus fuisset in specie talis exemptio concessa. Oldr. *cons.300. num.8. & vers. præsertim in facto.* Bertrandus *consil. 149.* illud est generale *num.2. lib.1. in antiq.* Paris. *cons.22.num.5. lib.4.* DD communiter *in leg.1. ff. de leg.1.* vbi Ioannes Crot. *num.13. vers. vltima conclusio.* Iacob. de Nigr. *num.5. & 6. in fin.* Roman. *consil. 383. post num. 2.* Nat. *cons.432. num.9. & 15. lib.1.* Crescen. *decis.9. num.5. vers. secundo, quia de priuileg.* Ror. *decis.8. num.5 part.2. diuers.* Stantibus præsertim clausulis amplissimis in eadem communicatione appositis, Aym. *cons. 294. num.1.* Roland. *cons.60. num.2. & seq.* Ioannes Crot. *vbi supra n.13.* 108.

Iacobus

Iacobus de Nigr. *ibid.num.*15. Vnde pluries dicta communicatio fuit in Rota canonizata, videlicet in Burgen. *Iurisdictionis sancti Ioannis* 20. Decembris 1596. coram Orano, & in Burgen. *Procurationum* 9. Martij 1598. coram eodem. Nec potest controuerti priuilegium huiusmodi esse amplissimum, vti conceptum per verba ampliatiua, & generalissima, nimirum ab omnibus gabellis, taliis, & datiis, collectis, impositionibus, & oneribus, etiam ad Pontium refectionem, & viarum reparationem, aut ab alio quocunque grauamine quouis nomine censeatur. Quæ verba sunt apta plenissimam exemptionem quoad onerum, collectarum, & impositionum species importare. Ioannes Andr. *in cap. Episcoporum, sub num.*7. vbi Geminian. & Archid. *de priuileg. in* 6. Nec valet dicere communicationem suffragari non posse tanquam expresse non facta mentione de exemptionibus ab oneribus realibus. Nam satis fuit generalis mentio, cùm simus in materia fauorabili. Paris. *cons.*2. *num.*5. *& seq. lib.*4. Dec. *cons.*113. *num.*4. *&* 5. cum aliis supra allegatis. Tanto magis quia fuerunt appositæ clausulæ. *In omnibus, & per omnia, &c.* & *absque vlla prorsus differentia, &c.* Ripa *in leg.*1. *n.*1. *de legat.*1. & ibi Scrib. Rot. *dec.*8. *num.*5. *part.*2. *diuers.* Cresc. *dec.*9. *num.*5. *de priuileg.* Hæc satis ad intentum dicta decisione Rotæ, quæ extat apud Tamburinum *de iure Abbatissarum inter Rota decisiones, num.*31. & ex illa roborantur sæpius dicta de hac materia.

108. Extat quoque alia Rotæ decisio Bononiensis *Exemptionis* coram Verospio 3. Iulij 1617. vbi canonizatur notabile aliud priuilegium Carthusianorum de exemptione à gabellis, & vectigalibus, non solum pro ipsis Carthusianis, sed etiam pro emptoribus, & contrahentibus cum illis, à Nicolao V. impetratum, quod Rota eo loco approbat, & dat mandatum de manutenendo, non obstante contradictione Regiminis Bononiensis.

Circa §. 35.

109. PRiuilegium etiam hoc declaratiuum est, & ampliatiuum aliorum, de quibus *supra* §. 8. *&* 9. Ea enim sunt, & fuerunt concessa ad instantiam Generalis, & Fratrum Eremitarum sancti Augustini, hoc verò est ex motu proprio, & certa scientia, prout patet ex tenore ipsarum litterarum. Quomodo autem litteræ Apostolicæ ex certa scientia, seu motu proprio magis qualificatæ sint, quàm ea, quæ sunt ad instantiam, collige ex dictis in superioribus, & ex iis, quæ dixi 3. *tomo, verbo clausula, n.*29. *&* 41. Similiter in his posterioribus litteris exprimitur magis communicatio priuilegiorum Ordinis, & Fratrum, vt patet ex verbis ipsarum, præsertim ex illis, *& quibus illi in genere quomodolibet potiuntur, & gaudent tam in vita quàm in mortis articulo.* Per clausulam illam, *Etiam circa peccatorum remissionem* denotari videtur idem, quod in prioribus litteris denotabatur verbo illo *Indulgentiæ.* Etenim iuxta communem doctrinam indulgentia vocatur *remissio peccatorum*, quia etiamsi per illam solum pœna temporalis remittatur, nihilominus, iuxta sacræ Scripturæ phrasim 1. *Machab.*12. verbis illis, *vt à peccatis soluantur*, peccatorum nomine pœnæ pro ipsis debitæ designantur.

110. Specialiter quid importent verba illa, *Et iniunctarum pœnitentiarum relaxationem*, cõsequenter ad dicta *tom.*3. *verbo Indulgentia quoad Regulares, n.*3. *& verbo Iubileum, n.*21. dicendum est importare remissionem tantæ pœnæ, quanta remitteretur per pœnitentias taxatas à confessariis, & à sacris Canonibus pro illis peccatis impositas. De quo non solùm Sotus, Nauar. Valent. Gratian. noster Layman. & Bonacina eo loco relati, sed etiam Suar. *de indulgent. disp.*50. *sect.*2. ex Theologis, Summistis, & Canonistis. Pro quorum maiori luce nota primo iuxta dicta eo *verbo Iubileum. n.*21. ex plurium sententia, quod quando indulgentia ponitur cum ista clausula. *De iniunctis pœnitentiis*, qui eam lucratur, satisfacit etiam pœnitentiæ iniunctæ sibi à confessario iuxta modum, seu quantitatem ipsius indulgentiæ, & pœnitentiæ iniunctæ. Ratio est, quia pœnitentia non imponitur à confessario, nisi vt pœnitens satisfaciat pro pœna debita, cùm ergo per indulgentiam remittatur pœna, & per consequens etiam tollatur debitum, & reatus talis pœnæ, ideo ipso facto tollitur pœnitentiæ iniunctæ obligatio, iuxta vtriusque quantitatem, Suarez *supra à n.*5. Bonacina etiam *de pœnit disp.*5. *q.*5. *sect.*3. *punct.*4. *à n.*7. post alios, quos referunt. Qui simul animaduertunt solum cessare per lucrationem indulgentiæ huiusmodi obligationem satisfaciendi pœnitentiæ impositæ à confessario in ratione satisfactionis, seu vindictæ pro peccatis commissis, non in ratione medicinæ præseruatiuæ, quia hoc modo semper permanet etiam sublata, seu extincta pœna temporali, pro qua imposita est Gratianus, & Stratius nostri eo loco relati. Quomodo autem nihilominus adimpleri oporteat pœnitentias impositas à confessariis, tum propter incertitudinem lucratæ indulgentiæ, tum ad maius augmentum gratiæ, tum ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ, dixi eo *n.*21. ex Toleto, Bonacina, & aliis. Vbi etiam alia ad intentum. Nota secundò, clausulam istam *de iniunctis pœnitentiis* cùm apponitur in concessione indulgentiæ, non esse restrictiuam, sed potius ampliatiuam; ita vt sensus talis indulgentiæ sit, eam non solum valere pro iniunctis pœnitentiis, sed etiam ad remissionem pœnarum debitarum pro peccatis, etiamsi pro illis nullæ pœnitentiæ iniunctæ sint. Ratio est, quia maius quid videtur remittere pœnas, pro quibus pœnitentia iam est iniuncta, quàm illas, pro quibus non est iniuncta. Ergo cui conceditur indulgentia de pœnis iniunctis conceditur etiam de non iniunctis, sicut cui conceditur facultas ad absoluendum à reseruatis, etiam conceditur ad absoluendum à non reseruatis: etenim *cap. ex parte de decimis* 17. pro regula habetur, quod *vbi maius conceditur, minus concessum esse videtur*, quæ maximè procedit in his, quæ sunt eiusdem Ordinis, & per se ad idem priuilegium, seu potestatem spectant, qualia sine dubio sunt ea, de quibus nunc agitur. Suar. *dicta disp.*50. *sect.*3. *n.*14. *& seqq.* ex D. Thom. Palud. Antonin. & aliis, Layman. *de Sacram. lib.*5. *tract.*7. *cap.*3. *num.*2. ex aliis etiam.

Circa priuilegia illa de ministranda Eucharistia, & Extrema-Vnctione, sepulturaque concedenda sine licentia Rectorum Ecclesiarum dictis Pinzocheris, qualiter moderata, & declarata sint his temporibus post Leonem decimum, & declarationes sacrarum Congregationum, vide dicta, *tomo* 2. *cap.*14. *à num.*27. *& tomo* 4. *verbo Tertiarij, & Tertiariæ*, & super hoc Mare magnum § 9 Eamdem etiam communicationem priuilegiorum Ordinum Prædicatorum, & Minorum ipsorum Tertiariis, seu Fratribus de Pœnitentia nuncupatis habes in Bulla aurea §. 4. 111.

Circa

Circa § 36.

112. CONcedit hoc loco Pontifex priuilegia Pinzocheris *in* §. *præcedenti* concessit extendi, etiam debere ad Oblatas, seu Commisas personas Ordinis Eremitarum Sancti Augustini. Ita vt quemadmodum Pinzocheræ, seu Tertiariæ eiusdem Ordinis potiuntur priuilegiis eisdem concessis, ita etiam Oblati seu Oblatæ ipsis quoque priuilegiis fruantur. Extat autem simile priuilegium pro Oblatis seu Commissis Carmelitarum in ipsorum Mari magno §. 49. Qui autem sint tales Oblati seu Commissi, qui etiam Donati appellari solent, & an sint veri Religiosi, dixi *tom.2.cap.8.num.1.2.3.* & 4. Siue autem sint veri Religiosi, siue non, dici tamen debere personas Ecclesiasticas gaudere priuilegio canonis *Si quis suadente*, imo & priuilegio fori, & exemptione à gabellis seu tributis sæcularibus, seruatis tamen aliquibus conditionibus propter declarationes Sacræ Congregationis Concilij, dixi etiam eo *cap.* 8. *num.* 5. 6. 7. & *seqq.* An sint capaces proprij, cui acquirant, & an possint testari, dixi *ibidem num.*12. & *seqq.* De officiis, quæ possunt habere in Religionibus, dixi etiam ibidem *num.* 18. & *seqq.* De specialibus ipsorum priuilegiis *num.* 30. & *seqq.* Maximè declarationes Sacræ Congregationis circa Oblatas, seu Donatas fœminas Monasteriorum Monialium adduxi *ibidem num.* 29. Alia etiam circa huiusmodi personas eo capite adduxi, per quæ sufficienter ea, quæ ad ipsas spectant, declarata videntur. Adiunctis maximè, quæ 4. *tom. verbo Oblati, seu commissi* de eisdem dixi. Vbi *num.* 2. de ipsorum diuersitate, & *num.*3. de obedientia, ad quam tenentur, & *num.*4. & *sequentibus* de ipsorum priuilegiis, & quomodo accipienda. Alia etiam habes infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 49. De illis quoque Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resolut.* 104. post alios. Quæ etiam expendentur infra in Mari magno Seruitarum *circa* §. 46. vbi simile priuilegium ab Innocent. VIII. ipsis conceditur.

Circa §. 37.

113. SVb hoc §. extenditur priuilegium celebrandi tempore interdicti, ita vt eo tempore possint Religiosi isti habere altare portatile, & super illo in locis conuenientibus, & honestis, Missas, & alia officia diuina celebrare, admissis etiam Pinzocheris, & Oblatis, Procuratoribus, & Syndicis Monasteriorum. Simile ferme priuilegium extat pro Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 39. & pro Minoribus etiam in eorum Mari magno §. 39. Videtur autem, priuilegium hoc Eremitarum S. Augustini esse magis amplum, quam illud quod est concessum Prædicatoribus, & Minoribus, siquidem in eo conceditur ipsis facultas celebrandi in dicto altari portatili Missas, & alia diuina officia *in quorumcunque præsentia*. extra tempus videlicet interdicti, quæ clausula non extat in Mari magno Prædicatorum, aut Minorum. Licet dici possit eam clausulam non tam continere priuilegium, quamuis commune. Si quidem eo ipso quo alicui conciditur facultas celebrandi in aliquo loco, conceditur etiam facultas alij, assistendi tali celebrationi, imò etiam satisfaciendo præcepto audiendi Missam. *cap. vt dominicis, de parochiis, cap. si quis de consecrat. dist.*1. *cap. Missas, de consecrat. dist.* 1. Concil. Trid. *sess.* 21. *in decr. de Obseru. in celebrat. Miss.* Vbi præcipit *monendum* esse populum, *vt frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis, & maioribus festis accedant.* Verbum enim *monendum* denotat nullam esse in hoc obligationem. Suar. *tom.*3. *in* 3. *part. disp.* 88. *sect.* 2. §. 2. *dicendum* Tolet. *lib.* 6 *Summæ cap.* 7 *num.* 1. *instit. moral. lib.* 7. *cap.* 6. *quæst* 6. Fagundez *de primo Ecclesiæ præcepto lib.* 2. *cap.* 3. referens ex Azorio relato declarationem Sacræ Congregationis ad intentum. Fauent etiam priuilegium Alexandr. Quarti, quod refert Cassarub. *in compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo Missa primo quoad locum num.* 2. & 3. & aliud Bonifacij Noni, quod refert Corduba *in annotationibus ad dictum Compendium.* Item aliud Leonis X quod ex Nauarro, & Azorio, refert Fagundez *de secundo Ecclesiæ præcepto lib.*1. *cap.*5. *num.*10. Refert etiam Zerola *in prax. Episcop. part.*2. *verbo Parochia, & p.*1. *verbo Missa* §. 6. & ex ipso Barbosa *de offic. & potest. Episcop. Allegat.* 24. *num.* 17. esse decisum non posse Episcopum cogere populum mulctis, & pœnis, etiam in casu notabilis negligentiæ, ire ad audiendam Missam in parochia.

Circa §. 38. 39. & 40.

PRiuilegia hoc loco relata similia sunt aliis concessis Ordini Prædicatorum in ipsorum Mari magno §. 43. & 44. & Ordini Minorum in ipsorum Mari magno §. 41. & 42. Vnde dicta circa illa ad intentum deseruiunt, adiunctis præcipuè iis, quæ dixi in locis aliis ibi relatis. 114.

Quia autem hoc loco fit mentio de quarta funeralium, pro qua non soluenda, nisi iuxta limitationem à Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.*13. *de reformat.* multa extant priuilegia Regularium, & Sac. Sac. Rotæ decisiones, de quibus locis relatis egi, ideo operæ pretium duxi specialem quamdam eiusdem Rotæ decisionem in vna Liciendi *quartæ funeralium* coram Coccino, quam refert Barbosa *de offic. & potest. Episcopi allegat.*86. *num.*17. & *sequentibus* hic apponere. Quæ talis est. 115.

Domini censuerunt Monasteriorum Clericorum Regularium non teneri ad solutionem quartæ funeralium Reuerendissimo Episcopo, nam, etsi de iure communi ista quarta spectet ad Episcopum, vel Parochum, Clement. *dudum de sepul. cap.*1. & 4. cum aliis eodem *tit. cap. cum quis pariter. eodem tit. in* 6. attamen secus est, quando Monasterium eximitur à dicta solutione ad text. *in cap. priuilegia distinct.*3. *cap. in nostra de sepult.* in casu autem, de quo agitur, nedum prædictam Monasteriorum, sed etiam tota Religio est exempta à dicta solutione quartæ funeralium, cum Paulus Quartus, & Gregorius XIV. dictis Clericis Regularibus communicauerint omnia priuilegia aliis Regularibus concessa, quare censentur etiam communicata priuilegia eximentia à dicta solutione quartæ, inter quæ adest priuilegium Iulij II. concessum Minimis de anno 1506. & aliud eiusdem Pontificis concessum Minoribus de obseruantia anno 1511. sui Pontificatus VIII. & aliud Pauli III. concessum Minoribus anno 1544. & postremò aliud Pauli IV. concessum Ordini Prædicatorum anno 1556. quæ per extensum refert Archangelus Caracia de *quarta funeralium c.*1. Neque obstat Concilium Trident. *sess.*25. *cap.*13. *de reformat.* quia cum istud Monasterium sit fundatum post publicationem Concilij, & quatenus esset fundatum ante, cum non esset solutum soluere dictam 116.

dictam quartam, Concilium ei non obstar, vt declarauit sanctissimus Pontifex Pius V. in sua const. de anno 1567. quam refert Archangelus Caracia *loco citato*. Gutierrez *de iuramento confirmatorio, 2 part. cap. 2. num. 3.* Emanuel Rodriguez *in quæst. Regular. tom. 1. quæst. 41. art. 2.* & ita etiam resoluit Congreg. Illustrissimorum Interpretum, vt refert Rodriguez *loco prædicto*. Quod autem hoc Monasterium fuerit fundatum post confirmationem Concilij, ex eo probatur, quia Concilium fuit confirmatum die 23. Ianuarij 1564. Religio autem Clericorum Regularium fuit confirmata à Clem. VII. 14. Iulij 1520. vnde pernecesse inferendum est quod hoc Monasterium sit fundatum intra quadraginta annos, de quibus loquitur Concilium, & quatenus esset fundatum extra dictos quadraginta annos, non probatur, quod esset solitum soluere quartam funeralium. Neque est verum, quod prædicta Constitutio Pij V. fuerit reuocata per Greg. XIII. vt in eius Bulla, quam refert Nauarr. *in manuali, cap. 27. in fine*, quia cum dicta Bulla Pij plura contineret, per Gregorium redacta fuit ad terminos Concilij, vt censuit Congregatio Illustrissimorum Interpretum, vt refert Caracia loco citato, qui etiam in fine tractatus refert ipsam declarationem, & bene aduertit Gutierrez *loco citato*. Hæc in dicta Rotæ decisione, ex quibus plura habentur pro hac materia valde necessaria, imo pro aliis; siquidem ex ea constat communicationem priuilegiorum Regularium etiam deseruire pro hac, & similibus materiis, item Bullam illam Pij V. anno 1567. editam, quæ incipit *Etsi Mendicantium*, non fuisse reuocatam à Gregorio XIII. in alia, quæ incipit *In tanta*, sed reductam ad terminos Concilij Trid. iuxta dicta *tom. 2. cap. 1. num. 16. & 50.* & aliam etiam Rotæ decisionem in Tarentina *Quartæ funeralis* coram Queipo 5. Decemb. 1629.

Circa §. 41.

117. Hoc etiam priuilegium de non soluenda aliqua portione de piis legatis habetur in Mari magno Prædicatorum §. 45. & Minorum §. 43. quibus in locis, & aliis ibi relatis plura dixi de ista materia. Nunc addendum, illud esse satis conforme iuri communi, non solum propter dicta *tom. 4. verbo legata Regularibus relicta, num. 29.* scilicet quod cum illa, saltem magna ex parte, sint ad causas pias, ideo ab illis non potest detrahi aliqua pars, siue Falcidia, siue Trebellianica vocata, sed integra debent reddi iis Regularibus, quibus legata fuerunt; sed etiam quia legatum factum Ecclesiæ, seu in causam piam non recipit interpretationem, quæ illud minuat, sed absolutè est præstandum, cui legatur. Calderinus *consil. 342.* Barbosa *de Iure Ecclesiast. lib. 2. cap. 13. num. 33.* Imo etiam, quia si legatum relinquatur loco exempto (qualia sunt regulariter Monasteria) non debetur ex eo portio canonica. Syluester *in Summa, verbo Portio canonica, quæst. 3. n. 4.* Angelus *ibid. num. 7.* Miranda *in Man. Prælat. tomo 2. quæst. 48. art. 2.* Barbosa *supra lib. 3. cap. 19. num. 11. & 12.* vbi rationem huius rei assignat, quod Episcopus, nec exigit, nec percipit iura Episcopalia in locis exemptis. *cap. luminoso 18. q. 2. c. cum Episc. 7. de offic. Ordin. in 6.* Apud quem, & Erasmum Cochierum *de iurisd. Ordin. in exempt. p. 4. q. 6. n. 5.* ac Tamburinum *de iure Abb. tom. 1. disp. 16. q. 13. in fine* quid dicendum, si Ecclesia exempta habuerit capellas, vel populum non exemptum.

118. Quia tamen tam in hoc priuilegio, quàm alibi sæpius mentio fit, dum est sermo de huiusmodi legatis, de causa pia, propter quam solent fieri; ideo notandum, legatum ad pias causas dici quidquid in vltima voluntate intuitu Dei relinquitur. Abbas *in proœm. decretal. in §. Gregorius diuiditur, num. 25. & 26.* Felinus *ibid. num. 26.* Tiraquellus *in tract. de priuileg. piæ causæ in præfat. num. 3.* Sanchez *de matrimonio, lib. 1. disputatione 4. numero 9.* Vnde relictum pro anima dicitur legatum ad piam causam. Glossa 1. *in leg. si quis Titio 17. ff. de legat. 1.* Tiraquellus *supra §. item relictum.* Molina *de iust. tractatu 2. disputatione 134.* Et quod legatur Ecclesiæ, aut piis locis, pro celebratione Missarum, alimento Clericorum, vel Religiosorum, constructione, seu ornamentis Ecclesiæ. Romanus *consil. 235. num. 5.* Federicus de Senis *consil. 217.* agens de legato relicto Prædicatoribus, vel Minoribus. Item quod legatur ad pia opera, vt puta redemptionem captiuorum, excarcerationem carceratorum, maritandum pauperes puellas, pupillos sustentandos, construendam sepulturam, & similia. De quibus relati Authores, & ex illis, & aliis Barbosa latè *de Iure Ecclesiastico, lib. 3. cap. 27.* Trullenc. *in Decalog. tomo 2. lib. 7. cap. 18. dub. 12. num. 2.* & Diana *7. part. tract. 6. resolut. 29.* Maximè verò de pietate causæ redemptionis captiuorum plura ex sacris canonibus, Bullis Pontificiis, & Doctoribus habet Seraphinus Freitas *in Scholiis ad Bullarium Ordinis beatissimæ Mariæ de Mercede*, de quibus etiam aliquid dicetur infra in Mari magno Carmelitarum *circa §. 59. & 99.* dum de simili priuilegio ipsis concesso erit sermo.

Placuit ad intentum præsens hîc transcribere quoddam breue consultum à me scriptum circa legatum quoddam celebrandi in certo altari, si commodè fieri posset, de cuius obligatione quærebatur. Et tale fuit. Credo hoc legatum esse conditionale, itaut obligatio celebrandi illas Missas in dicto Altari sanctissimæ Conceptionis solum obliget, quando commodè id fieri potest. Ratio est, quia regulariter dictio *si* denotat conditionem, maximè iuncta verbo futuri temporis, vt in *leg. 1.* vbi Doctores *ff. de cond. & demonstr. & in leg. quibus diebus, § quidam Titio, ff. eodem tit. & in leg. quis, ff. de verborum obligat.* notant Bart. *in dicta leg. 1. num. 2. & 3.* & alij Cùm ergo dispositio conditionata non obliget, nisi conditione subsistente, eo quòd conditio suspendit actionem, & obligationem, *l. cùm in secundo de iniur. testam.* & Baldus *in rubr. Cod. de institut. & substit. sub cond. fac. in princ.* & Ioan. de Petin. *in l. quæcunque de verborum signif.* Bertrachin. *in repert. verb. Conditio*, ideo obligatio dicendi tales missas solum subsistet, quando id commodè fieri poterit. Præsertim, quia hæc videtur expressa mens testatoris, seu legatoris, & quotiescunque disponens restringit, etiam nos restringendo debemus eum interpretari, Baldus *in vlt. num. 1. de posth. hæred. instit.* Cùm autem id dicatur fieri *commodè*, quod sine incommodo fieri potest. *leg. Nepos procul. ff. de verborum signif.* Barbosa *de d. dict. 62. num. 1.* Idcirco tunc commodè dici poterunt Missæ in illo altari, quando nullum adfuerit incommodum, & quia incommodum est idem quod damnum, seu detrimentum, iuxta Calepin. & Grãmaticos, tunc non obligabit talis celebratio, quando huiusmodi damnum, seu detrimentum sequatur. Deinde quia iuxta signo. de Homo. *in cons. 49.* & Bertrachin. *in Repertorio, verbo Commodum*, illud dicitur commodè fieri, quod sine difficultate fit, ideo quando talis difficultas adfuerit siue ex

parte celebrantis, siue aliunde, nec etiam obligabit talis celebratio. Ad hæc, cùm commoditas dicatur respectu vsus, *l. cum in rem*, & ibi Bert. *de rei vendit.* Bertachinus *suprà, verbo Commoditas*, tunc commodè poterit fieri celebratio, quando in actuali celebratione nullum incommodum, vt dictum est, contingat. Quod quia ex variis circunstantiis oriri potest, prudentis arbitrio videtur relinquendum.

Ad id quod dicitur, quod non adsit memoria de huiusmodi legato, & quod non sit certum quod adsint dicta verba, sed solum reperitur in illa notula, respondeo, quod ad hoc, quod scriptura priuata qualis est ista, probet semiplanè non requiritur testium, aut subscriptionis adminiculum. Quia in antiquis priuata scriptura semiplena inducit probationem sine istis, prout ex multis Doctoribus probat Mascardus *de probat. vol. 3. concl.* 1294. Insuper, si præsumptio sumpta ex dicta notula aliis adminiculis fulcitur, etiam plenè probat, secundum Crauet. *in tract. de antiq. temp.* & sanè quando partes, videlicet sacerdotes illius Ecclesiæ, ita conuenerunt, vt tali scripturæ credatur, vtique ipsi erit videndum, iuxta eundem Mascardum *suprà num.* 14. post Crauet. qui & subiungunt valere consuetudinem quod credatur scripturæ priuatæ de communi DD. sententia. Ex quo etiam patet ad id, quod dicitur de incertitudine talis notulæ.

Circa §. 42.

119. Concedit, & confirmat hoc loco Pontifex Innocentij, Bonifacij, & Clementis Prædecessorum vestigiis inhærendo omnimodam exemptionem Ordinis Eremitarum sancti Augustini quoad Fratres, domos, & bona, ac personas oblatas, & mantellatas; declaratque censuras, & sententias contra ipsos, & ipsas latas nullius esse roboris, vel momenti, ac huiusmodi exemptionem esse notoriam, ac propterea allegatione, ac probatione non egere. Extat autem simile priuilegium pro Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 46. & pro Minoribus in eorum Mari magno §. 44. quibus locis, & aliis ibi relatis de hoc exemptionis priuilegio latè egi, itaut pro materiæ complemento sufficere possint.

120. Ad maiorem tamen notitiam habendam, cùm in hoc, & similibus priuilegiis non solum concedatur præfatis religiosis omnimoda exemptio ratione loci, scilicet Monasterij, sed etiam ratione personarum, iuxta dicta *super Mare magnum Minorum, circa* §. 44. ideo notanda est differentia præcipua, quæ est inter exemptionem datam ratione loci, & ratione personæ. Ea enim est, quod exemptione data ratione loci non potest quis vti extra talem locum; priuilegium enim locale restringitur ad locum, & censetur potius reale, quàm personale. Exemptione verò ratione personæ potest quis vti vbique, & in quocunque loco; quia sequitur personam, & non restricta ad aliquem locum. De quo bene Panormitanus *in cap. tuarum, de priuilegiis, & cap. cum capella, eodem tit.* Rodriguez *tomo 1. quæst. Regularium, quæst.* 60. *art.* 7. Tamburin. *de iure Abb. tomo 2. disp. 6. quæsito* 13. *num* 4. & consonant, quæ dixi *tom. 4. verb. Priuilegia Regularium, num. 2. & 4.*

121. Nota etiam non infirmari hoc priuilegium exemptionis, & alia similia Regularibus concessa, quamuis Papa in ipsis non exprimat se derogare Regulæ de iure tertij quæsito non tollendo. Quia cùm exemptio sit gratia de sui natura præiudicialis, ac per consequens Papa illam concedens sciat verificari non posse, nisi cum magno præiudicio Ordinariorum, ideo cùm illam concedit, censetur necessario iuri illi derogari velle, Dec. *cons.* 113. *n.* 7. *vers. non obstat.* Corn. *cons.* 83. *num.* 16. *vers.* 3 *respondetur, lib.* 5. Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 36. *n.* 48 Cassador. *dec.* 5. *de priuileg.* Seraphin. *dec.* 72. *n.* 4. *& dec.* 1445. *num.* 7. Rota *dec.* 240. *num.* 22. *part.* 1. *diuersor. & decis.* 48. *num.* 1. *per tot. & decis.* 174. *num.* 2. *part.* 1. *recent.* in Mantuana *pensionis* 4. Decembris 1626. coram Merlino, & in Romana *dotis de Ballapanis* 7. Maij 1629. coram Dunozetto iuniore, quas refert, & sequitur Ferentill. *in addit. ad dec* 577. *Burat. num.* 13. & in Adrien. *decimarum.* Decembris 1607. coram Patriarcha Manzanedo, & in Bononien. *vsusfructus* 23. Maij 1625. coram Coccino, in Albanen. *beneficium* 27. Iulij 1614. coram Pirouano, & in Cæsaraugustana *Camerariæ* 26. Nouembris 1632. De quibus etiam Tamburinus *de iure Abb. tom. 1. disp.* 15. *quæst.* 4. *num.* 31.

Alia pro simili priuilegio Carmelitarum habes infra in eorum Mari magno *circa* §. 60. vbi specialiter de modo, quo Regulares possunt defendere suam exemptionem casu quo domini Ordinarij illos citarent, vel priuilegia ipsorum non admitterent, aut vellent interpretari, & agere contra ipsa. 122.

Circa §. 43. & 44.

Priuilegium hîc concessum Generali, & quibusdam aliis Prælatis Ordinis Eremitarum S. Augustini ad absoluendum sibi subditos à quibuscunque censuris etiam Papæ reseruatis, quibusdam duntaxat exceptis, concessum etiam fuit Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 14. 15. ac 41. & Minoribus in eorum etiam Mari magno §. 12. & 30. Et licet restrictum fuerit à Sixto IV. in Bulla *Aurea* nuncupata, postea tamen sublata est hæc restrictio, iuxta dicta super eandem Bullam §. 3. Priuilegium etiam hoc de facultate dispensandi cum subditis in omnibus irregularitatibus, tribus illis exceptis, scilicet homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, concessum etiam fuit Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 42. & Minoribus in ipsorum etiam Mari magno §. 49. Quibus locis multa de iis, & similibus priuilegiis dixi referens me etiam ad alia loca, in quibus de eadem quoque materia dixeram. 123.

Vnum tamen speciale video in hoc priuilegio absolutionis pro Eremitis sancti Augustini, quod non extat in Mari magno Prædicatorum, aut Minorum, aut Bulla *Aurea* dicta, videlicet, quod in eo concedi etiam videtur facultas Generalis, & ex commissione ipsius Prouincialibus, ad absoluendum sibi subditos non solum à censuris, sed etiam à pœnis, quas occasione delictorum, & excessuum ab ipsis commissorum, incurrissent. Ex quo probabiliter elici potest posse præfatos Prælatos relaxare in sibi subditis priuationes, & inhabilitationes ad officia, vocem, &c. ea enim sunt quædam pœnæ, iuxta dicta *tomo 1. cap. 18. num.* 40. ac proinde comprehensæ dicto priuilegio; neque enim est aliud, quod nomine pœnarum intelligi possit, & oportet verba priuilegij aliquid significare, & operari, ne dicantur esse otiosa. Quod etiam Thesaurus *in praxi, parte 1. cap. 1. §. quare* dicit verba illa *à pœnis* in similibus priuilegiis esse synonima, seu æquipollentia cum *censuris*, & idem significare, non placet, tum quia certū est pœnam, & censuram diuer- 124.

diuerſum quid eſſe, & diuerſa ſignificare, & pœnam eſſe quid ſuperius ad cenſuram, cùm omnis cenſura ſit pœna, & non è contra; tum quia communiter Doctores, ſpecialiter Gutierrez, Henriq. Nauarrus, Sanchez, Suarez, Layman, & alij, quos ipſe Theſaurus refert, ſupponunt dictam dictionem *à pœnis* in talibus priuilegiis poſitam non eſſe ſynonymam, aut æquipollentem cum dictione *à cenſuris*, quæ ibidem etiam ponitur, etiamſi laborent in explicando, quid importetur per dictionem *à pœnis*. Has autem pœnas priuationum, & inhabilitationum, &c. tolli per priuilegia habentia talem dictionem *à pœnis* docent Sorbus *in addit. ad compend. Priuileg. Mendicant. verbo ingredi Monaſteria Fratrum*, §. *nunc autem*, Ioannes de Cruce *de ſtatu Relig. lib 1. cap 6. dub. 13. concl. 2. & dub. 15. concl. 5.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 15. in fin. Portellus in dub. Regular. verbo Diſpenſare in addit. n.* 4. Bartholomæus à ſancto Fauſto *de paupertate religionis, l. 8. quæſt.* 232. Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Conſtit. 6. Iulij II. num.* 24. quos ſequor *tom. 1. capitulo 10. num. 35. & 36. & cap. 18. n. 46. & tomo 3. verbo Confeſſarius regularis, num.* 8. & fauet Tambur. *de iure Abbat. tomo 3. diſp. 4. quæſt. 11. num. 10. & 11.* referens Portellum loco citato. Maximè fauet Cand. *tom. 4. diſquiſ. 5. art. 2. dub. 26. 27. & 28.* loquens de pœnis inhabilitationum, & priuationum impoſitis contra violantes clauſuram, ſeu ingredientes Monaſteria Monialium, ſeu introducentes fœminas in Monaſteria virorum. Videatur idem Candidus *tom. 1. diſquiſit. 22. art. 49 dub. 13.*

125. Eſt tamen difficultas contra hoc, nam Pontifex in hoc, & ſimilibus priuilegiis dum loquitur de pœnis, concedit facultatem abſoluendi ab illis, aut verò prædictæ priuationes, & inhabilitates, &c. non tolluntur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem, vt habent Suarez de Relig. *tomo 1. tract. 3. lib. 4. cap. 61. num. 3. & tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 21. num. 13. & 14. & tract. 10. lib. 9. cap. 2. num.* 49. Sigiſmundus de Bononia *de elect. Prælator. dub.* 97. Samuellius *de canonic. elect. tract. 2. contr.* 8. & alij, abſolutio etiam, & diſpenſatio in multis differunt, vt probat Theſaurus *ſupra latè* 20. & ſupponunt relati authores. Non ergo in his priuilegiis pœnarum nomine veniunt prædictæ priuationes, inhabilitates, &c. Reſpondeo tamen ex doctrina Suarez *dicto cap. 21. num. 16.* in præfatis priuilegiis verbum *abſoluendi* ſumi latius pro verbo *abolendi*, ſeu *tollendi*, quæ verba abſtrahunt à propria abſolutione, & diſpenſatione. Sicut enim ſub poteſtate ſoluendi includitur poteſtas diſpenſandi, ita verbum abſoluendi poteſt ſumi pro verbo diſpenſandi. Adde, quod cùm huiuſmodi priuationes, & inhabilitates ſaltem lato modo dicantur ſuſpenſiones, prout ſupponit Nauar. *lib. 1. conſil. de elect. conſil.* 8. & Rodriguez *tomo 1. quæſt. regular. quæſt. 29. art. vlt.* ac ſequitur Sorbus *ſuprà* §. *Sed dicet aliquis*, referens etiam Innocentium, ac alios, & clarè docet Alterius *de cenſur. tomo 2. diſp. 13. cap. 5.* §. *ſed de prima*, poterunt etiam lato modo tolli per abſolutionem, ſicut tolluntur ſuſpenſiones.

126. Addendum tamen, quod cum aliqui Authores graues appellent huiuſmodi inhabilitates quaſdam, prout refert Sigiſmundus *ſupra num.* 9. cum in hoc priuilegio concedatur facultas ad diſpenſandum in omni irregularitate, exceptis illis tribus, ideo qui crediderit eas eſſe irregularitates, poterit ex vi huius priuilegij, quatenus conceditur per illud facultas ad diſpenſandum in irregularitatibus, in prædictis pœnis diſpenſare.

Quomodo autem poſſint Prælati Regulares his priuilegiis vti tempore viſitationum, & in maioribus ſolemnitatibus, dicam infra in Mari magno Carmelitarum circa § 54. Pro quo etiam videndi Sigiſmundus *ſupra dub. 99. num.* 3. Tamburinus etiam *ſuprà num. 12. & 15.* Samuellius *ſupr. controu.* 10. 127.

Circa §. 45.

De ſimili priuilegio Prædicatoribus conceſſo in eorum Mari magno §. 47. & Minoribus in eorum etiam Mari magno §. 45. de facultate videlicet ad miniſtrandum Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis iis, qui ipſis ſunt conceſſi, quando parochi noluerint id facere, dixi eis locis, referendo me etiam ad alia, in quibus de eadem egeram materia. Præter quæ vlterius dubitari poteſt, an hoc priuilegium extendi poſſit ad ſimilia, in caſibus videlicet, in quibus Rectores Eccleſiarum, ſeu Curati malitioſè diſtulerint aut noluerint facere ea, quæ ad ipſorum officium ſpectant; videlicet non baptizare aliquem, non ſolemnizare matrimonium illi aſſiendo, aut non tribuendo ſepulturam cadaueribus fidelium, an ſcilicet hæc poſſint facere Regulares, quando Parochi malitioſè hæc nolunt aut differunt facere. 128.

Et quoad primum de Baptiſmo, certum, & indubitatum eſt, iuxta ea quæ indicaui *tom. 1. cap. 9. num. 31. & tom. 3. verbo Baptiſmus num. 1. & 2.* licere Religioſis baptiſmum miniſtrare in caſu neceſſitatis, ac proinde quod ſi pro tali caſu parochus malitioſè noluerit, aut diſtulerit id facere, poſſint Religioſi id efficere. *cap. in neceſſitate, cap. Romanus, cap. ſanctum, cap. à quodam de conſecrat. diſp. 4. ad limina 30. quæſt 1. cap. ſuper quibus 30 quæſt. 3.* Extra caſum tamen prædictæ neceſſitatis, etiamſi præfati Curati malitioſè nolint, aut differant baptiſmi adminiſtrationem, non tamen propterea poterunt Regulares id facere. Neque ex vi huius priuilegij, cum ſolum loquatur de adminiſtratione Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis reſpectu eorum, qui confeſſi fuerint præfatis Regularibus, neque ex vi iuris communis, quia in iure communi ſtando miniſtrare hoc Sacramentum extra neceſſitatem eſt proprium Epiſcoporum, & Parochorum munus, quod per Baptiſmum homines introducuntur in Eccleſiam, quod ſolum ſpectare videtur ad Paſtores. Sot. *in 4. diſtinct. 4. quæſt. vnic. art. 3. concl.* 2. Suar. *tomo 3 in 3. part. diſp. 23. ſect.* 2. Maximè, quia Monachis ſpecialiter eſt interdictum à iure illud miniſtrare *cap. placuit 2. 16. quæſt.* 1. Tambur. *de iure Abb. tomo 2. diſp. 4 quæſito* 1. Si tamen in prædicto caſu non neceſſitatis religioſi adminiſtrarent Baptiſmum, non propterea incurrerent aliquam pœnam, vel cenſuram, cum nulla talis pœna ſit à iure impoſita; & excommunicatio poſita in Clement. 1. *de priuilegiis* non loquatur de miniſtrante Baptiſmum Suar. *tomo 3. in 3 part. diſput. 31. ſect.* 4. Filiuc. *tract. 15. cap. 8. quæſt. 2. num.* 118. Bonacina *de excom. extra Bullam Cœnæ, diſp. 2. quæſt. 9. puncto 5. num.* 11. Barboſa *in dictam Clem. num.* 16. 129.

Quod ſecundum de Matrimonio dicendum eſt etiam caſu quo parochi malitioſè nolint illud ſolemnizare, aut id differant facere, non licere religioſis id munus exercere, neque ex vi huius priuilegij, cum, vt dixi, non loquatur de matrimonio, nec ex vi iuris communis, cum potius ius commune Conc. Tridentini *ſeſſ. 24. de Matr. cap.* 1. dicat matrimonium aliter fieri non poſſe, quàm præſente parocho, & aliter contractum eſſe nullum, 130.

contrahentes inhabiles reddendo. Vnde Sanchez *lib.3.de Matr.diſp.*17.*n.*4. poſt Sotum, Medinam, & Henriquez tenet in articulo mortis, & in quacunque neceſſitate contractum matrimonium abſque parocho irritum eſſe,& nullum. Quare conſequenter dicendum eſt, Regulares in quacunque neceſſitate ſolemnizantes matrimonium, aut illi aſſiſtentes ſine licentia parochi incurrere excommunicationem, poſitam in dicta Clem. 1.*de priuilegiis*, iuxta dicta *tomo* 1. *cap.*9. *num.*31. Imo etiam ſuſpenſionem ad arbitrium Ordinarij,iuxta decretum dicti Concilij loco relato, prout dixi *eo n.*31. ex Rodriguez,& Barboſa. Quibus iunge Sanchez *ſuprà diſp.*48. *num.*8.*&* 9. & plures alios, quos ibi refert, & ſequitur Barboſa *in dicta Clem.*1.*de priuilegiis, num.*7. Quamuis Henriquez, Suarez, Sayrus, Bonac.& alij oppoſitum teneant,exiſtimantes antiquam illam excommunicationem *dictæ Clem.* 1. correctam eſſe,ſeu mitigatam per ſuſpenſionem illam impoſitam à Conc.Trid. quia noua pœna mitior lege noua ſtatuta corrigit rigidiorem antiquæ legis.

131. Quoad tertium de ſepultura dicendum, quod licet ex vi huius priuilegij non poſſint Prælati regulares quacunque neceſſitate data ſepelire in propriis Eccleſiis cadauera defunctorum,ſi in alia Eccleſia ſepeliri deberent, cùm priuilegium non loquatur de hoc caſu; nihilominus quia ex obligatione charitatis,& miſericordiæ tenemur fidelium corpora ſepelire,& vt ſepeliantur, habent ius omnes fideles,niſi impedimento aliquo ſepultura priuandi veniant,*cap.nullus* 13.*q.*2.*cap. Eccleſiam* 2.*de conſecrat.diſt.*1. Ideo pro caſu quo parochi malitioſè nollent,aut differrent corpora defunctorum ſepelire poſſent,imo deberent id facere prædicti Religioſi. Sic colligo ex Bañez 2.2.*q.*32.*art.*2. *concl.*3. Valentia *t.*3.*diſp.*3.*q.*9 *p.*2. Sa *in Sum.verb.Sepultura prope fin.*& Layman.*lib.*3.*tr.*5 *ſect.*7.*c.*12.*n.*2.

Circa § 46.

132. SImile etiam priuilegium de bonis Monaſteriorum Monialibus deſertorum applicandis Fratribus conceditur Prædicatoribus in eorum Mari magno §.48.& Minoribus §.46. quibus in locis,& aliis ibi relatis de hac materia dixi. Sed addendum quod cùm Monialium nomine venire poſſint primò,illæ quæ contemplatiuæ, ſeu cœnobitiſſæ vocari ſolent,in Monaſteriis viuentes ſub cura Prioriſſarum, vel Abbatiſſarum, ſiue Sedi Apoſtolicæ immediatè ſint ſubiectæ, ſiue immediatè Ordinario, aut Prælato Religionum,ſcilicet Generali,vel Prouinciali; ſecundò, illæ, quæ Tertiariæ, aut Pinzocheræ, ſeu Mantellatæ dicuntur, quæ etiam in Italia vocari ſolent *Monache di caſa*, & in Hiſpania vocantur *Beatæ*; tertiò, illæ, quæ *Canoniſſæ* vocari ſolent, & degunt in Germania, Flandria, & Lotharingia, communiter inſtar Canonicorum Regularium, diuinas laudes,& preces recitantes,& cantantes,ac vni Prioriſſæ,ſeu Abbatiſſæ obedientes,de quibus Azor *tomo* 1.*inſtit.moral.lib.*13.*cap.*9. Barboſa *in Collect.DD. lib.*3. *Clem.tit.* 10. *Clement. Attendentes,num.*5.& Tamburinus *de iure Abbatiſſarum,diſp.*7. *quæſt.*4. quartò, illæ, quæ oblatæ,ſeu donatæ vocantur, de quibus dixi *tomo* 2. *cap.* 8. *n.* 29.& agunt Nauarrus *lib.*2. *conſil. de ſtat.Monach. conſ.* 6. Rodriguez *tomo* 1. *quæſt. regular. quæſt.*44. *art.*4. & Tamburinus *ſupra quæſt.* 5. quales etiam videntur eæ, quæ Romæ Moniales *Turris ſpeculorum* vocantur, de quibus idem Tamburinus ex Azorio,& Andrea Victorello; ac denique quintò, illæ, quæ *Conuertitæ*, aut *Pœnitentes* vocantur, de quibus Tamburinus *ſuprà q.*6. poſt alios; quæri poteſt, an cum in hoc priuilegio, & ſimilibus conceditur viris religioſis, vt bona Monaſteriorum Monialibus deſtitutorum ipſis applicentur. Monialium nomine veniant ſolum Moniales primo modo, an aliæ etiam ſecundo, tertio, quarto,& quinto,ita vt iſtorum etiam Monaſteriorum, ſic deſtitutorum bona prædictis religioſis applicentur. Et probabiliter ſatis reſponderi poteſt affirmatiuè, dummodo concurrant duæ illæ conditiones in hoc, & ſimilibus priuilegiis aſſignatæ, ſcilicet, quod tales Moniales ſint eiuſdem Ordinis, aut inſtituti, & quod fuerint curæ ipſorum Fratrum commiſſæ; iis enim conditionibus concurrentibus, cùm priuilegium ſit fauorabile, & latè in fauorem ipſorum Fratrum explicandum, poſſitque hoc modo explicari, ſeruata etiam proprietate verborum, fieri ita debet.

Reſtat dicendum de exemptione Monialium, & ſubiectione, quàm habent ad Prælatos Religionum, quarum ſunt Moniales. Sed de hoc commodiùs dicetur in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 33.*&* 65. vbi etiam qualiter Moniales ſubditæ Religionibus non facilè dimitti debeant, aut tradi Ordinariorum iuriſdictioni, & quando id non ſolum illicitè, ſed etiam inualidè fiat. Quid de illis Monialibus, quæ ſpecialiter dicuntur eſſe immediatè ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, dicam infra in Mari magno Minimorum *circa* §.25.*num.*84. 133.

Circa §.47.

HOc quoque priuilegium de non ſepeliendis illis,qui cum habitu Fratrum Eremitarum S. Auguſtini ſepeliri volunt,in alio loco,niſi in ipſorum Fratrum Eccleſiis, habetur pro Prædicatoribus in eorum Mari magno § 49.& pro Minoribus in eorum etiam Mari magno § 46. cui etiam conſonat aliud pro eiſdem Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla Aurea vocata § 6 Quibus in locis,& aliis ibi citatis,qualiter hoc priuilegium,& ſimilia moderata iis temporibus ſint,qualiter etiam ſubſiſtant, & alia ad illud ſpectantia,dixi. Quæ videntur ſufficere pro materiæ complemento. Præſertim propter dicenda inferius in Mari magno Carmelitarum §.66. circa ſimile priuilegiũ illis conceſſum. 134.

Circa §. 48.

DE hoc quoque priuilegio pro domibus Fratrum constructis, aut conſtruendis apud Eccleſias Parochiales dixi aliqua in ſimili priuilegio Prædicatorum in ipſorum Mari magno poſito §. 50.& Minorum in ipſorum etiam Mari magno §. 48. referendo me etiam ad alia loca, in quibus de eadem materia egeram. Nunc autem, vel compendioſè tractandum de iis, quæ ſine licentia Parochorum poſſunt Regulares in ſuis domibus facere, aut in quibus ab ipſis dependent,aut non. 135.

Et primò quidem quoad Sacramenta Pœnitentiæ adminiſtrationem,conſtat ex dictis *tom.*1.*c.*19. *n.*2. Poſſe Regulares confeſſarios ab Ordinariis approbatos audire confeſſiones ſæcularium,etiam Parocho non conſentiente. Quod etiam olim docuit noſter Ioannes Beetz antiquus Scholaſticus *in præcept. Decalog. præcept.*3. *expoſit.*4. *cap.*6. alios etiam referens. Quamuis autem ibi dixerim hoc intelligendum, niſi acceperit facultatem audiendi confeſ- 136.

confessiones independenter à Parochis, nihilominus Rodriguez *in explicat. Bullæ cruciatæ*, §.9.*num.* 145.*&* §.12.*num.*9. *cum seqq. & quæst. regul.tom.*1. *quæst.*60. *art.*4. Ioan. à Cruce *de statu relig. lib.*2. *cap.*6.*dub.*1.*concl.*3.Tambur. *de iure Abbatum,tom.* 2.*disp.*6.*quæst.*13. quos sequitur, & non impugnat Barbosa *de offic. Parochi,part.*2.*cap.*19.*n.*22.*in* 3.*editione Lugdunensi* oppositum probabiliter tenent. Quorum fundamentum est, quod Alexander IV. concessit Minoribus facultatem audiendi confessiones, quando approbati sunt ab Ordinariis, Sacerdotum parochialium assensu minime requisito, vt habet Ioannes Beetz *suprà*, & Cassarubius *in Compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo Absolutio quoad sæculares* 1.*num.*1. quo priuilegio tam Minores, quàm alij, qui cum ipsis communicant in priuilegiis frui poterunt. Ex eo autem sequi videtur non posse Ordinarios ponere talem restrictionem Regularibus ab ipsis approbatis, cùm non possint tollere, aut limitare priuilegia ipsis à Papa concessa. Refert etiam pro hac sententia Barbosa *supra* Mirandam, & Fagundez in quibus nihil tale reperio. Quomodo autem Regulares approbati pro confessionibus audiendis possint illas audire etiam in domib. ipsorum sæcularium ægrotantium, dum tamen ante, vel post confessionem certiorem reddant Parochum, constat ex declarationibus sacræ Congregationis, quas refero eo *cap.*19.*num.*31.& 32. prout etiam facit Barbosa *supra num.*23.

137. Quoad Sacramentum Eucharistiæ ad ministrandum constat ex dictis *tomo* 1.*cap.*9. *num.*31.*& cap.*21.*num.*8.*& tomo* 2.*cap.*1.*num.*20.*& tomo* 3.*verbo Eucharistia quoad Regulares*, *num* 2. quod licet stando in iure communi non possint Regulares administrare sæcularibus hoc Sacramentum absque Parochi licentia, propter Clem.1. *de priuilegiis* sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, nihilominus propter priuilegia Religionum id posse facere extra diem Paschatis, etiam per alios. De quo præter authores ibi relatos legendi Tamb. *de iure Abb.tom.*2.*disp.*5.*quæsito* 3. Portellus *in dub. Regular.verbo Sacramentorum administratio, num.*8. Hieronymus Rodriguez *in compend.resolut.*127.& Barbosa *supra cap.*20.*num.*7.*&* 8. Quomodo etiam intelligendum sit id quod dixi de die Paschatis, egi locis relatis, & tractant Authores relati. Qualiter etiam Regulares priuilegiati possint ministrare istud Sacramentum sæcularibus sibi confessis casu, quo Parochi sine rationabili causa illud noluerint administrare ipsis, aut malitiosè distulerint id facere, constat ex dictis suprà, *circa* § 45. huius Maris magni, & aliis locis ibi relatis.

138. Similiter quoad ministrationem Sacramenti Extremæ-Vnctionis, quamuis iuxta dicta *tomo* 1. *cap.*9.*num.*31.*& cap.*21.*num.*10.*& tomo* 3.*verbo Extrema-Vnctio, num.*1. Regulares non possint illud administrare extraneis sine licentia Parochi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, propter dictam Clementinam 1.*de priuilegiis*, nihilominus in aliquibus casibus, & pro aliquibus personis id fieri posse constat ex dictis *ibid.* & aliis locis ibi etiam relatis. De quo etiam præter Authores ibi citatos Tambur. *supra disp.*7. *quæst.*3. Hieronymus Rodriguez *supra resolut.*64. & Barbosa *supra c.*20. Vide etiam dicta circa § 45. huius Maris magni.

139. De Matrimonij Sacramento loquendo etiam constat ex dictis *tomo* 1.*cap* 9 *num.*31. *& cap.*2.*n.*9. non posse Regulares assistere illi, ipsumue solemnizare sine Parochi licentia, cuius est hoc munus proprium, sub pœna non solum excommunicationis latæ in dicta Clementina 1.*de priuilegiis*, sed etiam suspensionis arbitrariæ à Conc. Trid. designatæ, iuxta dicta supra *d.* §. 45. etiam quacunque necessitate data, iuxta ibidem dicta. In partibus tamen Indiarum id munus exercere possunt aliqui Religiosi, iuxta dicta *eo cap* 9.*num.*31. ex Pio V. ibi relato. De quo Miranda *in Manual. Prælat.tomo* 1. *q.*42.*art.*6. Hieron. Rodriguez *in compend.resol.*126. *n.*10. cum limitationibus tamen in ea Bulla positis. De quo Sanchez *lib.*3.*de Matr. disp.*26. & Portellus modo referendus *n.*6. Eodem priuilegio gaudent Fratres Minores in Brasilia per concessionem Sixti V. cuius transumptum vidisse authenticum testatur Portel. *in addit. ad dubia regularia, verbo Matrimonium*, *n.*9. *in fin.* vbi etiam addit eandem concessionem (vt arbitratur) factam esse pro India Orientali, vbi Fratres assistunt conuersioni Indorum in locis sibi assignatis administranda Sacramenta. Vide Hieron. Rodriguez supra.

De obligatione regularium ad soluendam quartam funeralem Parocho pro defunctis, qui in eorum Ecclesiis sepeliuntur, plura dixi multis in locis, specialiter 4.*tom.verb. Quarta funeralis*, & super Mare magnum Prædicatorum, & Minorum, & super hoc Eremit. S. August. & aliis locis ibi relatis. Vbi etiam iuxta doctrinam Concilij Tridentini, & eorum priuilegia, à quibus monasteriis, quomodo, & de quibus sit soluenda. De quibus inter alios DD. ibi relatos Barbosa *supra part.*3.*cap.*25 *latè.* 140.

Qualiter etiam functiones aliquas Parochorum proprias, vt puta benedictionem domorum, seu illarum aspersionem in Sabbatho sancto Palmarum, in Dominica Palmarum, Candelarum in die Purificationis beatæ Mariæ, Cinerum in feria quarta Cinerum, mulierum post partum, ouorum, cadauerum, & similia exercere possint Regulares, dixi, *tom.*3.*verbo Benedictio, & benedicere, num.*13.*& seqq.* De quo, & aliis concernentibus vide, quæ dixi *tom.*1.*c.*12.*n.*41. propter declarationes sacræ Congregationis Concilij missas ad Archiepiscopum Bononiensem anno 1620. Maximè quomodo Regularibus non sit prohibitum inter Missarum solemnia vertere se ad populum, & generalem confessionem pro eo facere, atque in medio altaris sistendo, eleemosynas, & oblationes ab offerentibus recipere, dummodo à perambulationibus, & eleemosynarum extorsionibus abstineant, posse etiam recipere triticum, vuas, ligna, & similia, antequam Parochus recipiat suas primitias, constat ex dictis eo loco, propter relatas sacræ Congregationis declarationes. Quas etiam recipit Barbosa *supra part.* 1.*cap.*11.*num.*22.*& part.*3.*cap.*27.*num.*11. Quid verò dicendum de processionibus, an scilicet fieri possint à Regularibus extra claustrum, & Ecclesiam propriã, constat ex dictis *t.*4. *v.processio quoad Regul.n.*8.*& seqq.* Similiter de processionibus mortuorum, seu de associatione ipsorum, quando sepeliuntur, qualiter fieri non possint sine Parochi præsentia, plura dixi *t.*2.*c.*1.*n.*31 *&* 46.*& t.*3.*v.defunctus, & t.*4.*v.Sepultura quoad regulares*, & sæpius in hoc Opere, præsertim in Mari magno Prædicatorum *circa* §.28. & aliis locis ibi relatis. 141.

Circa §. 49.

AMpliatur hoc loco priuilegium his religiosis cõcessum pro electione Generalis supra *circa* §.26. ita videlicet, vt sic electus Generalis eo ipso cẽseatur Apost. authorit. cõfirmatus, & possit suum 142.

officium in Ordine exercere, non obstante quacunque appellatione à sibi subditis facta. Cui in aliquo modo simile est aliud priuilegium Prædicatoribus concessum in eorum Mari magno §.1. 2. & 3. & Minoribus in eorum etiam Mari magno §. 1. & 3. circa quod, præter dicta eis locis, & aliis ibi citatis.

143. Vlterius notandum, quòd decretum electionis, de quo Pontifex in hoc priuilegio loquitur, diciturque præsentandum Generali electo, est, iuxta dicta *tomo 2. cap.12. num.47.* scriptum continens seriem, siue formam electionis celebratæ cum expressione nominis electi, & numeri eligentium. Quamuis autem disquiri soleat, an tale decretum sit de substantia electionis; quibusdam affirmantibus; aliis negantibus, quos referunt Sigismundus de Bononia *de electione Prælatorum, dub.43. num.2.* & Franciscus Maria Samuellius *de canonica electione tract.1. controuers.6. num.5.* nihilominus, iuxta dicta à nobis eo *num.49.* dici potest esse de necessitate electionis prout confirmandæ, quia si confirmator est absens, nullo alio modo potest ipsi legitimè constare de electione, aut eam confirmare. Et si non prout acceptandæ, siquidem quomodocunque constet electo de sua electione, si legitimè id illi constat, potest haberi intentum talis decreti. Illud certius, tale decretum, siue mittatur ad Electum, siue ad confirmatorem, plenam fidem facere, quando illud continens sigillum, & subscriptionem omnium eligentium sit scriptum à publica manu testante omnia gesta fuisse in sua præsentia, & sit roboratum aliis requisitis ad scripturæ publicæ substantiam, vt puta testium præsentia, & huiusmodi. Rota in Treuerensi *Abbatiæ sancti Maximini* 20. Nouembris 1624. coram Coccino. Speculat. *in tit. de elect. §.1. vers. celebrata*, vbi latè de hac materia, Innoc. *in cap. innotuit, num...* Ioan. Andr. *num.20.* Card. *num.7. vers.6. quæro* Ant. à Butr. Panor. *num.15.* Bellamer. *num.20. vers. item dicit.* Marc. *quæst.1359. num.2. part.1.* Bursat. *cons.159. num.15. lib.2.* Syluest. *tit. electio.1. quæst.18.* Biax. *in direct. elect. part.3. cap.41.* Cuch. *instit. maior. lib.4. tit. de elect. 282.* Sigismundus *suprà, num.3.* Samuellius *num.10.* Nota tamen nomina eligentium non debere exprimi in tali decteto propter Concilium Trident. *sess.25. cap.6.* & declarationem sacræ Congregat. quam referunt Sigism. *supra, n.7.* & Samuel. *n.8.* post Castellinum, & alios. Nota etiam publicam illam manum, à qua, vt dixi, scriptum debet esse tale decretum, denotare manum notarij, prout iidem authores tenent. Quamuis autem dubitent Doctores, an talis notarius possit esse Laicus sæcularis, quibusdam affirmantibus, aliis negantibus; quidquid de hoc sit, cùm ex dictis *tomo 4. verbo Notarius regularis, num.1. & 9.* estque praxi Religionum obseruatum, superiores ipsarum instituere possint notarios pro suis causis, quos *Secretarios* vocant, proculdubio hoc munus ad prædictos secretarios spectabit, ac proinde secretarius Capituli id exequi poterit. Addit Sigismundus *suprà, n.12.* ad id deseruire priuilegium Pij V. pro Ordine Prædicatorum, quod retuli dicto verbo *Notarius regularis.* Sed id mihi incertum est, quia tale priuilegium solum videtur esse pro intimandis mandatis, seu priuilegiis Apostolicis personis extra religionem existentibus.

144. Circa id quod tangitur in hoc priuilegio, de facultate videlicet Generalis electi ad exercendum suum officium, *reiecta quauis appellatione*, videnda sunt, quæ dixi *tomo 3. verbo appellare, seu appellatio*, & locis ibi relatis, vbi multa de appellatione Regularium, an scilicet, quando, & quibus circunstantiis, licita sit, vel non.

Nota etiam quòd quamuis iure communi requiratur quod postquam aliquis est electus, in possessionem introducatur solemniter, seu installetur, *cap. ad hæc, de offic. Archidiacon. cap. cum Bartholdus de sent. & re iudic.* vbi DD. communiter, huic tamen solemnitati, & aliis similibus derogari videtur per hoc priuilegium, quo Generalibus conceditur, quod postquam sunt electi, & à Sede Apostolica confirmati, possint exercere suum officium, &c. vel saltem similibus solemnitatibus succedit in Religione vsus qui est osculandi manus Prælati electi, eum deferendo ad Ecclesiam, cantando *Te Deum*, &c. vel alio modo, iuxta Ordinum statuta. Vide Laymanum *in qq. canonic. de Prælat. elect. cap. 10 quæst.113. & 114.* 145.

Circa §. 50.

DE priuilegio hoc loco Religiosis istis concesso, in quo facultas cognoscendi de errore asserentium, quod confessi Fratribus Mendicantium ad audiendas confessiones approbatis tenerentur eadem peccata Curatis Parochialium Ecclesiarum iterum confiteri, extenditur ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, sicut & olim propter alia priuilegia pertinebat ad Ordinarios locorum, nonnulla dicta sunt in simili priuilegio Prædicatoribus concesso in ipsorum Mari magno §.51. & Minoribus in eorum etiam Mari magno §.50. Præter quæ addendum est in præsenti. 146.

Dubium esse posse tam speculatiuum, quàm practicum, an conuenientius sit fidelibus Sacramenta à Parochis recipere, quàm à Religiosis priuilegiatis, Mendicantibus præsertim. Et præcipua difficultas est de Sacramento Pœnitentiæ, nam alia sacramenta, vel non recipi possunt à parochis, aut regularibus, si Episcopi non sunt, scilicet ad Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, vel si recipi possunt, vt dixi in superioribus de Eucharistia, eadem ratio est de illa, ac de Sacramento Pœnitentiæ. Possumus autem loqui de receptione horum Sacramentorum solum ex deuotione, vel de receptione eorum ex præcepto, prout contingit in confessione annua, vel in Communione tempore Paschatis. Et quidem si sermo sit de receptione horum Sacramentorum ex deuotione cum illa sit omnino libera, & spontanea, & solum ex mera deuotione, ideo nulla alia regula generalior assignari posse videtur, nisi quod conuenientius sit quòd fiat in illa Ecclesia parochiali, vel regulari, ad quam vnusquisque fidelis maiorem habet deuotionem, vel propter probitatem, aut doctrinam ministrorum, faciliorem administrationem Sacramentorum, solemniorem celebrationem diuinorum officiorum, cultum Dei, & Sanctorum, aut similes causas, propter quas etiam piè, & religiosè aliqui maiorem habent deuotionem ad vnam Ecclesiam, quàm ad aliam; & ab illis Sacerdotibus, erga quos propter probitatem, vitam exemplarem, aut doctrinam, rationabiliter maior deuotio habetur. Hoc enim & recta ratio dictat, & est conforme vsui, & praxi piorum fidelium, ac intentioni Ecclesiæ, quæ semper desiderat ministros suos idoneos esse ad ædificandum populum. 147.

Loquendo autem de receptione horum Sacramentorum ex præcepto, quod attinet ad Eucharistiam tempore Paschatis suscipiendam, certum est, vel 148.

vel ex vſu, & conſuetudine Eccleſiæ recipi debere in Parochia à Parocho, vel ab aliis ab ipſo deſignatis, præſertim cum priuilegia Regularium, quibus conceditur facultas miniſtrandi in propriis Eccleſiis Eucharistiam (quorũ aliqua adduxi *t.1.c.21.n.8.* expreſsè excludant diem Paſchatis. Tota ergo difficultas eſt de conceſſione annua, per quam fideles adimplent præceptum confeſſionis. De qua plurium ſententia eſt conuenientius eſſe, quod fiat cum Parocho, quam cum Religioſis priuilegiatis. Hanc partem tuetur Michael Lochmarius Eccleſiæ Patauienſis Canonicus *in ſuo Parochiali c.4. concl.* 11. dum ait: *Curatus ſecurius, vtilius, & iuſtius eligitur, quantum eſt de per ſe, & cæteris paribus, pro confeſſione Sacramentali facienda à Parochianis, quam Frater priuilegiatus*, &c. Cuius etiam ſententiam, & verba refert, & non impugnat Barboſ. *de offic. Parochi in 3. impreſſione Lugdunenſi p.2. cap.* 19. *num.* 23. fauet etiam Fagundez *de ſecundo Eccleſiæ præcepto lib.1.cap.5.num.9.* dicens: *Non eſt tamen negandum optimum eſſe conſilium, ſi fideles ſuis Parochis ſaltem ſemel in anno confiteantur: maxima enim vtilitas illis inde enaſcetur.* Præſertim fauet Benedictus XI. in Extrauaganti. *Inter cunctas*, §. *verum quia*, dicens: *Diſtrictè iniungimus, vt Fratres ipſis confitentes attentè moneant, & in ſuis prædicationibus exhortentur, quod ſuis Sacerdotibus ſaltem ſemel confiteantur in anno, aſſerendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere.* Et Martinus V. in alia Extrauaganti *ad vberes*, quæ, licet non habeatur in corpore iuris, refertur tamen ab Henrico, Adriano, Maiori, Medina, Suarez, & aliis. In qua declarat fideles, quamuis confeſſi ſint Fratribus priuilegiatis, nihilominus teneri ſemel in anno confiteri ſuis Parochis, iuxta decretum Concilij generalis, & ipſoſmet Fratres debere fideles ad hoc exhortari. Item Sixtus IV. in Extrauaganti *Vices de tregua, & pace*, vbi præcipit, quòd *Mendicantes deſiſtant prædicare, quod Parochiani non ſint obligati ſaltem in Paſchate proprio confiteri ſacerdoti, quia de iure tenentur Parochianus ſaltem in Paſchate proprio confiteri ſacerdoti.* Fauet quoque quod cum Parochus ſit proprius Sacerdos, & paſtor fidelium ſuæ Parochiæ, & qui pro ſubditis rationem reddere debet in extremo Iudicio, ac per conſequens agnoſcere debeat vultum pecoris ſui, & ne à ſubditis contemnatur, conuenientius videtur, vt ſaltem ſemel in anno ipſi confiteantur Parochiani.

148. Et ita tenendum, cum duplici tamen limitatione. Prima quidem, vt id intelligatur *cæteris paribus*, id eſt, vt fideles credant in ſuo Parocho eam probitatem, experientiam, & doctrinam eſſe, vt poſſint æquè commodè, ac Religioſi priuilegiati ipſorum ſaluti ſpirituali prouidere. Secunda, vt non ſit periculum aliquod ſolicitationis ad illicita, detectionis ſigilli confeſſionis, vel ſimilium inconuenientium. Sic enim intelligo communem doctrinam Theologorum, ſpecialiter S. Thom. *in ſupplement. quæſt.8. art.4. ad 5.* Adriani *in 4. de confeſſ. quæſt.5. dub.3.* Syluestri *in Summa, verbo Confeſſor.1.quæſt.6.* Nauarri *in Summa, libr. 6. cap.* 13. §. 3. & aliorum.

149. Quomodo autem deciſiones Benedicti, Martini, & Sixti Summorum Pontificum relatæ non contradicant doctrinæ, quæ ſupponitur in hoc priuilegio, ſcilicet, quod confeſſi Mendicantibus non teneantur iterum ſua peccata Parochis confiteri, dicam infra *circa Mare magnum Carmelitarum* §. 12. agens de ſimili priuilegio ipſis conceſſo.

Quid autem faciendum, ſi Parochus idiota ſit, aut ignorans, conſulendus etiam inter Authores relatos noſter Ioannes Bacconius doctor, tum antiquitate, tum doctrina venerabilis *in 4. ſent. diſt.15.q.3.* vbi latè de hoc puncto.

Circa §. 51.

HOc priuilegium, quod Fratribus iſtis conceditur, vt ſcilicet, quicunque inhibuerint eleemoſynis illis fieri propter proceſſus, lites, aut controuerſias inter ipſos, & locorum Ordinarios, ſeu Parochos emergentes, non ſolum in ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrant, ſed etiam, quod contra ipſos Inquiſitores hæreticæ prauitatis procedant, ſicut contra hæreticos, magis amplum eſt, quàm aliud ab hoc eodem Pontifice conceſſum Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla *Aurea* vocata §.5. In eo enim cognitio talis delicti non remittitur Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, quod fit in hoc priuilegio, & alio ſimili Carmelitarum, de quo in eorum Mari magno §.70. vbi etiam Ordinis Protectori, & Auditori Cameræ id committitur. 150.

Eſt autem hoc priuilegium valde notabile. Primò quidem, & præcipuè, quia cum ipſo conceditur, quòd Inquiſitores hæreticæ prauitatis poſſint contra quoſcunque Ordinarios inhibentes dari eleemoſynas iſtis Religioſis procedere; cùm Ordinariorum nomine præſertim veniant Epiſcopi, vt habet Gloſſa *verbo ordinariorum in cap. vt animarum de conſtit. in 6. & verbo Locorum in cap. Ordinarij*, vbi Gemin. *num.5.* Francus *num.3. de offic. Ordinarij, eodem lib.* Abbas *in cap. poſt ceſſionem, numero 1.* vbi Felinus *num.1.* Decius *num.1.* Mynſingerius *num.2. de probat.* Zabarella *in Clement. quia Regulares, num.* 11. & alij plures apud Barboſam *in tract. de appellat. verbo Iur. ſignificat. appellat.177. num.1.* ideo videtur quod etiam contra Epiſcopos poſſint in iſta cauſa dicti Inquiſitores procedere. Cùm tamen in iure communi ſtando Inquiſitores non poſſint contra Epiſcopos procedere, iuxta diſpoſitionem textus *in cap. Inquiſit. de hæret. in 6.* de quo Molina *de Iuſt. & iure Tract.5. tomo 6. diſp. 28. num.19.* Caſtrus Palaus *tract.4. diſput.8. puncto 12. §.2. n.6.* Sanctarellus *de hæreſ. cap. 40. dub.3. num.16.* Diana *4. part. tract.9. reſolut.21.* Carena *de offic. ſacræ Inquiſitionis, part.1. tit.5. §.9. n.75.* & alij apud ipſos. 151.

Secundò, quia cùm Domini Inquiſitores iure communi non poſſint procedere contra aliquos, niſi in cauſa hæreſis, ſuſpicionis illius, aut de connexis, & dependentibus ab illa, vt tenent Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 22. num.* 12. Aretinus *conſil.* 83. Eimericus *in Direct. Inquiſit. part.* 3. & ibi Peña *Comment.* 10. cum inhibere ne concedantur eleemoſynæ Fratribus, maximè occaſione ſumpta propter lites, & controuerſias, non videatur aliquod ex prædictis, ideo, vt dixi, notabile valde eſt hoc priuilegium, in quo hæc cauſa Inquiſitoribus committitur. Maximè ſi expendantur verba illa *poſſint, & debeant ſicut contra hæreticos procedere*, illis enim denotari videntur, quod inhibentes dari eleemoſynas talibus Religioſis, vt hæretici haberi debeant, vel ſaltem, vt de hæreſi ſuſpecti. 152.

Circa §. 52.

153. COntinentur in hoc priuilegio communicatio priuilegiorum Prædicatoribus, & Minoribus concessorum Ordini Eremitarum S. Augustini, eodem tenore eisdemque similibus verbis, ac habetur in Mari magno Prædicatorum §. 52. & Mari magno Minorum §. 51. quibus in locis, & aliis ibi citatis sufficienter de hac materia egi. Aliqua etiam de illa in Bulla *Aurea* dicta §. 9. vbi Prædicatoribus, & Minoribus communicantur aliorum Mendicantium priuilegia, dixi. Alia etiam infra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 105. Quæ sufficient pro hoc puncto.

Circa §. 53.

154. POenæ in huiusmodi §. contentæ contra eos, qui priuilegiis suprapositis contrauenerint, similes sunt aliis, quæ habentur in Mari magno Prædicatorum §. 53. Minorum §. 52. in Bulla *Aurea num.* 10. & ideo dicta illis locis, & aliis ibi citatis, ad intentum præsens deseruire possunt. Addendum tamen, quod cum Pontifex in pœnis istis impositis in hoc Mari magno, & Prædicatorum, ac Minorum, vtatur verbo *præsumant*, cum loquitur de trangressoribus: ideo illæ non incurrentur ab iis, qui ex ignorantia etiam culpabili contrauenerunt dictis priuilegiis. Etenim, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 10. *num* 33. verbum Præsumptionis significat temeritatem, vel malitiam excludentem omnem ignorantiam. Caietanus, & Nauarrus eo loco relati, Sanchez *lib.* 9. *de matr. disp.* 38. post alios, quos refert. Quibus iunge Thesaurum *in praxi part.* 2. *verbo Censura cap.* 7. §. *limita* 3. & Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 4. *sect.* 10. *num.* 2. addentem *num.* 3. doctrinam traditam non procedere in transgressoribus legis ex ignorantia affectuata, qua videlicet ignorans eligit nescire, quo liberius delinquat: quia talis ignorantia æquiualet scientiæ ipsius legis, & tantum abest, vt inuoluntarium actum efficiat, culpamve minuat, vt potius voluntarium, culpamque augeat, cum directè, & pet se eligatur, teste D. Thoma 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 4. *corp.* Et ita tenet Sanchez *supra num.* 40. post Graffium, Henriquez, Ledesmam, & alios. Imo etiam ad incurrendas pœnas positas in Bulla *Aurea* aduersus contrauenientes priuilegiis Prædicatorum, & Minorum ibi contentis sufficit ignorantia quæcumque culpabilis. Quia Pontifex non vtitur in Bulla verbo *Præsumant*, sed simpliciter prohibet, ne aliquid fiat contra præfata priuilegia, quo casu ignorantiam culpabilem non excusare à culpa vel pœna dixi *eo num.* 33. & *tom.* 3. *verbo Censura Ecclesiastica num.* 11.

155. Similiter propter eamdem rationem, scilicet, quod Pontifex dum ponit pœnas, & censuras aduersus eos, qui contrauenerint priuilegiis contentis in hoc Mari magno (idem dico de Mari magno Prædicatorum, & Minorum) vtitur verbo *præsumant*, ideo non incurrentur à contrafacientibus ex metu graui, seu cadenti in vitum constantem. Quia talis melius excusat à transgressione præcepti Ecclesiastici. Iuxta dicta loco relato *ex* 3. *tom.* & provt tenent Corneyo ibi relatus, Nauar. Suarez, Auila, Filiucius, & alij, quos refert, & sequitur Bonacina *de censuris disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 3. *n.* 2. Loquendo autem de metu leui quamuis ex doctrina Thesauri dicto *cap.* 7. & *cap.* 10. §. *requiritur* videatur dicendum etiam excusare transgressores; probabilius tamen est contrarium, quia metus leuis nec à culpa, nec à pœna propter illam imposita excusat.

Circa §. 54.

COnstituit hoc loco Pontifex Iudices Conseruatores pro executione priuilegiorum in 156.
hoc Mari magno contentorum eadem serie verborum, ac in Mari magno Prædicatorum §. 54. & Minorum §. 53. continentur; ideoque dicta iis locis, maximè *tom.* 2. *cap.* 10. verbo latè de huiusmodi conseruatorum auctoritate dixi, ad hoc intentum deseruiunt. Adde, quod etsi in hac Religione, & aliis Mendicantium, Franciscana excepta, non sint isti Syndici Romanæ Ecclesiæ, de quibus est sermo in hoc priuilegio, & quibus conceditur, vt ad requisitionem teneantur Iudices Conseruatores defendere Religiosos in executionem suorum priuilegiorum, sunt tamen Procuratores, quibus hoc minus competit, constituti à Superioribus Religionum. Portellus *in dub. Regul. verbo Syndicus num.* 1. Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resol.* 119. *num.* 1. & 2. De eorum autem authoritate dixi *tom.* 4. *verbo Procuratores Religionum.* Vide & dicenda infra in Mari magno Seruitarum *circa* §. 69.

Circa §. 55. & 56.

NOn obstantiæ positæ à Pontifice in hoc loco 157.
similes sunt positis in Mari magno Prædicatorum §. 55. & Minorum § 54. De quibus eis locis egi. De fide etiam adhibenda transumptis huius Maris magni, de qua Pontifex *hic* §. 56. loquitur, sicut in Mari magno Prædicatorum §. 56. & Minorum §. 54. dixi etiam *eo* §. 56. Maris magni Prædicatorum, & ad ipsius ampliationem deseruit, quod cum ex priuilegio huiusmet Pontificis Sixti IV concesso Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla *Aurea* dicta §. 9. possint Prædicatores ipsi, & Minores exhibere priuilegia aliorum Mendicancantium siue originalia, siue transumpta authenticè in iudicio, & extra in fauorem suarum Religionum, & eis debeat fides indubia adhiberi; & Eremitæ S. Augustini potiantur priuilegiis aliis Mendicantium concessis, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 52. ex Leone X. & Pio V. ideo præfati Pattes Eremitani non solùm poterunt vti transumptis huius Maris magni in fauorem suæ Religionis, sed etiam transumptis Maris magni, aut aliorum priuilegiorum reliquorum Mendicantium. Etiam pro casu quod Bullæ originales non reperiantur in registris suplicationum Bullarum, seu Breuium, iuxta dicta ex Rotæ decisione in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 56. De alio etiam ampliori priuilegio pro Minimis ad vtendum priuilegiis aliorum Ordinum, mutatis nominibus eorum, quibus concessa sunt, in propria ipsorum Minorum, dicam in Mari magno eorum *circa* §. 34.

Aliqua viuæ vocis oracula concessa Ordini Eremitarum S. Augustini.

IN fine huius Maris magni Ordinis Eremitarum S. Augustini placuit adiũgere aliqua viuæ vocis oracula huic Religioni concessa, quæ iuuant ad notitiam aliorum priuilegiorum eiusdem Ordinis.

De

De quorum tamen validitate, seu valoret, vel an potius reuocata sint per successores summos Pontifices, seu per generales reuocationes similium viuæ vocis oraculorum factas per Gregoriū X V. & Vrbanum VIII. iudicandum est ex dictis *tom.1. cap.3.num.21.* ac maximè *tom.4. verbo oracula viuæ vocis per totum*, & aliis locis meæ summæ, vbi de materia harum concessionum scripsi.

Innocentij VIII.

Primum viuæ vocis Oraculum

FRater Benignus de Ianua Vicariis Generalis Congregationis Lombardię Fratrum Eremitarum S. Augustini obseruātiæ, Omnibus & singulis præsentes literas inspecturis, salutem. Significamus in testimonium veritatis, sanctissimum Dominum Innocentium VIII. anno Domini 1490. die 3. Iulis, viuæ vocis oraculo concessisse, vt suscipientis habitum Mantellatorum, siue Mantellatarum Ordinus nostri, licet habitum illud cum licentia Prioris loci non retineant, neq; continuo deferant, corrigiā tamen detinentes ac deferētes eisdē priuilegiis, gratiis, immunitatibus, & indulgentiis gaudeant, quibus ipsi Mantellati gaudent, & gaudere possunt, & hanc concessionem, & gratiam fecit, vt supra viuæ vocis oraculo, præsentibus Reuerendissimo Domino D. A. tituli sanctorū Ioannis, & Pauli Presbytero Cardinali magnifico, Florentinorum oratore, me fratre Benigno supra scripto, præsente reuerendo magnifico Martino de Genellano sacræ Theologiæ professore, Patre fratre Barr. de Palaciolo, S. Mariæ de Populo Romæ Priore, fratre Thadæo de H porecio Priore Iautini. Quare pro satis factionis deuotionis earum personarum, quæ pro bono animarum, hunc habitum, corrigiamque suscipere voluerint, hanc attestationem fecimus, & Dei veritati testimonium reddere volumus, cum impensione sigilli nostræ Congregationis. Datum in Conuentu nostro sanctæ Mariæ de Populo Almæ Vrbis, prima Augusti 1490.

Secundum viuæ vocis oraculum.

IDeo Innocentius VIII. concessit Fratribus Augustianensibus certarum Cōgregationum, quod Vicarij generales illarum, & Visitatores possint benedicere ornamenta Ecclesiastica, & etiam corporalia. Et quod omnes Fratres illarum Congregationum, expleto matutinali officio, etiam ante lucis auroram possint celebrare; Quæ concessis cum aliis habetur in libris magnis priuilegiorum præfati Ordinis per Bullam, quæ incipit, Innocentius Episcopus, &c. *fol.* 89. quam cum aliis extendit Iulius II. ad totum Ordinem prædictum, & sic iam non est particularis, sed totius Ordinis.

Ita Rodriguez *in suo Bullario in Innocentio VIII. in fine.*

Alexandri VI.

Tertium

BEatissime Pater, humiliter supplicat Deuotus Orator S. V. Frater Thadeus de Hipporegia Cōgregationis obseruantium Fratrum Eremitarum D. Augustini Vicarius generalis, vt dignetur vestra Sanctitas indulgentias stationum concessas Fratribus prædictæ Congregationis, etiam his concedere, qui tempore Interdicti generalis clausis ianuis, possunt ex priuilegiis Ordini concessis interesse diuinis, & hoc de gratia speciali S. V. quā censeruer Altissimus. Fiat vt petitur, & quod sola signatura sufficiat, fiat. Idem Rodriguez *supra*.

Quartum eiusdem Alexandri.

BEatissime Pater, humiliter supplicat deuotus Orator S. V. Vicarius generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Congregationis Lombardiæ, vt pro conseruatione dictæ Congregationis, quod Fratres prædicti absque suorum superiorum consensu, à quibuscunque Apostolicis pœnitentiariis, Prælatis, & sedis Apostolicæ legatis, etiam à latere deputatis ab eorum peccatis, & casibus reseruatis absolui non possint, nec Confessionalibus impetratis, aut impetrandis vti; nec etiam ad officia, & dignitates valeant assumi S. V. de gratia speciali dignetur prohibere: omnia in contrarium quomodolibet hactenus obtenta reuocando. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus in contrarium facientibus. Fiat, vt petitur. Ita etiam Rodriguez vt *supra*.

Iulij II.

Concessio

IVlius secundus concessit Fratribus Augustianensibus per literas in forma Breuis sub datis Romæ apud S. Petrum, die 3. Iunij 1508. Pontificatus sui anno 6. sequentes clausulas. Decernimus communicationem aliorum Ordinum mendicantium, ad ea etiam extendi, quæ viuæ vocis oraculo ab illis impetrata, aut eis in genere donata sunt. Volentes vt quidquid alicui eorundem, & hoc modo, aut quouis alio concessum est hactenus, aut in posterum conceditur; siue Conuentualibus, siue Obseruantibus nuncupatis, id omne motu proprio, & certa scientia vobis esse concessum. Volumus denique, & statuimus, vt quæ Ordini vestro tempore generalis Interdicti concessa sunt, ea omnia in speciali interdicto concessa esse, in quo licere vobis volumus eadem omnia, quæ in generali licere dictum est.

SVMMÆ QVÆSTIONVM REGVLARIVM,

TOMI TERTII, PARS POSTERIOR.

PER

P. M. IOANNEM BAPTISTAM DE LEZANA

Hispanum Matritensem, S.Congregationis Indicis Consultorem, ac in Romana Sapientia publicumq; Lectorem.

MARE MAGNVM

Carmelitarum.

A SIXTO IV. COMPILATVM.

SVMMARIVM.

Nicolaus Papa IV. & Bonifacius VIII. confirmant omnia priuilegia, libertates, seu exemptiones à quibuscumq; Ordini Carmelitarum concessa. num.1.

Clemens Papa IV. mandat Ordinariis, ne permittant Fratres circa constructionem ædificiorum ab aliquibus impediri.n.2.

Innocentius Papa IV. & Alexander Papa IV. concedunt Fratres tempore interdicti, Iuris solemnitate seruata posse diuina celebrare.n. 3.

Gregorius XI. confirmat Bullam Innocentij VI. quæ concedit Fratribus declinantibus ad loca interdicto supposita diuina ibidem celebrare posse, seruata Iuris solemnitate.n.4.

Ioannes Papa XXII. concedit Fratribus exemptionem ab Ordinariis.n.5.

Clemens Papa vltra concessa per Ioannem XXII. concedit Fratres non posse coram Ordinariis conueniri ratione delicti, contractus, seu rei, de qua agitur.n.6.

Nicolaus Papa V. confirmat Regulam datam Fratribus ab Innocentio IV.n.7.

Eugenius Papa IV. dispensat in supradicta Regula circa ieiunia, & alia.n.8.

Pius Papa II. concedit Prælatis licentiam dispensandi circa ieiunia Regulæ.n.9.

Vrbanus Papa IV. concedit Fratribus posse recipere loca sibi ad habitandum concessa, & inibi diuina celebrare.n.10.

Ioannes Papa XXII. Constitutionem incipientem Super Cathedram *Bonifacij VIII. Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus concessam extendit ad Fratres Carmelitas.n.11.*

Callistus Papa III. confirmat Bullam Eugenij IV. & Nicolai V. approbantium Constitutionem, Super Cathedram *Bonifacij VIII. & reprobantium errores exortos super illam.*

Alexander Papa IV. concedit Fratres posse Sacramenta Ecclesiastica suis familiaribus ministrare, ac eos sepulturæ Ecclesiasticæ tradere.n. 13.

Vrbanus Papa IV. concedit Fratres posse confessiones suorum familiarium, & aliarum personarum de licentia suorum Superiorum audire.n.14.

Eugenius Papa IV. concedit Fratribus in his, quæ concernunt salutem animarum, talem potestatem, qualem Minores Pœnitentiarij in Curia Romana habent.n.15.

Clemens Papa concedit Fratres non teneri ad solutionem canonicæ portionis de sibi erogatis pro cultu diuino aut aliis causis.n.16.

Nicolaus Papa V. concedit idem, quod in præcedenti conceditur.n.17.

Innocentius Papa concedit, vt Bulla Clementis VI. continens Fratres non teneri ad solutionem decimæ de his quæ intra eorum septa crescunt, faciat fidem vbique.n.18.

Clemens Papa IV. concedit idem, quod in præcedenti Bulla recipiens sub protectione Romanæ Ecclesiæ loca, & alia bona.n.19.

Ioannes XXII. prohibet professos in Ordine Carmelitarum recipi in alio Ordine Mendicantium. n.20.

Vrbanus Papa VI. concedit vt Bulla Benedicti XII. inhibentes professores Ordinum Mendicantium transire ad Ordinem Cistercij vel Monachorum Nigro

Nigrorum, faciat fidem vbique. n.21.
Nicolaus Papa V. concedit, vt Bulla Martini V. inhibentes Fratres Ordinum Mendicantium transire posse ad alios Ordines, excepto Carthusiensi, faciat fidem vbique. n.22.
Alexander Papa IV. prohibet Fratres Ordinis Carmelitarum transire ad alium Ordinem paris arctitudinis, vel minoris. n.23.
Ioannes Papa XXII. concedit Fratribus posse cœmeteria sua consecrare per quemcumq; Antistitem, ipsorum locorum Ordinariis recusantibus, & Ordines suscipiendi à quocunque Catholico Antistite. num.24.
Clemens Papa V. inhibet Religionibus Ordinem Mendicantium posse construere ædificia iuxta loca Fratrum Carmelitarum infra spatium centum quadraginta cannarum. n.25.
Pius Papa concedit licentiam Fratribus reformandi Ordinem suum ac protervos puniendi. n.26.
Paulus Papa II. approbat statutum editum inter Fratres, & hic expressum circa electionem vel amotionem Priorum, provt in litteris Callisti III. & Pij II. continetur, & alia addens. n.27.
Alexander Papa IV. concedit Fratres posse excommunicare, capere, & punire apostatas sui Ordinis. num.28.
Alexander Papa VI. concedit Prælatos posse visitare, corrigere, atque mutare Fratres, & Nouitios recipere. n.29.
Alexander Papa IV. concedit, quod Priores Generales statim vt electi fuerint, habeant curam animarum sibi subditorum Frarum. n.30.
Pius Papa II. concedit quod Prælati possint incarcerare, & punire Fratres apostatas, & criminosos. num.31.
Callistus Papa III. prohibet, ne Fratres habentes beneficia Ecclesiastica ad Officia Ordinis admittantur. 32.
Nicolaus Papa V. concedit Moniales Carmelitarum recipi posse, sicut Moniales Ordinis Prædicatorum, & Eremitarum D. Augustini. n.33.
Eugenius Papa IV. concedit Bullam Bonifacij IX. approbatam per Martinum V. concedentem Prælatos Ordinis S. Augustini posse recipere Mulieres sub cura, & habitu suo quæ gaudeant priuilegiis eiusdem Ordinis. n.34.
Innocentius Papa IV. concedit Fratres non teneri ad cognitionem causarum, etiam à Sede Apostolica commissarum. n.35.
Clemens Papa concedit Fratres posse diuina celebrare in locis suis cum altari viatico. n.36.
Urbanus Papa concedit Fratres posse diuina celebrare vbique cum altari portatili. n.37.
Alexander Papa IV. inhibet, vt nullus Prælatus possit à Fratribus obedientiam recipere contra tenorem priuilegiorum Apostolicæ Sedis. n.38.
Nicolaus Papa IV. concedit Fratribus posse in Oratoriis suis diuina celebrare. n.39.
Bonifacius Papa VIII. concedit Prælatis licentiam instituendi subditos Prædicatores. n.40.
Urbanus Papa IV. cōcedit Fratribus posse de rapinis, & malè acquisitis ac relictis incertis vsque ad centum Marchos recipere. n.41.
Vrbanus Papa IV. concedit Prælatis licentiam absoluendi à quacumque excommunicatione ingredientes Religionem, ac etiam professos. n.42.
Alexander Papa IV. concedit Prælatis licentiam absoluendi venientes ad Ordinem. n.43.
Reualidantur omnia priuilegia concessa Ordini Carmelitarum. n.44.
Supplentur omnes defectus, qui forte interuenerint in eisdem. n.45.
Eximuntur Fratres à solutione decimarum. n.46.
Virgines, Viduæ, & Coniugatæ personæ, seu Pinzocheræ dicti Ordinis gaudent priuilegiis concessis, & concedendis Ordinibus Mendicantibus. n.47.
Quod licet Fratribus eisdem personis Sacramenta conferre. n.48.
Quod personæ Oblatæ huic Ordini gaudeant priuilegiis, quibus Mantellatæ, & Pinzocheræ. n.49.
Quod licet Fratribus cum altari viatico celebrare in locis honestis, & tempore interdicti Mantellatas ad diuina officia admittere. n.50.
Quod Fratres possunt familiaribus administrare Sacramenta, & concedere sepulturam. n.51.
Quod pueri, & alij seruitiis Fratrum deputati possunt audire diuina tempore interdicti. n.52.
Quod possunt Fratres in terris excommunicatorum commorari, & ab eis necessaria petere. n.53.
Quod Generalis in toto Ordine, & Prouinciales in suis prouinciis possint Fratres absoluere, & cum eis dispensanre in irregularitate. n.54.
Fratres electi in Confessores proprios à Generali, & Prouincialibus possunt absoluere eos, & cum eis dispensare. n.55.
Possunt Fratres absoluere volentes Religioni aggregari, & cum eis dispensare satisfactione præmissa. num.56.
Concedit Fratribus in Ecclesiis suis habere sepulturam liberè, & declaratur talis libertas. n.57.
Declaratur saluam debere esse iustitiam Ecclesiarum circa quartam. n.58.
Quod si per Sedem Apostolicam mandetur dari quartam de piis legatis causæ alicui piæ, vel non piæ, non intelligatur includi legata Fratribus concessa. n.59.
Approbatur exemptio Ordinis ab Ordinario amplissima. n.60.
Licentiam à suis Prælatis habendam ab his, qui volunt Fratribus confiteri, declarat illam esse, quam Prælati dare tenentur per Constitutionem Concilij Viennensis. n.61.
Quod Generalis, & ab eo deputatus possit absoluere dictos Fratres, & Sorores ea authoritate, quam habent Minores Pœnitentiarij, & quæ sint illa, propter quæ essent merito ad Sedem Apostolicam declinandi. num.62.
Quod Generalis possit cum Fratribus defectum natalium patientibus, & cum irregularibus dispensare. num.63.
Quod Fratres possint ministrare Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis personis sibi confitentibus, si Rectores negauerint, vel malitiosè distulerint. num.64.
Quod bona Monasteriorum Monialibus destitutorum, sint Monasteriorum Fratrum propinquorum. num.65.
Quod non possit aliquis cum habitu Carmelitarum sepeliri, vel ad sepulturam deferri extra Ecclesias prædictorum Fratrum absque eorum licentia: contrafacientes excommunicantur. n.66.
Ecclesiæ, apud quas domus Fratrum construuntur, & Capellanus tali Ecclesiæ deseruiens gaudeant priuilegiis, quibus Ecclesiæ, & Fratres ipsi gaudent. num.67.
Quod Generalis statim post electionem censeatur confirmatus, & Prouinciales, & locales Priores post institutionem, & prouisionem, etiam sine electione facti à Generali habentur pro Prælatis. n.68.
Extenditur authoritas concessa Ordinariis procedendi contra tenentes, quod confessi Fratribus Mendicantibus

cantibus tenetur iterum suis Curatis confiteri, tanquam contra suspectos de hæresi, ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, & ad Protectores Ordinum Mendicantium, & ad Auditores Cameræ. n. 69.

Ordinarij vel alij inhibentes dari eleemosynam Fratribus ipso facto incurrunt sententiam excommunicationis, & contra tales mandatur procedi tanquam contra hæreticos. n.70.

Quod nullus Ordinarius prætextu Constitutionis, Volentes *Innocentij IV. quamcumque superioritatem sibi vendicare præsumat, nec aliquis absque speciali commissione Sedis Apostolicæ faciente mentionem de verbo ad verbum, valeat promulgare aliquas excommunicationes, &c. Et processus contra Fratres pro infectis habentur, etiam eorum exemptione, vtpote notoria, non allegata. n.71.*

Exemptio de decimis non soluendis de certis rebus extenditur ad singula bona Fratrum Carmelitarum. num.72.

Quod nullus Frater recedat à Conuenientibus post professionem, alias contra recedentes, & recipientes possunt sententiæ promulgari. n. 74.

Prohibetur ne aliquis Episcopus cogat Fratres ad Synodos ire, & plura alia. n.75.

Quod non teneantur Priores obedire Episcopis. n. 76.

Quod pro consecratione Altaris, & pro Oleo Sancto nullus audeat à Fratribus extorquere aliquid, & plura alia concernentia. n.77.

Quod Fratres præsentati quibuscumque Episcopis absque examinatione, & promissione sunt ordinandi. num.89.

Extenditur priuilegium de non construendis Monasteriis Mendicantium apud Monasteria Fratrum ad quoscumque Ordines, & ad quascumque personas. Ecclesiasticas, & contrafacientes ipso facto incurrunt excommunicationem. n.79.

Prohibet ne aliquis nouas, & indebitas exactiones à Fratribus exigat, & plura alia concedit. n.80.

Prohibetur, ne aliquis præponatur, nisi electus à Fratribus pro Generali, & ne aliquis rapinam, & alia intra clausuras Fratrum faciat. n.81.

Omnes gratias, & libertates, & indulgentias confirmat. n.82.

Quod nulli liceat domos Fratrum infringere, & possessiones auferre. n.83.

Quod possint Generales, & Prouinciales recipere vtriusque sexus personas, qui voluerint habitum prædicti Ordinis habere, instar Mantellatarum, & Pinzocherarum Ordinis Fratrum Minorum, Prædicatorum, & Eremitarum S. Augustini, & quod prædictæ personæ gaudeant priuilegiis, quibus prædicti Fratres gaudent. n.84.

Quod Generalis per se, Prouinciales verò in Capitulo cum Diffinitoribus Capituli possint instituere Prædicatores, & Confessores, & Lectores, qui ab aliquibus non possunt impediri. n.85.

Extenditur facultas instituendi Prædicatores ad Priores Prouinciales cum Diffinitoribus Capituli. num.86.

Quod possunt Fratres in quibuscumq; locis honestis coram quibuscumque personis cum altari viatico diuina celebrare sine præiudicio Parochi. n.87.

Quod nullus possit compellere Fratres ad cognoscendum causas, & alia pleraque id genus etiam per litteras Apostolicas non facientes de indulto hoc specialem mentionem. n.88.

Quod Generalis, ac Prouinciales, & ipsorum Vicarij possint corrigere Fratres, de quibus prouisum fuerit Prælatis Ecclesiæ, & plura circa hoc. n. 89.

Quod Generalis, & Prouinciales possint corrigere Fratres ad prædicandum Cruciatam vel inquirendum de hæretica prauitate deputatos. n.90.

Quod Fratres professione facta in Ordine Carmelitarum non possint recedere ab Ordine, aliàs excommunicentur. n.91.

Quod Fratres possint per se vel per alios capere, & ligare apostatas Ordinis vbique, &c. Super quod deputantur Ordinarij. n.92.

Quod eiecti vel egressi proprio motu ab Ordine non possint prædicare nisi ad alium Ordinem transierint, in quo possint talia exercere. n.93.

Generalis, & eius Vicarius possunt Fratribus eiectis vel egressis vel aliis ex rationabili causa dare licentiam transeundi ad alios Ordines approbatos. num.94.

Quod nullus deferat habitum Religionis vel consimilem. num.95.

Quod bona restituenda incerta per assumentes habitum Religionis, possint conuertere Prælati in pios vsus. num.96.

Quod nullus Frater confiteatur extra Ordinem. n.97.

Inhibetur, ne quis Prælatorum audiat confessiones Fratrum inuitis ipsis, & plura circa exemptionem. num.68.

Quod nullus exigat quartam à Fratribus de his, quæ illis legantur, vel ab executoribus testamentorum, vel hæredibus. num.99.

Quod Fratres possint secum ducere materiam ædificiorum locorum, quæ dimittunt, & ad loca transferre, nec illa ab aliis occupari possint, aut Fratribus imponi præstationes, collectæ, & similia. n.100.

Quod ratione delicti, contractus seu rei, de qua agitur, non possint coram Ordinariis Fratres conueniri, irritanturque omnia facta in contrarium contra Fratres, aut benefactores. n.101.

Approbatur Regula, datur facultas Generali dispensandi circa esum carnium, ac ieiunia, ac confertur indulgentia plenaria Fratribus semel in vita, & in mortis articulo. n. 102.

Quod possint Fratres de licētia recipere loca quæcumque ad habitandum, & in eis Ecclesias, & Oratoria constituere. n.103.

Quod nullus Frater habens beneficium sæculare vel Regulare, etiamsi Archiepiscopali, vel Episcopali dignitate fulgeat, admittatur ad officia Ordinis, & admittens, & admissus ipso facto incurrunt sententiam excommunicationis. n.104.

Conceduntur omnia priuilegia concessa Ordinibus Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum D. Augustini, & Monialibus viuentibus sub eorum cura Ordini gloriosæ V. M. de Monte Carmelo, ac Monialibus sub cura Fratrum eiusdem Ordinis viuentibus. n.105.

Pœnæ quas incurrunt inobedientes ad prædicta. n.106.

Concedit Conseruatores, Protectorem Ordinis, & quemlibet in dignitate Ecclesiastica constitutum, & quemlibet Canonicum Ecclesiæ Metropolitanæ, vel Cathedralis Ecclesiæ ad prædicta omnia. n.107.

Non obstantiæ sufficientissimæ proponuntur, & quod transumptis authenticis fides indubia adhibeatur. num.108.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dum attenta meditatione pensamus, quod virga venustima, & omnium virtutum floribus insignita Virgo Dei Genitrix gloriosissima, cuius plenitudinem Sol, & Luna mirantur, cuiusque precibus iuuatur populus Christianus, & quæ florem pretiosissimum,

tiosissimum, immarcescibilem, & æternum Dominum nostrum Iesum Christum ineffabili Sancti Spiritus cooperante virtute genuit, produxitque sacrum Ordinem B M. de Monte Carmeli, à Sede Apostolica pluribusque Romanis Pōtificibus prædecessoribus nostri s approbatum quem eiusdem gloriosissimæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ speciali titulo voluit insigniri; vt ob eius Virginis reuerentiā Ordo ipse à Christi fidelibus, merito perāplius veneraretur, ipsiq; fideles propterea eiusdem V. Mariæ adiuti suffragiis æternæ retributionis præmia facilius consequi mererentur; dumque sublimium dicti Ordinis vtriusque sexus personarum virtutū merita, Deo quidē grata, & in conspectu Apost. Sedis accepta digna memoria recensemus, ac Ordinem ipsum, & illius personas sub Sedis Apost & Ecclesiæ Romanæ protectione immediatè existentes, & inter cæteros Regularium Ordinum professores in firmamento Catholicæ fidei militantes, tanquam Religionis speculum, & exemplar speciali charitate fulgentes, sanctorumq; Prophetarum Eliæ, & Elisei, & aliorum Patrum, qui Montem Sanctum Carmeli, iuxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes, fructus quoque vberes, quos dictus Sacer Ordo, in agro militantis Ecclesiæ in propagatione Religionis, & fidei orthodoxæ hactenus produxit viriliter, & producit, ac in futurum productorum indubitāter speramus, paterna charitate intuemur; dignū potius, quinimo & dubiū reputamus. Nos ad illa nostros dirigere debere cogitatus, per quæ ea, quæ pro diuini cultus, & dicti Ordinis incremento, animarumque salute à quampluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris sublatis ambiguitatibus quæ exinde emersisse noscuntur, in sua integritate persistant, & tanto firmiùs obseruentur, quanto erunt sæpius Sedis Apostolicæ munimine stabilita. Dudum siquidem à fel. rec. Nicolao IV. Bonifacio VIII. Clem. IV. Innoc. IV. Alexandro etiam IV. Greg. XI. Ioāne XXII. Clem. VI. Eugenio IV. Pio II. Vrbano IV. Callisto III. Nicolao V. Benedicto XIII. Innoc. VI. & Paulo II. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris emanarunt litteræ, quas in Cancellaria nostra diligenter inspici, quarumque tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, cum incipiant vetustate consumi, & quas, & earum tenores innouamus, confirmamus, & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio perpetuo communimus, quarum quidem litterarum tenor talis est.

1\. Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apostolicā benedictionē. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus fauorem beneuolum impartiri, eapropter, dilecti in Domino filij, vestris postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, seu per indulgentias vobis vel Ordini vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, & aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas, sicut eas iustè, & pacificè obtinetis, vobis & per Nos eidem Ordini authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio cōmunimus. Nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Reate 2. Idus Augusti Pontificatus nostri anno primo.

Bonifacius Episcopus seruus seruorū Dei. Dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis B. M. de Mōte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionē. Cum à nobis petitur, quod iustum est, & honestū, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem Officij nostri ad debitū perducatur effectum; ea propter dilecti in Domino filij, &c. (Reliqua in Bulla præcedenti) Dat. Romæ apud S. Petrum 2. Kalend. Aprilis Pontificatus nostri anno 3.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ad quos litteræ istæ peruenerint salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorū filiorum Fratrum Eremitarū Ordinis S. Mariæ de Mōte Carmeli, fuit propositum coram Nobis, quod cum malitia temporis excrescente oportuerit eos de loco, quem habebant in Monte ipso, fugere ante faciem persequentium Paganorū, velintque cellas, & Ecclesias construere, & habere cœmeterium, & campanam ad opus ipsorum in vestris ciuitatibus, & diœcesibus, in locis ad hoc ipsis pia fidelium libertate concessis, vt ibi diuina celebrare, ac debitū Domino reddere valeant famulatum, nonnulli eos super hoc impedire præsumunt, exiguntque nihilominus nōnulla indebitè ab eisdem. Quia igitur ipsis in hac parte tam Apostolicus, quam noster fauor est misericorditer impendendus, ad instar felic. recordationis Innoc. Papæ IV. prædecessoris nostri Vniuersitatem vestram rogandam duximus, & admonendā per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus habentes ad eos debitæ cōpassionis affectū illos super præmissis vestro pro impenso ipsis suffragio, permittatis, quantum in vobis est, ab aliquibus indebitè molestari, preces, & mandatū nostrum in hac parte taliter impleturi, quod deuotionem vestram possimus exinde in Domino commendare merito. Dat. Perusij 2. Kalend. Nouembris Pontificatus nostri anno. 2.

Innocentius Episcopus, &c. Dilectis filiis Priori & Fratribus Eremitis B. Mariæ de Monte Carmeli salutē, & Apostolicā benedictionē. Religionis vestræ meretur honestas, vt vos in Christi visceribus amplectentes suplicationibus vestris quantum cū Deo possumus, fauorabiliter annuamus. Eapropter dilecti in Domino filij vestris precibus inclinati, personas vestras, & locum, in quo diuino estis obsequio mācipati, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus, auctoritate vobis præsentium indulgentes, vt cū generale terræ fuerit interdictū, liceat vobis clausis ianuis excōmunicatis exclusis, diuina officia celebrare, dūmodo causā non dederitis interdicto, nec id vobis contingat specialiter interdici. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginā nostræ protectionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, &c. Datum Lugduni, Idibus Iunij Pontificatus nostri anno secundo. 3.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum gloriosissimæ Dei Gentricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli salut & Apostol. benedict. Religionis vestræ meretur honestas, vt vos in charitatis visceribus amplexātes petitionibus vestris, quantū cū Deo possumus, fauorabiliter annuamus. Hinc est quod Nos vestris deuotis supplicationibus inclinati adinstar felic. record. Innoc. Papæ IV. prædecessoris nostri, authoritate præsentium vobis indulgemus, vt cum generale terræ fuerit interdictum, liceat vobis in Ecclesiis vestris, ianuis clausis, non pulsatis campanis, sub-

missa voce, excommunicatis, & interdicti exclusis; diuina celebrare officia, dummodo causam non dederitis interdicto, nec id vobis cōtingat specialiter interdici. Nulli ergo hominum liceat, &c. Si quis autem, &c. Dat. Lateran. 5. Idus Febr. Pontificat. nostri an. 2.

4. Gregorius Episcopus seruus, &c. Dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Prouisionis nostræ debet prouenire subsidio, vt ius suum cuilibet conseruetur, hinc est, quod Nos tenorem quarumdam litterarum fel. record. Innocentij Papæ VI. prædecessoris nostri in registro ipsius prædecessoris reperto, pro eo quod, sicut vestra petitio Nobis nuper exhibita continebat, dicto tenore vos asseritis indigere, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, & ad vestræ supplicationis instantiam præsentibus annotari fecimus, qui talis est.

Innocentius Episcopus, &c. Dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacræ vestræ Religionis, in qua relictis sæculi vanitatibus, sub Regulari habitu deuotum, & sedulum impenditis famulatum, promeretur honestas, vt votis vestris, in his præsertim, quæ animarum vestrarum salutem respiciunt, quantum cum Deo possumus, fauorabiliter annuamus. Sanè petitio pro parte vestra Nobis exhibita continebat, quod cùm interdum vos, vel aliquem vestrum ad loca generaliter interdicto subiecta declinare contigerit, Clerici, sæculares, & Regulares eorundem locorum, ibidem excommunicatis, & interdictis exclusis, & aliàs iuxta Constitutiones canonicas diuina officia celebrantes, vos ad huiusmodi diuina audienda, & inibi celebranda, & Sacramēta Ecclesiastica recipiendum admittere recusant, propter quod vos absque celebratione, & auditione diuinorum, & perceptione Sacramentorum Ecclesiasticorum plures dies multoties transire contingit. Nos igitur super his vobis prouidere, vestris in hac parte supplicationibus inclinati vobis authoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, vt in locis sic generali interdicto suppositis, cum ad ea declinaueritis, ad huiusmodi diuina officia celebrandum, & audiendum, ac recipiendum Ecclesiastica Sacramenta ibidem recipi, & admitti, ianuis tamen clausis, & excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & voce submissa possitis, & valeatis, dum tamen vos, vel huiusmodi declinantes causam non dederitis interdicto, nec id vobis vel eis contigerit specialiter interdici. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autē attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Villam Nouam Auinion. diœcesis. 5. Kal. Aug. Pontificatus nostri ann. 8. Cæterum, vt earundem litterarum Apostolicarum tenor prædictus, sic insertus, omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, authoritate Apostolica decernimus, vt aliud idem robur, eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quæ haberēt originales litteræ supradictæ, & eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque, & vbicumque siue in iudicio, vel alibi, vbi fuerit exhibitus, vel ostensus, & eidē stetur firmiter in omnibus sicut eisdem originalibus staretur, si exhibitæ forent vel ostensæ. Per hoc autem nullum Ius vobis de nouo volumus adquiri, sed antiquū, si quod habetis, tantummodo conseruari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Pontem Sorgiæ Auinionensis diœcesis secundo Kalend. Iunij Pontificatus nostri anno secundo.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filiis Priori Generali, & vniuersis Prioribus, & 5.
Fratribus Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, tam præsentibus, quam futuris Religiosam vitam professis, salutem; & Apostolicam benedictionem Sacer Ordo vester in agro Dominico diuina dispositione plantatus, & gloriosæ V. M. titulo specialiter insignitus Apost. gratiis dignè meretur attolli, cuius professores mūdanis à se relegatis illecebris, cælestium contemplationi vacantes insistunt iugiter profectibus animarum. Nos autem ad dictum Ordinem, quem in statu firmo, & solido, & stabili decernimus, & volumus permanere Apostolicæ considerationis intuitū dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ professores iam dicti nullum internæ pacis patiantur excidium, nullumque Religionis status perferant detrimentū, sed eo deuotius diuino cultui, ac salutis insistant operibus quo quietior fuerit status eorundem, ipsique ampliori fuerint libertate dotati: ea propter dilecti in Domino filij deuotionis vestræ precibus fauorabiliter annuentes, vos, & prædictum Ordinem personas, & Ecclesias, Oratoria, domos, res alias, & loca vestra, ac spectantia ad eadem, in quibus inhabitatis, ad præsens, vel inhabitabitis in futurum, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, ac personis degentibus in eisdem in Ius, & proprietatem B. Petri, & Apost. Sedis assumimus, illaque à cuiuscūque diœcesani, & cuiuslibet alterius potestate, iurisdictione, & dominio omnimodè in perpetuum prorsus eximimus; de gratia speciali decernētes ex nunc vos, & Ordinē vestrū, ac personas, Ecclesias, & Oratoria, domos, & loca præfata, ac pertinentia ad eadem soli Romano Pontifici, & dictæ Sedi, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus absque vllo medio subiacere, ita quod nec locorum Ordinarij, nec alia quauis persona Ecclesiastica in vos, & Ordinem vestrum, personas, & Ecclesias, Oratoria, domos, & loca prædicta, vtpote prorsus exempta possint excommunicationis, suspensionis, aut interdicti promulgare sententias, vel alias potestatē seu iurisdictionem aliquam exercere, quod si forsan quidquā in contrarium à quocūque fuerit attentatum, illud omnino sit irritum, & inane. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ assumptionis, exemptionis, & Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, &c. Dat. Auenionis 3. Idus Martij Pont. nostri anno 1.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, ac aliis Prioribus, & Fratribus Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutē & Apostolicam benedictionem. Sacer Ordo vester in agro Dominico diuina dispositione plantatus, & gloriosæ Virginis Mariæ titulo specialiter insignitus, Apostolicis gratiis dignè meretur attolli, cuius professores mundanis à se relegatis illecebris, cælestium contemplationum vacantes insistunt iugiter

ter profectibus animarum; Nos autem ad dictum Ordinem, quem in statu firmo, solido, & stabili, volumus permanere, Apostolicæ considerationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ confessores iã dicti nullũ internæ pacis p[illegible] tur excidium, nullumq; status Religionis pers[illegible] detrimentum, sed eo deuotius diuino cultui, [illegible] lutis insistant operibus, quo quietior status ec[illegible] dem fuerit, ipsiq; ampliori fuerint libertate dor[illegible] Sanè petitio pro parte vestra, Nobis nuper exhibita, continebat, quod licet fel. record. Ioannes XXII. prædecessor noster tunc in humanis agens, vos, & prædictum Ordinem, ac personas, Ecclesias, Oratoria, domos, & loca vestra, ac spectantia ad eadẽ, in quibus inhabitabatis tunc vel inhabiteretis in futurũ, cum omnibus iuribus, & pertinentiis, suis, ac personis degentum in eisdem Ius, & proprietatem Beati Petri, & Sedis Apostolicæ assumpsisset, illaque à quibuscumque diœcesanis, & cuiuscumq; alterius potestate, iurisdictione, ac domino omnimodè prorsus in perpetuum exemisset, decernendo ex tunc vos, & Ordinẽ, ac personas, Ecclesias, Oratoria, domos, & loca præfata, & pertinentia ad eadem soli Romano Pontifici, & dictæ Sedi tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, absque vel vllo medio subiacere, ita quod nec locorum Ordinarij, nec alia quæuis persona Ecclesiastica in vos, & Ordinem vestrum, personas, Ecclesias, & Oratoria, domos, ac loca prædicta, vtpote prorsus exempta, possint excommunicationis, suspensionis, aut interdicti promulgare sententias, vel alias potestatem seu iurisdictionem aliquam exercere. Quod si forsan quidquam in contrarium à quocumque attentatum afferet, illud omnino esset irritum, & inanes. Tamen quia indulto huiusmodi exemptionis non cauetur, quod vos ratione delicti seu contractus, aut rei, de qua agitur, conuinci coram Ordinariis minimè valeretis, vos timentes super his posse forsan in posterum molestari, Nobis humiliter supplicastis, vt prouidere vobis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, qui vos, & Ordinem ipsum speciali prosequimur in Domino charitate, vestris supplicationibus inclinati vobis, & successoribus vestris in perpetuum authoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, vt præfato indulto in suo robore permanente, coram quibuscunque diœcesanis, & locorum Ordinariis ratione delicti contractus, seu rei, de qua agitur, conueniri, vel impeti (aliàs compelli) nullatenus valeatis, fel. record. Innoc. Papa IV. prædecessoris nostri, & aliis Constitutionibus Apostolicis contrariis non obstantibus quibuscunque. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auenioni quartodecimo Kalend. Augusti Pont. nostri anno 6.

7. Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei Dilectis filiis Priori Generali, & fratribus Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum à Nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per solicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque fel. record. Innoc. Papa IV. prædecessor noster ad vestræ supplicationis instantiam per bonæ memoriæ Hugonem tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & bonæ memoriæ Guillielmum Anthe[illegible]sem Episcopum quædam Regulæ vestræ du[illegible]clarari, & corrigi, ac quædam ipsius grauia [illegible]rdirer fecerit mitigari, provt in litteris in[illegible] plenius continetur: Nos vestris preci[illegible] declarationem, & correctionem, ac [illegible] huiusmodi ad instar ipsius Innocen[illegible] [illegible]oriæ Alexandri Papæ VI. prædecessorum [illegible]um auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarũ eiusdẽ prædecessoris Innocentij, provt in registro ipsius continetur, de verbo ad verbũ præsentibus inseri facientes, qui talis est.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Priori, & Fratribus Eremitis Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicã benedictionem. Quæ honorem Conditoris omnium, & profectum continent animarum, roboris præsidio sunt fulcienda perpetui, sed præcipuè super quibus Apostolicæ Sedis authoritas salubris prouidentiæ studium noscitur habuisse. Cum itaque Nos ad vestræ supplicationis instantiam per dilectum filium nostrum Hugonem tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & Venerabilem virum Fratrem nostrum Guillielmum Antheradensem Episcopum quædam Regulæ vestræ dubia declarari, & corrigi ac etiam quædam ipsius grauia misericorditer fecerimus mitigari, provt in litteris inde confectis plenius continetur. Nos vestris piis desideriis annuentes declarationem, & correctionem ac mitigationem huiusmodi authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum fecimus præsentibus annotari, qui talis est. Frater Hugo miseratione diuina tituli S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, & Frater Guillelmus eadem miseratione Antheradensis Episcopus, charissimis in Christo filiis Priori Generali, & Diffinitoribus Capituli Generalis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo salutem in omnium salutari. Accedentes, ad Apostolicam Sedem Fratres clerici Reginaldus, (aliàs Renaldus, seu Raynaldus) & Petrus Ordinis vestri ex parte vestra à Domino Papa humiliter postulauerunt, vt quædam, quæ in vestro priuilegio, & Regula olim vobis à felicis memoriæ Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita continentur dubia, declarare, corrigere, & quędam grauia mitigare misericorditer dignaretur. Cum igitur Dominus Papa eorum deuotis supplicationibus annuendo, nobis commiserit, vt declarationem, correctionem, & mitigationem huiusmodi faceremus vice ipsius secundum quod bono statui Ordinis, & Fratrum saluti expediens videremus, Religioni vestræ, qua fungimur auctoritate mandamus, quatenus Regulam à Nobis correctã, declaratam, & mitigatam, provt expedire vidimus, deuotè recipientes eam firmiter obseruetis, & ad instar eiusdem alias vestras Regulas corrigatis; quam vobis per eosdem Fratres sub sigillis nostris mittimus in hac forma. Albertus Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha dilectis in Christo filiis Brocardo, & cæteris Eremitis qui sub eius obedientia iuxta fontem Eliæ in monte Carmeli morantur, in Domino salutem, & Sancti Spiritus benedictionem. Multifarie multisque

tisque modis Sancti Patres instituerunt, qualiter quisque in quocumque Ordine fuerit, vel quemcumque modum Religiosæ vitæ elegerit, in obsequio Iesu Christi viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & bona conscientia deseruire. Verum, quia requiritis à Nobis, vt iuxta, propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis; illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis priorem, qui ex vnanimi omnium assensu, vel maioris, & sanioris partis ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittit quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare cum castitate, & abdicatione proprietatis. Loca autem habere poteritis in Eremis vel vbi donata vobis fuerint ad vestræ Religionis obseruantiam apta, & commoda secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire. Præterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis, eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ. Ita tamen vt in communi Refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter aliqnam Lectionem Sacræ Scripturæ audiendo, vbi commodè poterit obseruari, sumatis; nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venienribus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedant. Maneant singuli in Cellulis suis, vel iuxta eas die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi aliis iustis occasionibus occupentur. Hi qui horas canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant secundum Constitutionem Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui eas non nouerunt, vigintiquinque vicibus *Pater noster* dicant in nocturnis vigiliis, exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari, vt dicatur Pater noster vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur Oratio in Laudibus Matutinis; in aliis quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur Oratio præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis. Nullus Fratrum aliquid esse sibi proprium dicat, sed sint vobis omnia communia, & distribuantur vnicuique per manum Prioris, id est per Fratrem ab eodem ad id officium deputatum, provt vnicuique opus erit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum. Asinos autem siue mulos, provt vestra expostulauerit necessitas, vobis habere liceat, & aliquod animalium, siue volatilium nutrimentum. Oratorium provt commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, vbi mane per singulos dies ad audiendum Missarum solemnia conuenire debeatis, vbi hoc commodè fieri potest. Dominicis quoque diebus vel aliis, vbi opus fuerit, de custodia Ordinis, & animarum salute tractetis, vbi etiam excessus, & culpæ Fratrum si quæ in aliquo deprehensæ fuerint charitate media corrigantur. Ieiunium singulis diebus exceptis Dominicis obseruetis, à festo Exaltationis S. Crucis vtique ad diem Resurrectionis Dominicæ, nisi infirmitas, vel debilitas corporis aut alia iusta causa ieiunium solui suadeant, quia necessitas non habet legem. Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur, & quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus, sed & carnibus supra mare vesci licebit. Quia verò tentatio est vita hominis super terram, & omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur, aduersarius quoque vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, omni solicitudine studeatis indui armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias inimici. Accingendi lumbi cingulo castitatis, muniendum est pectus sanctis cogitationibus: scriptum est enim cogitatio sancta saluabit te, induenda est lorica iustitiæ, vt Dominum Deũ nostrũ ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum vestrum, tanquam vos ipsos. Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, sine fide enim impossibile est placere Deo. Galea quoq; capiti imponẽda est, vt de solo Saluatore speretis salutẽ qui saluum facit populũ suum à peccatis eorum: gladius autem spiritus, quod verbũ est Dei, abundanter habitet in cordibus vestris, & quæcumque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant. Faciendum est vobis aliquid operis, vt semper vos diabolus inueniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat inueni re. Habetis in hoc Beati Pauli Apostoli magisterium pariter, & exemplum; in cuius ore Christus loquebatur, qui positus est, & datus à Deo prædicator, & Doctor gentium in fide, & veritate: quem si secuti fueritis, non poteritis aberrare: in labore, inquit, & fatigatione fuimus inter vos, die, ac nocte operantes, ne quem vestrum grauaremus, non quasi nos non haberemus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos: nam cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete nihil operantes, his autem, qui huiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantis suum panem manducent, hæc via sãcta est, & bona, ambulate in ea. Cõmendat autem Apostolus silentium, cum eo præcipit operandum, & quemadmodum Propheta testatur: cultus iustitiæ silentiũ est, & rursus, in silentio. & spe erit fortitudo vestra; ideoque statuimus, vt dicto completorio silentium teneatis, vsque ad primam dictam sequentis diei. Alio autem tempore licet silentij non habeatur obseruatio tanta, diligentiùs tamen à multiloquio caueatur, quia sicut scriptum est, & non minus experientia docet, in multiloquio peccatum non deerit, & qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Item qui multis vtitur verbis, lædit animam suam, & Dominus in Euangelio: De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddẽt rationẽ de eo in die iudicij. Faciat ergo vnusquisq; staterã verbis suis, & frænos rectos ori suo, ne forte labatur, & cadat in lingua, & insanabilis casus eius sit ad mortem: Custodiens cum Propheta vias suas, vt non delinquat in lingua sua, & silentium, in quo cultus iustitiæ est, diligenter, & cautè studeat obseruare. Tu autem Frater B. & qnicumque post te institutus fuerit Prior, semper illud habeatis in mente, & seruetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio, quicumque voluerit inter vos maior fieri erit minister vester, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Vos quoque cæteri Fratres, Priorem vestrum honorate hmiliter, Christum potius

potius cogitantes, quàm ipsum, qui posuit illum super capita vestra, & Ecclesiarum Præpositis ait, qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, vt non veniatis in iudicium de contemptu, sed obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. Hæc breuiter scripsimus vobis conuersationis vestræ formulam statuentes, secundum quam viuere debeatis, si quis autem super erogauerit, ipse Dominus, cum redierit reddet ei, vtamini tamen discretione, quia virtutum est moderatrix. Actum Lugduni Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, Domini Papæ Innocentij Quinti, Anno Quinto Kalendis Suptembris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmaiionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignarionem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nonouerint incursurum. Datũ Lugduni Kalend Oct. Pontific. nostri an. 4. Siquis autem, &c. Reate, Kalendis Iulij, Pontificatus nostri anno secundo.

8. Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis prouidentia circumspecta nonnunquam ea, quæ ad propagationem Religionum quarumcunque, & in illis diuinis obsequiis mancipatarum personanarum prosperum statum conseruandum, ac animarum salutem earumdem salubriter instituta fuerant, si fructum non afferant exoptatum, reformat, & moderatur, & vt Religionem ipsæ, præsertim à Sede Apostoloca approbatæ, in suo vigore perdurent, provt temporum qualitate pensata in Domino prospicit expedire liberaliter impendit solitudinis suæ partes. Sanè cum sicut nobis pro parte dilectorum filiorum Ioannis Faci magistri generalis, & prouincialium, ac claustralium Priorum, & vniuersorum Fratrum Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli nuper fuit expositum, quod cum in certis Capitulis regulæ Fratribus dicti Ordinis per bonæ memoriæ Alberrum Patriarcham Hierosolymitanũ traditę inter cætera caueatur expresse, quod Fratres Ordinis prædicti ab esu carnium abstineant, nisi pro infirmitaris, aut debilitatis remedio sumantur, eisdem etiam, quòd singulis diebus (Dominicis dumtaxat exceptis) à festo Exaltationis Sanctæ Crucis vsque ad festiuitatem Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, ieiunare teneatur. Quodque etiam singuli eorum manere debeant in cellulis suis die, ac nocte, in lege Domini meditantes, ac in Orationibus vigilanres præcipitur. Et propterea nonnulli ipsius Ordinis professores propter arctitudinem; & rigorositatem Regulæ huiusmodi, tam ex fragilitate humana, quam ex debilitate corporea nequeuntes eamdem Regulam obseruare, dispendium suæ salutis incurrunt; quam plures etiam asperitatem huiusmodi pertimescentes ab ingressu eiusdem Ordinis retrahuntur. Nos verò, qui & plantare sacram Religionem, & plantatam modis omnibus fouere intensis desideriis affectamus, super hoc quantum nobis est possibile prouidere salubriter cupientes, & rigorem huiusmodi quadam temperie mitigantes, ac Regulam ipsam moderantes authoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ac concedimus, quod dicti Ordinis professores, qui nunc sunt, & qui pro tempore erunt tribus duntaxat diebus singularum septimanarum, etiam quibus, vt præfertur, ieiunare iuxta eandem regulam sunt astricti, prærerquam in Aduentu, & Quadragesima, & aliis generaliter prohibitis diebus, carnibus vesci; ac horis congruis in eorum Ecclesiis, & illorum claustris, ac per eorum ambitus manere, & deambulare liberè, & licitè valeant. Decernentes, & eorum singulos circa præmissa ad arctiorem obseruantiam, quam supra exprimitur occasione professionis in dicto Ordine emissæ, vel in posterum emittendæ, minimè teneri. Et nihilominnus Fratribus iisdem, qui Regulam ipsam, itavt præmittitur, moderatam obseruauerint, quod eis in remissionem proficiat peccatorum, ac omnibus & singulis priuilegiis, indulgentiis, immunitatibus, libertatibus, & exemptionibus protectionibus, & prærogatiuis eidem Ordini à Sede Apostolica per antea concessis vti & gaudere possint, eadem authoritate concedimus per præsentes. Constitutionibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus, & prædictis, ac aliis Ordinis, ac Regulæ prædictorum Capitulis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate vallatis, cœterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Et vt Fratres ipsi in humilitatis, paupertatis spiritu, ac castimonia virtutum Domino famulantes ad huiusmodi mitigaram Regulam obseruandam feruentius animentur, omnibus, & singulis Fratribus dicti Ordinis præsentibus, & futuris duntaxat, qui Regulam ipsam, sicut præmittitur, moderatam deuotè obseruauerint, seu in obseruantia ipsius vixerint, vt Superiores ipsorum, dicti Ordinis professorum, vel alius quicunque idoneus dicti Ordinis sacerdos omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem eis in sinceritate fidei, vnitate Sanctę Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & deuotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium, necnon obseruantia prædicta persistentibus authoritate Apostolica concedere valeant, deuotioni eorum tenore præsentium indulgemus. Sic tamen quod iidem Superiores de his, de quibus fuerit altari satisfactio imponenda, iisdem Fratribus per ipsos, si superuixerint, vel per alios, si fortè tunc transierint. faciendam iniungant, quam ipsi Fratres facere teneantur, vt præfertur. Et ne (quod absit) proprer huiusmodi gratiam prædicti Fratres reddantur procliuiores ad illicita in posterum committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis huiusmodi prædicti Fratres aliqua forte committerent, quoad illa prædicta remissio eis nullatenus suffragetur. Et insuper, quod per vnum annum, ex quo præsens nostra concessio ad eorumdum Fratrum pro tempore existentium notitiam peruenerit computandum, singulis sextis Feriis, impedimento legitimo cessante ieiunent. Quod si prædictis Feriis ex præcepto Ecclesiæ, Regulari Obseruantia, iniuncta pœnitentia, voto, vel aliàs ieiunare teneantur vna alia die singularum Septimanarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum non sunt astricti, ieiunent. Et, si in dicto anno, vel aliqua eius parte essent legitimè impediti, anno sequenti, vel aliàs, quamprimum poterunt, modo simili supplere huiusmodi ieiunium teneantur. Porro si forsan aliàs prælibatum ieiuniũ in toto, vel in parte, quandocumq; adimplere commodè nõ poterũt, eo casu superiores ipsorũ ieiuniũ ipsũ in alia pietatis opera, provt animarũ illorum saluti viderint expedire, cõmutare valeanr, quę ipsi pari modo debeãt adiplere, alioquin huiusmodi nostra præsẽs cõcessio, quoad non obseruãtes dũtaxat nullius sit roboris vel momẽti. Nulli ergo omnino hominum

hominum liceat, hanc paginam nostrorum statuti, Ordinationis, Constitutionis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum eius Petri, & Pauli, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum an. Incarnat. Dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo primo, quinto decimo Kalendas Martij Pontificatus nostri anno primo.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei Dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad hoc diuina miseratio in Apostolica Sede plenitudinem potestatis constituit, vt Romanus Pontifex, qui claues à Beato Petro potestatis, & discretionis accepit, erga singulos fideles præsertim Altissimo sub Regulari habitu famulantes, clementia vtatur, & gratia, ac in benigniorem inclinando sententiam, rigori mansuetudinem anteponat. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, felicis recordationis Eugenius Papa I V. prædecessor noster vobis, & aliis eiusdem Ordinis professoribus, qui pro tempore essent, quod tribus dumtaxat diebus singularum septimanarum siue hebdomadarum, etiam quibus ieiunare iuxta ipsius vestri Ordinis instituta Regularia essetis astricti; præterquam in Aduentu Domini, & Quadragesima, ac aliis generalibus diebus, carnibus vesci liberè & licitè possetis gratiosè cōcesserat. Et sicut eadē petitio subiungebat, à nonnullis eiusdē Ordinis professoribus reuocetur in dubium, an illis diebus, quibus esus carnium vobis conceditur, ieiunare teneamini, pro eo, quod in concessione prædicta non solùm mitigationem abstinentiæ, sed & relaxationem ieiunij petitam fuisse conspicitur, quo fit vt duorum dierum in hebdomada, quibus extra diem dominicum vobis esus carnium indulget, huiusmodi ieiunium fuerit relaxatum. Nos volentes conscientiarum vestrarum quieti, & tranquillitati consulere, & ambiguitatis prædictæ scrupulum amputare, quod tu, dilecte fili Prior Generalis, & qui pro tempore erunt tui in dicto officio successores, personarum, locorum, & temporum qualitate attenta, cum Fratribus dicti Ordinis iuxta conscientiæ tuæ arbitrium super præmissis dispensare valeas, authoritate Apostolica, tenore præsentium facultatem concedimus, & etiam potestatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Mantuæ, Anno Incarnationis Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, Nonis Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, ac cæteris Prioribus, ac Fratribus Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virg. Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apost. benedict. Speciali gratia, & fauore vos illa de causa dignos potissimè reputamus, quia toto cordis affectu ad hoc intenditis, vt per Sanctæ conuersationis, & vitæ studium in conspectu Dei, & hominum placeatis. Hinc est quod nos vestris supplicationibus annuentes, præsentium vobis authoritate concedimus, vt si aliqui Christi fideles aliqua loca ad se spectantia, quæ Feudalia, seu censualia non existant vobis contulerint intuitu pietatis liceat vobis de consensu Diœcesanorum illa recipere, ac in eorum singulis Ecclesiam, aut Oratorium cum campanili ad opus vestrum construere, & inibi diuina officia celebrare, nec non in huiusmodi campanili pro conuocandis vestris Fratribus campanam iuxta Ecclesiam, vel Oratorium ipsum, cœmeterium, & liberam sepulturam habere, canonica iustitia, & parochiali iure pachialium, & vicinarum Ecclesiarum in omnibus semper saluis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Viterbij decimo sexto Kal. Iunij Pontif. nostris anno primo.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, & vniuersis Prioribus, & Fratribus Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virg. Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apost. benedict. Inter cæteros Ordines in agro plantatos Ecclesiæ sacrum vestrum Ordinem claris suis exigentibus meritis gerentes in visceribus charitatis; ad ea vigilantes intendimus, ac opem, & operam solitam impartimur per quæ status eiusdem Ord. ad diuini nominis gloriam, & exaltationem Catholicæ fidei, & honorem Ordinis supradicti prosperis semper successibus fluat, tranquillis foueatur euentibus, & votiuis proficiat incrementis. Sanè pro parte vestra fuit in consistorio propositum coram nobis, quod Ordo vester, cuius institutio Concil. Generale præcessit, ab antiquo per Sedem Apost. approbatus in diuersis mundi partibus in Sacræ paginæ Magistris, Bacharaureis, Lectoribus, scholaribus, & quam plurimis sacerdoribus eruditis, ac sufficienter instructis in prædicationis officio verbi Dei noscitur reflorere, ac in eisdem partibus Fratres sufficientes, & vtiles ad irrigandum agrum fidelium rore verbi Diuini, & excolendum eorundem fidelium mentes non solùm eruditione sermonis, sed confessionum auditione, & pœnitentiarum impositione salutarium existere dignoscuntur, quodque à nonnullis prælatis, Rectoribus, sacerdotibus, & clericis parochialium Ecclesiarum per diuersas orbis prouincias constitutis vobis super præmissis impedimenta præstantur, & faciendi prædicta licentia voluntari? denegatur. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt prouidere vobis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur ob specialem dilectionis affectum, quem ad Ordinem gerimus supradictum volentes vos super præmissis, & aliis prosequi gratiosè, vestris supplicationibus inclinati de Fratrum nostrorum consilio authoritate Apost. constitutionem, quæ incipit: *Super Cathedram* dudum per piæ memoriæ Bonif. Papam VIII. editam, & postmodum per fel. rec. Clem. Papam V. prædecessores nostros in Viennensi Concil. innouatam super prædicationibus faciendis iniungendis pœnitentiis, absolutionibus impendendis, ac sepultura, & obuentionibus funeralium, quam relictorum, datorum, & donatorum, ac cæteris aliis in eadem Constitutione contentis, sicut eadem Constitutio Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinum, de quibus duntaxat specialis habetur in ea

ea mentio comprehendit, ad Ordinem vestrum, & Fratres ipsius decernimus extendendam, volentes etiam, & eadem authoritate decernentes, quod præfata Constitutio super omnibus, & singulis tam superius designatis, quàm aliis quibuscunque in eadem constitutione contentis, quæ omnia authoritate præsentium Fratribus vestri prædicti ordinis competere volumus, sicut per constitutionem ipsam iisdem Prædicatoribus, & Minoribus competunt in vobis, & præfati Ordinis Fratribus inconcusse, & integraliter obseruetur, ita quod considerata personarum conditione, quas ad id habueritis idoneas, ac cleri, & populi quantitate, eorundem Fratrum, quos ad huiusmodi audiendarum confessionum officium elegeritis, metiamini numerum vos infra modum congruum continentes, & nunquam in aliquo excedentes, vt sic moderatione seruata, nec aliis, quibus hoc per eandem constitutionem conceditur ad inuidiam, vel scandalum, nec locorum Ordinarios, quibus Fratres Ordinis vestri, à vobis electos præsentare debebit is, contra vos aliquatenus prouocetis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionum & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auinioni, vndecimo Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno vndecimo.

12. Callistus Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Inter cætera, quæ nostræ pastorali curæ competunt, ea ipsa proculdubio potissima esse decernimus, quibus Christi fideles cunctis propulsis erroribus in vnitate fidei, ac pacis, quiete viuere, gloriamque prosequi beatam conspicimus, sed & acceptabile Deo multum id esse non ambigimus, quo religiosæ personæ Christo famulantes nostræ vigilantiæ ministerio, ac iustitiæ fauore priuilegiis iisdem à sancta Sede Apostolica matura cum deliberatione concessis nullo colore impediri, sed liberè frui intuemur. Nuper siquidem non sine quadam animi displicentia ex relationibus plurimorum fide dignorum percepimus, quod quanquam felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster in sua constitutione, quæ incipit: *Super Cathedram*; quam constitutionem, siue decretalem postmodum piæ memoriæ Clemens Papa V. etiam prædecessor noster in Concilio Viennensi innouauit, & quæ subsequenter ad Eremitarum sancti Augustini, & gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli Ordinum Fratres per Sedem Apostolicam extensa fuit, inter cætera statuerit, & ordinauerit, quod in singulis ciuitatibus, & Diœcesibus, in quibus Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratrum loca consisterent, at in locis ipsis vicinis, in quibus loca huiusmodi non haberentur magistri, & Priores, Prouinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarij Generales, ac Prouinciales Ministri, necnon custodes Minorũ Ordinum prædictorum ad præsentiam Prælatorum ibidem se conferrent per se, vel Fratres, quos ad hoc idoneos fore putauerint, humiliter petituri, vt Fratres, qui ad hoc forent electi, in eorum ciuitatibus, & Diœcesibus confessiones suorum subditorum confiteri sibi volentium audire valerent, ac iisdem confitentibus, prout secundum Deum expedire cognoscerent pœnitentias imponere salutares, ac beneficium absolutionis impendere de licentia, gratia, & beneplacito eorundem: præfatique Magistri, Priores, & Ministri studerent eligere personas idoneas, ac sufficientes, vitæ probatæ, discretas, modestas, atque peritas ad tam salubre ministerium, & officium exequendum, quas sic electas Prælatis ipsis præsentarent, vel facerent præsentari, vt de illorum licentia, & beneplacito, in ciuitatibus, & Diœcesibus eorundem, personæ sic electæ huiusmodi confessiones sibi confiteri volentium audirent, & eis imponerent pœnitentias salutares, ac beneficium absolutionis impenderent, ac etiam bonæ memoriæ Ioannes Papa XXII. prædecessor noster certos errores damnauerit, & reprobauerit de assensu Fratrum suorum Ecclesiæ Romanæ Cardinal. necnon celebris recordationis Eugenius Papa IV. etiam prædecessor noster errores ipsos pro falsis, erroneis, & aduersantibus sacris canonibus damnatos, reprobatosque declarauerit cum quibusdam aliis, ac decreuerit. Et subsequenter piæ memoriæ Nicolaus Papa V. similiter prædecessor noster de Fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, dicti Eugenij prædecessoris litteras in omnibus, & per omnia approbauerit, & confirmauerit, prout in singulis Eugenij, & Nicolai prædecessorum litteris huiusmodi plenius continetur, quarum, quidem tenor sequitur, & est talis.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei vniuersis, & singulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis electis, & Abbatibus vbilibet constitutis ad quos præsentes litteræ peruenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem. Prouisionis nostræ debet prouenire subsidio, vt ea, quæ à bonæ memoriæ prædecessoribus nostris in Religionis augmentum vtiliter gesta sunt, illæsa permaneant, & ab omnibus inuiolabiliter obseruentur. Hinc est, quod nos tenores quarundam litterarum felicis recordationis Eugenij Papæ IV. prædecessoris nostri in ipsius registro repertos, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, & præsentibus annotari fecimus, qui sunt tales. 13.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Vniuersis & singulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis Electis, & Abbatibus vbilibet constitutis, ad quos præsentes litteræ peruenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem. Gregis nobis crediti curam gerentes peruigilem, studiis efficere conamur assiduis, vt pro quorum salute languores humanos Altissimi Filius perpeti voluit, fideles exectandis non inuoluantur erroribus, sed nostri directione ministerij, prout superna gratia contulerit, à noxiis, ac dispendiis iugiter præseruentur, & vt etiam vos in partem sollicitudinis vocati prædictis extirpandis erroribus opem, & operam feruentius impendatis, vos pro iniuncto nobis officio excitamus. Dudum siquidem felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster in sua, quæ incipit *Super Cathedram* Constitutione, siue decretali, quàm postea piæ memoriæ Clemens Papa V. etiam prædecessor noster in Viennensi Concilio innouauit, & quæ subsequenter ad Eremitarum sancti Augustini, & beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli Ordinum Fratres per Sedem Apostolicam extensa fuit, inter cætera statuit, & ordinauit, quòd in singulis ciuitatibus, & Diœcesibus, in quibus Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratrum loca consisterent, ac in locis ipsis vicinis, in quibus huius- 14.

modi loca non haberentur, magistri, & Priores Prouinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarij, & Generales, ac Prouinciales Ministri, necnon Custodes Ordinum prædictorum ad præsentiam Prælatorum ibidem se conferrent per se, vel per Fratres, quos ad hoc idoneos fore putarent, humiliter petituri, vt Fratres, qui ad hoc electi forent, in eorum ciuitatibus, & Diœcesibus confessiones suorum subditorum confiteri sibi volentium audire liberè valerent, & huiusmodi confitentibus, prout secundum Deum expedire cognoscerent, pœnitentias imponere salutares, ac beneficium absolutionis impendere de licentia, gratia, & beneplacito eorumdem; præfatique Priores, & Ministri studerent eligere personas idoneas, sufficientes, vitæ probatæ, discretas, modestas, atque peritas ad tam salubre ministerium, & officium exequendum, quas sic electas Prælatis ipsis præsentarent, vel præsentari facerent, vt de eorum licentia, & beneplacito in ciuitatibus, vel Diœcesibus eorundem personæ sic electæ huiusmodi confessiones sibi confiteri volentium audirent, & eis imponerent pœnitentias salutares, ac beneficium absolutionis impenderent, prout in ipsa Constitutione, siue decretali plenius continetur. Et licet postmodum ad piæ recordationis Ioannis Papæ XXII. etiam prædecessoris nostri notitiam deducto, quod quondam Ioannes de Poliaco Magister in Theologia sequentes articulos tenuerat, publiceque docuerat, quod confessi Fratribus licentiam generalem confessiones audiendi habentibus, eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum proprio sacerdoti cõfiteri teneantur, ac stante statuto *omnis vtriusque sexus* in Conc. generali, nec Deus, nec Romanus Pontifex facere potest, quod parochiani non tenerentur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, veluti parochiali curato confiteri; quodque non posset Papa Generalem dare potestatem audiendi confessiones, imo nec Deus, quin confessus generalem habenti licentiam teneretur eadem iterum proprio Sacerdoti, veluti parochiali curato confiteri, dictus Ioannes prædecessor à verbis, quæ vas electionis protulit, exordium sumens, habita inde per plures sacræ Paginæ professores examinatione diligenti, necnon de venerabilium Fratrum suorum Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu præfatos articulos tanquam falsos, & erroneos, & à sana doctrina deuios authoritate Apostolica damnauerit, & reprobauerit; ipseque Ioannes de Poliaco veris rationibus opinioni quam dudum habuerat, contrariis, & quibus respondere non poterat, demonstratis, eosdem articulos non esse veros affirmans, illos in consistorio publico, necnon ipsorum Ioannis Papæ, & Cardinalium præsentia reuocauerit: tamen sicuti nuper Fratrum Ordinum eorundem lamentabili querela ad nostrum non sine displicentia graui peruenit auditum, plures Ecclesiasticæ, necnon aliæ, vtriusque sexus personæ reprobos, superstitiososque articulos huiusmodi amplexantes, fideliumque animos inficere, ac eos, vt Fratribus Ordinum huiusmodi non confiteantur, & ab eorum deuotione retrahere molientes, nedum prædictos, sed & alios etiam sacris canonibus omnino contrarios articulos astruere publicè non verentur, videlicet, quod confessio Fratribus sic electis, & admissis facta dubitabilis sit, & incerta, vnde tenentur omnes incertum dimittere, & sic solum confiteri suis sacerdotibus curam animarum habentibus sub pœna peccati mortalis, ac quamuis ipsi Fratres admissi authoritatem habeant confessiones audiendi, & absoluendi, tamen ad eos accedendi populus subiectus sine licentia proprij sacerdotis non habet potestatem. Fratres quoque priuilegia pro confessionibus audiendis, & sepulturis habendis petentes in peccato mortali, & Romani Pontifices illa Mendicantibus concedentes, siue confirmantes etiam in simili peccato, & excommunicati sunt, ac dicti Fratres Mendicantes non pastores, sed fures, latrones, & lupi censentur; sacerdos autem curatus Mendicantibus confessiones audiendi licentiam dans magis super isto statuto *Omnis vtriusque sexus* dispensat, quàm Papa Fratribus licentiam tribuens, iuxta formam decretalis antedictæ. Nos igitur animarum, & alia, quæ præmissorum articulorum occasione, nisi prodeuntes inde confutarentur errores, succedere possent pericula trepidantes, ac illis quantum in nobis fuerit, obuiare cupientes, omnes articulos vna cum venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus maturè inspeximus, & per diuersos in iuru canonico doctores, & sacræ Paginæ professores diligenter examinari fecimus, & quia protinus illos falsos, & erroneos, ac eisdem canonibus aduersos fore reperimus, illos de dictorum Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu authoritate Apostolica pro falsis, & erroneis; & aduersantibus sacris canonibus damnatos, reprobosque declaramus, & decernimus. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestrum, qui super his à quocunque prædictorum Ordinum Prædicatorum, Minorum, Augustiniensium, & gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli super præmissis priuilegiatorum Magistro generali, & Prouinciali Ministro, Vicario, vel alio gerente officium fueritis requisiti ad confutandos, & reprimendos, ac penitus tollendos huiusmodi errores, prout in præfatis decretali, siue constitutione *Super Cathedram*, ac Extrauagante *Vas electionis* continetur, diligenti studio, ac cura prouideatis, & intendatis, præfatasque Constitutiones integrè seruantes faciatis ab omnibus inuiolabiliter obseruari. Et si quos forsan huiusmodi damnatos, vt præfertur, articulos, aut aliquem, seu aliquos eorum pertinaciter asserere, vel temerè prædicare inuenietis, contra illos communiter, vel diuisim tanquam contra hæreticos, & de Catholica fide suspectos procedere, necnon ipsos, & eorum quemlibet iuxta tantorum excessuum qualitatem per censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna iuris remedia authoritate prædicta compescere studeatis. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram paginam nostræ declarationis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto. Decimo septimo Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno sextodecimo. Cæterum vt earundem litterarum tenores maioris roboris, & efficaciæ censeantur, nos de venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu easdem prædecessoris nostri litteras in omnibus, & per omnia innouantes approbamus, confirma

firma

firmamus,& præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, approbationis,confirmationis, & communicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo octauo, tertio Kalendas Iunij,Pontificatus nostri anno 2. Verumtamen dum pridem in vigilia Pentecostes proximè præterita præfatæ litteræ Nicolai prædecessoris nostri venerabili Fratri nostro Episcopo Parisiensi, seu in eius Episcopali curia præsentatæ forent, dilectus filius Guillelmus Rineti pro tunc rector vniuersitatis Parisiensis easdem impedire fecit, asserens dicti Nicolai prædecessoris nostri litteras de falso plurimum suspectas,pacis in eadem vniuersitate solemniter iuratæ, & status hierarchici in Ecclesia Dei plurimum turbatiuas, & scandalosas, & aduersas iuris communis Sanctionibus sacris, & pragmaticæ sanctioni, & quod super illis renuntiando, & illatum reuocatoria impetrando religiosi quatuor ordinum Mendicantium fuerint attentius summati, quod facere renuerant, & distulerant, per suas patentes litteras vniuersis notum fecit, quod ex causis præmissis, & aliis rationabilibus de mandato, ac speciali, & matura deliberatione, & conclusione dictæ Vniuersitatis omnes, & singuli illius iurati de dictis quatuor Ordinibus mendicantium, à gremio præfatæ Vniuersitatis erant perpetuo, non iurati autem ab eiusdem Vniuersitatis consortio, & graduum in eadem susceptione similiter resecati. Si tamen dictis suis obtemperarent conclusionibus cum effectu eadem vniuersitas cum eisdem misericorditer agere intendebat. Et etiam cum in statutis, & priuilegiis dictæ Vniuersitatis, & præcipuè felicis recordationis Alexandri IV. inter cætera contineri dicatur, quod si forte Magistris, & scholaribus dictæ Vniuersitatis hospitiorum subtrahatur taxatio,aut eis, vel alicui ipsorum iniuria, vel excessus inferrentur enormes, vtpote mortis, vel membri mutilatio, nisi congrua monitione præmissa infra quindecim dies foret satisfactum, liceat eisdem Magistris, & scholaribus vsque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones, & si aliquem eorum indebitè incarcerari contingeret, fas esset ipsis(nisi monitione præhabita cessaret iniuria) à lectione cessare, quodque si pro aliqua ex causis in constitutione piæ memoriæ Gregorij Papæ VIII. contentis eadem Vniuersitas lectiones duceret suspendendas, omnes Magistri tam Regulares, quàm seculares ipsas suspendere tenerentur, eas nisi cum vniuersitate minimè resumpturi,eueniatque interdum, vt ex causis præmissis ab huiusmodi Lectionibus cessatio fiat, Rector,& vniuersitas religiosos prædictos(vt de aliis taceamus)non solum à lectionibus huiusmodi, verum etiam à prædicationibus verbi Dei cessare compellunt in Sedis Apostolicæ irreuerentiam, & fidei Christianæ dispendium,ac perturbationem dictorum Religiosorum, necnon malum exemplum, & scandalum plurimorum. Quare pro parte dictorum religiosorum nobis fuit humiliter supplicatum,vt in præmissis opportunè prouidere paterna diligentia curaremus.Nos igitur,ad quos ex officio nobis commisso pertinet in præmissis vigilantiæ nostræ curas adhibere scientes, quod prædictæ Nicolai litteræ matura cum deliberatione processerunt, & quod nullo capite reputandæ sunt de falsitate, aut subreptione, vel obreptione suspectæ, nec status hierarchici in Ecclesia Dei turbariuæ, vel scandalosæ, nec sacris canonibus aduersantes, sed potius consonæ, & saluti animarum Christi fidelium plurimum profuturæ, easque de venerabilium Fratrum nostrorum Cardinalium consilio, & assensu innouamus, confirmamus, & approbamus serie cum præsenti mandantes illas, ac omnia,& singula in eis, necnon Eugenij prædecessoris litteris huiusmodi contenta, sub excommunicationis, & aliis diuersis sententiis, censuris,& pœnis firmiter obseruari. Quodque idem Rector præfatos quatuor Ordinum mendicantium Fratres, pro eo, quod determinationibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ in materia fidei renunciare noluerunt,resecatos, atque priuatos, vt præfertur, notificauit, statutum quoque & priuilegium Alexandri IV. huiusmodi solum de cessatione à lectionibus, & non à prædicationibus mentionem fecit, huiusmodi supplicationibus inclinati, ne tam celebres Ordines, quarum illa præclara supposita illam Vniuersitatem, Franciæque Regnum, ac vniuersalem Ecclesiam suis doctrinis, & exemplis decorauerunt, atque decorant, tam subito, tamque repente fuerint ab eadem vniuersitate remaneant,& sint,& censeantur quoquomodo resecati,quinimo, ibidem perpetuo vigeant, & notabilia membra facultatis sacræ Theologiæ fuerint, & existant, priuationem, resecationem, & litteras Rectori huiusmodi,ac in eis contenta, & inde secuta,quæscunque de dictorum Fratrum nostrorum consilio & assensu, authoritate Apostolica, & ex certa, scientia, tenore præsentium reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, ac nullius roboris, vel momenti fuisse, & esse decernimus, ipsosque quatuor Ordines mendicantium in pristinum, & eum statum, in quo ante notificationem, priuationem, & resecationem prædictas existebant, restituimus, & reponimus, eosque in aliquo casuum, nisi hoc in ipsis litteris Alexandri, & statutis antedictis caueatur expresse ad cessandum à prædicatoribus verbi Dei, nec ad id per Rectorem pro tempore dictæ vniuersitatis, vel quemcunque alium, seu alios compelli posse declaramus, sed ipsos quatuor Ordinum Mendicantium Fratres tam iuratos, quàm non iuratos, & alios prælatos, doctores, & rectores Ecclesiarum ad quos spectat verbum Dei, in suis Ecclesiis, & aliis locis, vbi fuerint requisiti, prædicare liberè, & licitè posse, & debere in omnibus, & per omnia perinde, ac si huiusmodi cessatio non foret in casibus antedictis, & ita litteras Alexandri, & statuta huiusmodi, vti iuri consona debere intelligi declaramus. Nihilominus omnibus, & singulis Fratribus quatuor Ordinum Mendicantium prædictorum, qui in dicta vniuersitate debitos, & consuetos cursus in Theologia incœperint, continuauerint,& perfecerint, & in futurū incipient, continuabunt,& perficient; durante huiusmodi, aut simili resecatione, vt licentiæ gradus, & doctoratus insignia cancellarius dictæ vniuersitatis pro tempore, vt moris est, sibi impendat, & si forsan dictus cancellarius ad id requisitus gradus licentiæ, & magisterij insignia eis impendere contradiceret, ex tunc liceat antiquiori magistro in Theologia prædictorum quatuor Ordinum Mendicantium, vel vni ad hoc deputato ab eorundem quatuor Ordinum magistris illis, qui

dictos

dictos cursu perfecerint gradus, & insignia huiusmodi prout seruatis aliis solemnitatibus, & examine consuetis meruerint absque alicuius spiritualis pœnæ incursu libere impendere. Quodque Fratres sic per eosdem Magistros promoti omnibus, & singulis priuilegiis, gratiis, libertatibus, exemptionibus, indultis, & immunitatibus gaudeant, & vtantur, ac vti, & gaudere possint, sicut illi, quibus idem Cancellarius huiusmodi gradus, & insignia iuxta statuta, & consuetudines dictæ vniuersitatis impendit in omnibus, & per omnia perinde, ac si gradus, & insignia prædicta ab eodem Cancellario recepissent, eadem authoritate concedimus pariter, & indulgemus. Præterea, quia prætextu priuilegiorum dictæ vniuersitatis occasione, seu ex causis prædictis, quidam Fratres Prædicatorum Ordinum citati fuerunt, atque molestati durante huiusmodi resecatione, præfato, & pro tempore existenti Rectori, conseruatoribus, necnon Magistris, scholaribus dictæ vniuersitatis in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicationis pœna latæ sententiæ à qua nisi in mortis articulo per alium, quàm per Romanum Pontificem, absolui non possint, si secus egerint, promulgamus, ne prætextu priuilegiorum supradictorum occasione, seu ex caussis prædictis ipsos Fratres, seu aliquem ipsorum, nisi apud Sedem Apostolicam dumtaxat directè, vel indirectè, vel alio quouis quæsito colore per se, vel per alium, seu alios tam super resecatione à prædicationis cessatione, quàm gradus impositione, quàm alias occasione, seu ex causa prædicta molestare, vexare, seu perturbare præsumant, eadem authoritate districtè inhibemus. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoque quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum innouationis, confirmationis, approbationis, mandati, renouationis, cassationis, irritationis, annullationis, constitutionis, restitutionis, repositionis, declarationis, concessionis, indulti, promulgationis, inhibitionis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quingentesimo sexto, decimo Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno secundo.

13. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, & Prouincialibus Prioribus, & Fratribus Eremitis Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Deuotionis vestræ precibus inclinati ministrandi Ecclesiastica sacramenta familiaribus vestris, ac tradendi eos sepulturæ Ecclesiasticæ, cùm decesserint, vobis authoritate præsentium sine alieni iuris præiudicio concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani quinto Nonas Martij Pontificatus nostri anno secundo.

14. Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, ac cæteris Prioribus, & Fratribus presbyteris Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Vobis ad hoc tanta mente solicitis, vt æterno Regi per vitæ religiosæ studium placeatis, quæ animarum salutem paritura credimus, benigno fauore concedere debemus. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus annuentes præsentium vobis authoritate concedimus, vt confratrum, & familiarium vestrorum, ac aliorum Christi fidelium causa deuotionis ad vos recurrentium de suorùm licentia prælatorum confessiones audire, & eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere valeatis, nisi fortè talia commiserint, propter quæ Sedes Apostolica sit merito consulenda. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Viterbij Idibus Maij Pontificatus nostri anno primo.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Sacræ religionis, sub qua 15.
dilecti filij Ioannes Faci Prior Generalis, & vniuersi Fratres Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, mundanis abiectis illecebris, deuotum, & sedulum exhibent Altissimo famulatum, promeretur honestas, vt illa ex fauore beneuolo concedamus, per quæ Fratres ipsi conscientiæ pacem, & animæ salutem Deo propitio facilius consequantur. Hinc est quod nos deuotis præfati Generalis in hac parte supplicationibus inclinati, eidem, ac quibuscunque successoribus suis pro tempore existentibus generalibus Prioribus, necnon ab eo, vel ab eis pro tempore deputandis ad id Vicariis Prouincialibus, Prioribus, ac Fratribus Ordinis prædicti in confessionibus audiendis, in absolutionibus impendendis, & pœnitentiis iniungendis, aliisque salutem animarum duntaxat concernentibus exequendis omnium, & singulorum dicti Ordinis Fratrum præsentium, & futurorum eandem, & talem potestatem, & facultatem, qualem in præmissis minores pœnitentiarij nostri in Romana Curia præsentes ex officio habent, & exercent, authoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia concedimus, atque damus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo quinto, septimo Kalendas Maij, Pontificatus nostri anno 5.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, & cæteris Prioribus, ac Fratribus sacri Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Necessitatibus vestris paterno compatientes affectu, vt de his, quæ vobis in ornamentis, vel pro eis, libris, fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo, siue aliis ad perpetuum cultum diuinum, seu pro pitantiis, aut victu ad sustentationem vestram, vel indumentis, aut calceamentis vestris pietatis intuitu erogantur, vel legantur in vltima voluntate, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquæ domus 16.
prædi

prædicti Ordinis obligatæ noſcuntur, nulli canonicam iuſtitiam, ſeu portionem aliquam ſoluere teneamini, dummodo præmiſſa non conuertantur in vſus alios, ſed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur, authoritate vobis præſentium, quandiu ſine poſſeſſionibus extra ſepta Monaſteriorum ſitis, & in paupertate vixeritis, indulgemus. Diſtrictius inhibentes, ne quis à vobis, vel vltimarum executoribus voluntatum, ſeu decedentium hæredibus de præmiſſis aliquid exigere, vel extorquere præſumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Peruſij Nonis Aug. Pontificatus noſtri anno 1.

17. Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis vniuerſis Prioribus, & Conuentibus Fratrum Ordinis glorioſiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Inter cætera noſtræ ſolicitudinis ſtudia id propenſioribus curis proſequimur, vt noſtræ prouiſionis ope religioſæ perſonæ Deo ſeruire deſiderantes, à ſingulis, quibus eorum poſſet ſeruitium impediri, oneribus ſubleuentur, eiuſque neceſſariorum copia non deſit in ſeculo, quibus cœleſtia præparantur. Hinc eſt, quod nos veſtris deuotis ſupplicationibus inclinati, vobis, & dicto Ordini veſtro perpetuò concedimus, vt de illis, quæ vobis pro fabrica Eccleſiarum, & Conuentuum veſtrorum Eccleſiaſticis ornamentis, luminaribus, anniuerſariis, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, & aliis diuinis cultibus, pitantiis, indumentis, calceamentis emendis, celebrandis, & habendis in eiſdem, necnon annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem, aliquæ domus, prædiaque cum hortis, & aliis locis Ordinis eiuſdem obligata noſcuntur, per Chriſti fideles eleemoſynæ pietatis intuitu, ſiue in funeralibus, oblationibus, ſepulturis, vltimis voluntatibus, legatis, aut aliis quoquo modo etiam abſolutè iam erogatæ ſunt, & in poſterum forſan erogentur bonis, & etiam abſolutè elargientur; nulli canonicam portionem aliquam teneamini exhibere, aut ad id valeatis coarctari, & nequis à vobis, vel vltimarum executoribus voluntatum, ſeu decedentium hæredibus de præmiſſis bonis, aliquid extorquere, vel exigere præſumat, diſtrictius inhibemus. Non obſtantibus piæ memoriæ Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri in Concilio Viennenſi edita, quæ incipit *Dudum*, & in aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon priuilegiis, gratiis, & conceſſionibus Apoſtolicis in genere, vel in ſpecie, quibuſuis perſonis Eccleſiaſticis, ſeu locis ſub quacunque forma, aut expreſſione verborum conceſſis, etiamſi de illis præſentibus habenda foret mentio ſpecialis, per quæ præſentibus non expreſſa, aut totaliter de verbo ad verbum non inſerta eorum in toto, vel in parte effectus valeat aliqualiter impediri, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoque quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, inhibitionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono, decimo Kalendas Martij, Pontificatus noſtri anno tertio.

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. 18. Dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus Ordinis glorioſiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Prouiſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio, vt ius ſuum cuilibet conſeruetur, hinc eſt, quod nos tenorem quarundam litterarum fel. record. Clem. Papæ VI. prædeceſſoris noſtri in regiſtro ipſius prædeceſſoris repertum, pro eo quod ſicut veſtra petitio nobis nuper exhibita continebat, prædictæ originales litteræ caſualiter ſunt amiſſæ, de regiſtro ipſo de verbo ad verbum ad veſtræ petitionis inſtantiam præſentibus annotare fecimus, qui talis eſt.

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, & rectoribus vbilibet conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Dilectos filios Priorem generalem, & Fratres Ordinis glorioſiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli ſuis exigentibus meritis, & ſtudiis fructuoſis bonorum operum eorundem paternæ dilectionis plenitudine proſequentes, libenter eos ab iis, quæ poſſunt eis afferre damna, vel grauamina præſeruamus. Sane dictorum Priorum, & Fratrum petitio nuper nobis exhibita continebat, quod nonnulli ex vobis à dilectis filiis Prioribus, & Fratribus domorum, & locorum eiuſdem Ordinis de his, quæ creſcunt infra loca huiuſmodi, nitimini exigere decimas, & etiam extorquere, ac ſi magnas poſſeſſiones haberent, & priuilegiati non eſſent. Quare præfati Prior Generalis, & Fratres nobis humiliter ſupplicarunt, vt prouidere ipſis ſuper his de opportuno remedio dignaremur. Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de iis, quæ creſcunt infra ſepta murata locorum ipſius Ordinis, quæ ipſe Ordo, & Fratres iuſtè nunc poſſident, & in poſterum obtinebunt, decimas petere, aut exigere nullatenus præſumatis, quacunque conſtitutione Apoſtolica, in contrarium edita non obſtante. Datum apud Villam Nouam Auinionenſis Diœceſis, decimo Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno primo. Cæterum, vt earundem litterarum tenor prædictus ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, authoritate Apoſtolica decernimus, vt illud idem robur, eandemque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quæ haberent originales litteræ ſupradictæ, & eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & vbicunque, ſiue in iudicio, vel alibi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & ei ſtetur firmiter in omnibus, ſicut eiſdem originalibus litteris ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum ius de nouo vobis acquiri volumus, ſed antiquum (ſi quod habetis) tantummodo conſeruare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſt. eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auenione ſeptimo kalendas Iunij,

Iunij, Pontificatus nostri, anno decimo.

19. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, & Prouincialibus Prioribus, ac Fratribus vniuersis Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Speciali gratia, & fauore vos illa de causa dignos potissimè reputamus, quia, sicut accepimus, toto cordis affectu ad hoc semper intenditis, vt per sanctæ conuersationis, & vitæ studium in conspectu Dei, & hominum placeatis. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus grato concurrentes assensu personas vestras, & loca, in quibus estis diuino obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum obtinent, aut in futuro iustis modis præstante Domino poterunt adipisci, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, specialiter autem loca ista, Ecclesias, domos, oratoria, hortos, & alia bona vestra, sicut ea omnia iustè, & pacificè possidetis, vobis, & per vos Ordini vestro ad instar fel. record. Alexandri Papæ prædecessoris nostri authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, vt nullus de hortis, & virgultis vestris ad vsus proprios deputatis, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, decimas à vobis exigere, vel extorquere præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Perusij sexto Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

20. Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, & vniuersis Prioribus, & Fratribus Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacræ religionis, in qua virturum Domino deuotum, & sedulum exhibetis obsequium, promeretur honestas, & quo studiosius diuinæ contemplationi vacatis, eo libentius vestræ prouidere quieti paterna diligentia studeamus. Pro parte siquidem vestra fuit expositum coram nobis, quod licet fel. record. Alexander Papa IV. prædecessor noster duxerit inhibendum, ne aliqui Religiosi professos vestrum ordinem, absque Prioris Generalis ipsius vestri ordinis, qui tunc erat, & qui pro tempore foret, petita licentia, & obtenta reciperent ad aliquem ordinum eorundem, prout in litteris prædecessoris super hoc confectis plenius continetur. Quia tamen Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini ordinum Fratres, plerunque professores eiusdem vestri ordinis, absque prædecessorum tuorum Priorum Generalium dicti vestri ordinis, vel tua, fili Prior Generalis, licentia ad eorumdem receperunt, inter vos, & eosdem Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum sancti Augustini Ordinum Fratres fuerint contentiones, & iurgia suscitata. Intendentes igitur vestræ, ipsorumque ordinum Fratrum prouidere quieti, paci consulere, ac huiusmodi contentionibus, & iurgiis obuiare, vestris in hac parte deuotis supplicationibus inclinati de Fratrum nostrorum consilio prouidimus inhibitionem innouare huiusmodi, & pœnarum adminiculis adiuuare. Authoritate igitur præsentium districtius inhibemus, ne deinceps dictorum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum sancti August. ordinum Fratres præfatum Ordinem vestrum professos, ad ordinem eorum, vel ordines recipiant, vel in eis retineant sine tuæ prædictæ, Prior Generalis, vel tuorum successorum Priorum Generalium vestri dicti ordinis, qui pro tempore fuerint, petita licentia, & obtenta, statuentes authoritate prædicta, quod receptio, & retentio huiusmodi eo ipso viribus non subsistant, & talis suscipiens, & retinens quolibet officio, vel administratione sui ordinis sit ipso facto priuatus; ac inhabilis ad quoduis officium, vel quamuis administrationem in huiusmodi suo ordine in posterum obtinendum, ac etiam obtinendam; quodque prælibati Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum sancti August. ordinum Fratres ad requisitionem tui præfate Prior, vel Prioris Prouincialis ipsius ordinis vestri illius Prouinciæ, in qua idem receptus tunc fuerit, vel Prioris loci dicti vestri ordinis, cuius quidem loci receptus conuentualis extiterat, seu illius, cui Prior Prouincialis, vel Prior huiusmodi loci præfati vestri ordinis id duxerit committendum, eundem sic receptum illi ex eis eum taliter requirenti sine difficultate aliqua restituere teneantur, illum sic restitutum ex tunc nullatenus recepturi. Non obstantibus, quibuscunque priuilegiis, litteris, & indulgentiis Apostolicis contrariis iisdem Prædicatorum Minorum, & Eremitarum sancti Augustini ordinum Fratrum, seu ipsis ordinibus, vel quibusuis aliis communiter, vel diuisim sub quacunque forma, vel expressione verborum concessis, seu quibuscunque constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus in contrarium editis, de quibus, quorunque totis tenoribus oporteret plenam, & expressam fieri in præsentibus mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, & statuti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auinioni octauo Idus Augusti, Pontificatus nostri an. sexto.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus ordinis glo- 21.
riosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apost. benedict. Prouisionis nostræ debet prouenire subsidio, vt ius suum cuilibet seruetur illæsum. Hinc est, quòd nos tenorem cuiusdam constitutionis fel. record. Benedicti Papæ XII. prædecessoris nostri in registro ipsius repertum, pro eo, quod sicut vestra petitio nobis nuper exhibita continebat, vos, & ordo vester beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli eadem constitutione indigere noscimini, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, & ad vestræ supplicationis instantiam præsentibus annotari fecimus, quæ talis est.

Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Regularem vitam professis, sic expedit subtrahi omnem inquietudinis, & turbationis materiam, quod in contemplationis suauitate quiescere valeant, & tranquillum Domino reddere famulatum. Cùm igitur ex eo, quod professores ordinum mendicantium ad monachorum nigrorum, & Cistercienſium ordines consueuerunt plerunque transire, multas in dictis ordinibus turbationes, infestationes, molestias, damna, & scandala prouenisse experientia doceat manifesta. Nos iis ex debito pastoralis officij pro futuro tempore occurrere cupientes, de consilio Fratrum nostrorum decernimus, ne quis cuiusuis ordi

Ordinis Mendicantium professor ad aliquem dictorum duorum ordinum quoquomodo transire valeat sine Romani Pontificis licentia speciali plenam,& expressam faciente de constitutione huiusmodi mentionem. Non obstantibus priuilegiis Apost.quibuscunque concessis in contrarium editis ordinibus Mendicantium,seu ipsorum Prælatis, aut aliquibus eorundem, quæ quoad hoc nullius ex nunc fore decernimus firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apost.eius se nouerit incursurum. Datum Auenioni quarto Nonas Iulij, Pontificatus nostri anno 1.

22. Cæterum vt eiusdem constitutionis tenor sic insertus omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, Apost.authoritate decernimus, vt illud idem robur, eandemque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quæ haberent originales litteræ dicti prædecessoris, si apparerent super eadem constitutione confectæ,& eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & vbicunque siue in iudicio, vel alibi, vbi fuerit exhibitus, vel ostensus, & eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis,& voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apost. eius se nouerit incursurum. Datum Lucæ 11.Kal.Sept.Pont.nostri anno 10.

23. Nicolaus Episcopus, seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Romanorum gesta Pontificum, illa præsertim per quæ religiosis euagandi materia præcluditur, recenseri conuenit, vt illa omnibus innotescant. Hinc est, quod nos tenorem constitutionis fel. record. Martini Papæ V.prædecessoris nostri per eum dudum editæ, & successiuè per piæ mem. Eugenium Papam IV. etiam prædecessorem nostrum innouatæ,& per nos postea confirmatæ, & in quinterno Cancel. Apost. de ipsius mandato descriptæ, ad dilecti filij Pauli de Sicilia Ordin. Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, & sacræ Theologiæ professoris eiusdem ordinis in Rom. Procuratoris generalis, de ipso tenore indigere asserentis supplicationis instantiam de quinterno ipso extrahi, & præsentibus, per quos illi plenam fidem adhibendam, ac in iudicio,& extraque vbicunque fuerit exhibitus, vel ostensus in omnibus, & per omnia standum fore decernimus, vt nationi cuilibet relinquatur, annotari fecimus, qui sequitur in hæc verba.

24. Martinus Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Viam ambitiosæ cupiditatis religiosis potissimè Mendicantibus præcludere cupientes, ad alios ordines præsertim monasticos, fucatis tamen coloribus asserentibus ad frugem melioris vitæ, aut arctioris obseruantiæ tam sancti Benedicti, quàm Cistercienfis, Camaldulensis, Vallis Vmbrosæ, Canonicorum regularium sancti Augustini, vel aliorum Monasticorum ordinum conuolare nitentibus, licentia à Sede Apostolica, seu legatis, aut nuntiis eiusdem sedis de transferendo se à Mendicantium ordinibus, ea ratione præsertim, vt verisimiliter, aut facti experientia docet, est putandum, quod liberius degant, dignitatesque & beneficia Monastica consequi valeant, vt ex certis aliis causis honestati non consonis obtinentibus, ac volentes conseruationi ordinum mendicantium etiam prouidere, authoritate Apost. ex certa scientia, tenore præsentium declaramus, ac decernimus, statuentes, quod de cætero nullus religiosus de ordinibus mendicantium quoruncunq; status, conditionis, vel religionis existat, quomodocunque, aut qualitercunque possit, vel debeat virtute cuiuscunque licentiæ, aut indulti Apostolici, seu pœnitentiariæ nostræ curam gerentis, aut alia quauis authoritate hactenus etiã per Bullas Apost. facultatem quorumuis tam legatorum, & nuntiorum Sedis Apost.necnon pœnitentiariæ huiusmodi pro tempore curam gerentis, quàm aliorum quoruncunque sub quauis potestate, vel authoritate, maxime de transferendis Fratribus, aut aliquibus præsertim ordinum mendicantium, professoribus in genere, vel in specie ab ordinibus huiusmodi mendicantium, ad monasticos sub quacunque verborum conceptione appareant admitti, aut recipi per aliquos etiam Superiores ordinis, vel monasterij, aut loci monastici, seu aliàs in monachum, vel fratrem alicuius ex ordinibus monasticis prædictis, vel aliis expressis,& non expressis (ordine Carthusiensi duntaxat excepto) sub pœna excommunicationis, in quam tam recipientes, quàm recepti ipso facto incurrant, & quam ex nunc prout ex tunc contra quemlibet transgressorem, quomodolibet in præmissis scientia, & authoritate præfatis proferimus in his scriptis, & à nemine nisi duntaxat à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) excommunicati huiusmodi absolutionis beneficium possint quomodolibet obtinere. Et nihilominus secus, vel aliter facta non teneant, aut nullius existant efficaciæ, roboris, vel momenti. Decernentes etiam,& volentes, quod si quis adhuc virtute cuiusuis licentiæ, vel indulti huiusmodi fuisset receptus ad aliquem ordinem monasticum, & habitum consuetum gestari per monachos talis ordinis suscepisset, siue professionem emiserit, siue non, sub dicta pœna teneatur in monasterio, in quo receptus fuit, etiamsi beneficia Ecclesiastica, seu rectorias Ecclesiarum, quarumuis obtineat stare in eius totali vocatione in huiusmodi ordine monastico, & Altissimo deseruire. Si quis autem prætextu huius licentiæ cum habitu, vel sine quomodolibet vagando incederet, monitione præuia teneatur,& debeat infra terminum quindecim dierum à die monitionis huiusmodi computandorum ad eius religionem,& ordinem, vnde cum licentia, vel sine recesserat, remeate, quod si efficere neglexerit, post ipsum terminum tanquam notorius Apostata,& excommunicatus in omnibus, & per omnia debeat per quemlibet reputari, & tractari, etiam per inuocationem auxilij brachij secularis quoties fuerit opportunum. In futurum autem nullus ex professoribus alicuius ex ordinibus mendicantium huiusmodi ad aliquem monasticum ordinem (Carthusiensi duntaxat excepto) possit aut debeat per quemcunque recipi, vel admitti virtute cuiusuis licentiæ, vel indulti absque Sedis eiusdem licentia speciali sub dictis pœnis, & nihilominus secus facta non teneant ipso iure, huiusmodi licentiis,& indultis, necnon constitutionibus Apostolicis, & mendicantium ordinum prædictorum, etiamsi de his specialis, & expressa mentio, ac de verbo ad verbum in nostris litteris habenda foret, & aliis contrariis non obstan

obstantibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum declarationis, decreti, statuti, prolationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Geben. Quarto Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno primo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo quarto, tertio Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno 8.

23. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis generali, & vniuersis Prioribus prouincialibus, ac Fratribus ordinis gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Quieti vestræ prouidere volentes authoritate præsentium districtius inhibemus, ne aliqui religiosi professores ordinis paris arctitudinis, vel minoris aliquem de Fratribus ordinis vestri professum præsumat recipere sine tua, fili Prior generalis speciali licentia, & consensu, & si forsan aliquem aliter receperint, illum vobis restituere teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Anagniæ Idibus Februarij, Pontificatus nostri anno quinto.

24. Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Priori generali, Fratribus ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Merita vestræ religionis, in qua virtutum Domino militatis, exposcunt, vt vos paterna beneuolentia prosequentes vestris fauorabiliter annuamus precibus, & necessitatibus consulamus. Sanè pro parte vestra nobis humiliter supplicatum est, vt cum plerunque contingat, quod locorum Ordinarij, seu diœcesani in locis, quæ iustè, & pacificè obtinetis, cœmeteria vestra benedicere, & consecrare indebitè contradicunt, prouidere vobis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, vt in quibuscunque locis, quæ nunc obtinetis, & in posterum iusto titulo, dante Domino, obtinebitis, si locorum ipsorum Ordinarij à vobis super hoc humiliter requisiti noluerint, aut recusauerint indebitè cœmeteria vestra benedicere, seu etiam consecrare, possitis huiusmodi cœmeteria per aliquem Antistitem gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentem, quoties opus fuerit facere benedici, & etiam consecrari, idemque Antistes huiusmodi cæmeteria authoritate nostra benedicere, & consecrare valeat, siue iuris præiudicio alieni, deuotioni vestræ tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auinioni 8. Idus Ianuarij, Pontificatus nostri an. 15.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Priori generali Ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Religionis tuæ sinceritas promeretur, vt te, & ordinem tuum Apostolicæ benignitatis gratia prosequentes, petitiones tuas quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, vt Fratres tui ordinis tui, seu Priorum suorum Prouincialium licentia à quocunque maluerint Catholico Archiepiscopo, vel Episcopo gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, omnes tam minores, quàm sacros ordines statutis à iure temporibus recipere valeant, tibi, & eisdem Prioribus præsentandi, & eisdem Fratribus recipiendi, dictoque Archiepiscopo, vel Episcopo conferendi dictos ordines, quacunque constitutione in contrarium edita non obstante, authoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis attentare hoc præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auinioni quinto Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno septimo.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis generali, aliisque prouincialibus Prioribus, ac vniuersis Fratribus Ordinis gloriosissimæ Dei genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Statum religionis vestræ tranquillum, & prosperum affectantes, ad ea libenter intendimus, ex quibus materia sub mola grauaminis, quietis, & pacis vobis commodum procuretur. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati authoritate Apostolica inhibemus, quemadmodum pro nonnullis religiosis de ordinibus Mendicantibus per Apostolicam Sedem inhibitum fore dignoscitur, ne aliqui religiosi de prædictis ordinibus Mendicantibus Ecclesias, seu quæuis loca de nouo ædificare, seu construere, aut per alios contracta, seu ædificata de nouo recipere, aut inhabitare iuxta loca vestri ordinis infra spatium centum quadraginta cannarum mensurandarum etiam per aera, vbi alias rectè non permitteret loci dispositio mensurari, quoquo modo præsumant. Decernentes, si secus autem fuerit, irritum, & inane. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum Datum in Prioratu de Gausello prope Malausanam Basionensis Diœcesis, Nonis Nouembris Pontificatus nostri anno quarto.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis generali, ac vniuersis prouincialibus Prioribus ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis, 25.
semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem. Pontificalis authoritas nos admonet, vt regularium excessus personarum, quæ cæteris castius, & honestius ex voto professionis viuere sunt astrictæ, eo diligentius puniamus, quo eorum culpæ remaneant damnabilius incorrectæ, & ab aliis trahuntur facilius in exemplum. Cùm itaq; sicut accepimus, nonnulli vestri ordinis professores suorũ status, & salutis imme

immemores excessus committere, ac regularibus dicti ordinis institutis, quæ iuxta eorum professiones efficaciter seruare promiserunt, obuiare, necnon domorum dicti ordinis, in quibus degunt, reformatione, & ad statum pristinum reductione per vos faciendæ non solum contradicere minimè vereantur, verum etiam pro sua rebellionis defensione parentes, amicos, & etiam laicales personas, ac dominos temporales adire, eosque ad suæ obstinationis, & tergiuersationis fauorem commouere, ipsorumque præsidia flagitare præsumunt, propter quæ, ac huiusmodi inordinatos fauores, quibus illi, & nonnulli alij eos minus debitè prosequuntur, ipsos punire, & emendare nequitis, ac domorum earundem, & in eis degentium personarum reformatio retardatur, ac excessus remanent incorrecti; nos quorum interest super iis de opportuno remedio prouidere, discretioni vestræ tenore præsentium committimus, & mandamus, quatenus iuxta concessam vobis à Domino gratiam, & officiorum vestrorum exigentiam omnes, & singulos dicti ordinis professores iuxta sanctorum Patrum, vestra regularia instituta in vita, & in moribus reformare, ac regulari disciplinæ subdere, & ad meliorem vitam reducere procuretis, ita quod per vestræ laudabilis diligentiæ studium in dicto vestro ordine regularis disciplinæ, & vitæ castimonia laudabiliter obseruetur, ac in eo deuotæ solicitudinis studio benedicatur Altissimus, & odor bonæ famæ personarum illius vtiliter diffundatur. Et ne (quod absit) peruersorum eorundem proteruitas, qui paterna, & proficua vestra, correctiones, & monita subire recusant, in suæ professionis transgressione damnabiliter perseueret, aut satore zizaniæ, & hoste humani generis procurante in deterius prolabatur, & eorum impunitas trahi possit ab aliis in exemplum. Vniuersos, & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & cæteros locorum ordinarios, necnon Duces, Marchiones, Comites, Varones, Senescallos, iudiciarios, potestates, capitaneos, cæterosque Dominos temporales, & eorum loca tenentes, vniuersitatesque, & communitates ciuitatum, terrarum, castrorum, & aliorum quoruncunque locorum rogamus, requirimus, & hortamur attentè; subditis verò nostris iniungimus, & mandamus, quatenus pro tam saluberrimi operis complemento vobis efficacis fauoris, & adiumenti præsidio, quoties opportunum fuerit, & pro vestri parte fuerint requisiti, assistant, & fauores præbeant opportunos, ita quod vos, & vestrum quilibet quoscunque incorrigibiles, dyscolos, & delinquentes ipsius vestri ordinis professores puniri, corrigere, & iuxta suam professionem vitam ducere, compellere valeatis. Cæterum vt optata ipsius ordinis, illiusque domorum, & personarum reformatio, absque alicuius impedimenti, aut obstaculi machinatione succedat, vniuersis, & singulis tam professoribus prædictis, quàm aliis quibuscunque Ecclesiasticis, & secularibus personis cuiuscunque dignitatis, gradus, status, ordinis, vel conditionis existant, districtius inhibemus, ne reformationi domorum, vel personarum ordinis antedicti quouis quæsito colore se opponere, aut illam impediri præsumant sub excommunicationis pœna, quàm si secus fecerint, eos, & eorum quemlibet incurrere volumus ipso facto, & à qua, donec à præmissis resipuerint cum effectu absolui nequeant, præterquam in mortis articulo constituti. Non obstante si aliquibus à Sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Mantuæ anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, nonis Decembris, Pontificatus nostri.

27 Paulus Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam, circa quorunlibet regularium ordinum professores, eo diligentiùs laboramus, quo fœcundius illorum religionum fructum videmus afferre salubriorum, eosque posse ex nostris institutis laudabilibus proficere iugiter incrementis. Sanè pro parte dilecti filij Ioannis Soreth Prioris generis ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd olim ne in ipso ordine scissuram aliquam pullulare contingeret, & vt Fratribus dicti ordinis sub arctiori obseruantia regulæ, etiam per felicis recordationis Eugenium Papam IV. prædecessorem nostrum mitigatæ Altissimo famulantibus, fauor debitus impenderetur, & vt quietius abiecto omni timore humano id efficere possent, & in vnitate fraternæ charitatis in præmissa obseruantia permanerent, in quibusdam generalibus, & prouincialibus in ipso ordine celebratis capitulis, promouente dicto generali, inter cætera statutum existit, vt Priores prouinciales, aut prouinciale Capitulum non possent pro libito eisdem præficere Priores, vel etiam amouere sine eorum consensu, sed quos elegissent, confirmare; Fratres etiam eorum, absque Prioris, & Fratrum assensu extraponere, siue alios præter eorum consensu ipsorum adiungere nequirent consortio; quod quidem statutum, & nonnulla tunc expressa per piæ memoriæ Callistum III. confirmata sunt, necnon per Pium II. Romanos Pontifices similiter prædecessores nostros etiam desuper adiunctum, ne quis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna reformationem conuentuum dicti ordinis impediret, aut se illi opponeret quouis quæsito colore, à qua quidem sententia absolutionem, nisi resipiscerent, Sedi Apostolicæ duntaxat, præterquam in mortis atticulo, reseruauit. Quarè pro parte dicti generalis nobis fuit humiliter supplicatum, vt statuto aliis præmissis pro eorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adiicere, ac aliàs super iis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui dicti ordinis statum prosperum, & tranquillum paterno zelamus affectu, huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum prædictum ratum habentes, & gratum illud prout in litteris Callisti, & Pij prædecessorum huiusmodi continetur, authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, ac plenum robur obtinere decernimus. Adiicientes nihilominus ad præmissa, quod nullus prouincialis Conuentus dicti ordinis reformatos possit per Vicarium visitare, nisi talem Conuentus ipse requirat, sed personaliter teneatur eos visitare cum socio, qui fuerit perseuerans in vita consimili. Item quod pro communibus expensis ordinis Conuentus hactenus reformati, aut etiam, qui in posterum reformabuntur, vltra summam consuetam, quam antea persoluebant, taxati, vel compelli non possint. Volentesque, & districtius iniungentes, quod omnis Prior tam in Conuentibus reformatis prædictis, quã de cætero reforman-

dis promittat tam confirmanti, quàm conuentui, in quo recipitur, fideliter obseruare, & obseruari facere regulam secundum ipsius Eugenij prædecessoris mitigationem, vt præmissum est. Si verò in hoc deses, seu negligens notabiliter repertus fuerit, Prior generalis, seu prouincialis teneatur eum absoluere, sub pœnis & censuris contra impedientes reformationem, vt supra dicitur, latis. Cæterum, vt prouinciales ad plantandam in dicti ordinis Conuentibus, suisque prouinciis, confouendamque regularem obseruantiam per amplius animentur, volumus, vt Conuentus, quos iam reformarunt, aut in posterum reformabunt, sub eorum obedientia seruatis præmissis conditionibus perseuerare debeant, nec Vicarius cuiuscunque hoc impedire præsumat. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, ac dicto ordine, & illius professionibus per Sedem Apostolicam sub quauis verborum forma concessis priuilegiis, indultis, & litteris Apostolicis, etiamsi de illis, & eorum totis tenoribus de verbo ad verbum specialis, & expressa mentio foret habenda, statutis quoque, & consuetudinibus dicti ordinis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, confirmationis, approbationis, constitutionis, adiectionis, voluntatis, & iniunctionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinto, postridie Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno secundo.

28. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis generali, & vniuersis Prioribus ordinum Fratrum gloriosissimæ, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Prouisionis nostræ cupimus prouenire subsidiis, vt religio vestra semper in melius Deo propitiante proficiat, & si quid obstare dignoscitur, solicitè corrigatur. Vobis itaque quos in diuini nominis amore vigiles delectat extirpare vitia, & plantare virtutes, vt apostatas, & insolentes ordinis vestri, nisi vestris salubribus monitis acquiescant, excommunicare, capere, ligare, & carceri tradere, si videbitur expedire, possitis, authoritate præsentium concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Anagniæ quinto decimo kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno 5.

29 Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, & prouincialibus Prioribus ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Religionis vestræ meretur honestas, vt vos sincera diligentes in Domino charitate petitionibus vestris, quantum cum Deo possumus, fauorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati authoritate vobis præsentium indulgemus, vt tu Prior generalis, & qui successerit tibi vbique, ac vos Priores prouinciales, & alij, qui pro tempore fuerint in suis prouinciis, in Ecclesiis, ac domibus vestri ordinis cum libero ingressu, & exitu visitationis, & correctionis officium exercere, mutare Fratres, & recipere nouitios liberè valeatis alicuius contradictione irrationabili non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani decimo octauo Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno secundo.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Di- 30.
lectis filiis Priori generali, & Fratribus ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Qui ex Apostoli cura tenemur officij circa religionis augmentum prompti, & vigiles inueniri, super his vestris votis libenter annuimus, in quibus honorem vestri ordinis, & animarum profectum contineri sentimus. Lecta siquidem coram nobis vestra petitio continebat, quod in regula vestri ordinis per Sedem Apostolicam confirmata dignoscitur esse statutum, vt Fratres ipsius ordinis vnum ex eis Priorem habeant, qui ex vnanimi omnium assensu, vel eorum maioris, & sanioris partis ad Prioratus officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate obseruare, cum castitate, & abdicatione proprietatis; ac etiam secundum constitutiones eiusdem ordinis Prior ipsius, qui pro tempore fuerit, à Prioratus officio absolui & amoueri potest à Diffinitoribus Capituli generalis. Et licet tu fili Prior, & prædecessores tui iuxta eiusdem ordinis consuetudinem obseruatam hactenus, & à Sede toleratam eadem statim, postquam electi secundum statutum huiusmodi extitistis, curam gesseritis Fratrum ordinis memorati, officium, Prioratus plenè, & liberè in omnibus exercentes, iidemque Fratres vobis deuotè, atque humiliter obedierint, intenderintque reuerenter. Quia tamen de præmissis dubitationis scrupulus in vestris, & plurimis dictorum Fratrum conscientiis est exortus, humiliter petistis vobis super hoc de prouidentia Sedis Apostolicæ subueniri. Nos itaque volentes omnis ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, & ordinem ipsum à Sede approbatum eadem, honestate floridum, & virtute fœcundum, priuilegio Apostolicæ gratiæ attollere speciali, ac vestris supplicationibus inclinati, quidquid super præmissis per te Prior, vestrosque prædecessores Fratres, & Diffinitores factum, & obseruatum est hactenus ratum habentes, & firmum, vobis authoritate præsentium indulgemus, vt successores tui, Prior, qui erunt pro tempore statim postquam electi fuerint secundum regulam, & constitutiones ordinis vestri eo ipso veri eiusdem ordinis effecti Priores curam animarum Fratrum ipsius ordinis plene habeant, & liberè gerant, ipsosque Fratres authoritate propria ligare, & soluere valeant, necnon in eodem ordine agere, quæ ipsi, & præfati Diffinitores, iuxta memoratam regulam, & constitutiones secundum Deum eisdem ordini, & Fratribus viderint expedire, aliasque Prioratus officium licitè in omnibus exercere, iidemque Fratres tibi, Prior, ac successoribus ipsis deuotè, ac humiliter obediant, & intendant, & præfati successores, & tu Prior à Diffinitoribus Capituli generalis ipsius Ordinis secundum constitutiones iam

dicti

dicti ordinis absolui, & amoueri possitis, concessa tibi, Prior, tuisque successoribus ante absolutionem, & amotionem huiusmodi exequendi Prioratus officium, quoad præmissa omnia, & alia nihilominus libera facultate. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lateran. sexto Kal. Martij Pontif. nostri anno secundo.

31. Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Priori Generali ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Solicitudo pastoralis officij nobis licet immeritis superna dispositione commissi continua nos perurget instantia, vt religiosorum excessus, quos antiquus hostis eo solicitius suscitat, quo eorum vitæ meritoriæ ardentius æmulatur, tanto amplius detestantes, quanto ex illis maiora scandala in membris fidelium generantur, reprimere, & castigatione debita coercere curemus. Nuper siquidem pro parte tua nobis fuit expositum, quod licet tu prout ex debitò tibi commissi Generalatus tenoris officij solicitè cures ordinem iuxta sanctorum Patrum, & ipsius regularia instituta moribus honestatis ornare illiusque professores vitæ subdere regulari, quia tamen in multis ipsius ordinis domibus reperiri contingit nonnullos ex dictis professoribus huiusmodi bono, laudabilique proposito calcitrare, & rebelli animo contraire, tu, pro commissis per eos excessibus, & delictis præmissis eos castigatione debita cohibere, & ad frugem melioris vitæ reuocare non potes, quo fit vt tam ipsi quam nonnulli alij dicti ordinis Fratres dyscoli, atque proterui salutaria suorum superiorum correctiones, & castigamenta, videlicet ieiuniorum in pane, & aqua, disciplinarum, incarcerationes, & cætera huiusmodi aut contemnant, aut subite recusent, indeque ad iniurias, aut minas, & verbera quandoque prorumpant, interdum vero in apostasia audacius prolabantur. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, vt super his de opportuno remedio prouidere paterna diligentia curaremus. Nos igitur attendentes quod si ad reprimendum insolentias transgressorum, & eorum præsumptiones temerarias superiorum disciplina lentescat, eorum voluntas fit procliuior ad peccandum, & impunitatis exemplum periculosius in alios deriuatur, volentes temerariis ausibus talium delinquentium opportunis remediis obuiare, quod tu, tuique successores, & quos tu, & ipsi idoneos senseritis, & discretos prouinciales Priores, omnes, & singulos apostatas, criminosos, incorrigibiles, aut delinquentes præfatos, qui tuam, & superiorum suorum satagunt emendationem, & correctionem effugere, & quos præmissis impedimentis causantibus tu, aut alij eorum superiores prædicti iuxta ipsius ordinis statuta, & consuetudines commodè punire nequibitis non solum in eisdem statutis contentis, sed si eorum demerita, & excessus id exegerint, arctioribus pœnis tam per vos quàm locorum ordinarios, eorumque vicarios, & eorum officiales, siue alios ministros capi, & carceris custodiæ mancipare, torquere, & torqueri facere, & punire possitis; ita tamen quod si eorundem Fratrum excessus adeo graues fuerint, & enormes, quod illorum occasione quæstionibus subdi debeant, vel tormentis, circa tamen vltimi supplicij, mutilationisque membrorum pœnas quæstionibus huiusmodi subiici nequeant, vel torqueri, nisi cum duobus ex tribus antiquioribus dicti ordinis ad hoc super superiores suos deputatorum præsentia, & assensu. Quocirca vniuersos, & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, locorum ordinarios, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Senescallos, iudiciarios, potestates, Capitaneos, Baliuos, cæterosque Dominos temporales, & eorum loca tenentes, vniuersitatesque, & communitates ciuitatum, terrarum, castrorum, & aliorum quoruncunque locorum rogamus, requirimus, & hortamur attentè, quatenus tibi, & dictis successoribus, necnon prouincialibus Prioribus præfatis efficaci præsidio assistentes, vt tu, & successores, ac prouinciales, Priores prædicti apostatas, dyscolos, & delinquentes Fratres huiusmodi corrigere, & iuxta ipsorum exigentiam delictorum eos paterna castigatione punire valeatis, pro Regis æterni, & Sedis Apostolicæ reuerentia vobis auxilium, consilium, & fauorem opportuno impendant, necnon ad requisitionem vestram vobis familiam præbeant opportunam, ita quod apostatas, dyscolos, & delinquentes prædictos ad rectitudinis viam reducere valeatis, ipsorumque saluti prospicere. Etsi quando opus fuerit illos ad eandem requisitionem capi, detineri, torqueri, & puniri facere, vt præfertur, non postponant. Quibus omnibus, & singulis præmissis ad requisitionem vestram huiusmodi duntaxat faciendi, ac exequendi, absque alicuius sententiæ censura, vel pœna incursu, tenore præsentium litterarum concedimus, & etiam facultatem, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus prædictis, etiam confirmatione Apostolica, vel quacunque alia firmitate vallatis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Mantuæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo, Nonis Decembris Pontificatus nostri anno secundo.

Callistus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ad Romanum Pontificem 32.
non dubium pertinere dignoscitur, quemcunque errantem ad rectam viam reducere, & præsertim illis, qui colla sua in alterius arbitrio submiserunt, cum in auaritiæ abyssum dilabi incipiunt, ne religionis obseruantiæ laxatis habenis, in tenebras ruant exteriores, totius viribus resistere, & vt saltem formidine pœnæ illos retrahat ab inceptis, statuit, & decernit prout melius, ac salubrius in Domino conspexit expedire. Cùm itaque, sicut accepimus, nonnulli ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli professores votis per eos emissis contrauenire non erubescentes per diuersas Prouincias, & nationes, vt extra domos, & religionem huiusmodi commodius vagari valeant, nonnulla beneficia Eccles. tam secularia, quàm regularia viis exquisitis, & diuersorum indult. siue dispensationū Apost. obtentu, tam in titulum, quàm in cōmendam sibi conferri, & aliàs concedi obtinuerunt, & nihilominus in officiis, & administrationibus dicti ordinis in Generalibus, & Prouincialibus

capitulis, cùm opulentiores,& ditiores contra eorum ſubſtantiale votum ſint, volunt, & cupiunt præeſſe, & aliis, qui ſub regulari obſeruantia in domibus dicti ordinis deſeruiunt, fræna imponere. Nos igitur attendentes, quod quis ponens manum ad aratrum, & proſpiciens retro regnum cælorum non adipiſcitur, ac conſiderantes, quod qui in ſe regularem diſciplinam, quàm ſuſcipere pollicitus eſt, non recipit, alios ad illam reducere nequit, volentes quoque ordinis, & profeſſorum huiuſmodi indemnitatibus prouidere, hac irrefragabili conſtitutione valitura conſtituimus, ſtatuimus, ac etiam ordinamus, quod nullus dictorum profeſſorum beneficia ſæcularia, ſeu etiam regularia, ex noſtra, vel prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, aut Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum conceſſione, vel indulto, aut alias, quouis modo in titulum, vel commendam pro tempore obtinentium, aut qui futuris temporibus quælibet obtinebunt, etiamſi illa ſimpliciter, vel alio quouis modo dimiſerint in prædictis capitulis generalibus, vel prouincialibus, aut congregationibus, ſeu negotiis, officiis, vel aliis adminiſtrationibus dicti ordinis (niſi generalis pro tempore conſenſu interueniente) quomodolibet admittantur, ſub excommunicationis pœna, quàm admiſſi, & admittentes, prout in his ſcriptis ferimus, incurrant ipſo facto. Et ſi dicti beneficiati vltro admitti quouis quæſito colore contra voluntatem Generalis prædicti procurauerint, ſimili modo irregularitatis, & inhabilitatis maculas incurrant, beneficiiſque per eos obtentis ipſo facto priuati exiſtant, & aliis perſonis idoneis per illos, ad quos ipſorum collatio pertinere dignoſcitur, conferantur, dictaque beneficia, ſeu officia ambientes, vel procurantes perpetuo inhabiles, & ineligibiles, abſque alicuius regreſſus ſpe maneant & pro talibus perpetuo habeantur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon priuilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis, quibuſcunque ſpecialiter, vel generaliter conceſſis, & in futurum concedendis, etiamſi de præſentibus expreſſam fecerint mentionem,& his expreſſe fuerit derogatum; ac etiam de dictis conceſſis, & concedendis litteris, earumque totis tenoribus ſpecialis mentio ſit habenda, & quibus præſentium tenore derogamus, & derogatum eſſe volumus, etiamſi in illis expreſſe caueatur, quod eis nequeat quoquo modo derogari, necnon dicti ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquã quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum conſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto, Idibus Martij, Pontificatus noſtri anno primo.

33. Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cum nulla fidelium conuentio ſub aliquo religionis colore, abſque Summi Pontificis poteſtate fieri valeat, ne conuentus religioſarum virginum, viduarum, biguinorum, mantellatarum, aut aliquæ particulares ex his ſub habitu, & protectione ordinis glorioſiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli degentium, aut quæ in poſterum offerentur, abſque Apoſtolicæ authoritatis munimine viuere videantur, harum tenore decernimus, vt ordo præfatus, ac eiuſdem ordinis Magiſter Generalis, & Priores prouinciales circa præfatarum receptionem, vitæ modum, admiſſionem, & protectionem illis eiſdem, & prorſus ſimilibus priuilegiis gaudeant, quibus ordines Prædicatorum, & Eremitarum ſancti Auguſtini gaudent, & vtuntur, dummodo virgines, viduæ, biguinæ, & mantellatæ prædictæ continenter, & honeſtè viuant, ieiunentque, ac alia omnia faciant, & obſeruent, quæ virgines, viduæ, biguinæ, & mantellatæ ordinum Prædicatorum continenter, & honeſtè viuentes ſecundum earum ordinationes, & ſtatuta faciunt, & obſeruant. Nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, Nonis Octobris, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad 34.
futuram rei memoriam. Ex clementi prouiſione Sedis Apoſtolicæ, necnon religioſarum perſonarum, & præſertim ſub regulari obſeruantia Altiſſimo famulantium ſtudio præ vitæ deuotionis, & meritis dignoſcitur prouenire, vt Romanus Pontifex quandoque prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum geſta corroboret, & indulta confirmet. Sanè pro parte dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim felicis recordationis Martino Papæ V. Prædeceſſori noſtro expoſito, qualiter quondam Bonifacius in ſua tunc obedientia IX. nuncupatus, pro propagatione, & augmento ordinis dicti quaſdam ſuas litteras Apoſtolicas nonnullas conceſſiones, ordinationes, ſtatuta, immunitates, & gratias continentes ſuper receptione quarundam mulierum ad hoc idonearum, quæ habitum regularem prædicti ordinis ad inſtar mantellatarum, ſeu Pinzocherarum Fratrum Minorum, & Prædicatorum ordinum recipere vellent, & geſtare indulſerat, ac demum eidem prædeceſſore ſupplicato, vt præfatas conceſſiones, & indulta de ſpeciali gratia confirmare authoritate Apoſtolica dignaretur, præfatus prædeceſſor huiuſmodi ſupplicationibus inclinatus, venerabili Fratri noſtro Ioanni Epiſcopo Briocenſi tunc in Romana curia reſidenti, eius proprio nomine non expreſſo, per ſuas certi tenoris litteras mandauit, vt ſe ſuper eiſdem expoſitis informaret, etſi conceſſa, & indulta prouidè facta fuiſſe reperiret, ea authoritate Apoſtolica confirmaret, prout in eiſdem prædeceſſoris litteris, in quibus de verbo ad verbum litteræ præfati Bonifacij inſertæ ſunt, plenius continetur. Idemque Epiſcopus ad huiuſmodi prædeceſſoris litterarum executionem procedens poſt habitã ſuper indulto huiuſmodi plenariam informationem, & fidelem, conceſſiones, & indulta præfata authoritate Apoſt. confirmauit, prout in inſtrumẽto deſuper cõfecto, & ipſius Epiſcopi ſigillo munito, cuius tenorem haberi volumus præſentibus pro expreſ-

ſis

ſis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris,& Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt litteras prædictas,& proceſſus deſuper confectos, ac contenta in eis pro eorum ſubſtantia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque qui Religionis, & Ordinis huiuſmodi proſperum incrementum, quantum cum Deo poſſumus honorabiliter procuramus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati litteras, & proceſſus huiuſmodi,& omnia inde ſecuta, provt prouidè facta ſunt, authoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem verò litterarum Prædeceſſoris, cum intentione præfata præſentibus de verbo ad verbum inſeri fecimus,& eſt talis.

Martinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabili Fratri Guillielmo Epiſcopo Briocenſi in Romana Curia reſidenti, ſalutem,& Apoſtolicam bendictionem. Dum fructus vberes, quos ſacer Ordo dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini in agro Eccleſiæ militantis in propagatione Religionis, & fidei orthodoxæ hactenus produxit vtiliter, & producit, atque in poſterum productorum ſpe firma ſperamus, diligenter attendimus, dignum cenſemus,& congrum, vt circa ea, quæ ipſius Ordinis incrementum concernere poterunt, benigus fauoribus intendamus. Exhibitæ ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris Generalis eiuſdem Ordinis, & Fratrum prædictorum petitio continebat, quod dudum quondam Bonifacius in ipſius obedientia IX. nuncupatus præmiſſa prouida conſideratione recenſens quoſdam litteras Apoſtolicas nonnulla ſtatuta, conceſſiones, & ordinationes, & alias immunitates, & gratias continentes eis conceſſit, provt in ipſis litteris, quarum tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte Priorum, & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt litteras prædictas, & contraria in eis pro ipſorum ſubſiſtentia firmiori, authoritate Apoſtolica confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac de præmiſſis certam notitiam non habentes, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus,& mandamus, quatenus de litteris, & contentis in eis huiuſmodi authoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per eamdem informationem ea peouidè ſtatuta, & ordinata, ac conceſſa repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, litteras, & contenta huiuſmodi authoritate præfata approbes, & confirmes. Tenor autem dictarum litterarum talis eſt.

Bonifacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In ſinu Sedis Apoſtolicæ ſacer Ordo Fratrum Eremit. S. Auguſt. conſiſtens ſic ſpondet per incrementa virtutum, quod dignè meretur præcipuis attolli fauoribus, ac ſpiritualibus gratiis confoueri,& nos equidem Ordinem ipſum libenter proſequimur prærogatiua fauoris, & augmenta ſuorum ſucceſſuum, in iis præſertim, quæ diuini cultus augmentum, & Sacri Ordinis propagationem reſpiciunt, paternis affectibus promouemus. Hinc eſt quod nos dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum dicti Ordinis precibus annuentes, ac cupientes, vt Ordo prædictus eo proficiat felicioribus incrementis, quo maioribus fuerit gratiis à Sede Apoſt. communitus authoritate Apoſt. præſentium tenore ſtatuimus, concedimus, volumus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, tam Generali, quam cuilibet officiali Prioribus dicti Ordinis ſecundum morem,& ſtatuta eiuſdem Ordinis, in quibuſcunque prouinciis conſtitutis tam præſentibus, quam futuris ſit licitum, ac permiſſum, quaſcunque mulieres, ſi aliàs ſint idoneæ,& aliud canonicum non obſiſtat, quæ habitum Regularem prædicti Ordinis ad inſtar mantellatarum, ſeu Pinzocherarum Ordinum Fratrum Minorum, & Prædicatorum habere, & geſtare voluerint tam virgines, & matronas, quam viduas, & mantellatas, ſeu Pinzocheras dicti Ordinis Eremitarum recipere, & admittere, ac earum ſingulis habitum Regularem, ac regulam eiuſdem Ordinis Eremitarum, ad inſtar huiuſmodi mantellatarum, ſeu Pinzocherarum Ordinum Fratrum Minorum, & Prædicatorum præfatorum, provt ſecundum Deum ſaluti animarum earundem ſalubrius viſum fuerit expedire, etiam exhibere: quæ ſic recipiendæ authoritate præfata gaudeant, & gaudere poſſint, & debeant, iam exemptionis priuilegio, quam omnibus immunitatibus, libertatibus, indulgentiis, ac aliis priuilegiis quibuſcumque præfato Ordini Eramitarum, eiuſque Fratribus, ac perſonis per Sedem Apoſtolicam iam conceſſis, & quæ in poſterum concedentur: quatenus huiuſmodi exemptionis priuilegium, immunitates, libertates, indulgentiæ, ac quæcumque alia priuilegia ipſis Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum competunt, vel cômpetere poſſint, ſeu poterunt, & Priores, & Fratres, ac loca ipſa eſſe capacia eorumdem. Volentes inſuper, & authoritate prædicta decernentes, quod exemptionis præfatæ priuilegium, immunitates, & alia ſupradicta etiam ad iam per ipſos,& Fratres Ordinis Eremitarum receptas, & mantellatas, ſeu Pinzocheras huiuſmodi plenario ſe extendant, ipſæque illis gaudere poſſint, & debeant, provt de recipiendis Mantellatis, & Pinzocheris huiuſmodi ſæpius eſt expreſſum. Conſtitutionibus Apoſtolicis, & ſtatutis, & conſuetudinibus tam veſtri, quam aliorum Ordinum quorumcumque, & aliis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, decreti, ſtatuti, voluntatis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſt. eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſeptimo Idus Nouembris, Pontif. noſtri anno vndecimo. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos quarto Idus Iulij Pont. noſtri anno nono. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis,& communicationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Florentiæ an. Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quarto, tertio decimo Kal. Auguſt. Pont. noſtri anno quarto.

Innocentius Epiſcopus ſeruum ſeruorum Dei. 35.
Dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Glorioſiſſimæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Deuotionis veſtræ precibus inclinati, authoritate vobis præſentium indulgemus, ne de cauſis aliquibus de cætero vobis à Sede

Apostolica committendis inuiti cognoscere teneamini, nisi litteræ huiusmodi plenam de hac indulgentia fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Lugduni tertio Idus Iulij Pont. nostri anno 4.

36. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, ac cœteris Prioribus, & Fratribus Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, Salutem, & Apostolicam benedictionem, Deuotionis augumentum Deo propitio vobis prouenire confidimus, si semper iis, quæ pie cupitis, nos benignos ad gratiam habeatis. Hinc est quod nos humilitatis vestræ precibus inclinati, authoritate præsentium vobis indulgemus, vt in locis, & Oratoriis vestris, quæ ex concessione Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, aut Diœcesanorum locorum pacificè obtinetis, cum altari viatico possitis Missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare, omni parochiali iure parochialib. Ecclesiis reseruato. Et ne de iure huiusmodi possit aliqua quæstio suboriri, illud circa oblationes, decimas, & primitias intelligimus, quæ à Laicis solent clericis exhiberi, quibus defraudari nolumus parochiales Ecclesias occasione indulgentiæ supradictæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Petusij quarto nonas Iunij Pontif. nostri an. primo.

37. Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Deuotionis vestræ, qua Deum, nos, & Romanam Ecclesiam reueremini, sinceritas promeretur, vt petitionibus vestris, quantum cum Deo possumus, fauorabiliter annuamus. Hinc est quod nos vestris deuotis supplicationibus inclinati, vt vbicumque in locis tamen ad hoc congruentibus, & honestis, extra loca, & Oratoria vestra, coram Prælatis, Principibus, & Magnatibus, cum super hoc per eos, vel pro parte ipsorum fueritis requisiti, super altari portarili Missas, & alia diuina officia celebrare, absque tamen iuris parochialium Ecclesiarum præiudicio valeatis, quibuscumque constitutionus Apostolicis, & statutis, ac consuetudinibus vestri Ordinis, & aliis contrariis, nequaquam obstantibus, vobis tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auinioni tertio decimo Kal. Martij Pontif. nostri an. primo.

38. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, in quorum Diœcesibus Priores, & Fratres Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, consistunt, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum Prælatos Ecclesiarum, & plantare Sacram Religionem, & plantatam deceat modis omnibus confouere, authoritate præsentium districtius inhibemus, vt aliquis vestrum à dilectis filiis Prioribus, & Fratribus Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, qui consistunt in vestris Diœcesibus, vel consistent, obedientiam contra tenorem priuilegiorum, & indulgentiarum Apostolicæ Sedis exigere, vel accipere non præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani decimo octauo Kal. Feb. Pontif nostri anno 2.

Nicolaus Episcopus seruus seruorũ Dei. Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & 39.
Episcopis in quorum ciuitatibus, & Diœcesibus Fratres Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis M. de Monte Carmeli consistunt, salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram peruenit, quod licet dilecti filij Fratres Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, in omni patientia, & humilitatis spiritu se vobis deuotos, & placidos studeant exhibere, mandatis vestris in omnibus, quæ statutis eiusdem Ordinis non obuiant, prompta deuotione parendo, nihilque velint facere, per quod Ecclesiis, in quarum morantur parochiis, aliquod præiudicium, vel dispendium generetur: nihilominus, quidam vestrum Fratres eosdem nimium comprimentes ipsos in Oratoriis sui Ordinis in eorum ciuitatibus, vel Diœcesibus constitutis, diuina officia celebrare pro suæ voluntatis arbitrio non permittunt, alias graues existenres eisdem plurimum, & infesti; propter quod duxerunt ad Apostolicæ Sedis auxilium recurrendum; Cum igitur indignum existat, vt iidem Fratres eos molestos sentiant, qui ipsos suæ Religionis obtentu tenentur in visceribus gerere charitatis, non circa Religionis augmentum, & animarum profectum vigiles inueniri volentes, Fraternirati vestræ ad instar felicis record. Alexandri, & Clementis IV. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum per Apostolica scripta firmiter præcipientes quatenus quamdiu prædicti Fratres mandatis vestris, iuxta præmissum modum deuotè obedire curauerint, ab ipsorum molestiis, & grauaminibus desistentes, ac subditos vestros ab ipsorum inquietatione penitus compescentes, permittatis ipsos, maximè cum iam oratoria, & collegia habeant in ciuitatibus, & Diœcesibus vestris, prout decet viros Religiosos approbati Ordinis, diuina officia in eisdem Oratoriis liberè celebrare, ita vt Fratres prædicti propter hoc ad nos recurrere vlterius non cogantur. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem quinto Kal. Maij Pontificatus nostri an. tertio.

Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei. Di- 40.
lectis filiis Prioribus Prouincialibus Fratrum Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Religionis vestræ promeretur honestas, vt petitionibus vestris præsertim animarum salutem concernentibus fauorabiliter annuamus. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod plures Fratres vestri

vestri Ordinis in Theologica facultate instructi desiderant Christi fidelibus proponere verbum Dei. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati tenore præsentium vobis authoritatem concedimus, vt illis ex prædictis Fratribus, quos ad hoc idoneos esse cognoueritis proponendum Christi fidelibus prædictis verbum Dei, de Diœcesanorum tamen assensu, licentiam valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu remerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Anagniæ decimo Kal. August. Pont. nostri anno primo.

41. Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Prioribus, & Fratribus Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Meritis vestræ Religionis inducimur, vt vos prosequamur gratia, quæ vestris necessitatibus esse dignoscitur opportuna. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus annuentes, vt de vsuris, rapinis, & alias malè adquisitis, si quibus harum restitutio fieri debeat omnino inueniri, & sciri non possint, necnon de quibuscumque legatis indistinctè ad pios vsus relictis, dummodo executorum testamentorum ad id accedat assensus, ac redemptionis votorum, quæ fuerint authoritate Diœcesanorum Pontificum commutata (Hierosolymitano dumtaxat voto excepto) vsque ad summam centum marcharum argenti recipere valeatis, authoritate vobis præsentium duximus concedendum, si pro similium receptione alias non sitis à Sede Apostolica huiusmodi gratiam consecuti. Ita quod si aliquid de ipsis centum marchis dimiseritis, vel restitueritis, aut dederitis illis, à quibus eos receperitis, huiusmodi dimissum, vel restitutum, siue datum nihil ad deliberationem prosit eorum, nec quantum ad illud habeantur aliquatenus absoluti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Viterbij sexto decimo Kal. Octob. Pontificatus nostri anno primo.

42. Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Priori Generali Fratrum Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Exigentibus Sacræ tui Ordinis Religionis meritis dignum duximus, vt tuis petitionibus, maximè, quæ salutem continent animarum, fauore beneuolo annuamus, tuis itaque precibus inclinati, vt eos ex Fratribus tuis, qui pro iniectione manuum in se ipsos excommunicationis laqueum ante, vel post susceptum habitum incurrerunt; necnon & illos, qui sæculi vanitate relicta cupientes vestræ humilitatis collegio aggregari se asseruerint excommunicatione ligatos, ne ipsorum ad Deum possit conuersio impediri, per te, & alios absoluere valeas, & cum illis, qui irregularitatis contraxerunt maculam dispensare plenam tibi, & eis, quibus super hoc vices tuas commiseris, concedimus authoritate præsentium facultatem, nisi adeo graues, & enormes fuerint excessus, qui merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi. Ita tamen, quod si ipsi Ordinem vestrum exiuerint, vel dimiserint, eo ipso prædicti sententiis sint astricti, & huiusmodi dispensatio nullius penitus sit momenti, & si aliqui ex eis propter debitum, seu alias pro iure alterius fuerint sententiis prædictis ligati, super his satisfaciant, vt tenentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Montem Fiasconem quinto kal. Pontif. nostri anno primo.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Priori Generali, & vniuersis Prioribus, & Fratribus Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ex Apostolici cura tenemur officij circa Religionis augmentum attenti, & vigiles inueniri, super iis dignè vestris votis annuimus, in quibus honorem vestri Ordinis, & animarum profectum contineri sentimus. Hinc est, quod nos vestræ precibus deuotionis inducti, vt volentes vestro aggregari collegio, & professionem facientes in Ordine vestro, qui suspensioni, aut interdicti, vel excommunicationis sententiis sunt ligati, vos filij Priores absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ impartiri, & ipsos in Fratres recipere valeatis, authoritate præsentium indulgemus. Ita tamen, quod si aliqui propter delictum ex eiusdem, vel quocumque modo alterius iure sententiis huiusmodi sunt astricti, super his satisfaciant, vt tenentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Laterani tertio kal. Aprilis Pont. nostri anno septimo. 43.

Cum autem, sicut dilecti filij Christophori Martignoni Generalis Magistri dicti Ordinis relatione intelleximus, nosque etiam experientia didicimus in minoribus constituti, circa litteras, & priuilegia huiusmodi, eorumque vim, & efficaciam, nonnulla dubia sunt exorta, attendentes vberes fructus, quos dictus Ordo, vt prædiximus multa refulgens gloria meritorum, & gratia redolens sanctitatis in agro militantis Ecclesiæ in propagatione Religionis, & fidei Orthodoxæ hactenus produxit vtiliter, & producit, ac in futurum producturum spe firma tenemus, ac illius statum prosperum, & tranquillum palmites suos à mari, vsque ad mare; & etiam ad barbaras extendendo nationes, propter illius antiquitatem, in Monte Carmelo primariam fundationem, intensis zelantes affectibus, ac cupientes, vt litteræ, & priuilegia prædicta, sublatis quibuslibet dubitationibus, inuiolabiliter obseruentur, prædictorum quoque, & aliorum diuersorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, qui Ordinem prædictum variis priuilegiis non immerito decorauerunt, inhærentes vestigiis, Motu proprio, non ad eorum Christophori Generalis, aut dicti Ordinis Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli professorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petionis instantiam, sed de nostra mera voluntate, & deliberatione, & ex certa nostra scientia prædictas litteras Nicolai IV. Bonifacij VIII. 44.

Clem. IV.

Clem.IV.Innoc.IV.Ioan.XXII Alexand.IV. Greg. XI. Clem.VI.Eugenij IV.Pij II Vrbani IV.Callisti III. Nicolai V. Benedicti XIII. Innoc. IV. Vrbani VI. Clem. V. Pauli. II. & aliorum plurimorum Romanorum Pontificum prædecessorum litteras, etiam indulgentiarum, & aliarum quarumlibet
44. gratiarum spiritualium,& temporalium dicto Ordini Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, & illius domibus, aut Fratribus in genere, vel in specie, quomodolibet concessas, quas ac si de verbo ad verbum, vna cum litteris prædictorum Pontificum insertæ forent præsentibus haberi volumus pro expressis, ac omnia & singula in eis contenta, authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & innouamus, & de nouo concedimus, ac robur perpetuę firmitatis obtinere, debere decernimus. Supplẽtes ex certa scientia,& proprio motu
45. omnes defectus, si qui quoquo modo interuenerint in eisdem, proque potiori cautela omnia,& singula per Nicolaum IV. Bonifacium VIII. Clem. IV. & Nicolaum V. aliosque prædecessores prædictos in eisdem litteris pro & in fauorem dicti Ordinis Carmelitarum, & illius domorum, & personarum, & etiam Oblatarum, Commissarum, & Mantellatarum, ac aliarum, vtriusque sexus, quomodolibet etiam confratrum, & sororum Ecclesias, ac domos huiusmodi visitantium, ac illis pias eleemosynas erogantium, quomodolibet ordinata, statuta, decreta, concessa, & indulta, vim, & vigorem, & efficaciam haberi, & fieri obseruari debere motu, scientia, & authoritate prædictis de nouo ordinamus, & statuimus, atque decernimus, dictoque Ordini, & illius domibus, & professoribus concedimus, & indulgemus. Et quia, sicut accepimus, nosque ipsi in minoribus constituti experientia didicimus, circa litteras, & priuilegia huiusmodi nonnulla dubia postmodum sunt exorta, habita super illis consideratione decenti, motu, auctoritate, & scientia similibus, primo litteras
46. Innocentij IV. Clementis IV. & Innoc. VI. & Alexandri IV. per quas dicti Ordinis Beatæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli professoribus conceditur, quod ad solutionem collectarum, seu exactionem quarumlibet, vel vigesimæ cogi à nemine valeant, & in præfatis Clementis IV. & Alexandri IV. Romanorum Pontificum præfatorum, etiam prædecessorum nostrorum, litteris prædictis in ea parte, in qua concedunt dictis Fratribus de noualibus eorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colunt, ac de hortis, virgultis, & piscationibus eorum nullus ab eis decimas exigere præsumat, ad quæcunque bona dictorum Fratrum, & quæcunque onera, quæ etiam sub censuris alterius quotæ, vel subsidij etiam charitatiui, aut datij, vel pedagij, vel gabellæ, seu alio quouis nomine indicerentur, etiam per Apostolicæ Sedis Legatos, locorum Ordinarios, vel clerum, aut populum, sæculares principes, & dominos temporales, & alios quoscumque exigerentur, quauis etiam Apostolica authoritate, necnon ad quascumque decimas, etiam quas vulgus Papales appellat, & Apostolica Sedes pro Christianæ fidei defensione, aut aliis imminentibus ei persæpe necessitatibus indicit, extendimus, ac decernimus dicti Ordinis professores, etiamsi decimæ, & onera huiusmodi per quoscumque exemptos etiã Mendicantium Ordinum professores solui mandarentur, cum quibusdam etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, & insolitis clausulis, ad decimarum, & onerum huiusmodi solutionem non teneri, & in eorum solutione cessando censuras, & pœnas aliquando non incurrere, nisi præsentibus non per generales, aut alias clausulas specialem mentionem importantes, sed alias sit derogatum specifice earum de verbo ad verbum inserto tenore. Et vt virgines, & viduæ, & coniugatæ personæ Mantellatæ, seu Pinzocheræ dicti Ordinis nuncupatæ prædictæ tanto feruentius iuxta earum viuendi ritum, & morem sub cura, & secundum instituta dicti Ordinis, ac ordinata per Bonifacium IX. in sua obedientia nuncupatum, & Martinum V. ac Eugenium IV. prædecessores prædictos confirmata, quoad moniales, 47
virgines, & viduas, coniugatas, & mantellatas, Pinzocheras Ordinis Eremitarum S. Augustini, & per præfatum Nicolaum V. etiam prædecessorem nostrum, quod omnia, & singula indulta priuilegia, & indulgentias Ordinum Prædicatorum, & Eremitarum ad virgines, viduas, & coniugatas personas mantellatas Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli extensa, & ad quas virgines mantellatas Pinzocheras à dicti Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli singula priuilegia, & indulgentias Ordini Minorum concessa, & indulta motu, & scientia similibus, quoad omnia extendimus, & extensa volumus, & mandamus, vt eo attentius diuinis studeant vacare beneplacitis, quanto maioribus priuilegiis, & fauoribus prædictæ sedis cognouerint se fore refectas motu, scientia, & authoritate prædictis volumus, & eiusdem personis concedimus, quod omnibus, & singulis priuilegiis, immunitatibus, fauoribus, gratiis, & indultis in spiritualibus, & temporalibus prædictis Ordinibus, videlicet Prædicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Augustini, & eorum Fratribus, & pro Fratribus Beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli concessis, & concedendis, & quibus illi in genere, quomodolibet potiuntur, & gaudent tam in vita, quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissionem, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationem, vti, potiri, & gaudere, ac participes esse possint, & debeant. Liceatque Fratribus prædictis eisdem Pinzocheris, & Mantellatis personis in earum etiã domibus, quoties opus fuerit, confessionibus diligenter auditis, de absolutionis beneficio prouidere, & Eucharistiæ ac Extremæ Vnctionis Sacramenta ministrare, & dum eos, vel eas decedere contigerit, illorum cadauera ad eorumdem 48.
Fratrum Ecclesias tumulanda deferre etiam parochialium personarum eorundem Rectorum licentia minimæ requisita, & contradictione quacumque non obstante. Et ne oblati, & oblatæ eiusdem Ordinis suorum iure deuotionis ad Ordinem ipsum frustrentur effecto, omnia, & singula circa 49.
Fratres, & Sorores Mãtellatas, seu Pinzocheras nũcupatas personas prædictas in præsẽtib. litteris statuta, cõcessa, & ordinata, aut illis, & Fratrib. prædictis in eorum commodum, & fauorem indulta, ad easdem dicto Ordini nunc, & pro tempore oblatas, & commissas vtriusque sexus personas eisdem scientia, motu, & authoritate extendimus, & ampliamus, ac in eis locum habere debere, perinde ac si pro eisdem oblatis, & commissis personis, & circa illas emanassent, decernimus, volumus, & ordinamus. Et quia ex concessione continetur dictorum Innocentij, & Alexandri IV. & Gregorij Vndecimi, prædecessorum, quod liceat eis,

eis cum interdictum generale terræ fuerit, dummodo causam non dederint interdicto, clausis ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, submissa voce, Missas, & alia officia diuina celebrare, eorumdem Fratrum deuotioni non plene consulitur concessionem eamdem extendendo eisdem Fratribus, vt liceat eis habere altare portatile cum debitis reuerentia, & honore, super quo in locis ad hoc conuenientibus, & honestis, præterquam in Ecclesiis ab Ordinarij obedientia non exemptis, quoties id eis contigerit interdici, possint Missas, & alia diuina officia, in quorumcumque præsentia celebrare, & interdicti tempore ad diuina huiusmodi cum eis mantellatas, & Pinzocheras, ac oblatas, commissosque personas, & ipsorum Fratrum, ac Monasteriorum monialium Ordinis procuratores, aduocatos prædictos, & negotia gerentes, vtriusque sexus
51. admittere, præfatis scientia nutu, & authoritate indulgemus. Iis vero, qui vestris immorantur obsequiis, cuncta libere ministrare possitis Ecclesiastica Sacramenta & ipsos cum decedunt, in vestris cœmeteriis sepelire. Si quando autem in terris, in
52. quibus residetis, vel in earum personas excommunicationis seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri vestris seruitiis deputati, negotiorumque vestrorum procuratores, & operarij, qui in vestris locis eorum operibus personaliter continuo institerint, huiusmodi sententiæ obnoxij minimè habeantur, ibique possint, quemadmodum Fratres diuina audire iuxtam formam, quæ locis ipsis, & eorum vtriusque sexus personas in eo casu à Sede Apostolica est concessa, nisi eidem interdicto causam dederint, vel excommunicari
53. specialiter, vel interdici contingat. Et quia vos voluntariam patientes paupertatem, exhortationis piæ studio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter reuocatis, concedimus, vt in excommunicatorum terris libere commorari, & ab eis tunc, & etiam, quando per ipsos vos transire contigerit, necessaria vitæ de-
54. poscere, ac recipere valeatis. Generalis quoque in toto Ordine liberè, & singuli Prouinciales, in eorum, & de suis Prouinciis prædictis Fratribus constitutis ibidem, necnon & Fratribus aliis eiusdem Ordinis interdum ad eos declinantibus vndecumque, absolutione, & dispensatione indigentibus, siue priusquam intrauerint Ordinem, siue post in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrant sententias à iure, vel à Iudice generaliter promulgatas, & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto diuina officia celebrantes, vel suscipientes Ordines sic ligati notam irregularem incurrant, absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impartiri, nisi
55. in casibus in præsentibus litteris, quas vulgus Mare magnum appellat, exceptis. Fratres quoque vestri, quos pro tempore vos Generalis, & Prouinciales, necnon & vices vestras gerentes in proprios habueritis confessores, absolutionis, & dispensationis beneficium vobis, cùm expedierit, valeant impartiri, iuxta formam concessionis super absolutione, & dispensatione Fratrum eiusdem
56. Ordinis in præsentibus litteris vobis facta. Ad hoc valentes vestræ agregari Sacræ Religioni, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententiis à iure, vel à Iudice promulgatis generaliter sunt ligati, absolutionis beneficium, obseruata forma canonica, impartiri, ipsósque in Fratres recipere, ac eos, qui post assumptum habitum, & professionem emissam recoluerint se talibus in sæculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam ipsam vos Generalis magister, & Prouinciales Priores, ac vices vestras gerentes valeatis absoluere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis diuina præsumpserint officia celebrare, vel Ordines receperint, ita tamen, quod si aliqui ex eisdem sententiis propter debitum sunt astricti, satisfaciant, vt tenentur. Volumus autem nihilominus, quod postquam fuerint absoluti huiusmodi volentes aggregari prædictæ Religioni, nisi mox Ordinem vestrum intrauerint, quacunque etiam prælatorum eiusdem Ordinis licentia non obstante, eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos taliter absolui contigerit, relabantur. Cæterum vestras discretio cautè prouideat, vt Apostolicæ Sedis, legatorum ipsius, & Ordinariorum locorum in absolutionibus huiusmodi scandalum euitetur. Præterea Ioannes XXII. 57.
& Eugenij IV. & Callisti III. prædecessorum vestigiis inhærentes, constitutionem Viennen. Concilij, per quam nonnullis Mendicantium Ordinum professoribus conceditur, vt in eorum Ecclesiis, & cœmeteriis liberam possint habere sepulturam, salua iustitia Ecclesiarum Parochialium, à quibus corpora mortuorum assumuntur, ad eosdem Fratres Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli per Ioannem XXII. extensam, & quam per præsentes motu, scientia, & voluntate similibus extendimus, & per præsentes in perpetuum vobis sepulturam in Ecclesiis, & cœmeteriis vestris concedimus, eam liberam esse censemus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepelire deliberauerint, nisi excommunicati, aut interdicti, aut etiam publicè vsurarij fuerint, nullus obsistat. Vt igitur litibus, quæ exinde oriuntur, aut quomodolibet in futurum oriri poterunt, motu, scientia, & authoritate prædictis obuiemus, declaramus libertatem huiusmodi intelligi debere etiam quoad hoc, vt Fratres ipsi nullius super hoc petita licentia, parochias, in quibus corpora prædicta forent cum Cruce processionaliter ingredi, & corpora ipsa leuare, & ad eorum Ecclesias sepelienda deferre possint, vbi hoc fieri consuetum foret, vel presbyteri de leuatione requisiti id facere recusarent, nec cogantur inuiti, etiam prætextu cuiusuis consuetudinis ipsi, vel defunctorum consanguinei, illa ad parochiales Ecclesias, aut alia loca deferre, & cum illis, vel sine inibi celebrare, vel celebrari facere pro eisdem defunctis aliqua diuina officia ante, vel post sepulturam eorumdem. Iustitiam autem Ecclesiarum, à quibus corpora ipsa sumuntur, iuxta eorumdem prædecessorum nostrorum, & nostram voluntatem, saluam esse debere decernimus, eo casu, quo damtaxat apud loca ipsorum Fratrum corpora ipsa sepeliuntur, si vero non apud eos, sed alios etiam Mendicantium Ordinum professores corpora ipsa contigerit sepeliri, ex iis, quæ ad Fratres prædictos, apud quos tunc corpore ipsa non sepelirentur, & de bonis defunctorum quomolibet eis obueniret quouis particulari, vel vniuersali titulo, directè, vel per obliquum nullam canonicam, vel parochialem portionem dare teneantur, nec similiter aliqua portio debeatur de iis, quæ ad certos, & determinatos vsus eisdem Fratribus, vel eorum domibus in genere, vel in specie dantur, etiam de bonis eorum, quorum cadauera 58.

dauera apud eos contigerit sepeliri, nec etiam in casibus, in quibus per eorumdem Clementis IV. Benedicti XI. & Nicolai VI. ac aliorum prædecessorum nostrorum specialia priuilegia Fratres ipsi ab huiusmodi solutione quartæ sunt exempti, nec aliquo casu de candelis, quæ dantur ad manus Fratribus, quarta aliqua quomodolibet detrahatur. In reliquis vero casibus, quam in præmissis, in quibus quarta ipsa soluenda veniret, conuentiones si quæ sunt inter Fratres prædictos, &
59. locorum Ordinarios, & Ecclesiarum rectores initæ laudabiles, & honestæ in posterum obseruentur. Etsi forte per nos, aut Sedem Apostolicam de pie legatis relictis, & dispositis in genere, vel in specie decima, vel alia portio seu quarta alteri piæ, vel non piæ causæ ex quauis causa hactenus concessa foret, aut in posterum concedi, & solui, aut dari, vel mandari contingeret, Fratres prædictos, & illorum domos, ac eis legata, & relicta, aut alias in eorum fauorem disposita in concessione, & mandatis huiusmodi decernimus & volumus non includi, nisi de ipsis Fratribus, & præsenti decreto, & voluntate nostra non per generales clausulas, quæ etiam specialem mentionem importare viderentur, sed vera, & specifica mentio fiat in eisdem. Exemptionem quoque Ordi-
60. nis domorum Fratrum, & bonorum prædictorum per Innoc. IV. Alexandri IV. Innocentij VI. Gregorij XI. Ioannis XXII. & Clementis VI. prædecessorum eorumdem litteras prædictas concessam, & illius approbationem, & extensionem in Clementis VI. præfati litteris prædictis contentam, vtpote notorias allegatione, & probatione non indigere, ac quaslibet Excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscunque processus, quasuis pœnas, & sententias generales, vel speciales continentes, & quas promulgari, vel haberi, & omnia, quæ contra Fratres, domos, loca, ac personas oblatas, & Mantellatas dicti Ordinis, & in illius exemptione huiusmodi quomodolibet comprehensa etiam ratione cuiuscunque contractus vel delicti, seu rei de qua ageretur, vbicunque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistant fieri, vel haberi contigerit, etiam exemptione huiusmodi aliter non allegatas, vtpote notoria nullius roboris, vel momenti, & pro infectis haberi debere pari motu, scientia, & authoritate decernimus.
61. Litteras vero felicis recordationis Vrbani IV. prædecessoris præfati, per quas conceditur indultum, quo cauetur, quod Fratres prædicti suorum confratrum, & familiarium, & aliorum Christi fidelium causa deuotionis ad eos recurrentium de licentia suorum Prælatorum confessiones audire, & eis pro commissis pœnitentias iniungere valeant, nisi forte talia commiserint, propter quæ Sedes Apostolica merito esset consulenda, declaramus licentiam suorum Prælatorum illam intelligi debere, quam Ordinarij præsentatis ad confessiones audiendas iuxta eiusdem Concilij Viennensis Constitutionem dare sunt astricti. Rursus quia
62. præfatus Eugenius prædecessor concessit Generali, vel ab eo deputatis, vt habeant circa omnes sui Ordinis Fratres in concessionibus eorum audiendis, & pœnitentiis iniungendis aliisque dumtaxat salutem animarum concernentibus exequendis eamdem potestatem, & facultatem, qualem in præmissis minores pœnitentiarij, & facultatem, qualem in præmissis minores pœnitentiarij Papæ in Romana Curia præsentes ex officio exercebant, & habebant, & in huiusmodi concessione eis concordatur suos dicti Ordinis Fratres ab omnibus absoluere excessibus, censuris, & pœnis, nisi talia forent propter quæ merito essent ad Sedem Apostolicam destinandi, & cum sæpe reuocetur in dubium, vt absoluentium, & absoluendorum, dispensantium, & dispensandorum pro tempore puritati conscientiæ consulamus, declaramus hæreticos relapsos, schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat ad Sedem Apostolicam merito destinandos. Reliquis verò omnibus etiam Simoniæ prauitate qualitercumque irretitis posse per illos, quibus inibi conceditur absolutionis beneficium, vel dispensationis gratiam iuxta casuum exigentiam impartiri, & quod in prædicta Eugenij prædecessoris nostri constitutione de Fra- 63.
tribus sit mentio ad omnes vtriusque sexus dicti Ordinis professores, nos de dono specialis gratiæ etiam proprio motu extendimus. Et nihilominus, vt dicti Ordinis professoribus omnis vagandi tollatur occasio, & ad Sedem Apostolicam recurrendi subtrahatur pro posse necessitas Generali dicti Ordinis, pro tempore existenti dispensandi cum dicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli professoribus defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientem patientibus, nec non cum iis, qui ex quauis causa præter homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum irregulates forent, postquam Ordinem ipsum professi fuerunt, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstante irregulares ipsi ad quoscumque etiam Sacros Ordines promoueri, & in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, & tam ipsi irregulares quam defectum natalium patientes prædicti ad quæcumque administrationes, & officia dicti Ordinis eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, exercere liberè, & licitè valeant motu, scientia, & authoritate prædictis concedimus per præsentes. Et quo- 64.
niam Parochialium Ecclesiarum rectores præfati erga illos, qui dictis Fratribus Gloriosissimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli eorum peccata confitentur, persæpe se reddunt in exhibitione Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis difficiles, concedimus ipsis Fratribus Gloriosissimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli vt eisdem personis eis confessis, quibus rectores præfati sine rationabili causa denegauerint siue malitiose distulerint Eucharistiæ, seu Extrema Vnctionis Sacramenta ministrare super quo eorumdem confessorum assertioni stari debeat, illa petentibus possint impune exhibere. Et cum aliquando contin- 65.
gat Monasteria in Monialium dicti Ordin. Monialibus destitui, adeo vt de eorum reformatione spes nulla supersit, conuenientiusque sit, quod illorum sic destitutorum bona ad ipsos Fratres deueniant, quorum erant curæ commissa, quam ad alios, illa quæ sic destituta existant, & destitui contigerit in futurum, cum eorum bonis omnibus perpetuis vsibus Fratrum domus dicti Ordinis eisdem destitutis Monasteriis propinquioribus applicamus, ita vt Fratres illi possint de illis, & de eorum Monasteriorum structuris, & ædificiis pro eorum voluntate disponere, prouiso, quod illorum Ecclesiæ, & Oratoria ad profanos vsus non redigantur, sed in illis quandoque diuina celebrentur officia. Insuper cum nonnulli ad Ord. 66.
prædictum Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque

que Virginis M. de Mõte Carmeli specialẽ geren-
tes deuotionis affectum ordinent eorum cadauera
cum habitum dicti Ord. Gloriosissimæ Dei Geni-
tricis Mariæ de Monte Carmeli, aut Sororum
Mantellatarum prædictarum sepeliri, ne ex illorum
corporum delatione ad alia loca Ordini, & Fratri-
bus prædictis iniuria irrogetur, decernimus tales
apud ipsos esse sepeliendos, etiam si alibi suam ele-
gissent sepulturam, nec posse etiam in loco per eos
electo cum habitu prædicto quomodolibet sepeli-
ri, aut ad sepeliendum portari absque Fratrum di-
ctæ domus, vel loci, in quo tales decesserint ex-
pressa licentia, & assensu, contradictores verò ex-
communicamus. Cæterum, ne si ratione Parochia-
67. lium Ecclesiarum apud quas domus Fratrum eo-
rumdem constructæ fuerint, aut construentur in
posterum locorum Ordinarij in eosdem Fratres ali-
quam superioritatem vendicare tentarent, Fratrum
eorum quies in aliquo perturbaretur, concedimus
ipsis Fratribus, vt in sic concessis, & quas eis con-
cedi contigerit curatis Ecclesiis, possint per ca-
pellanum per eos pro eorum nutu ponendum, &
amouendum curam huiusmodi exercere, qui quan-
diu capellanatus huiusmodi fungetur officio, ac
si dicti Ord. Gloriosissimæ Dei Genitricis Mariæ
de Monte Carmeli professor existeret, dictorum
Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis Mariæ de
Monte Carmeli libertate, & exemptione fruatur.
Ecclesiæ verò prædictæ, illorum bona illa, qua do-
68. mus Fratrum dicti Ord. prærogatiua lætentur. Illi
præterea particulæ litterarum prædictarum Ale-
xandri IV. prædecessoris præfati, in qua Fratri-
bus prædictis eligendi Priorem Generalem dicti
Ord. facultatem concedit motu, scientia, & autho-
ritate prædictis adiicimus, quod idem Generalis
Prior sic electus postquam electionis sibi præsen-
tato decreto consenserit, intelligatur auth. Apost.
confirmatus eo ipso, & liberè administret, & exer-
ceat quod ad sui Prioratus generalis pertinet offi-
cium reiecta quauis professorum dicti Ord. & alio-
rum sibi ratione dicti officij subditorum appella-
tione, quæ ab eius præceptis, monitionibus, Or-
dinationibus, mandatis, & decretis, regulari disci-
plina eorumdem quomodolibet interponi contin-
get; Priores verò Prouinciales, & locales, & alij
officiales, qui secundum eiusdem Ord. statuta ali-
ter quam per electionem à præfati Ord. magistro
Generali instituuntur post ipsam institutionem seu
prouisionem de ipsis factam curam animarum Fra-
trum sibi subditorum habeant, ipsosque ligare, &
soluere possint iuxta ipsius Ord. statuta. Rursus
quia intelleximus, quod etsi bonæ me: Ioannes
XXII. prædecessor noster illorum opinionem,
qui asserebant, quod confessi Fratribus prædicti
69. Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ de Mon-
te Carmeli, & aliorum Ordinum Mendicantium
ad audiendum confessiones iuxta Iuris dispositio-
nem deputatorum pro tempore, tenebantur eadem
peccata Rectori eorum parochialis Ecclesiæ iterum
confiteri reprobauerit. Et deinde præfatus Euge-
nius reprobationem huiusmodi approbando con-
tra talia asserentes tanquàm de hæresi suspectos
per locorum Ordinarios inquiri, & procedi man-
dauerit, ac successiuè Nicolaus V. prædecessor
prædictus gesta in præmissis ab eisdem Ioanne, &
Eugenio prædecessorib. robur perpetuæ firmitatis
obtinere debere decreuit. Nihilominus adhuc nõ-
nulli eorum inhærentes proteruæ opinioni, desu-
per falsos, damnatos, ac malè sonantes, ac reproba-
tos articulos veros esse affirmare non verentur, vt
talium præsumptuosa temeritas tanta minus inua-
lescat, quanto plurium erit superiorum correctioni
subiecta, concessam contra tales per eiusdem Eu-
genij prædecessoris litteras locorum Ordinariis fa-
cultatem, ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, & ad
Protectores dicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Ge-
nitricis Mariæ de Monte Carmeli, & aliorum
Mendicantium, videlicet Prædicatorũ, Minorũ, &
Eremit. S. Aug. qui sunt, & qui pro tempore erunt,
& Auditorũ Cameræ Apost. & ad quemlibet præ-
dictorum de per se extendimus, & volumus, quod
prædictorũ quatuor Ordinum Mendicantiũ pro-
tectores, necnon Auditor Cameræ Apost. & Inqui-
sitores ipsi quicunque fuerint eadem, qua Ordina-
rij contra tales auth. fungantur. Quod si per quos-
cumque processus, lites, controuersias quomodoli- 70.
bet inter ipsos Fratres prænominatos, & Ecclesia-
rum rectores, & Ord. emergentes Ordin. ipsi, seu
quicunque aliis in inhibitionẽ eleemosynarum per
Christi fideles Fratribus ipsis faciendarũ quocunq;
modo fuerint prolapsi, volumus, & præsentis pa-
trocinio decernimus, quod omnes, & singuli tales
inhibentes ipso facto excommunicationis incurrãt
sententiam, ac contra tales ipsi Carmelit. Prædic.
Minor. & Erem. S. Aug. protectores & Auditor Ca-
meræ Apost. qui sunt, & qui pro tempore erunt, &
Inquisitores hæreticę prauitatis ad prędictorũ Fra-
trum requisitionẽ possint, & debeant quilibet eo-
rumdem per se sicut contra hæreticos procedere. Et
ne pretextu constitutionis Innoc. IV. prædecessoris
nostri, quæ incipit volentes, locorum Diœcesani, & 71.
alij Ordinarij, ac alij quicumq; legati, aut quauis
author. vtentes in personas, aut loca, & alia quæuis
bona dictorũ Fratrũ quouis iusto titulo ad eos per-
tinentia contra Ioannis vigesimi secundi, & Cle-
mentis Sixti prædecessorum nostrorum Ord. sibi
quacumq; iurisdictionem, vel superioritatem ven-
dicare præsumant, districtius inhibemus, nequis
absque Sedis Apost. speciali commissione, & auth.
de huiusmodi, & aliorum prædecessorum nostrorũ
non in genere, sed verbo ad verbum specialem fa-
ciente mentionẽ, in personas, domos, loca, aut alia
dictorum Fratrum Beatissimæ Dei Genitricis sem-
perque Virg. M. de Monte Carmeli bona, vtpote
prorsus exempta, aliquas excõmunicationis, suspẽ-
sionis, & interdicti sententias specialiter, vel gene-
raliter quomodolibet promulgare, aut in personas,
domos, aut loca huiusmodi aliquã præeminentiã,
aut superioritatem, & iurisdictionẽ quomodolibet
exercere præsumant, etiam ratione contractus, vel
delicti, seu rei de qua ageretur, vbicunque ineatur
contractus, committatur delictũ, vel res ipsa consi-
stat. Decernimus quoq; ex nunc quaslibet excom-
municationis, suspensionis, & interdicti sententias,
& quoscumq; processus, quasuis pœnas, & senten-
tias generales, vel speciales continentes quos, &
quas promulgari, vel haberi, & omnia, quæ Fratres,
domos, & loca dicti Ord. quomodolibet fieri con-
tigerit etiam eorum exemptione, vtpote notoria,
non aliter allegata, nullius roboris, vel momenti
esse, & pro infectis prorsus haberi deberi. Insuper
Innocentij VI. & Clem. IV. ac Clem. VI prædesso- 72.
rum nostrum indulta de decimis non soluendis de
hortis, virgultis noualibus ad eorum vsum perti-
nentibus, & quæ propriis manibus, & sumptibus
colunt speciali priuilegio (vt eorum vtamur
verbis). Ea propter dilecti in domino filij ve-
stris iustis postulationibus clementer annuimus,
& domos vestras, in quibus diuino estis man-
cipati obsequio sub Beati Petri, & nostra pro-
tectione

tectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, & quæ de nominatis rebus præfati prædecessores priuilegia concesserunt, ad singula bona dictorum Fratrum extendimus, videlicet quoscumque hortos, & syluas, ac quæcumque alia bona prædictæ domus, & Ord. quæ in præsentiarum iustè, ac canonicè possident, aut in futurum concessiones Pontificum, largitione Regum, vel Principum oblatione, aut fidelium deuotione, siuè hæreditaria successione, quam in sæculo existentes tam de iure, quam de consuetudine ad succedendum fuissent habiles, seu aliis quibuscumque iustis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, loca ipsa in quibus præfatæ domus sitæ sunt cum pertinentiis suis, videlicet cũ Ecclesiis, hortis, pratis, nemoribus, vsuagiis, pascuis in boscho, & plano, in aquis, & molendis, in viis, & semitis, ac omnibus aliis libertatibus, ac immunitatibus suis. Sanè noualium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, siue de hortis, virgultis, vineis, & piscationib. vestris, nullus à vobis decimas exigere, vel extor-
73. quere præsumat. Liceat quoq; vobis clericos, & Laicos, liberos, & absolutos à sæculo fugientes ad cõuersionem recipere, & eos, absq; cõtradictione ali-
74. qua retinere. Prohibemus insuper, vt nulli Fratrum vestrorum, post factam in domibus vestris professionem, fas sit sine prælati sui licentia de eisdẽ locis discedere, discedentem verò absque communiũ litterarum cautione nullus audeat retinere, quod si quis forsan retinere præsumpserit, licitum sit vobis in ipsos Fratres, & eos, qui dictos Fratres retinent, clericos, vel laicos regularem sententiam promul-
75. gare. Insuper auth. Apost. prohibemus, vt nullus Episcopus, vel quælibet alia persona ad Synodos, vel conuentus Forenses, vos ire, vel in iudicio sæculari de propria substantia, vel possessionibus vestris, subiacere cõpellat, nec ad domos vestras causa Ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos conuentus publicos conuocandi venire præsumat, nec regularem Magistri vestri Generalis electionẽ impediat, aut de instituendo, vel remouendo eos,
76. qui pro tempore fuerint contra statuta Ordinis vestri se aliquatenus intromittat, & Nicolai IV. & Alex. IV. inherentes vestigiis, & illud adiicientes, vt Priores ipsi Episcopo saluo Ordine suo obedire debeant, & contra statuta sui Ordinis auth. Sedis Apost. confirmata, nullam obedientiam facere cõ-
77. pellantur. Pro consecrationibus verò altarium, seu Ecclesiarum, pro oleo Sancto, & quolibet Ecclesiastico Sacramento, nullus à vobis sub obtentu cuiusuis consuetudinis, vel alio modo, quicquam audeat extorquere, sed hæc omnia vobis gratis Episcopi Diœcesani, vt tenentur, liberè, & gratiosè impendant, alioquin liceat vobis quoscunque volueritis Catholicos adire Antistites, gratiam, & communionem Apost. Sedis habentes, qui Apost. freti authoritate vobis, quod postulatis impendant. Qui, si sedes Diœcesanorum Episcoporum forte vacauerit, interim omnia Ecclesiastica Sacraméta à vicinis Episcopis liberè, & absque contradictione suscipere possitis, sic tamen, vt ex hoc in posterum propriis Episcopis nullum præiudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Episcoporũ copiam non habetis, si quos Episcopos Rom. Sedis, vt diximus communionem, & gratiam habentes, & de quibus plenam notitiã habeatis, per vos transire contigerit, ab eis benedictionem vasorum, & vestium, & consecrationem altarium, auth. Sedis Apost. recipere valeatis. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationem altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad Ordines fuerint promouendi, à Diœcesanis suscipietis Episcopis, si quidem Catholice, & ritè gratiam, & cõmunionẽ Sacrosãctæ Romanæ Sedis habuerint, & ea vobis voluerint sine prauitate aliqua exhibere in- 78.
dulgentes. Præterea quia vestri Ordinis Fratres de locis ad loca ipsius Ordinis sæpius transmittuntur, propter quod stabilem, & perpetuam in certis, & determinatis eisdem Ordinis domibus, non faciunt mansionem, quia etiam bonos, & idoneos, ac approbatos à vobis Fratres faciatis ad Ord. promoueri, propterea, quæ de ordinationibus suscipiẽdis Ioannes XXII. prædecessor præfatus Fratribus præfati Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis semperque Virg. Mariæ de Monte Carmeli præsentatis ordinariis indulsit, declarando, volumus, quod liceat vobis ordinandos Fratres eiusdem vestri Ordinis quibuscumque malueritis Catholicis Pontificibus communionem, & gratiam Apost. Sedis habentibus præsentare, ipsisque Pontificibus præsentatos à vobis Fratres, sine qualibet examinatione, per eosdem Pontif. facienda, & absque omni promissione, vel obligatione ipsorum Ordinandorum Fratrum ad Ord. promouere, & eisdem Fratribus Ord. etiam sacros liberè conferre. Et vt quieti eorumdem Fratrum dicti Ord. vberius consulatur, 79.
constitut. recolendæ me. Clem. Papæ V. etiam prædecessoris nostri super domibus professorum Ord. Mendicantium prope domos aliorum Ord. Mendicantium professorum infra spacium centum quadraginta cannarum, de nouo non recipiendis, ad omnes alios Religiosos, aliorum Ord. tam Mendicantium quam non Mendicantum vtriusque sexus, & quascumque alias Ecclesiasticas personas prope domos Fratrum dicti Ordin. de Monte Carmeli nouas Ecclesias, & loca construere, vel alias de nouo recipere & habere, volentes, extendimus: ita vt nulli eorum infra prædictum spacium centum quadraginta cannarum, etiam per aërem mensurandarum, vbi aliàs commodè per terram mensurari non possent, ædificare de nouo; seu construere, aut ædificata, seu constructa de nouo recipere, aut inhabitare iuxta loca prædictorum Fratrum de Monte Carmeli præsumant. Si quis verò cuiusuis conditionis status, aut dignitatis fuerit, qui contra prædicti Clem. prædecessoris constitutionem, & nostram ampliationem venire, aut agere præsumpserit tam ipsi, quam auxilium, vel fauorem præstantes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, & quam ferimus in his scriptis, & nihilominus cuncta, & singula ab eis 80.
facta pro infectis habeantur. Ad hæc nouas, & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis, sæcularibus siue personis, à vobis omnino fieri prohibemus, sepulturam quoque vt supra in Ecclesiis vestris liberam esse decernimus. Præterea hortos, & syluas, ad ius Ecclesiarũ vestrarũ spectantes, quæ à laicis detinẽtur, redimendi, & legitimè liberãdi de manib. eorũ & ad Ecclesias ad quas pertinét reuocãdi, libera sit vobis auth Apost. 81.
facultas: Obeũte verò vestro Generali magistro, vel suorũ quolibet successorũ, nullus ibidem qualibet subreptionis astutia, seu violentia proponatur, nisi quã Frat. cõmuni cõsẽsu, vel eorũ maior pars cõsilij sanioris secundũ Deum, & Beatissimæ Dei Genitricis M. de Monte Carmeli regulã, & constitutiones

nes prouiderint eligendum. Paci quoque, & tranquillitati vestræ paterna in posterum solicitudine prouidere volentes, auth. Apost. prohibemus, vt infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fũdere, hominem tenere, capere, vel interficere, seu
82. violentiam quącumque valeat exercere. Præterea Nicolai IV. Bonif. VIII. & Clem IV. prædecessorũ nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, omnes libertates, indulgentias, peccatorum remissiones, immunitatesque à prædecessoribus nostris Rom. Pont. locis vestris concessas, necnon libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, & quascumque res vobis, vel aliis fidelibus rationabiliter indultas auth. Apost. confirmamus, & præsentis scripri pri-
83. uilegio communimus. Decernimus ergo quod nulli omnino hominum liceat præfatas domos temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas quoquomodo retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integrè conseruanuantur eorum pro quorum gubernatione, & sustẽtatione cõcessa sunt, vsibus omnimodis profuturis salua Sedis Apost. authoritate, & Diœcesanorum Episcoporum canonica iustitia in præsentibus lit-
84. teris declarata, Statuentes præterea Apost. auth & præsentium tenore concedentes, volumus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, tam magistro Generali, quam cuilibet dicti Ord. officiali, Prioribus dicti Ord. secundum morem, & instituta eiusdem Ord. in quibuscumque prouinciis constitutis, ram præsentibus, quam futuris, sit licitum, atque permissum, quascumque mulieres, & vtriusque sexus personas, si alias sint idoneæ, & aliud Canonicum non obsistat, quæ habitum regularem prædicti Ord. ad instar Mantellatarum, seu Pinzocherarum, aut Fratrum de pœnitentia tertij Ord. Fratrum Minor. & Præd. nec non & Erem. S. August. habere voluerint, & gestare, tam virgines, & matronas, quã, & Mantellatas, seu Pinzocheras, & vtriusque sexus personas dicti Ord. Carmelit. recipere, & admittere, ac earum singulis habitum regularem, ac Regulã eiusdem Ord. Carmelitarum, ad instar huiusmodi Mantellatarum, seu Pinzocherarum, vtriusque sexus Ord. & vtriusque sexus personarum Ordinum Fratrum Minorum, & Prædicatorum, & Eremit. S. August. præfatorum, provt secundum Deum saluti animarum earundem personarum salubrius visum fuerit expedire, etiam exhibere. Quæ sic receptæ, & in posterum recipiendæ, authoritate præfata gaudeant, & gaudere possint, & debeant, ram exemptionis priuilegio, quam omnibus immunitatibus, libertatibus, indulgentiis, & aliis priuilegiis, quibuscumque præfato Ord. Beatę Dei Genitricis, semperque Virginis M. de Monte Carmeli, eiusque Fratribus, ac personis per Sedem Apost. iam concessæ, & in posterum concedentur, quatenus huiusmodi exemptionis priuilegium, immunitates, libertates, indulgentiæ, ac quæcunque alia priuilegia ipsis Prioribus, & Fratribus Ord. de Monte Carmeli. competunt, vel competere possunt, seu poterunt, & Priores, & Fratres, & loca ipsa esse capacia eorundem constitutionibus Apostolicis, ac staturis, ac consuetudinibus. tam vestri, quam aliorum Ord. quorumcumque, & aliis contrariis non obstantibus qui-
85. buscunque. Præfati quoque Bonif. VIII. prædecessoris nostri concessionem vestram, per quam, voluit, quod Prouinciales dicti Ord. possint licentiã dare Fratribus idoneis ad Christi fidelibus proponendum verbum Dei de licentia Diœcesanorum, petitioni eorum non planè satisfacit, propterea declarando volumus, & hoc, quia inter solicitudines nostras illam decet esse præcipuam, vt super Dominicum gregem nobis commissum obseruemus vigilias, indefessam exerceamus curam, & exactam diligentiam apponamus, ne illum lupus rapax inuadat, & eius sanguis secundum Prophetam, quod absit, de nostris manibus requiratur, hoc autem bene fit si oleo dulcedinis verbi Dei foueantur subditi, & increpationis vino peccatorum suorum medeantur vulnera, & pœnitentiæ acrimonia purgata tegantur; ad id verò exequendum scientia diuinæ legis exposcitur, desideratus ordo, & vitæ integritas flagitatur; Scriptum est enim, Tu scientiam repulisti, & ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi, quia labia sacerdotis custodiunt scientiã, & legem requirunt ex ore eius, aliàs prov t ad eum pertinet, inrer lepram, & lepram non posset discernere, nec peccator existens Dei deberer narrare iustitias, & testamentum illius assumere per os suum, nam cuius vita displicet consequens est, vt eius prædicatio contemnatur. Quapropter vt ipsi gregi eadem cura nostra plenior impẽdatur, quo plures operarij in agro Domini fuerint constituti, sacerque vester Ordo, qui sacerdotibus abundat, & in suis Fratribus viget scientia, & vitæ sinceritate per Dei gratiam pollet, in eodẽ agro fructus vberes afferat, tu fili Prior Generalis per te, vos verò Prouinciales Priores in Prouincialibus vestris capitulis cum Diffinitoribus ipsorum capitulorum, Fratribus eiusdem vestri Ord. sacerdotibus in sacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis à vobis, prædicationis, & tam ipsis, quam aliis Fratribus dicti Ord. ad id idoneis audiendi confessiones, absoluendi confitentes, iniungendi eis pœnitentias salutares officia, author. Apost. committendi, eisdem quoque Fratribus, quibus dicta officia per vos taliter cõmissa fuerint, quod illa liberè valeant exercere plenam tenore præsentium damus, & concedimus facultatem. Ac volumus quod Fratres dicti Ord. quos secundum illius constitutiones in domibus suis deputari contigerit in lectores cum dicti Ord. magistri Generalis licentia, liberè in domibus prædicti Ord. legere, & docere valeant in facultate Theologica, & principia solemniter facere, illis locis exceptis in quibus studia vigent generalia; districtius inhibentes, ne quis Fratres ipsius Ord. quibus dicta officia taliter committenda duxeritis, in executione officiorum ipsorum audeat 86.
quomodolibet impedire. Et quia prohibentibus Constitutionibus vestris nulli Fratrum vestrorum est licitum populo prædicare nisi à Magistro Generali vestri Ord. examinatus, & approbatus fuerit, & sibi ipsi prædicationis officium ab ipso concessum, nos prædictis Fratrum laboribus, & periculosis discursibus euitandus, nec non, vt animarum salus possit inde facilius prouenire, super prohibitione huiusmodi opportunæ prouisionis remediũ apponentes, vt. singuli Priores Prouinciales in suis prouinciis cum Diffinitoribus in Prouincialibus capitulis congregatis Fratres in sacra pagina eruditos examinare, & approbare, & eis officium prædicatonis (Deum habendo præ oculis) committere valeãt, sicut ex forma prædicti Ord. Constitutionũ Magister poterat generalis, plenã authoritate præsenriũ concedimus facultatẽ. Cũq; per concessiones Clem. IV. & Vrb. etiã IV. prædecessorũ prædictorũ 87.
quibus cauetur, quod liceat Fratribus Beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Mõ-

te Carmeli, tam in locis,& Oratoriis suis quàm in aliis decentibus locis extra loca, & Oraroria sua, coram prælatis,& principibus, & magnaribus, dũ ab eis,vel eorũ ex parte fuerint requisiti, cũ altari portatili celebrare, deuotioni eorum non plenè consulitur,concessionem eandem extendentes,eisdem Fratribus, vt coram quibuscumque personis, cuiuscumque sexus, vel status, tam in eorum domibus, quàm extra, dum tamen loca sint honesta, liberè possint, cum altari portatili, Missas, & alia diuina officia celebrare, & in locis publicis populo prædicare,absque tamen iuris parochialium Ecclesiarum præiudicio. Et ne de iure huiusmodi possit aliqua quæstio suboriri, iuris huiusmodi appellatione intelligimus decimas,& primitias dumtaxat, vt à locis solent clericis exhiberi. Cœterum cum non obstante concessione Innocentij IV. prędictis Fratribus facta, qua cauetur ne de aliquibus causis à Sede Apost. committendis, inuiti cognos-
88. cere teneantur, super huiusmodi causis audiendis ab aliquibus molestentur, quieti eorum, & paci prouideri volentes, eis motu, scientia, & author. prædictis, quod ad id per litteras Apost. Sedis,aut legatorum à latere, seu quorumcumque aliorum legatorum, vel subdelegatorum ipsius,& ad pecuniam colligendam, inuiti compelli non possint, quodque nullus eorum collectorum,vel visitatorũ vel inquisitorũ officium monasteriis,vel Ecclesiis, seu quibuscumq; personis impendere,ad cognitiones causarũ citationes partium,& denuntiationem sententiarum interdicti,excommunicationum procedere,aut recipere curam monialium,seu religiosarum quarumlibet personatũ teneantur per Apostolicas litteras impetratas, vel in posterum impetrandas,nisi huiusmodi Apostolicæ litteræ,de hoc indulto, & Ordine prædicto expressam fecerint mentionem prædictis motu scientia,& auth. Apost. indulgemus. Concedimus quoque eisdem etiam ad visitandum aliqua monasteria monialium cuiuscunque Ord. vel ad audiendum confessiones eorum compelli aliquatenus non possint,vel ad recipiendum commissiones causarum, seu sententiarum executiones,vel alia contingentia causas ipsas per litteras Apost. Sedis, in quibus facta non fuerit de indulgentia huiusmodi mentio specialis. Nullus insuper legatus, vel subdelegatus, Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, nullusque alius Prælatus Ecclesiasticus,vel eorum Vicarij,aut Officiales ad portandum, seu deferendum litteras,exequendum, vel denuntiandum sententias contra principes sęculares,cõmunitates,populos,seu quoscunque benefactores eorum,nullusque delegatus, vel ordinarius iudex ad faciendum citationes, vel commissiones recipiendas,siue quod sint in causis aliquibus assessores,seu ad alia,lites,aut controuersias contingentia in causis, quæ coram ipsis tractantur,quempiam ipsorum dicti Ordinis Fratrum compellere valeant sine prædictæ Sedis mandato, vel licentia speciali expressam faciente de hac indulgentia mentionem, nec quisquam eorum parere, vel intendere teneantur super iis monitionibus,mandatis,aut iussionibus eorundem,aut facere, vel implere, quod in hac parte duxerit iniungendum. Cœterum generalis Magister,vel Priores
89. Prouinciales,ac ipsorum Vicarij illos ex Fratribus, de quibus authoritate litterarum Sedis Apost. vel legatorum ipsius Archiepiscopis,Episcopis,ac aliis quibuscumque prouisum extiterit,vel in posterum contigerit prouideri, corrigere, ac etiam non obstante contradictione aliqua possint ad suum Ord. reuocare,nec per litteras eiusdem Sedis,seu legatorum ipsius iam obtentas, vel de cætero obtinendas, aliquos de Fratribus ipsius Ordinis præfati Archiepiscopis,Episcopis,aut aliis teneantur in socios deputare, nisi dictæ litteræ Apostolicæ obtinendæ de indulto huiusmodi,& Ord. ipso expressam fecerint mentionem, & alias id honestati Ordinis, & illorum saluti viderint expedire. Nullus autem legatus etiam de latere nostro missus authoritate litteratum Sedis Apostolicæ specialem de hoc indulto,& Ordine vestro non facientes mẽtionem,nullusque Prælatus,nec aliqua persona religiosa,vel sæcularis de Fratribus eiusdem Ordinis ad sua,seu Ecclesiæ negotia procuranda,vel secum manendum aliquos assumere valeat, nisi quos Generalis Magister in toto Ord. & Priores Prouinciales in suis prouinciis ipsos tanquam idoneos,& discretos sibi duxerint assignandos,quos etiã subiacere volumus Ord. disciplinæ. Illos verò ipsius Ord. Fratres,qui ad prædicandum crucem,vel in- 90.
quirendum contra prauitatem hæreticam, seu ad illa huiusmodi negotia sunt,vel fuerunt,vbicumq; à Sede Apost. deputati, tu fili Generalis Magister, tuique successores, remouere,seu reuocare penitus transferre, ipsisque quod supersedeant iniungere, aliosque substituere, cum expedire videritis, liberè,& licitè valeatis,& in eos si contrauenerint censuram Ecclesiasticam exercere, & quilibet Prouincialis, vel eius Vicarius eiusdem Ord. id ipsum in sua prouincia circa Fratres ipsius Ordinis, quibus ab eadem Sede similia contigerit in illa committi,facere possit,non obstantibus aliquibus litteris, vel indulgentiis Apost. impetratis,vel etiam in posterum impetrandis,quæ de hoc non fecerint mentionem. Inhibemus quoque ne quis post professionem in Ord. vestro factam sine Generalis, vel sui Prouincialis licentia discedat ab ipso,disce- 91.
dentem verò absque cautione litterarum alterius ipsorum,prætextu alicuius priuilegij Apost. Sedis nullus audeat retinere, quod si forte retinere præsumpserit, Generali Magistro in toto Ord.& Prouincialibus Prioribus in suis prouinciis dumtaxat licitum sit in ipsos discedentes Fratres sententiam excommunicationis promulgare. Si verò aliqui de Fratribus vestri Ord. post obtentam licentiam à Sede prædicta, aut Magistro Carmeli ad religionem aliam transeundi infra duos, vel tres menses se ad aliã religionẽ saluti congruã non contulerint, & ipsius non susceperit habitum Regularem,licitũ sit tibi fili Generalis,ac voces tuas gerentes contra ipsos tanquã contra alios Ordinis vestri apostatas procedere secundum quod honestati ipsius Ordinis videritis expedire,idem illud intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius religionis infra tempus probationis nulla professione facta inde præsũpserint resilire. Apostatas quoque vestri Ordinis iuxta Alexandri IV. Constitu- 92.
tionem, & nostram præsentem concessionem excõmunicare,capere,ligare,incarcerare,& alias subdere disciplinæ rigori possitis,per vos,ac etiam per alios à vobis deputatos in quocumq; habitu,& loco,etiamsi in Curia nostra inueniri eos contigerit, in qua,sicut extra nos,super vestros subditos ratione professionis tã tacitæ, quã expressæ Ordinarios proprio motu,& scientia,similib. authoritate Apostolica deputamus, inuocato ad hoc si opus fuerit brachij sęcularis auxilio. Inhibemus etiã ne Fratres, quos ab Ordine vestro pro suis culpis Generalem magistrum expelli contigerit, vel qui egressi fue- 93.
rint proprio suo motu prædicare, confessiones audire,

audire, seu docere præsumant nisi ad alium Ordi-
nem in quo licitè huiusmodi exerceantur officia,
transierint de nostra, vel dicti Generalis magistri
speciali licentia. Quod si fortè ipsi contra huius-
modi inhibitionem nostram aliquid super præ-
missis temerè attentare præsumpserint, Prouincia-
les Priores, & locales, & eorum Vicarij in illos,
quos infra fines suarum prouinciarum iuxta con-
suetudinem Ordinis vestri existentes inuenerint
talia præsumentes, monitione præmissa authori-
tate Apostolica excommunicationis sententiam
valeant promulgari. Eiectos autem de Ordine
94. vestro, vel regressos, qui à receptione in eodem
Ordine, suis culpis exigentius, reddiderint se in-
dignos, & alios Fratres eiusdem Ordinis ex ratio-
nabili causa ad quoscumque Ordines approbatos
præterquam ad Beati Augustini, Templariorum,
Hospitaliorum, & aliorum religiosorum, arma
portantium ad euitandam occasionem euagandi,
Generalis Magister tantum, vel eiusdem Vicarius
de suo scitu cum suis testimonialibus litteris au-
95. thoritate nostra licentiandi liberam habeant fa-
cultatem. Nos enim districtius inhibemus, ne
tales ad alium Ordinem, aliter transire, vel ali-
qui eos recipere, seu retinere præsumant, absque
licentia speciali Sedis Apostolicæ faciente de hac
inhibitione plenariam mentionem. Inhibemus
etiam, (vt nullus sit siue in religione, & Ordine,
siue extra Ordinem constitutus habitum vestrum,
aut ita consimilem, quod propter eum Frater Car-
melitarum credi possit, deferre audeat, absque
Sedis Apostolicæ mandato speciali. Et vt dicta
inhibitio maiorem consequatur effectum, statui-
mus, vt ij, qui habitum vestrum, vel sibi prædi-
cto modo consimilem) deferre præsumpserint, ad
deponendum ipsum per Diœcesanos locorum, cum
à vobis requisiti fuerint, monitione præmissa per
censuram Ecclesiasticam appellatione postposita
compellantur. Quia verò nonnulli vestræ Reli-
gionis habitum sumentes diuersis personis, quæ
sciri, & inueniri non possunt interdum aliqua bo-
96. na restituere tenentur, vobis Magister Generalis,
& Priores Prouinciales, ac Prioribus localibus
concedimus, vt singuli vestrum in locis sibi com-
missis bona ipsa in pios vsus conuertere valeant,
prout secundum Deum viderint expedire. Inhi-
97. bemus insuper vniuersis Fratribus vestri Ordinis
ne aliqui eorum nisi necessitate vrgente aliis, quam
Prælatis peccata sua confiteri præsumant, vel aliis
eiusdem Ordinis sacerdotibus secundum Regu-
lam, & ipsius Ord. instituta. Vniuersis autem
98. Ecclesiarum Prælatis, & aliis inhibemus, ne con-
fessiones vestras vobis inuitis audire, vel compel-
lere eos ad Synodos, seu conuocationes suas acce-
dere, vel cum eis extra Ciuitates, vel intra pro-
cessionaliter exire, aut suis constitutionibus sub-
iacere, vel iuramento firmatam, vel manualem
obedientiam à Prioribus Prouincialibus, vel loca-
libus, vel quibuscumque aliis nostris Fratribus
exigere, aut de ipsorum institutione, vel destitu-
tione, siue de statutis vestri Ordinis, se aliquate-
nus intromittere, seu prohibere ne ad ciuitates,
vel villas, vbi religiosè, ac honestè morari possitis
à populis euocati audeatis accedere, ibique pro ve-
stris vsibus construere ædificia, Ecclesias, seu ora-
toria, aut in accedentes Fratres, seu in construentes
huiusmodi, vel receptatores ipsorum excommuni-
cationis sententiam ferre præsumant. Concedimus
99. quoque vobis motu, & scientia similibus, vt de il-
lis, quę in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica,
luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, tri-
gesimo, a ut aliis ad perpetuũ cultũ diuinũ, seu pro
pitãtiis seu victu ad sustentationem vestram, vel in-
dumentis: nec non pro annuis censibus, ad quorũ
solutionem aliquæ domus vestri Ordinis obligatæ
noscũtur, vel de domibus, prædiis, & hortis, aliisq;
locis vobis secundum instituta vestri Ordinis op-
portunis, aut de iis, quæ pro huiusmodi domibus,
prædiis, hortis, & locis emendis vobis leganrur,
dũmodo præmissa non conuertantur in vsus alios,
sed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur, aut
alios etiam, qui in Nicolai V. concessione, & hac
nostra indulgentia continentur, nulli canonicam
iustitiam, seu portionem aliquam teneamini exhi-
bere, & ne quis à vobis vel vltimarum executori-
bus voluntatum, seu decedentium hæredibus, de
præmissis aliquid exigere, vel exorquere præsumat
districtius inhibemus. Adhæc liceat Fratrib. vestri
Ord. cũ de prioribus locis suis ad alia loca se trans- 100.
ferant, tam ædificia, seu omnem ædificiorum ma-
teriam locorum, quæ dimittunt, dedicatis Eccle-
siis duntaxat exceptis, quam libros, calices, & para-
menta secum ad alia loca transferre, ac ædificia ip-
sa, cum solo, ac aliis ad eadem loca pertinentibus,
ptæterquam Ecclesias, per personas ad hoc à Sede
Apostolica deputatas vendere, ipsorumque pretiũ
in aliorum locorum, ad quæ dicti Fratres se trans-
ferunt, ædificationem, seu aliàs in eorum vtilitatẽ
conuertere, secundum quod eis melius videbitur
expedire, cum ipsa priora, & alia loca Fratrum ad
Apostolicam Sedem, & ad prædictum Ordinem
Beatiss. Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli
specialiter, & immediatè pertinere noscantur. Et
ne aliqui Archiepiscopi, & Episcopi, aut alij Eccle-
siarum prælati, seu quæuis alia persona Ecclesiasti-
ca, vel sæcularis prædicta loca, seu bona occupare,
accipere, vel vsurpare, aut quoquomodo sibi ven-
dicare præsumant absque dictæ Sedis licentia spe-
ciali, districtius inhibemus. Indulgentes vobis, vt
ad præstationem procurationum legatorum præ-
dictæ Sedis, vel nuntiorum ipsius, seu Diœcesano-
rum locorum, aut exactionum, vel collectarum,
seu subsidiorum, vel prouisionum quorumque mi-
nimè teneamini, nec ad ea soluenda per litteras
dictæ Sedis, aut legatorum, vel nuntiorum eius-
dem, seu rectorum terrarum Ecclesiæ Romanæ, im-
petratas seu in posterum impetrandas, cuiuscum-
que tenoris fuerint, in perpetuum compelli pos-
sitis, nisi dictæ Sedis litteræ impetratæ, aut in po-
sterum impetrandæ plenam, & expressam de in-
dulto huiusmodi, & dicto Ordine fecerint men-
tionem. Cœterum cum felicis recordationis Inno- 101.
centius Papa IV. prædecessor noster, olim duxe-
rit statuendum, vt exempti quacumque gaudeant
libertate, nihilominus tamen ratione delicti, seu
contractus, aut rei de quia agitur contra ipsos, ritè
possint coram locorum Ordinariis cõueniti, & illi
quo ad hoc suam in ipsos iurisdictionem, prout ius
exigit, exercere, nos vobis, vt occasione constitu-
tionis huiusmodi nullum libertatibus, & immuni-
tatibus vobis, & Ordini vestro per priuilegia, & in-
dulgentias ab Apostolica Sede concessas præiudi-
cium generetur, authoritate præsentium indulge-
mus. Decernimus ergo irritum, & inane quidquid
contra tenorem concessionum, constitutionum, &
inhibitionum huiusmodi per quoscumque fuerit
attentarum, & interdicti, suspensionis, & excõmu-
nicationis sententias, si quas contra concessiones,
constitutiones, inhibitiones easdem in vos, vel
vestrum aliquos, aut loca vestra, seu benefactores 102.

vestros, vel executores, aut hæredes prædictos, in posterum promulgare contigerit, penitus non tenere. Et quia in Regula eorundem Fratrum Carmelitarum eis ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita, & ab Innocentio I V. Alexandro etiam I V. Nicolao similiter I V. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris approbata,& confirmata, & quam nos per præsentes motu, & scientia similibus approbamus, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio, authoritate Apostolica, perpetuo communimus, inter cætera cauetur expresse, quod Fratres Ordinis prædicti ab esu carnium abstineant, nisi pro infirmitatis remedio, aut debilitatis sumatur. Et eisdem etiam præcipitur, quod singulis diebus Dominicis duntaxat exceptis, à festo Exaltationis Sanctæ Crucis, vsque ad festiuitatem Resurrectionis Dominicæ ieiunare teneantur, & ab Eugenio Papa Quarto prædecessore præfato, quodam tempore huiusmodi rigorem mitigante, conceditur, statuitur, & ordinatur, quod dicti Ord. professores, qui pro tempore forent tribus diebus singularum septimanarum, etiam quibus, vt præfertur, ieiunare iuxta eandem regulam erant astricti, carnibus vesci possent, præterquam in Aduentu, & Quadragesima,& aliis generaliter prohibitis diebus;cum, vt etiam accepimus, ab aliquibus reuocetur in dubium,an illis diebus quibus eis esus carnium conceditur, ieiunare teneantur pro eo quod in concessione prædicta Eugenij non solùm mitigationem abstinentiæ, sed relaxationem ieiunij ab eodem Eugenio prædecessore petitum fuisse conspicitur, & propterea piæ memoriæ Pius Papa I I. prædecessor noster præfatus concessit vt Prior generalis prædicti Ord. qui pro tempore foret in huiusmodi posset ieiunio dispensare. Nos etiam motu, & scientia similibus litteras prædictas Alberti Patriarchæ Hierosolymitani, & Innocentij I V. Alexandri I V. Nicolai I V. & Pij I I. innouamus, & confirmamus, & approbamus, & perpetuæ firmitatis esse volumus, & mandamus concedentes, quod, tu fili Generalis, & qui pro tempore erunt tui in dicto officio successores, personarum, locorum, & temporum qualitate pensata cum vtriusque sexus dicti Ord. professoribus, iuxta tuæ conscientiæ arbitrium, super præmissis tam ieiunio, quam carnium esu dispensare valeas, atque tres dies, plures,vel pauciores ad ieiunium faciendum nominare, & remittere vt possitis liberè indulgemus, ac illis ex eis, qui iuxta huiusmodi regularia instituta dicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, & eiusdem mitigationem antedictam, nostramque declarationem huiusmodi vixerint, vt confessor idoneus, quem quilibet eorum, vtriusque sexus de suorum Superiorum consensu duxerit eligendum, eorum concessione diligenter audita semel in vita, & in mortis articulo plenariam omnium suorum peccatorum remissionem, & indulgentiam impendere valeat authoritate Apostolica tenore præsentium gratio-
103. sè concedimus. Et quia in eadem regula conceditur, quod eiusdem Ordinis professores possint habere loca in Eremis, vel vbi eis donata forent ad eorum Religionis Obseruantiam apta, & commoda, secundum quòd eisdem Priori, & Fratribus videbitur expedire, & ex concessione præfati Vrbani I V. prædecessoris nostri, si qui Christi fideles aliqua loca ad se spectantia, quæ feudalia, seu sensualia non existant, eis contulerint, pietatis intuitu, liceat eis de licentia diœcesanorum, illa suscipere, & in eorum singulis Ecclesiam, vel Oratorium construere, deuotioni, ac petitioni eorum non plenè videtur satisfactum, concessionem prædictam ad alia quæcumque loca, domos, & Ecclesias, etiam parochiales, motu, scientia, & authoritate prædictis extendimus,ac concessionem prædictam effectum sortiri volumus, non obstante constitutione felicis recordationis Bonifacij Papæ V I I I. similiter prædecessoris nostri prohibente, ne cuiusuis Ordinum mendicantium Fratres ad habitandum noua loca recipere, vel receptæ mutare præsumant sine dictæ Sedis licentia speciali faciente specialem, & expressam de prohibitione huiusmodi mentionem. Etsi contingat locorum Ordinarios in domos prædictorum Fratrum in suis diœcesibus constructas aliquam iurisdictionem vel supereminentiam sibi vendicare, & Fratrum eorundem quietem in aliquo perturbare, liceat tunc dictis Fratribus capellanum in dictas domos, & Ecclesias instituere, & amouere, prout superius in præsentibus litteris diximus, & expressimus. Prouidam vero Callisti Papæ III.prædecessoris nostri constitutionem, quæ incipit: *Ad* 104.
futuram rei memoriam ad Romanum Pontificem, qua voluit, quod nullus dicti Ordinis professor beneficia secularia, seu etiam regularia quorumuis Romanorum Pontificum, aut Sedis Apostolicæ, vel legatorum eius concessione vel indulto quouis modo in titulum, vel in commendam pro tempore obtinentium, aut quæ futuris temporibus quomodolibet obtinebunt, & si illa simpliciter, vel alio quouis modo dimiserint, in capitulis generalibus, vel prouincialibus, aut congregationibus seu negotiis, officiis, vel aliis administrationibus dicti Ordinis, nisi Generalis pro tempore consensu interueniente, quomodolibet admittatur, sub excommunicationis pœna, quam admissi, & admittentes ipso facto incurrant, authoritate, scientia, & motu prædictis, etiam in Archiepiscopali, & Episcopali dignitate fulgentibus, aut Monasteria aliqua, vel prouinciam in commendam obtinentibus locum habere decernimus, atque prædictas literas, & omnia, & singula in eis contenta ad eos, qui in dignitatibus huiusmodi sunt constituti, extendimus. Districtè præcipientes sub pœnis in dicta constitutione contentis omnibus, & singulis prædicta beneficia,aut dignitates quauis authoritate, vel indulto obtinentes, vt nullo modo administratione Fratrum, aut domorum, aut prouinciarum, seu Conuentuum, aliorumque bonorum, se impediant absque dicti Ordinis Magistri generalis expressa licentia, non obstantibus quibuscumque litteris etiam à Sede Apostolica impetratis, vel in posterum impetrandis, quibus ex certa scientia,& motu proprio derogamus, & per præsentes derogati volumus, etiamsi de illis habenda foret mentio specialis vt singula bona Ordinis, videlicet prouinciæ, Ecclesiæ, domos, & supposita, & vtriusque sexus professi, vt teneantur, sub integra Magistri generalis existant obedientia. Postremo, cum prædictorum
Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque 105.
Virginis Mariæ de Monte Carmeli, sicut & Prædictorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini Fratrum Ordinum professores pro fidei Catholicæ dilatione continuè, indefesseque laborent, fructusque afferant in Ecclesia Dei salutares, & propterea fuerunt variis per Sedem prædictam priuilegiis decorati, vt quos par labor, pariaque

merita

merita coniungunt, paria coniungant priuilegia, & fauores eisdem Fratrum Gloriosissimæ Dei Genetricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli professoribus, vt concessis eisdem Fratribus Prædicatoribus, Minoribus, & Eremitis S. Augustini priuilegiis, indulgentiis, gratiis, & fauoribus, ac indultis, tam spiritualibus quam temporalibus à prædictis, & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & quomodolibet etiam à nobis, aut aliis authoritatem habentibus, quæ omnia, ac si nominatim exprimerentur, haberi hic volumus pro expressis, & nostræ approbationis munimine solidamus, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere, potiri, & gaudere possint, & debeāt perpetuis futuris tēporibus in omnibus, & per omnia prorsus, & sine vlla differētia, proinde, ac si quæ eisdem Prædicatorum, Minorum Eremitarum S. Augustini Fratrum Ordinibus prædictis sunt concessa prædicto Ordini Gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli nominatim concessa fuissent, aut concederentur in futurum. Et quæ magistro Prædicatorum, & ministro generali Minorum, te Priori generali Eremitarum S. Augustini prouincialibusque Prioribus Prædicatorum, & Ministris Minorum Fratrum ac Prouincialibus prioribus Eremitarum S. Augustini, necnon Monasteriis Monialium sub eorumdem Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum Sancti Augustini Fratrum Ordinum cura secundum ipsorum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum Sancti Augustini Fratrum Ordinem instituta viuentium sunt statuta in Magistro Generali, & in Prouincialibus Prioribus, & Vicariis dicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, & Monasteriorum Monialium dicti Ordinis instituta viuentium vice versa statuta sint, & esse censeantur. Mandantes etiam scientia, & motu, & authoritate prædicti præcipiendo, vt dum priuilegiorum, indulgentiarum, prærogatiuarum, exemptionum, indultorum, immunitatum dictorum Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum Sancti Augustini originales litteræ, aut transumpta authentica pro parte, & in fauorem Fratrum dictorum Beatissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli adducerentur, vel exhiberentur, eadem fides indubia adhibeatur, tam in iudicio, quàm extra iudicium, & aliis locis, quibus opus fuerit, ac si in fauorem dictorum Fratrum Beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli è Sede Apostolica emanassent, & eis fuissent immediatè concessa. Districtius inhibentes eisdem locorum
106. Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum Parochialium, ac aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis eo ipso per eos, qui contra fecerint, incurrendis, ne Ordinis prædicti Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, domos, & singula bona, & professores præter, aut contra prædictorum Innocentij, Bonifacij, Alexandri, Nicolai, Clementis I V. & V I. & aliorum quorumcumque prædecessorum nostrorum, & præsentium tenorem litterarum inquietare, seu molestare, & eos, aut testamentorum, vltimarumque voluntatum executores, & hæredes prædictos, seu quoscumque alios directè, vel indirectè ad solutionem alicuius quartæ parochialis, seu canonicæ, vel alterius portionis, seu oneris, & ad faciendum celebrari aliquod officium, nec prædicari in eorum Ecclesiis, vel alibi dum apud ipsos Fratres decedentium cadauera tumulantur, ante vel post eorum sepulturam, nec confessis dictis Fratribus Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli pro tempore Eucharistiæ, seu Extremæ Vnctionis Sacramenta sine rationabili causa denegare, & illorum exhibitionem malitiosè differre, aut eorum parochianis ne dictis Fratribus confiteantur prohibere, vel persuadere; nec etiam ad præmissa, seu aliquod ad præmissorum auxilium, consilium, vel fauorem dare directè, vel indirectè quocumque modo præsumant. Et nihilominus dicti Ordinis protectori, qui pro tempore erit, & cuilibet in Ecclesiastica dignitate constituto, & Metropolitanæ, vel alterius cathedralis Ecclesiæ Canonico 107.
per vniuersum orbem, qui desuper, per dicti Ordinis Gloriorisissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Priores, & Fratres, ac illorum, seu ad commodum eorum Romanæ Ecclesiæ Syndicos desuper requisitus fuerit, per Apostolica scripta insolidum mandamus, quatenus per se, seu alium, vel alios præmissa, vbi, & quando opus fuerit, solemniter publicantes, ac eisdem Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli Ordini, illiusque domibus, ac professoribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant eos pacifica possessione, vel quasi priuilegiorum, & concessionum huiusmodi gaudere, non permittentes eos, seu testamentorum executores, & hæredes prædictos contra illorum tenorem per ordinarios, & rectores prædictos, aut quoscumque alios indebitè molestari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari, ac etiam summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta quoscumque cuiuscumque qualitatis, vel conditionis existant, & quacumque Ecclesiastica etiam Patriarchali, Archiepiscopali, aut Episcopali, aut mundana forent dignitate, & exemptione muniti, in quibuscumque causis per eos mouendis quacumque ratione, vel causa, quæ excogitari possit, eis ministrant iustitiæ complementum, exequentes, quod per eos fuerit ordinatum, & illos, quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit, irretitos esse declarent, ac faciant, & mandent interdictos, suspensos, & excommunicatos publicè nunciari, & ab omnibus arctius euitari ac legitimis super iis habendis seruatis processibus, illos, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauati procurent, contradictores authoritate Apost. appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis: non obstantibus præfati Bonifacij Octaui constitutionibus, quibus cauetur ne quis extra suam ciuitatem, & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis, vltra vnam diætam à fine suæ diœcesis, ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede Apostolica deputati extra ciuitatem, & diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut aliis vices suas committere præsumant, & de duabus diætis in Concilio generali, nec non quæ incipit *Super Cathedram* Bonifacij præfati, & *Dudum* Viennensis Concilij, ac recolendæ memoriæ Callisti Papæ I I I. etiam prædecessoris nostri litteris, aliisque Apostolicis, ac etiam in prouincialibus, synodalibus Conciliis

editis specialibus, & generalibus, necnon Othonis, & Ottobonis olim in Regno Angliæ Apost. Sedis legatorum constitutionibus, Ecclesiarumque & locorum quoruncunque statutis, & consuetudinibus, & inter quoscunque dicti ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli professores, & locorum ordinarios, seu rectores prædictos, initis, & conclusis, ac hactenus obseruatis pactis, & conuentionibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis, necnon omnibus illis quæ Innocentius, Bonifacius, Alexander, Ioannes, Clemens IV. & VI. ac Nicolaus IV. & V. alijque prædecessores præfati in prædictis eorum litteris voluerunt non obstare, contrariis quibuscunque, quibus omnia illa, ac si de verbo ad verbum insererentur, & derogatoriarum derogatoriis clausulas in se continerent præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quoad præmissa specialiter, & expresse derogamus, aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac Rectoribus Prælatis, seu quibusuis aliis communiter, vel diuisim, à Sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocati non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quælibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum, & concessæ in eis iurisdictionis executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua cuiusque tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim ex nunc illa, & quæcunque alia, quæ in futurum per nos, & Sedem Apostolicam quomodolibet concedi, statui, decerni, & ordinari contigerit contra Innocentij, Bonifacij, Alexandri, Ioannis, Clementis IV. & VI Nicolai IV. & V. & aliorum prædecessorum prædictorum, & præsentium litterarum huiusmodi tenorem, necnon si secus super his à quocunque quauis authoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti esse decernimus. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostram concessionis, declarationis, inhibitionis, indulti, decreti, statuti, voluntatis, constitutionis, derogationis, reseruationis, cassationis, restitutionis, irritationis, & annullationis paginam scienter, vel ignoranter contra eam temere contraire attentauerit, primo, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reumque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in districto examine districtæ subiaceat vltioni, ac indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Cunctis autem dictis Fratribus gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructus bonæ actionis percipiunt, & apud districtum iudicium præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Et quia difficile foret præsentes litteras ad singulas prouincias originaliter destinare, volumus, & dicta authoritate decernimus, quod transumptis earum manu notarij publici, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ auditoris, vel protectoris, qui est, & qui pro tempore erit, aut alicuius Archiepiscopalis, vel Episcopalis, vel cuiuscunque in dignitate constituti etiam dicti Ordinis magistri generalis pro tempore existentis sigillo munitis, ea prorsus in iudicio, & extra, vbicunque exhibitæ, vel ostensæ fuerint, fides adhibeatur indubia, ac si ipsæ originales litteræ forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, approbationis, constitutionis, ordinationis, applicationis, statuti, concessionis, indulti, extensionis, voluntatis, ampliationis, declarationis, confirmationis, suppletionis, mandati, derogationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto. 4. Kal. Dec. Pontificatus nostri anno 6.

COMMENTARIVS IN MARE MAGNVM & Regulam Carmelitarum.

SVMMARIVM.

Bulla hæc, quæ est Mare magnum, vbi habeatur authentica. num. 1.
Quare Mare magnum *dicta. ibid.*
Quis author ipsius. ibid.
De excellentia, antiquitate, &c. Carmelitani Ordinis. num. 2.
Prærogatiua ipsius à Papa in proœmio Bullæ assignatæ. num. 3.
Quomodo ea intelligendæ. ibid.
Aliæ ipsius prærogatiuæ. num. 4.
Verba narratiua Papæ quàm vim habeant. ibid.
Bulla Bonifacij VIII. confusa cum alia Clement. IV. num. 5.
Confirmationis in forma communi effectus n. 6.
Priuilegium confirmatorium priuilegiorum. n. 7.
Litteræ commendatitiæ Clem. IV. pro Ordine nostro. num. 8.
An contineant facultatem fundandi Monasteria. ibid.
Religiosorum causæ piissimæ tractandæ. num. 9.
Monasteriorum erectio etiam à Regibus iure curanda. ibid.
Suscipitur ordo sub beati Petri, & Papæ protectione. num. 10.
Facultas celebrandi tempore interdicti. ibid.
Quomodo ea accipienda. ibid.
Extensio prædictæ facultatis. n. 11.
Differentia inter priuilegium locale, & personale. num. 12.
Clausula indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum, &c. an denotet culpam mortalem. n. 13.
De similibus priuilegiis. num. 14.
Amplissima exemptio Ordinis. num. 15.
Clausula In statu firmo, & solido, *&c. quid denotet: num. 16.*
Confirmationem Ordinis continet. ibid.

Verbo

Verborum idem significantium geminatio magnam vim habet.ibid.
Clausula Pertinentiis suis *quid denotet.n.*17.
Clausula In ius, & proprietatem Beati Petri, & Apostolicæ Sedis *an probet exemptionem. num.*18.
Clausula Soli Romano Pontifici,& Sedi Apostolicæ absque vllo medio subiacere *an illam probet. ibid.*
Clausula tam In spiritualibus, quàm in temporalibus.*num.*19.
Clausula Ac personis degentibus in eisdem, *ad quas personas extendatur.n.*20.
*Priuilegium Clem.VI. Confirmatorium præcedentis. num.*21.
*Vtitur eisdem verbis ac Ioannes XXII. in priuilegio alio.n.*22.
*Alia remissiuè.n.*23.
*Confirmatio Regulæ Carmelitarum.n.*25.
Regula primæua, & primitiua Carmelitarum. ibid.
*De authore,Confirmatione,data ipsius,& aliis ad eam spectantibus.n.*26.
*Quæ tractanda circa ipsam.n.*27.
*In quibus declarata,correcta, & mitigata fuerit ab Innocentio.n.*28.
*In aliquibus punctis alterata,moderata, & correcta. num.*29.
*Non propterea desinit esse eadem regula.n.*30.
S.Rotæ decisio ad intentum.ibid.
*De obligatione ad illam obseruandam remissiuè. num.*31.
*Obligatio ad regulam ex triplici prouenit capite. num.*32.
*Quantitas obligationis ex materia,verbis, intentione legislatoris, & acceptatione religionis.n.*33.
In ea alia sub præcepto, alia quoad vota, alia vt ob-
24. *seruantiæ,alia vt consilia.n.*34.
*Quando sub præcepto,ad quod peccatum obligat. num.*35.
*Quando ad veniale graue.n.*36.
*Transgressio illius ex contemptu peccatum est mortale. num.*37.
*Expositio ipsius.n.*38.
*Prologus regulæ beati Alberti.n.*39.
*Quid ex illo colligatur.n.*40.
Finis vitæ religiosæ.ibid.
Patriarchæ titulus quam excellentiam denotet. n. 41.
*Beatus Albertus cur eam tradiderit.n.*42.
*De Priore,& tribus illi promittendis.n.*43.
*Prior ex ipsis Fratribus esse debet.n.*44.
*In vno conuentu vnus tantum Prior.n.*45.
*Forma seruanda in electione ipsius.n.*46.
*Forma cap.*Quia propter,de elect.*ibid.*
Quomodo instituantur Priores in ordine.ibid.
*Qua de causa fieri possint sine electione.n.*47.
Quid de consuetudine, & constitutionibus ordinis. ibid.
*Maior pars quæ ad illam concurrere debet.n.*48.
Sanior pars *quæ censenda.*49.
*Forma possessionis in religione sub tribus votis.n.*50.
An sufficiat solum cum expressione Obedientiæ.ibid.
*Alia remissiuè.num.*51.
*De receptione locorum.n.*52.
*In quibus locis recipi possint monasteria.n.*53.
*An in vrbibus,& locis populatis extra eremos. n.*54.
Nicolaus Gallicus ordinis generalis quid de hoc sentiret.ibid.
*Quæ loca commoda pro nostro ordine.n.*55.
Finis & scopus ordinis,& regulæ, est vita contemplatiua & actiua.ibid.
Vtraque exercenda à Carmelitis ibid.
*Iudicium Prioris, & fratrum in receptione laicorum quærendum.n.*56.
Ordinis regimen an monarchicum, seu potius mixtum. ibid.
*De consensu Fratrum remissiuè.num.*57.
*De Cellulis Fratrum.n.*58.
*Cellulæ Fratrum quales, & quam breues esse debeant. num.*59.
*An separatæ, seu potius coniunctæ.n.*60.
*Ex dispensatione Prioris,& fratrum assensu.n.*61.
Seniorum assensus an requisitus.ibid.
Quando requiritur consilium,vel assensus,qualiter haberi debeat.ibid.
*De communi refectione.n.*62.
*Aliter erat in regula primitiua.n.*63.
*Nihil extra refectorium comedendum.n.*64.
*Comedendum simul in illo.n.*65.
*Ciborum particularitas fugienda.n.*66.
*Lectio sanctæ Scripturæ habenda in mensa.n.*67.
*Transgressio huius puncti an venialis.n.*68.
*De non mutandis cellulis.n.*69.
*Extenditur ad non mutandum conuentus, vel prouincias sine licentia,&c.n.*70.
*De cellula Prioris.n.*71.
*Quid in hoc puncto quoad litteram, & spiritum notandum.n.*72.
Eremus ordinis in Prouincia Vasconiæ.ibid.
*Monasterij negotia an solum per Priorem tractanda. num.*73.
*De mansione in cellis,& iugi oratione.n.*74.
*Duo magni momenti hæc.n.*75.
Verba illa Die ac nocte *ad quæ referenda.n.*76.
*Iugis,& continua oratio nostris imposita.n.*77.
Conformiter ad praxim priscorum monachorum. ibid.
*Quid de aliis regulis.n.*78.
An continua oratio pro Carmelitis mitigata sit à Papa.ibid.
*Non obligantur ad continuam orationem mathematicè.num.*79.
Sed moraliter.ibid.
*Non est propterea valde difficile hoc præceptum. num.*80.
*Qualiter,aut quomodo adimpleatur.n.*81.
*Per quodcunque genus orationis mentalis.n.*82.
*Solum obligat ad venialem culpam.n.*83.
*Non datur præceptum diuinum per se obligans religiosos solum ad orationem mentalem.n.*84.
An saltem per accidens.ibid.
*An ex vi religiosi status.n.*85.
*Datur præceptum diuinum naturale orandi, siue mentaliter, siue vocaliter.n.*86.
*Quomodo regula possit obligare ad orationem mentalem.n.*87.
*De horis canonicis,n.*88.
*De oratione vocali.n.*89.
*Quid per horas canonicas intelligatur.n.*90.
Quid per dictionem Clericis.*n.*91.
Clausula Constitutionem SS.Patrum, *quid denotet. num.*92.
Clausula Per Ecclesiæ approbatam consuetudinem.*n.*93.
*Qui teneantur hoc præcepto.n.*94.
*An professi non constituti in sacris ordinibus.n.*95.
De obligatione Conuersorum ad dicendum iteratis vicibus Pater noster,& Aue Maria.*n.*96.
*Quomodo declarata in nouissimo Capitulo generali. n.*97.
*De non habendo proprium.n.*98.

Modus

Modus paupertatis religionis.n.99.
Vita Communis in quo consistat.n.100.
Quomodo ad illam teneantur religiosi.n.101.
Ex vi regulæ Carmelitanæ tenentur religiosi ad arctissimam paupertatem .n 102.
Sunt Carmelitæ mendicantes ex regula.n.103.
Quid his temporibus ex decreto Concil. Tridentini. num.104.
An religiosus dicere possit esse aliquid sibi proprium. num.105.
Quomodo asinos, siue mulos, similiáue animalia, habere possit ordo noster.n.106.
De modo obseruando in distributione bonorum. num.107.
De oratorio, & audienda missa quotidie.n.108.
Oratorium in medio cellularum antiquitus.n.109.
Oratorij qualitates.n.110.
Audire missam quotidie obligantur Carmelitæ. num.111.
Quanta est hæc obligatio.ibid.
Quid de missa cantata, seu conuentuali.n.112.
Vsus Chori in religione.n.113.
Cantus Ecclesiasticus in ordine.n.114.
De capitulo, & correctione.n.115.
Quæ tradenda circa hoc punctum regulæ.n.116.
Capituli culparum vtilitas.n.117.
De tempore illud faciendi.n.118.
Quam culpam committat Prælatus non faciendo capitulum.ibid.
Modus celebrandi illud.n.119.
Quæ in illo tractanda.n.120.
Quomodo corrigendi in ipso fratres.n.121.
Charitate media.n.122.
De ieiunio Regulæ.n.123.
Cur sit eo modo assignatum.n.124.
Non pro diebus Dominicis.n.125.
An in illis ieiunare liceat.ibid.
Quid de festo Natalis Domini.n.126.
An in ipso festo Exaltationis sanctæ Crucis obliget ieiunium regulæ.n.127.
Non in die Dominicæ Resurrectionis.n.128.
Obligatio ieiunij regulæ est sub veniali.n.129.
An obliget fratres iuuenes.ibid.
Possunt à Prælatis facilè dispensari.ibid.
Obligantur ad hoc ieiunium fratres etiam extra conuentum.ibid.
Quæ sunt quæ excusant ab illo.n.130.
Mitigatio Eugenij IV. circa illud.n.131.
De abstinentia carnium.n.132.
Quomodo mitigata.n.133.
Abstinentia à carnibus licita, & honesta.n.134.
Quomodo non abbreuietur vita per illam.n.135.
Carnium nomine quæ veniant.n.136.
Num oua, & lacticinia.n.137.
Num sanguis sagimen, lardum, &c.ibid.
Num ius, & quæ cum carnibus coquuntur.n.138.
Quibus casibus licitus sit esus carnium.n.139.
Pro debilitatis remedio sumuntur.n.140.
Pulmenta cocta cum illis manducantur extra monasteria propter tollendum fastidium hospitum. numero 141.
Quale peccatum sit transgressio regulæ in hoc puncto. ibid.
An supra mare liceat carnium esus.n.142.
Excusantur pro aliquibus diebus fratres propter mitigationem Eugenij Papæ.n.143.
Quid pro festo Natalis Domini si venerit in feriam sextam, vel sabbatum.n.144.
De armis spiritualibus.n.145.
Religiosi vita veluti militia.n.146.
Armorum spiritualium vsus an obliget ad culpam. num.147.
Verbum Dei *quo sensu dicatur debere abundare in ore.n.148.*
An per illud intelligatur munus concionandi.ibid.
De assiduitate operationis.n.150.
Otiositas quomodo fugienda.n.149.
Quanta sit obligatio, & an ad culpam, huius puncti regulæ transgressio.n.151.
De labore manuali.n.152.
Quæ comprehendantur sub illo.ibid.
Quomodo præcipiatur in constitutionibus ordinis. n.153.
Verba illa Audiuimus quosdam inter vos ambulantes inquietè, nihil operantes, *à quo dicta. n.154.*
De silentio.n.155.
Quomodo in aliis regulis præcipiatur.n.156.
Obligatio silentij est ad culpam.n.157.
Obligat tam Prælatos quam subditos.n.158.
Quod post completorium obliget.n.159.
Locatio submissa an frangat silentium regulæ.ibid.
Quæ pœna imponatur frangenti silentium.n.160.
In hoc puncto mitigata est ab innocent. IV. regula Alberti.n.161.
De humilitate ad Priorem exhortatio.n.162.
Quid in aliis regulis.n.163.
De honorando Priore.n.164.
Quid de hoc in aliis regulis.n.165.
Ad quam culpam obliget.n.166.
Quid sit contemptus.n.167.
De operibus supererogationis.n.168.
De discretione.n.169.
Excitantur Carmelitæ ad deuotionem B. Virginis Mariæ.n.170.
Tractatulus de conformitate regulæ nostræ cum vita B. Virginis Mariæ.n.171.
De authore huius opusculi.n.172.
De Bulla Eugenij IV. pro mitigatione regulæ.n.173.
Circa manducationem carnis.n.174.
Circa mansionem in cellis.n.175.
Non est mitigata regula quoad iugem orationem
Quomodo intelligenda plenaria remissio peccatorum pro articulo mortis posita in regula.n.176.
An sit reuocata per Paulum V.n.177.
Obligatio ieiunij annui posita in regula non est pro vtendo priuilegio mitigationis, sed pro indulgentia consequenda.n.178.
Maximè propter concessionem Sixti IV.n.179.
Et Pauli V.ibid.
Quomodo sit concedenda.ibid.
Bulla Pij II. pro mitigatione regulæ.n.180.
Clausula Conscientiæ tuæ arbitrium *quid denotet. num.181.*
Ieiunia alia Ordinis veluti in commutationem ieiunij Regulæ mitigati.n.182.
Facultas recipiendi loca non feudalia.n.183.
Cur non concedantur feudalia.n.184.
Campanile in Ecclesiis nostris habendum.n.185.
An pro campanis, seu pro vna tantum campana. ibid.
Alia remissiuè.n.186.
Extensio Constitutionis Super Cathedram *ad Carmelitas.n.187.*
Habetur in iure hæc extensio in Extrauaganti Frequentes.*n.188.*
De aliis, quæ in dicta Extrauaganti habentur. numero 189.
Damnantur errores Ioannis de Poliaco.n.190.
Qui erant tales errores.n.191.

Poliaci istius scientia damnata.num.192.
Extrauagantes Benedicti, & Martini quomodo accipienda.n.193.
An mendicantes possint dici proprij Sacerdotes.ibid.
Sententia Poliaci nullo modo defensibilis.n.194.
Gradus recipi possunt à mendicantibus.n.195.
Alia remissiuè.n.196.
Priuilegia pro familiaribus.n.197.
Pro audiendis confessionibus recurrentium ad Fratres. num.198.
Quid Confratrum *nomine intelligatur.n.199.*
Facultas minorum Pœnitentiariorum pro Fratribus concessa.n.200.
Est variabilis hæc facultas.n.201.
De canonica portione non soluenda de legatis.n.202.
Quomodo subsistat.n.203.
Exemptio ab eadem canonica portione.n.204.
Quid in Clementina Dudum *circa eam statutum. num.205.*
De decimis non soluendis.n.206.
Suscipitur Ordo sub Beati Petri, & Papæ protectione. num.207.
Confirmantur bona Ordinis.ibid.
Exemptio à decimis.ibid.
Quid sit vsusfructus, vsus iuris, & vsus facti.n.208.
Qualis ipsorum sint capaces Religiosi.ibid.
Religiosi non transeunt ad alios Ordines sine licentia Generalis.n.209.
Licentia hæc petita debet esse & obtenta.n.210.
Non transeunt ad Ordines Monachorum sine licentia.n.211.
Qui sint Monachi Nigri.ibid.
Qui Cistercienses.ibid.
Prohibitio transitus sub excommunicatione.n.212.
Est pro Mendicantibus solum.n.213.
Extenditur ad Mendicantes nouos.ibid.
Est pro transitu ad monachales Ordines.n.214.
Carthusianis exceptis, & quare.n.215.
De transeuntibus ad Carthusianos an priuentur voce actiua, seu passiua, &c.ibid.
Religiosus eiectus an possit transire ad dictos ordines. num.216.
De aliis ad intentum.n.217.
Nullus Ordo paris, vel minoris arctitudinis potest Fratres nostros recipere.n.218.
Aliud est arctitudo, aliud perfectio Religionis. n.219.
An possit concedi licentia ad transitum ad æquè, vel minus strictum Ordinem.n.220.
Benedictio, seu consecratio cœmeteriorum à quo postulanda.n.221.
Minores, & maiores Ordines à quo habendi.ibid.
Quomodo hoc priuilegium maneat, aut non, in sua vi. num.222.
Generi per speciem derogatur.ibid.
Clausula Sine iuris præiudicio alieni *quam vim habeat.n.223.*
Intelligitur de alio præiudicio quàm expresso.ibid.
Facultas suscipiendi Ordines à quocunque Episcopo reuocata.n.224.
De aliis remissiuè.n.225.
Loca ab aliis non recipienda infra spacium 140. cannarum à nostris domibus.n.226.
Notanda circa hoc priuilegium.n.227.
De aliis ad intentum.n.228.
Bulla Pij II.pro reformatis Ordinis.n.229.
Summi Pontifices maximè Zelatores reformationis Ordinum.n.230.
Illam sæpius inculcant.ibid.
Exhortantur Ordinarios vt ad id tribuant auxilium. num.231.
Mendicantes sunt cooperatores Prælatorum Ecclesiæ. ibid.
Exhortantur etiam ad id dominos temporales. numero 232.
Excommunicantur impedientes reformationem.numero 233.
Qualiter facienda sit reformatio.n.234.
Confirmantur à Paulo II.statuta edita in capitulis pro reformatione.n.235.
Priores Conuentuum reformatorum solum à Fratribus dictorum Conuentuum eligendi.ibid.
Tales Conuentus à quibus visitandi.ibid.
Quid promittere debeant tales Priores.ibid.
Dicti Priores meritò solùm à Conuentibus eligendi. num.236.
Quid si tota Prouincia esset reformata.ibid.
De excommunicatione circa hoc posita.n.237.
Cur Prouinciales solum permittantur visitare Conuentus reformatos.n.238.
Taxa an imponi possit Conuentibus visitatis.n.239.
De promissione facienda à Prioribus reformatorum. num.240.
Ad quid obliget promissio, an sub veniali, an verò sub mortali peccato.ibid.
Quid intelligat Pontifex in hoc priuilegio per illa verba, Nec Vicarius cuiuscunque, *&c.n.241.*
Bulla Callisti III. Confirmantis statuta edita pro reformatione.ibid.
Facultas procedendi contra apostatas.n.242.
Facultas visitandi, mutandi Fratres, recipiendi Nouitios.n.243.
Clausula Cum libero ingressu, & exitu *quid denotet. num.244.*
De facultate mutandi Fratres.n.245.
Ad quos Prælatos extendatur.n.246.
De facultate recipiendi Nouitios.n.247.
Quomodo intelligenda.ibid.
Generalis electus statim exercet suum officium. n.248.
Alia similia priuilia.n.249.
Generalis quando, & quomodo absolui potest ab officio. ibiid.
Quomodo id fiat propter hæresim.n.250.
Quomodò propter incorrigibilitatem.n.251.
De aliis causis, & quomodo practicandis.ibid.
De discolis capiendis, incarcerandis, torquendis, &c. num.252.
Quibus pœnis puniendi.n.253.
An triremium pœna.n.254.
An per torturam.n.155.
De incarceratione talium.n.256.
Religiosi ad beneficia assumpti non admittuntur ad officia Ordinis.n.257.
Quomodo beneficia conferri possint Religiosis. n.158.
Quæ pœnæ sint illæ irregularitatis, & inhabilitatis *in hoc priuilegio posita.n.259.*
Alia remissiuè.n.260.
Facultas recipiendi Moniales.n.261.
Semper fuit in vsu Religionis.n.262.
Priuilegia Religionum circa hoc.ibid.
Non debent Moniales quæ sub gubernio Religionum sunt facilè oradi Ordinariorum regimini.n.263.
Nec facere id possunt Prælati.n.264.
Moniales exemptæ sunt immediatè sub Sede Apostolica.ibid.
Quid habeatur ex Rota decisione.n.265.& 266.
Quid ex alia Rota decisione.n.267.
Quæ Monialium nomine in præsenti veniant. numero 268.
Facultas recipiendi mulieres ad habitum Ordinis. num.269.

Non

Non tenentur Fratres ad causarum cognitiones. numero 270.
Nomine causæ *quid veniat in præsenti.n.271.*
Quot modis sumatur causa.ibid.
De Altari viatico in Oratoriis.n.272.
Ius Parochiale in tribus.ibid.
Vbi habeantur similia.n.273.
Parochialis Ecclesia quæ requirat.n.274.
Iurium Parochialium nomine quæ veniant.ibid.
Extensio facultatis celebrandi cum altari portatili. num.275.
An in Oratoriis priuatis domorum sæcularium.numero 276.
Sacræ congregationis decretum circa hoc.ibid.
Notanda circa illud.n.277.
An quando conceditur facultas alicui cum sua familia, possit ea vti illa familia sine domino. numero 278.
Prohibitio Ordinariis ne petant obedientiam à Religiosis.n.279.
Quomodo debeatur obedientia DD. Episcopis, ab Exemptis.n.280.
Religiosi solum subiecti Papæ.ibid.
An possint huic exemptioni renunciare.ibid.
De celebrando in Oratoriis.n.281.
Papa immediatus Superior quorundam Religiosorum. num.282.
Sunt sub protectione ipsius.ibid.
Illos propterea defendit.ibid.
Portant pondus diei,& æstus.ibid.
Sunt cooperatores,& coadiutores Episcoporum.ibid.
Clementina Dudum *ad intentum.ibid.*
Titulo Sacerdotij, quod est inter Religiosos, honorari debent.n.283.
Interest Ecclesiæ habere plures Sacerdotes.ibid.
Facultas pro concionatoribus.n.284.
Facultas recipiendi vsque ad summam centum marcarum argenti de vsuris,rapinis,& male acquisitis. num.285.
De aliis similibus concessionibus.n.286.
De facultate accipiendi dictam summam de legatis piis.n.287.
Item de commutatione quorundam votorum.n.288.
De conditionibus assignatis à Papa.n.289.
Qui authores circa hoc consulendi.n.290.
Facultas Prælatorum ad absoluendum excommunicatos propter iniectionem manuum in clericos. num.291.
Aliqua remissiuè circa id priuilegium.n.292.
Ampliatio huius facultatis.n.293.
Confirmat Sixtus IV. præfata priuilegia.n.294.
Encomia Ordinis nostri à Sixto prolata.n.295.
An ex motu proprio.n.296.
Motus proprius an dici possit,vbi adest instantia partis.ibid.
De effectibus Clausulæ Motu proprio.*n.297.*
De Clausula ex certa scientia.*n.298.*
Ex Rotæ decisione.n.299.
Supplentur defectus ex certa scientia,& motu proprio. n.300.
Qui defectus suppleantur.n.301.
Exemptio à solutione collectarum, exactionum, decimarum,&c.n.302.
Clausula Sicut accepimus *an egeat iustificatione. n.303.*
De excommunicatione imposita contra potestatem sæcularem imponentes collectas,&c.n.304.
De charitatiuo subsidio.n.305.
Exemptio à decimis de noualibus.n.306.
Priuilegia pro Pinzocheris,seu Tertiariis.n.307.
Quomodo practicanda.ibid.
Quæ Sacramenta illis ministranda.n.308.
Cum qua moderatione.n.309.
De sepultura ipsarum.n.310.
Sermo est de Tertiariis vtriusque sexus.n.311.
De priuilegiis Oblatorum.n.312.
Notanda circa ipsa.n.313.
Ampliatio facultatis celebrandi tempore interdicti, num.314.
An reuocata per Conc.Trident.n.315.
Concessio pro Fratribus Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & S.Mariæ de Mercede.n.316.
Priuilegia pro familiaribus.n.317.
Qui censeantur tales.n.318.
An suspensa per Bullam Cruciatæ.ibid.
An sepeliri possint in Ecclesiis.n.319.
Alia spectantia ad illos.n.320.
Quomodo non sint obnoxij censuris generaliter latis. num.321.
Secus de censuris specialibus.ibid.
An limitatum sit hoc per Concilium Trident. n.322.
Excommunicari,& interdici qui possint.n.323.
In excommunicatorum terris quomodo liberè commorandum.n.324.
An hoc priuilegium contineat aliquid supra ius commune.n.325.
Num liceat Religiosis prædicare hæreticis.ibid.
An etiam armata manu ne impediantur.ibid.
Facultas concessa Generali, & Prouincialibus ad absoluendum subditos,& dispensandum cum illis, exceptis quibusdam casibus.n.326.
De hac facultate remissiuè.n.327.
Casus hoc loco excepti qui sint.n.328.
Valet dicta absolutio etiam pro ignorantibus illam. num.329.
Absolutio,& dispensatio datur in Ordine nostro in visitationibus, Capitulis, & magnis solemnitatibus. num.330.
Forma illam concedendi.ibid.
Valde vtiles sunt huiusmodi absolutiones, & dispensationes.n.331.
Quæ sint solemnitates,in quibus dentur.n.332.
Quid pro casu quod Prælatus nollet cum posset absoluere subditum, seu dispensare cum illo.n.333.
An hæc priuilegia suffragentur peccantibus in contemptum clauium, vel ex confidentia ipsorum. num.334.
Facultas concessa Prælatis vt ipsi absolui, & dispensari possint.n.335.
An includatur hoc priuilegium in præcedenti. n.336.
An competat Prælatis immediatis, seu Prioribus. num.337.
Facultas absoluendi, & dispensandi circa venientes ad Ordinem nostrum.n.338.
Quid requiratur pro praxi huius priuilegij.n.339.
An competat etiam Prioribus localibus.n.340.
De Clausula illa Si huiusmodi sententiis propter debitum sunt astricti satisfaciant,*n.341.*
De Clausula Eo ipso incidant in pristinas sententias.*n.342.*
De libertate sepulturæ,& leuatione cadauerum. numero 343.
Libertati Sepulturæ non derogatur per Synodalem constitutionem.n.344.
An extendatur ad loca alia annexa Ecclesiis. n.345.
Aliqua obseruanda circa praxim horum priuilegiorum.n.346.
Confirmata à Sixto IV.n.347.
De iustitia Ecclesiarum canonica portione,seu quarta funerali.n 348.

A qui

A quibus debeatur his temporibus post Conc. Trident. num.349.
Conuentiones quomodo obseruandæ.n.350.
Non perditur hoc priuilegium propter aliquam contrauentionem.n.351.
Paulus V. quid circa hoc decreuerit per suum Breue pro Carmelitis.n.352.&.353.
De piis legatis non soluenda portio.n.354.
An huic priuilegio derogetur per aliquos actus contrarios.n.355.
Regularibus legari potest.n.356.
Priuilegium Fratrum Ordinis S. Mariæ de Mercede. ibid.
An aliis communicabile.ibid.
Alia circa ipsum.ibid.
Legata particularibus Religiosis an inter pia connumeranda.n.457.
Legata pro redemptione captiuorum maximè priuilegiata.n.358.
Alia ad intentum.n.359.
Exemptio Ordinis à iurisdictione Ordinariorum. num.360.
Exemptio Regularium quotuplex.n.361.
Sententiæ datæ contra Religiosos ab Ordinariis, exceptis casibus ipsis permissis, sunt nullæ.n.362.
Quid facere debent si à prædictis Ordinariis citentur. num.363.
An teneantur comparere.n.364.
Quid de declaratione quadam sacræ Congregationis. num.365.
Quæ reuocata sint per Conc.Trid.n.366.
Quid pro casu quo domini Episcopi prætenderent se habere possessionem.n.367.
Declaratio concessionis ad absoluendum recurrentes ad Religiosos de licentia suorum Prælatorum. num.368.
Declaratio concessionis facultatis minorum pœnitentiariorum.num.369.
Quid si deliquerint in contemptum clauium, vel ex confidentia priuilegiorum.n.370.
Extenditur hoc priuilegium ad Moniales.n.371.
Confessarij ipsarum approbari debent ab Ordinariis. ibid.
Quid de Generali Religionis pro audiendis confessionibus Monialium sibi subditarum.ibid.
Quid pro tempore Iubilæi, aut ex priuilegio Bullæ Cruciatæ.n.372.
Simoniæ prauitas an absoluatur propter ista priuilegia. num.373.
Facultas dispensandi cum illegitimis, & aliis irregularibus.n.374.
An etiam pro foro externo.n.375.
Illegitimi an recipi possint ad habitum.n.376.
Quibus conceditur hoc priuilegium.n.377.
Facultas ad ministrandum aliqua Sacramenta confessis Fratribus quando Rectores Ecclesiarum malitiosè id nolunt facere.n.378.
Quomodo vtendum sit hac facultate.n.379.
Illa non includitur in facultate administrandi Sacramenta pœnitentiæ.n.380.
Extrema Vnctio quando administrari possit à Fratribus.n.381.
An Parochi possint petere schedulas confessionis vt ministrent Eucharistiam.ibid.remissiuè.
Bona Monasteriorum Monialibus destitutorum quibus applicanda.n.382.
Monialium Monasteria quibus olim subiiciebantur. num.383.
Quibus modo ex priuilegiis.n.384.
Moniales gaudent priuilegiis Religionum.n.385.
An etiam illæ quæ subiectæ sunt Ordinariis.ibid.
Subduntur legibus, & statutis suorum Ordinum.numero 386.
De Monasteriis suppressis, & postea ad pristinam formam reductis.n.387.
An extendatur hoc priuilegium ad Monasteria Pinzocherarum.n.388.
Qui cum habitu Ordinis sepeliri volunt, vbi sepeliendi.n.389.
De excommunicatione contra id impedientes. n 390.
An hoc priuilegium derogatum sit per Conc. Lateranense.n.391.
De dantibus eleemosynam pro tali habitu.n.392.
In Parochiis Fratribus concessis Capellanum constituunt.n.393.
Notanda pro priuilegio.n.394.
An sit reuocatum.n.395.
De priuilegiis dicti Capellani.n.396.
De Generali electo quod statim sit confirmatus.n.397.
Prouinciales, & Priores aliter quàm per electionem à Generali instituti sua officia exercere possunt. ibid.
Quæ notanda ex Ordinis Constitutionibus circa hoc priuilegium.n.398.
An Prouinciales, & Priores sic electi indigeant alia confirmatione.ibid.
Prælati Regulares quantam, & quo iure autoritatem in subditos habeant.n.399.
Facultas concessa Inquisitoribus ad procedendum contra dicentes quod confessi Fratribus teneantur eadem peccata Parochis confiteri.n.400.
Extenditur etiam ad Protectorem, & Auditorem Cameræ.ibid.
Est magis amplum hoc priuilegium quàm alia concessa aliis Religionibus.n.401.
Quomodo intelligendum.n.402.
De authoritate dominorum Eminentissimorum Protectorum ex SS.D.N.Innocentio.n.403.
Excommunicatio contra inhibentes dari eleemosynam Fratribus.n.404.
Procedunt contra istos Protector Ordinis, Auditor Cameræ, & Inquisitores.ibid.
Amplitudo huius priuilegij.n.405.
Notanda circa ipsum.n.406.
Ampliatio exemptionis Ordinis ab Ordinariis.n.407.
Derogatur.cap.volentes,de priuileg.in 6.n.408.
Alia similia priuilegia.n.409.
Exemptio à decimis, susceptio Ordinis sub protectione, & confirmatio bonorum.n.410.
An Religiosi capaces sint successionis hæreditariæ. num.411.
De exemptione à decimis cum derogatione cap.nuper num.412.
Facultas ad recipiendum Clericos, & Laicos.n.413.
De casibus in quibus licet contradicere, ne in Religionibus recepti retineantur.n.414.
Facultas procedendi contra discedentes à Conuentibus, vel illos retinentes.n.415.
Duæ concessiones de hac materia.416.
Notanda circa illas.n.417.
Religiosi non coguntur ad Synodos, Conuentus forenses, aut iudicia, nec Domini Episcopi veniunt ad domos ipsorum ad præfata.n.418.
Quando cogi possint Religiosi ad Synodos.c.419.
Quid intelligatur per Conuentus Forenses.n.420.
An Domini Episcopi habeant iurisdictionem in Religiosos ratione possessionis in hoc acquisitæ.ibid.
An possint venire ad Monasteria causa celebrandi Ordines.n.421.
Non impediunt Generalis electionem.n.422.
An conuocent processiones ad Ecclesias Regulariũ.n.423

Quomodo Prælati Ordinis Episcopis obedire debeant. num.424.
In pertinentibus ad iura, & dignitatem Episcopalem. num.425.
Quomodo teneantur ipsos reuereri.ibid.
Consecrationes altarium, receptio Sacramentorum, & similia à quibus Episcopis postulanda.n.426.
An hoc priuilegium reuocatum sit per Conc. Trident. n.427.& 428.
De priuilegio suscipiendi Ordines sine examine quomodo sit derogatum.n.429.
De priuilegio non fundandi iuxta domos nostras infra spatium 140.Cannarum.n.430.
Quæ notanda circa illud.n.431.
An suffragetur circa translationem, seu mutationem Conuentuum intra eandem Ciuitatem.n.432.
Per Ecclesiasticas personas, *quæ intelligantur. num.433.*
Iure communi Ecclesia non fundatur cum alterius præiudicio.n.434.
Libertas ab exactionibus, pro sepultura, & pro redimendis possessionibus, quæ à Laicis detinentur. numero 435.
De hac materia remissiuè.n.436.
Quomodo hæc facultas redimendi dictas possessiones sit de iure communi.n.437.
Solum electus à Fratribus habendus in generalem. num.438.
Nullus violentiam aliquam intra clausuram nostram exercere audeat.ibid.
De hac materia remissiuè.n.439.
An excommunicationem incurrat talem violentiam committens.n.440.
Priuilegium Fratrum sanctæ Mariæ de Mercede. num.441.
Confirmatio libertatum, indulgentiarum, immunitatum.num.242.
Similia priuilegia.n.443.
Quales indulgentiæ reuocatæ sint à Paulo V.n.444.
Nomine exactionum quid intelligatur.n.445.
Contra perturbatores, vel occupatores nostrarum domorum, seu possessionum.n.446.
Conformiter ad ius commune, & ad protectionem quam habemus sub Sede Apostolica.n.447.
Bona sic confirmata an habeant causam præscribendi. num.448.
An extendatur hoc priuilegium ad grangias.n.449.
De pœnis contra oppositum facientes.n.450.
Circa receptionem Tertiariorum, seu Tertiariarum. num.451.
Forma habitus Tertiariarum.n.452.
Regula ipsarum.n.453.
Pro viris Tertiariis.n.454.
Alia ad hanc materiam spectantia.n.455.
Facultas instituendi Confessores, Concionatores, & Lectores.n.456.
Quomodo moderata quoad Concionatores.n.457.
Clausula Authoritate Apostolica, *quid importet. num.458.*
Constitutio Gregorij XV.circa Concionatores.ibid.
Litteræ Vrbani VIII.ad Eminentiss. Card. Sandoual. ibid.
Quid de Facultate instituendi Confessarios.n.459.
An maneat modo in sua vi.ibid.
Maximè propter Clementinam Dudum, de Sepult. *ibid.*
De facultate instituendi Lectores.n.460.
Declaratio priuilegij ad instituendum Concionatores. num.461.
Quænam notanda circa ipsum.num.462.
Ordinis Constitutiones de eo.ibid.
Ampliatio facultatis celebrandi cum altari portatili. n.463.
Iura parochialia in hoc priuilegio tantum sunt duo, scilicet decimæ, & primitiæ.n.464.
Quid de Oblationibus.ibid.
Notanda circa hoc priuilegium.n.465.
Facultas prædicandi in locis publicis n.466.
Quando, & quomodo practicanda.ibid.
Exemptio à collectis, causis, visitationibus aliorum Ordinum Monialium, &c.n.467.
An huic priuilegio derogatum sit à Conc.Trid. n.468.
Interdicta quando à Fratribus promulganda.ibid.
Assessorum munus an permissum Regularibus.n 469.
Facultas ad corrigendum Fratres promissos ad assistendum quibuscunque personis.n.470.
Non tenentur Prælati aliquos Fratres in Socios quaruncunque personarum designare..ibid.
Nullus assumere illos potest ad sua negotia sine licentia Prælatorum.ibid.
Similia priuilegia aliorum.n.471.
Conformia sunt iuri communi.n.472.
Religiosi an possint esse Cubicularij Episcoporum, Magnatum, &c.n.473.
Assumi possunt ab Inquisitoribus in Notarios.n.474.
Facultas remouendi, & mutandi Concionatores Cruciatæ, & Inquisitores.n.475.
Crux, seu Cruciata quid importent.n.476.
An maneat hoc priuilegium in sua vi.ibid.
Prohibitio non discedendi ab Ordine sine licentia, aut discedentem retinendi.n.477.
Facultas procedendi contra egressos ab Ordine ad transeundum ad alios, si id non fecerint.ibid.
De quibus egressis est sermo.n.478.
An ista competant Prælatis iure ordinario.n.479.
Competit ipsis iurisdictio tanta quanta Episcopis in subditos.ibid.
Priuilegium Eugenij IV.quoad hoc.ibid.
Impedire etiam possunt Prælati ne aliqui Fratres ad Episcopatus assumantur, nisi Papa oppositum præceperit.n.480.
Priuilegia circa hoc.ibid.
Apostatæ capiuntur in quocunque habitu, etiam in Curia Rom.reperti.n.481.
Prælati nostri subduntur immediatè Papæ.n.482.
Alia de hoc priuilegio.n.483.
Expulsi ab Ordine non prædicant, nec audiunt confessiones, aut docent. n.484.
Possunt cogere Religionem ad eos recipiendos quando emendati fuerint.n.485.
Quid faciendum cum illis, qui ex industria fiunt inobedientes, vt eiiciantur ab Ordine.n.486.
Eiecti an possint licentiari ad alios Ordines.n 487.
Similia priuilegia aliorum ordinum.n.488.
An ipsi eiecti possint propria authoritate ad alios Ordines transire.n.489.
De litteris testimonialibus istorum.n.490.
An possint Ordinarij illas examinare.n.491.
Nullus potest similem habitum nostri Ordinis deferre. num.492.
Patrum Discalceatorum priuilegia quoad hoc. numero 493.
Quomodo intelligenda.ibid.
Qualis sit habitus noster iuxta Ordinis Constitutiones. num.494.
Seruitarum priuilegium extensum ad habitum Tertiariarum.n.495.
Bona incerta assumentium nostrum habitum quibus applicanda.n.496.

*An etiam de Tertiariis hoc intelligendum. num.*497.
*Fratres solùm suis Prælatis, vel de eorum licentia confiteri possunt.n.*498.
*Quid de Monialibus.n.*499.
*Recapitulatio præcedentium priuilegiorum.n.*500.
*Praxis Regularium pro defensione suorum priuilegiorum.n.*501.
Quid quando Ordinarij vellent visitare ipsorum monasteria.ibid.
*De legatis non danda canonica portio.n.*502.
*Quomodo id procedat in Oblationibus.n.*503.
*An legata possint conuerti in alios vsus.n.*504.
*Quid de legatis pro victu,& vestitu.n.*505.
*Libertas Fratrum ad transferendum bona ex vno Monasterio ad aliud,& quoad procurationes,exactiones,&c.n.*506.
*Bona Ordinis immediatè sub protectione, & iurisdictione Sedis Apostolicæ.n.*507.
*An bona Fratrum Monasteriorum translatorum vendi possint.n.*508.
Derogatio cap.Volentes.*n.*509.
*Notanda circa hoc priuilegium.n.*510.
*Regulæ nostræ approbatio.n.*511.
*Mitigatio eiusdem.n.*512.
Quomodo recepta in Ordine.ibid.
*Qui illam non recipiunt.n.*513.
*Facultas recipiendi quæcunque loca, etiam parochialia.n.*514.
*Etiam feudalia,seu censualia.n.*515.
*An etiam parochias.n.*516.
*De Capellano instituendo.n.*517.
*Licentia Papæ an requisita.n.*518.
An de Ecclesiis solum dedicatis non consecratis possit celebrari festum dedicationis Ecclesiæ.ibid.
*Obtinentes beneficia non admittuntur in Capitulis. num.*519.
*Rationi consonat hoc priuilegium.n.*520.
*Non se ingerunt in administratione bonorum Ordinis. n.*521.
*Amplissima communicatio priuilegiorum Mendicantium.n.*522.
*Aduertenda circa illam.n.*523.
*Alia communicatio nostrorum PP. Discalceatorum. n.*524.
*Quæ sint priuilegia Prædicatorum,Minorum,Eremitarum,&c.n.*525.
*Pœnæ contra impedientes executionem priuilegiorum. num.*526.
*Benedictio pro illa protegentibus.n.*527.
*Iudices Conseruatores constituti pro obseruantia priuilegiorum.n.*528.
Facultas Domin. Cardinal. Protectorum quoad hoc. ibid.
An possint per censuras procedere. ibid.
*Constitutio Gregorij XV.moderatiua.n.*529.
*De Syndicis,& Procuratoribus.n.*530.
*Non obstantia amplissimæ.n.*531.
Transumptis adhibetur fides.ibid.
*Quæ Concilia generalia egeant speciali derogatione. num.*532.
An Tridentinum.ibid.
*Quæ mentio ipsorum requiratur.n.*533.
*Quid requiratur pro authenticatione transumptorum. num.*534.

1. BVLLA hæc, quæ *Mare magnum* Carmelitarum dicitur,habetur in Bullario Rodriguez *tom.*1.*in Sixto IV.Bulla* 37. diciturque ibidem haberi authenticam in Conuentu sancti Francisci Salmanticensi per Dominum Ioannem de Castella Salmanticensis Cathedralis Episcopum. Habetur etiam pars illius in Bullario communi Laertij, Cherubini *in Sixto IV.num.*11 Extat etiam in pluribus nostri Ordinis Conuentibus, antiquis eiusdem monumentis inserta, in libro præsertim quod *Speculum Ordinis* appellatur *à fol.*84. Insuper Ioannes Maria de Poluciis Bachalaureus eam in vnum volumen redegit,quod extat in Archiuio Transpontinæ authenticatum per Ioannem Alouisium Tuscanum Cameræ Apostolicæ Auditorem sub anno 1477. Vidi etiam aliud eiusdem Bullæ solemne transumptum in Archiuio conuentus sancti Chrysogoni de Vrbe nostrorum Patrum Congregationis Mantuanæ. Maximè verò sub anno 1595.iussu Clementis VIII. instantibus Reuerendis Patribus nostri Ordinis Discalceatis extractum est hoc Mare magnum *de registro ipso de verbo ad verbum*, vt Pontifex inquit, adiungens in fine hæc:*Cæterum vt earundem litterarum tenor præfatus sic insertus omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, Apostolica authoritate præfata decernimus, vt illud idem robur, eamdemque vim, & eundem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quæ haberent Originales litteræ supradictæ, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & vbicunque, siue in iudicio, & extra, siue alibi, vbi fuerit exhibitus, vel ostensus, ac eidem tenori firmiter stetur in omnibus sicuti eisdem Originalibus litteris staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Per hoc autem nullum ius cuiquam de nouo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conseruari. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c.* Extat hæc Bulla Clementis VIII. cum præfato Mari magno ex Registro Sixti IV. extracto in libro priuilegiorum præfatorum RR. PP. Discalceatorum Hispaniæ. Quare hæc Bulla *Mare magnum* vocetur, & quis fuerit Sixtus IV. qui illud,sicut & aliud simile Prædicatorum,Minorum, & Eremitarum sancti Augustini compilauit, dixi *in Commentario in Mare magnum Prædicatorum. num.*2.*&* 4.

De excellentia porro, antiquitate,institutione, laudibus, & prærogatiuis huius sacri Carmelitarum Sodalitij, exteri multi, & proprij plura scripserunt, quos etiam imitari satagimus in nostris Annalibus, prout facere cœpimus *in tom.*1. ipsorum nuper in lucem edito. De exteris ergo hunc Ordinem commendant Bartholomæus Cassanæus *in Cathalogo gloriæ mundi p.*4. *consìderat.*70.Ioannes Trithemius Abbas Benedictinus *in lib. de laud.b. Carmelitar.*Iodocus Clictouæus *in Concion. habita in comit. Prouincialibus.* Paulus Morigia Iesuatus *in histor. Relig.lib.*1.*cap.*30. Syluester Marulus Cisterciensis *in Mar. Ocean. Relig.lib.*4. Franciscus Suarez Doctor egregius huius temporis *tom.* 4. *de Relig.lib.*2.*cap.*10.Laurentius Beyerlinck *in Theatr. vitæ hum. tom.*6. *littera R, verbo Religiosus Religio.* Iacobus Salianus *in Annalib.*4. *tomo*, dum de Elia, Eliseo, & filiis Prophetarum agit. Petrus Caluus Dominicanus *in defens.Relig.* latè,& copiosè.Ioannes Carragena Minorita 4.*tomo hom. lib* 17. Carolus de Tapia *in Authentic.ingressi verb.Monasteria*, & plures alij. Ac de propriis authoribus Ioannes Hierosolymitanus, Beatus Cyrillus Constantinopolitanus,Guillelmus de Sannico,Ioannes de Bacco, Philippus Ribboti, Thomas Vualdensis, venerabilis Ioannes Sorets, Baptista Mantuanus, Ioannes Palæonydorus, Petrus Lucius Belga, Didacus, Coria, Michael Munorius, Petrus Thomas Sarrazanus, Marcus Antonius Cassanate, ac de Illustrissimis Patrum Discalceatorum 2.

Congregationibus Thomas à Iesu, Thomas Aquinas, Franciscus à S. Maria, Gregorius Nazianzenus, & alij non pauci in diuersis libris, & tractatibus.

3. Duæ tamen præcipuæ prærogatiuæ huius ordinis, quæ in proœmio huius Bullæ, seu Maris magni à Pontifice Sixto tanguntur, maximè expendendæ. Sic autem loquitur (& eadem repetit in alia Bulla, quæ est confirmatio Indulgentiarum, & habetur etiam in Bullario Rodriguez *dicto tomo* 1. *in Sixto IV. num.* 38.) & his verbis: *Dum attenta meditatione pensamus, quod virga venustissima, & omnium virtutum floribus insignita Virgo Dei Genitrix gloriosissima, cuius plenitudinem Sol, & Luna mirantur, cuiusque precibus iuuatur Populus Christianus, & quæ Florem pretiosissimum, immarcescibilem, & æternum Dominum nostrum Iesum Christum ineffabili Sancti Spiritus cooperante virtute genuit; produxitque sacrum Ordinem Beatæ Mariæ de Monte Carmeli à Sede Apostolica, pluribusque Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris approbatum, quem eiusdem gloriosissima Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ speciali titulo voluit insigniri; vt ob eius Virginis reuerentiam Ordo ipse à Christi fidelibus merito peramplius veneraretur, ipsique fideles propterea eiusdem Virginis Mariæ adiuti suffragiis æternæ retributionis præmia facilius consequi mererentur, dumque sublimium dicti Ordinis vtriusque sexus personarum virtutum merita Deo quidem grata, & in conspectu Apostolicæ Sedis accepta digna memoria recensemus, ac Ordinem ipsum, & illius personas sub Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ protectione immediatè existentes, & inter cæteros Regularium Ordinum professores in firmamento Catholicæ fidei militantes tanquam Religionis speculum, & exemplar speciali charitate fulgentes, Sanctorumque Prophetarum Eliæ, & Elisei, & aliorum Patrum, qui Montem sanctum Carmeli, iuxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes, fructus quoque vberes, quos dictus sacer Ordo in agro militantis Ecclesiæ, in propagatione Religionis, & Fidei Orthodoxæ hactenus produxit vtiliter, & producit, ac in futurum producturum indubitanter speramus, paterna charitate intuemur, dignum potius, quinimo & debitum reputamus Nos ad illa nostros dirigere debere cogitatus, &c.* Quibus verbis duæ maximæ prærogatiuæ huius Ordinis à Pontifice designantur. Prima ibi, dum sermo est de Dei Genitrice Virgine Maria. *Produxitque sacrum Ordinem Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.* Secunda ibi, dum loquitur de Fratribus eiusdem Ordinis: *Sanctorumque Prophetarum Eliæ & Elisei, & aliorum Patrum, qui Montem sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes.* Quæ duo quomodo inter se, & cum veritate ipsa cohæreant, disquiri potest. Si enim hic ordo ab Elia, & Eliseo, & aliis Patribus Montem sanctum Carmeli habitantibus hæreditariam trahit successionem (vt Pontifex inquit) quomodo de illo dici potest à Beata Virgine productum, prout idem etiam Pontifex ait illis verbis, *Produxitque sacrum Ordinem Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.* Sed nodus facile soluitur, si aduertamus, quòd etsi huius Ordinis primordialis institutio (eo videlicet modo, quo in veteri lege ante Euangelij perfectionem, & complementum fieri potuit) ab Elia originem ducat, prout Pontifex iste fatetur, & tam ex ipso, quàm ex aliis Summis Pontificibus, scilicet Iulio II. in Bulla, *Ad sacrum Ordinem*, Gregorio XIII. in Bulla, *vt Laudes*, Clemente VIII. in Diplomate *In Apostolicæ dignitatis*, & in alio *Dominici gregis*, litteris missis ad Persarum Regem, aliisque testimoniis, tum, & præcipuè Ecclesiæ sanctæ in Officiis ab ipsa approbatis, tum etiam aliis Historicorum, Doctorum, & Authorum monumentis quamplurimis probauimus *in Apparatu ad tomum primum Annalium nostri Ordinis, capite 6.* nihilominus, quia iuxta dicta *eo tomo primo Annalium, circa annum Mundi 4086. præsertim, numero* 43. *&* 44. Primordiatus ab Elia fuit in Virginis sanctissimæ (quam sub typo nubeculæ paruæ de mari ascendentis prænouerat) honorem, itaque proinde eadem purissima Virgo causa veluti finalis, seu exemplaris ipsius Ordinis dici possit, meritò propterea de ea inquit Pontifex *Produxitque sacrum Ordinem Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.* Causa enim finalis, & exemplaris inter eas, quæ effectum dici possunt producere, à Philosophis recensentur. Nisi velimus dicere, ideo Sixtum Papam ea verba protulisse, quia, vt indicat illis, *Quem eiusdem gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ speciali titulo voluit insigniri*, hic Ordo speciali eiusdem Virginis sanctissimæ voluntate ipsius titulo insignitur, quod quadamtenus est ipsum veluti produxisse. Eam scilicet ob causam *vt ob eius Virginis reuerentiam* (vt etiam Pontifex subiungit) *Ordo ipse à Christi fidelibus merito per amplius veneraretur, &c.*

Alias Ordinis prærogatiuas, quas hoc loco Pontifex recenset, præsertim de fructibus vberibus, quos in agro militantis Ecclesiæ, ac in propagatione fidei Catholicæ produxit in nostris Annalibus, si Deus dederit, enumerabimus. Ea autem omnia, quæ Pontifex refert magnæ authoritatis pondus Ordini afferre pro comperto cunctis est. Etsi enim verba narratiua Papæ, quæ non principaliter propter se proferuntur, plenam probationem non efficiant, prout ex iuribus, & Doctoribus attuli supra Mare magnum Eremitarum sancti Augustini § 31. *numero* 95. & generaliter loquendo verba narratiua Papæ proprium factum non referentis plenam fidem non faciant, prout ex Clement. 1. *de Probatione* colligunt Doctores: nihilominus narratiuæ Papæ etiam de facto alieno motu proprio factæ, & in qua fundat suam intentionem, standum est. Cardinalis *in Clementina* 1. *de Probatione in* 10. *quæstione*, Petrus Anchatanus *ibi, in* 1. *quæstione.* Imola *ibidem, in* 4. *columna, vers. prædicta limitatione esse vera, &* Alexander consilio 112. *vol.* 7. Curtius Iunior *consilio* 61. quos sequitur Puteus *decisione* 101. *aliàs* 100. *libro* 3. *decis.* Cùm ergo, quæ hic narrat Pontifex, ea referat ex motu proprio, & vt in eis fundet intentionem conferendi priuilegia, quæ in hoc Mari magno concedit, proculdubio ipsius narratiuæ standum erit. Præsertim, quia in antiquis enunciatiua Papæ etiam in facto alieno plene probat Ioannes de Imola, & alij in Clementina 1. *de Probatione.* Alexander *consilio* 15. *incip. visis narratis, numero* 2. *libro* 4 Ruinus *consilio* 108. *in capite visa, ac bene intellecta, numero* 20. *libro* 2. Gabriel *de Probatione, conclusione* 2. *numero* 54. quos refert, & sequitur Rota *decisione* 142. *numero* 6. apud Farinacium *in Collectanea* 1. *nouissimar. alias part.* 4. *diuersor.* & tenet Barbos. *in dict. Clem.* 1. *de Probat. num.* 9. 4.

Circa

Circa §. 1.

5. NOta primò Bullam Bonifacij VIII. *in hoc* §. contentam confundi in Mari magno isto, prout in Bullario Rodriguez reperitur, cum Bulla Clem. IV. de qua *in § sequenti*, Quod notatione dignum censeo pro hoc, & aliis pluribus erroribus, qui in hoc Bullario cernuntur, non Authoris, vt credo, sed typographorum incuria.

6. Nota secundò, quod cùm confirmationes immunitatum, seu priuilegiorum Ordini concessorum factæ à Nicolao IV. & Bonifacio VIII. & in hoc §. contentæ, solum sint in forma communi, cùm nec verbum habeant, quo denotetur eas esse in forma speciali, ideo solum habebunt eos effectus, quos similes confirmationes in forma communi habere solent. De quibus dixi super Mare magnum Prædicatorum, §. 38. & super Mare magnum Minorum, §. etiam 38. & maximè super Mare magnum Eremitarum sancti Augustini § 33. Vbi etiam alia ad intentum. Præsertim, quia ex dictis ibi elici potest huiusmodi confirmationes in forma communi inutiles non esse, sed fructuosas.

7. Nota tertiò, hoc idem priuilegium confirmatorium priuilegiorum, seu indultorum aliàs concessorum haberi etiam ferè ad verbum ex Vrbano VI. in Mari magno Eremitarum sancti Augustini §. 5. Vide ibi dicta, & circa §. 28. eiusdem Maris magni, ac dicenda inferius in aliis confirmationibus magis amplis, & extensis.

Circa §. 2.

8. LItteræ istæ Clementis IV. *hoc* §. contentæ commendatitiæ sunt Ordinis nostri ad omnes Archiepiscopos, vt scilicet Fratribus suffragarentur ipsis loca ad habitandum concedentes, impedientesque ne quoad hoc ab aliquibus indebitè molestarentur. Notat autem Scholiastes huius Maris magni *inter priuilegia nostrorum Patrum Discalceatorum* priuilegium hoc solum esse meram commendationem, non verò facultatem fundandi Monasteria, cùm prohibitio in contrarium solum reperiatur in iure post tempora huius Pontificis Clementis IV. scilicet tempore Bonifacij VIII. *in cap. vnico, de excessibus Prælatorum in Sexto.* Sed quod attinet ad primum, cum istæ litteræ sint commendatitiæ pro fundandis Monasteriis nostri Ordinis, consequentes etiam facultatem concedere videntur ad id faciendum, siue antea fuerit, siue non fuerit prohibitio. Quod attinet verò ad secundum, prohibitionem illam illius *capitis vnici, de Excess. Prælat.* non extendi ad omnes Religiosos, sed solum ad Mendicantes, dixi *tomo* 4. *verbo Monasteria Regularium, num.* 4. Quamuis etiam idem Scholiastes addat nunc temporis quoad fundationem Monasteriorum eorundem Patrum Discalceatorum standum esse priuilegio Pauli V. nihilominus iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 9. *à num.* 34. & loco relato *ex* 4. *tom.* propter constitutionem Vrbani VIII. ibi relatam, reuocatum est tale priuilegium Pauli V. An verò generaliter loquendo ad fundationem Monasteriorum quoruncunque Regularium requiratur Papæ licentia, dixi loco relato *ex* 4. *tomo.*

9. Porrò ex huiusmodi commendatitiis Clementis IV. litteris & aliis Innocentij IV. quas ipse refert, pluribusque aliis in antiquioribus Pontificum Annalibus reperris, & in fauorem Religiosorum datis, colligi primò videtur, Religiosorum causas, vtpote valde fauorabiles piissimè tractandas esse, *cap. in præsentia, de probat. cap. quia circa de priuileg. leg. locum*, & ibi Glossa *verbo Relig. ff. de vsufruct. Authent. ingressi, Cod. de Sacrosanct. Ecclesf.* Couarruuias *lib.* 1. *variar. cap.* 19. Gutierrez *lib.* 1. *canonic. quæst. cap.* 32. Secundò specialiter in fundatione Monasteriorum, de qua in præsentibus litteris agitur, etiam à Regibus, & Principibus curanda. Quia, vt bene, & piè Ludouicus Pius Imperator apud Flodoardum *lib.* 2. *histor. Eccles. Rhemens cap.* 19. dicebat: *Si locis venerabilibus ea, quæ à prædecessoribus nostris Regibus, vel Imperatoribus ad Republicæ vsus exigebantur, religiosa libertate in vtilibus, & necessitatibus sanctorum locorum expendendis remittimus, & fidelium nostrorum saluberrimis pro hac eadem repetitionibus benignum accommodamus assensum, maximè animæ nostræ, & Regi, & Regno prouidemus consultum; quia nihil cernitur imminutum, quidquid piis actibus, locis religiosis, ac Ecclesiarum Dei vtilitatibus, seu seruorum Dei fuerit commoditati indultum.* Et Rangolius *in* 4. *cap. lib.* 1. *Regum, cap.* 19. contra politicam Bodini, & Cuneri dicens post alia. *An putas Principem meritò reprehendi posse, si Collegia instituat; si Religiosas domos ædificet, quibus è Republica necessaria stipendia suppeditet? Non possunt dissipata, aut etiam distracta videri, quæ in communem Reipublicæ vtilitatem impenduntur.* Alia ad intentum de protectione summorum Pontificum erga Religiosos, præsertim Mendicantes, inferius *circa* §. 39. huius Maris magni. Plura etiam spectantia ad Monasteriorum extructionem, etiam pro casu, in quo aliqui prætenderent ex talium constitutione aliquod damnum inferri, habentur in variis Rotæ decisionibus, scilicet Gerundensi *altius non tollendi* coram Coccino 24. Nouembris 1636. & eiusdem tituli coram Domino Panzirolo 15. Iunij 1637. & aliis similibus, quæ ibi referuntur. Vide etiam Maronum *respons.* 60. Libet ad intentum afferre resolutionem quorundam dubiorum mihi propositorum circa clausuram cuiusdam Monasterij quod fabricabatur; & ad illud ingrediendum admissæ fuerunt quædam fœminæ, & quidam iuuenis, quæ talis fuit. Ad primum de ingressu istarum fœminarum in dictum Monasterium omnino videtur dicendum hunc Religiosum illas admittentem transgressum fuisse Bullas Pontificias, & constitutiones suæ religionis, in quibus prohibetur introductio, vel admissio istarum fœminarum intra clausuram. Primò ex motu proprio Pij V. edito anno 1570. qui incipit *Regularium personarum.* Secundò ex constitutione Gregorij XIII. quæ incipit. *Vbi gratiæ.* Quamuis enim in illis solum videatur prohibitum ingredi fœminas Monasteria virorum, aut Religiosos, illas admittere, virtute, & prætextu aliquorum indultorum, seu facultatum, tamen etiam extenditur ad eos, qui permittunt illas quomodolibet intrare, etiam sine prætextu, aut virtute alicuius facultatis, seu indulti. Tum quia Pius V. hanc esse suam mentem declarauit in alia constitutione, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, quam refert Confettius *in priuilegiis Ordinum Mendicantium, folio mihi* 147. vbi explicans suum priorem motum proprium declarat mentem suam ex intentione fuisse, quod dictæ litteræ non solum comprehenderent mulieres, habentes, & prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi Monasteria, sed etiam omnes, & quascunque mulieres alias, tam in genere, quàm in

in specie. Tum quia ipse Gregorius XIII. explicuit isto modo suam mentem, vt refert Villaguta *tract. de vsur. quæst.35. num.vlt.* Tum etiam quia ita praxi receptum est in pœnitentia Romana (quod pro lege haberi debet, maximè, cùm agatur de interpretatione sanctionis Apostolicæ) Nauar. *in summa lat. cap.27.n.105. excom.61.* Azor. *tom.1. Instit. mor. lib.13.c.8.* Vnde Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.1. cap.7. num.9.* propter hanc constitutionem Pij V. retractat quod alibi dixerat, scilicet in priori constitutione eiusdem Pij V. solum prohiberi ingressum fœminarum in monasteria virorum prætextu facultatum obtentarum. Ita scripsi *tom.1. mea summa quæst. regular. ex num.9.* & consentit Thesaur. *in praxi part.2. cap.3.*

Nec videtur excusandus iste religiosus ex eo quòd dicat introduxisse dictas fœminas, quia viderat suum prædecessorem ita etiam fecisse. Etenim factum non extenditur, sed quod debuit fieri. *l. nemo. Cod. de sent. & interlocut.* Crauet. *consl.320. num.5.* Federic. de Senis, *consl.152. num.3.* Et factum contra ius pro non sua haberi debet. *leg. iubemus, §. prædia, Cod. de sacros. Eccles. cap. quæ contra Ius.64. de reg. Iur. in 6.* Azor. *instit. moral. part.1. lib.5. cap.16. quæst.7.* Tuschus *littera F, conclus. 12. n.3.* Certum autem est, & reus iste sciebat, quod Pontificiis constitutionibus, & statutis huius religionis prohibita erat talis introductio fœminarum in clausuram monasterij. Præsertim etiam, quia exemplis non esse iudicandum sed legibus, habetur ex *l. sed licet, ff. de offic. Præsid. l. nemo, Cod. de sent. & interlocut. cap.1. de postulat. Prælat.* Socinus *reg.8.* Barbos. cum aliis *in axiomat. Iur. axiom.86. num.3.*

Nec etiam est excusabilis, si dicat non ex dolo, sed bona fide id egisse. Non solum quia qui non facit quod non facere tenetur, præsumitur dolosus. Farinac. *in praxi crimin. part.3. quæst.89. à num. 92.* Barbos. *axiom.92. num.6.* sed etiam quia, vt in casu supponitur, admonitus est à duobus Theologis eius monasterij, ne id faceret; eo quod esset contra dictas constitutiones Pontificias, & religionis, & quod esset scandalosum. Ex hoc enim elicitur non ex ignorantia, aut bona fide, sed ex dolo id egisse.

Ad secundum autem casum dico, quod si iuuenis ille erat malæ famæ, aut opinionis in materia honestatis, rectè potest nomine pueri comprehendi in constitutione eius religionis in qua præcipitur, ne pueri sæculares sub quocunque prætextu in monasteriis commorentur. Etsi enim pueri nomen solum denotare videatur eum, qui pubes est, *leg. mala, in princip.* & ibi Bartholus *in 1. not. ff. de aliment. & cibar. leg. pueri, ff. de verbor. significat.* Bertachinus *in repertor. verb. pueri.* Nihilominus aliquando etiam extenditur vsque ad 18. annos, qualis est 15. de quo in præsenti. Abbas *in Rubric. de dilect. puer.* Bertachinus *supra*, quod maxime procedit in materia honestatis, in qua imberbes præcipuè in tali ætate pueri dicuntur. Casu tamen quod iste religiosus puniendus non sit in vim constitutionis religionis, nihilominus iure naturali dictante puniri grauiter debet, quia secundum illud nullatenus permitti debent ingredi in interiora loca monasteriorum personæ, quæ religiosis ansam, seu occasionem peccandi præbere possunt. Pelissatius *in Manual. Regul. tom.1 tract.5. cap.6. n.25.*

Circa §. 3.

DVo continet priuilegium hoc Innocentij IV. in isto §. contentum. Alterum est personas Fratrum, & locum Montis Carmeli, in quo tunc manebant, sub B. Petri, & Papæ protectione suscipere. Alterum verò est facultatem concedere, vt cùm generale fuisset interdictum, liceret illis clausis ianuis, excommunicatis exclusis, diuina officia celebrare, dummodo causam interdicto non dederint, nec id specialiter esset ipsis interdictum. Et quidem de primo loquendo iam dixi in Mari magno Eremitarum sancti Augustini §. 10. circa simile priuilegium ex tali indulto non inferri exemptionem religiosorum. Eam tamen habent nostri ex copiosioribus aliis priuilegiis, de quibus infra in hoc eodem Mari magno, præsertim §. 5. & 6. loquendo autem de secundo, quod etiam conceditur ab Alexandro IV. in Bulla sub hoc eodem §. relato (quæ per typographi negligentiam omittitur in Mari magno, quod extat in Bullario Rodriguez) non multum de eo curandum, cùm iam sit ius commune post tempora Bonifac. VIII. ex *c. Alma mater, de sent. excommunic. in 6.* vt notaui circa Mare magnum Prædicatorum §. 10. Minorum §. 8. & Eremitarum sancti Augustini §. 20. Nota etiam, quod in priuilegio Innocentij IV. non habetur, quod id debeat fieri *campanis non pulsatis*, sicut habetur in priuilegio Alexandri IV. & *in dicto cap. Alma mater.* Præcipuè nota, ideo religionem impetrasse hoc priuilegium Alexandri IV. (vt videtur) quia priuilegium illud Innocentij IV. solum videbatur esse pro monasterio Montis Carmeli, vt patet ex illis verbis *Priori, & Fratribus Eremitis beatæ Mariæ de Monte Carmeli*, seu, vt in exemplari alio authentico habetur, *Eremi beatæ Mariæ*, &c. & postea *locum in quo*, &c. quibus denotari videtur tale priuilegium solum fuisse concessum monasterio Montis Carmeli, & Fratribus in ipso existentibus. Priuilegium autem Alexandri IV. est pro tota religione, vt patet ex illis verbis *Prioribus, & Fratribus Ordinis gloriosissimæ*, &c. & rursus *in Ecclesiis vestris.* Extenditur autem hoc priuilegium infra §. *sequenti*, & §. 50. 51. & 52. Pro hoc autem, & similibus priuilegiis, & qualiter eo tempore Interdicti se gerere debeant Regulares, consule Sorbum *in Addit. ad Compend. priuileg. Mendicantium verbo interdictum 3. §. Primo statim*, Mirandam *in Manuali Prælat. tomo 2. quæst.38. art.12.* & Ioannem de Cruce *in lib.3. de stat. relig. cap.7. dub.2.*

10.

Circa §. 4.

COntinetur hic priuilegium Innocentij VI. confirmatum, & relatum à Gregorio VI. per quod extenditur priuilegium Innocentij IV. & Alexandri IV. de quo in §. præcedenti. Cùm enim hi Pontifices facultatem dederint Fratribus nostris celebrandi diuina officia tẽpore interdicti generalis, seruata iuris solemnitate, scilicet ianuis clausis, &c. nihilominus cùm interdictum ad aliquem locum generaliter interdum irent, in quo Ecclesiæ, seu monasteria Ordinis non essent, clerici sæculares, & aliqui Regulares eos ad diuina admittere recusabant, vt propterea ad Sedem Apostolicam confugere compulsi sint. Papa ergo Innocentius VI. ipsis in hoc priuilegio concedit (quod & refert, & confirmat Gregorius XI.) vt cum ad 11.

ad talia loca declinarent, possent in eis ad diuina audienda, & celebranda admitti, ac ad receptionem Sacramentorum, cum solemnitate communis iuris, scilicet ianuis clausis, &c.

12. Circa quod nota, quod cum hæc differentia versetur inter priuilegium locale, & personale, quod pesonale sequatur personam, vbicunque fuerit, locale verò sequatur locum, cum priuilegia concessa nostris Fratribus ab Innocentio IV. & Alexandro IV. ambigua fuerint, nam Innocentius IV. generaliter illis concessit, vt tempore interdicti liceret illis diuina officia celebrare, non determinando locum talis celebrationis, Alexander autem IV. è contra illis concesserit, vt tempore talis interdicti dicta officia possent celebrare, determinando locum, scilicet *in Ecclesiis vestris*, ideo attentè considerando verba horum priuilegiorum, (prout faciendum esse docet Suarez *lib. 8. de leg. cap. 30. num. 10.* ad intelligendum naturam vtriusque priuilegij) ex vi prioris priuilegij Innoc. IV. cum esset absque determinatione loci, ac per consequens personale, possent dicti Fratres vbique terrarum celebrare tempore interdicti; ex vi autem posterioris Alexand. IV. cum esset locale, & determinatum ad proprias Ecclesias non possent id facere extra illas. Iure ergo & merito vel pro maiori declaratione priuilegij Innoc. IV. hoc aliud magis amplum, clarum & expressum ab Innocent. VI. impetrare debuerunt. Quæ autem sint prohibita, vel concessa tempore interdicti, & de culpa, & pœnis, quas contrahunt violantes interdictum, vt propterea meritò Patres nostri has concessiones à Papa postulauerint, dixi latè *tom. 1. ver. Interdictum quoad Regulares.*

13. Circa clausulam illam in his, & similibus Bullis Pontificiis positam *Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum*, &c. iam dixi *tom. 3. verbo Clausula num. 34. & 35. ac tom. 4. verbo Pœna Ecclesiastica num. 16.* quod etsi denotet culpam mortalem in contrauenientibus prædictis Bullis; non tamen denotare excommunicationem, aut priuationem Beneficiorum, sed solum pœnam arbitrariam, & beneplacitum Papæ.

14. Vide alia in hoc Mari magno *circa §. 50. 51. & 52.* Vbi hoc, & similia priuilegia ampliantur, & extenduntur à Sixto III.

Circa §. 5.

15. Concedit hic Summus Pontifex Ioannes XXII. Religioni nostræ specialiter deuotus (vt patet ex Bulla vulgo *Sabbatina* nuncupata, aliisque priuilegiis, ab ipso Ordini nostro concessis) amplissimam exemptionem Fratribus Ecclesiis, Domibus, & rebus nostris, ac ad illa spectantibus, itavt vix similis alia aliis Religionib. concessa fuerint; accedente præsertim concessione Clem. VI. de qua *in §. sequenti*, & aliis, de quibus infra, vt propterea sigillatim enucleari debeat.

16. Et primò quidem verba illa de nostro Ordine prolata: *Quem in statu firmo, & solido, & stabili decernimus, & volumus permanere*; posita sunt ab hoc Pontifice ad tollendum quemdam scrupulum ex eo ortum, quod Gregorius X. in Concil. Lugdunensi, dum quasdam Religiones extingui iubet, Prædicatorum, & Minorum Ordines in hoc non includendo propter euidentem vtilitatem Ecclesiæ ex ipsis prouenientem; de Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum Ordinibus loquens dixerit: *Cæterum Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Concilium Generale* (scilicet Concilium Lateranense sub Innocentio tertio) *præcessit, in solito statu, seu in suo statu volumus permanere, donec de ipsis aliter fuerint ordinatum*; ex iis enim verbis minus pij Glossatores intelligere volebant hos duos Ordines à Concil. Lugdunensi, & Gregorio X. confirmatos non iri, sed solum ipsis concessum permanere, donec quid de illis faciendum decerneretur. Quamuis autem glossema hoc falsum esset, & à Bonifacio VIII. *cap. vnic. de Relig. domib. in Sexto.* omnino reiectum, siquidem ibi referens ad verbum Concilij Lugdunensis, & Gregorio X. verba, solum dixit: *Cæterum Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Concilium generale præcessit, in solido statu volumus permanere*, non adiungens, sed potius expungens verba illa, *Donec de ipsis*, &c. & pro *solito statu*, vel *suo statu* ponens *solido statu*, quo verbo, vt Ioannes Monachi, Guido, & alij intelligunt, Ordines isti confirmantur, & consolidantur; & verba *solito statu*, seu *suo statu* denotent statum approbationis, & confirmationis, cum certum sit Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum Ordines ante Concilium Lugdunense sæpius approbatos, & confirmatos fuisse à Sede Apostolica, nec verba illa *donec ipsis*, &c. obstarent, cum vt dictum sit, à Bonifacio VIII. fuerint reiecta, ipseque Bonifacius in Bulla, quæ habetur in priuilegio sexti decretalium prohibeat recipi alias decretales *in Iudiciis, & Scholis* præter ab eo insertas, & casu quo subsisterent, plures, & congruas paterentur expositiones (de quo noster antiquus Doctor Ioannes de Baccone *l. 3. quodlib. quæst. 6.* noster etiam Philippus Ribbotus *lib. 10. de instit. & pecul. gestis Carmel. cap. 8.* in Speculo Ordinis *fol. 14.* Ioannes Marquez *in lib. de Origine Ordinis Sancti Augustini cap. 2. §. 4* Ægidius à Præsentatione *in lib. cui titulus* Primas Augustinianus *l. 7. cap. 5. in fine* Thomas de Iesu *sup. Regul. Carmel. p. 2. dub. 3. circa titulum Regulæ*, & nos in nostris Annalibus *circa ann. Christi* 1274.) nihilominus ad tollendum, vt dixi, tunc scrupulum, Pontifex iste vtitur illis verbis *statu firmo, & solido, & stabili*, quæ idem important, & sunt veluti synonyma ad maiorem rei firmitatem ab ipso adiuncta. Verborum enim idem significantium multiplicatio seu geminatio maiorem deliberationem, & enixam voluntatem denotat. *l. balistaff. ad Trebell.* Bartholus *in l. cum scimus num. 7. cap. de agric. & censibus lib 11.* Decius *in l. 1. num. 3. cap. de pactis, & cons. 51. col. 2. & consil. 180. col. 3.* Gurtierrez *pract. quæst. l. 3. quæst. 17. num. 134.* Tuschus *practic. concl. tom. 4. conc. 28.* & plures alij apud Barbosam *in tract. de Axiom. iur. axiomate 105. num. 1.* præsertim quia verba geminata operantur, quod nihil possit opponi. Curtius *in consil. 278. num. 18.* Tuschus *supra* Barbosa *supr. num. 8.*

Deinde verba illa *Pertinentiis suis* denotant non 17. solum eximi à iurisdictione cuiuscumque sub Papa Ordinem, personas, Ecclesias domos, & res alias nostras, sed etiam aaccessoria ipsis. Hoc enim significat verbum *Pertinentia*, provt tradit Innoc. *c. cum ad Sedem num. 1. & 2. de restit. spoliant.* vbi Abbas *num. 11.* Baldus *in l. cætera §. item hoc*, Socinus *cons. 47. col. 3. & cons. 23. à num. 6. lib. 3. n. 4. & 5. vol. 1. & reg. 295.* Tuschus *practic. concl. tom. 6. littera. P. concl. 323.* & alij apud Barbosam *de App. iuris appellat. 20. num. 1.* Vt talium pertinentiarum nomine venient ea, quæ per viam necessitatis, seu

æquitatis, aut naturalis inhærentiæ accedunt dictis rebus, siue statuto, lege, consuetudine, aut communi vsu accedant, siue consistant in possessione, siue in iure, aut iurisdictione, molendina, furni, prædia, foueæ, horti, viridaria,& similia. Sic enim colligo ex variis iuribus, & Doctoribus apud Barbosam relatum *dict. Appell.* 20.

18. Præterea verba illa *In ius, & proprietatem B. Petri, & Appostolicæ Sedis assumimus*, quomodo probent perfectam exemptionem istorum Religiosorum ab Ordinariorum iurisdictione, dixi super Mare magnum Eremitarum S. August. circa §. 31. Vbi etiam idem dictum manet de verbis illis: *De gratia speciali decernentes ex nunc vos, & Ordinem vestrum, ac personas, Ecclesias, & Oratoria, domos, & loca præfata, ac pertinentia ad eadem soli Romano Pontifici, & dictæ sedi tam in spiritualibus, quàm in temporalibus absque vllo medio subiacere.* De eo quoque priuilegio, quod adiungitur illis verbis. *Ita quod nec locorum Ordinarij, nec alia quæuis persona Ecclesiastica in vos, & Ordinem vestrum, personas, Ecclesias, Oratorium, domos, & loca prædicta, vtpote prorsus exempta, possint excommunicationis, suspensionis, aut interdicti promulgare sententias* sub pœna inanitatis, & irritationis actuum, similiter est dictum *eo* §. 31. & aliis locis ibi relatis ex Mari magno Prædicatorum, & Minorum.

19. Expendenda autem sunt verba illa, *Tam in spiritualibus, quam in temporalibus*, quibus denotatur omnimoda etiam exemptio Religiosorum nostri Ordinis ab Ordinariis in omnibus, & quibuscumque causis. Dictiones enim *tam*, & *quam* accipiuntur augmentatiuè Aymon *cons.* 227. *num.* 9. Menochius *cons.* 195. *num.* 7. Vulpella *de præpos. & ad verb. Significat sub hac dict. pagina.* 121. Barbosa *de dictionibus dict.* 400. ex Rotæ decisionibus. Implicant etiam casum magis dubitabilem. Surdus *cons.* 317. *num.* 17. Barbosa *supra num* 6.

20. Exponere etiam oportet clausulam illam: *Ac personis degentibus in eisdem*, per ipsam enim denotatur non solùm concedi hanc exemptionem personis Religiosorum, de quibus id dixerat per illa verba, *vos, personas*, sed etiam respectiuè, & quatenus sunt capaces, aliis secularibus degentibus inter ipsos, vt sunt non solum Tertiarij, Oblati, & familiares, sed etiam (quod quandoque contingit) sæculares alij in domibus nostris propter aliquam causam commorantes. Vnde in facti contingentia, cum quidam sæcularis hic Romæ infirmaretur, & deuotionis causa ad se curandum in quoddam Monasteriorum nostrum venisset; ex vi huius priuilegij Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis à Fratribus ipsi ministrata fuerunt. Ad quod etiam deseruire potuit priuilegium Pij IV. & Pij V. pro Theatinis, quod retuli *tom.* 3. *verb. Eucharistia quoad Regulares n.* 10. Quoad Tertiarios verò, Oblatos, & familiares quomodo hoc, & alia priuilegia moderata sint, consule dicta *tom.* 2. *cap.* 8. 14. & 16.

Circa §. 6.

21. PRiuilegium Clem. VI. hoc §. contentum ampliatiuum est, & confirmatorium alterius Ioan. XXII. *præcedenti* relati. Confirmatorium quidem, quia referens illud inquit, *prædicto indulto in suo robore, permanente*; ampliatiuum verò, quia cum in illo non esset declaratum, an *ratione delicti, seu contractus aut rei, de qua agitur*, conueniri nequirent Fratres coram Ordinariis, in isto id exprimit Clemens cum derogatione expressa, *capitul. volentes de priuileg. in* 6. quod est Constitutio Innoc. IV. De qua materia egi supra Mare magnum Prædicatorum *circa* §. 46. Minorum *circa* §. 44. Eremitarum Sancti Augustini, *circa* §. 32. & 42. cum aliis locis ibi relatis. Semper tamen animaduertendum est tam pro hoc, quam pro similibus priuilegiis exemptionis Regularium attendendum esse ad limitationes traditas à Conc. Trident. ita vt in casibus à Concilio determinatis talis exemptio nullatenus ipsis suffragetur. Qui autem sint ij casus, dixi *tom.* 3. *verbo Episcopus quoad Regulares, & verbo Exemptio Regularium*, & aliis locis ibi citatis.

Nota præterea hunc Pontificem in suo priuilegio pro Ordinis nostri confirmatione vti iisdem illis verbis, quibus vsum fuisse Ioannem XXII. in priuilegio relato §. *præcedenti* dixi ad tollendum scrupulum, qui poterat esse propter Concilium Lugdunense, & Greg. X. scilicet *Ordinem vestrum, quem in statu firmo, solido, & stabili volumus permanere.* Vnde temerè nimis hanc esse mentem Ecclesiæ vel in dubium reuocari potest. 22.

Alia ad intentum habet infra in simili priuilegio à Sixto IV. concesso 101. vbi etiam de limitatione illius facta à Concilio Tridentino, pro casu videlicet, quo Religiosi etiamsi infra claustra Monasterij degunt, extra illa tamen notoriè, & scandalosè delinquant. De quo similiter locis relatis ex 3. *tom.* 23.

Circa §. 7.

Vbi de Regula Carmelitarum.

COntinetur in hoc §. confirmatio Regulæ Carmelitarum à B. Alberto Hierosolymitano Patriarcha traditæ, & ab Innoc. IV. iam pridie declaratæ, correctæ, & mitigatæ, & postea ab Alexandro IV. approbatæ, & confirmatæ, & à Nicolao IV. in ista Bulla insertæ, approbatæ, & confirmatæ. Quæ quia res est non mediocriter spectans ad nostros Carmelitas, ideo accuratiùs tractanda, Regula ipsa exponenda, & dubia, quæ circa ipsam sunt, enodanda. Vt autem quid factum sit ab Innoc. IV. aliisque Summis Pontificibus successoribus circam Regulam melius innotescat, operæ pretium erit, illam provt à B. Alberto tradita primum fuit, referre, ac postea declarationes, & mitigationes à Pontificibus circa illam factam adducere. Regula ergo B. Alberti pura, primæua, & primitiua hæc est. 24.

Regula prima, & primitiua Carmelitarum.

ALbertus Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha dilectis in Christo filiis Brocardo, & cæteris Eremitis, qui sub eius obedientia iuxta fontem in Monte Carmeli morantur, in Domino salutem, & sancti Spiritus benedictionem. Multifariè, multisque modis Sancti Patres instituerunt qualiter quisque in suo Ordine fuerit, vel quemcumque modum religiosæ vitæ elegerit, in obsequio Iesu Christi viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & bona conscientia deseruire. Verùm quia requiritis à nobis, 25.

nobis, vt iuxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis.

Illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi omnium assensu, vel maioris,& sanioris partis ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare.

Præterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum vel sanioris partis eędem cellulæ cuique fuerint assignatæ.

Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit deputatum sibi locum mutare, vel cum alio permutare.

Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum, quæ agenda sunt cuncta procedant.

Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi aliis iustis occasionibus occupentur.

Hi qui litteras norunt, & legere Psalmos, per singulas horas eos dicant,qui ex institutione Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbata consuetudine ad horas singulas sunt deputati. Qui verò litteras non norunt, viginti quinque vicibus dicant *Pater noster* in Nocturnis vigiliis, exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari,vt dicatur *Pater noster* vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in Laudibus Matutinis: in aliis quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur oratio, præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

Nullus Fratrum dicat sibi aliquid esse proprium, sed sint nobis omnia communia. Et ex his quæ vobis Dominus dederit distribuatur vnicuique per manum Prioris, idest per hominem ab eo ad idem officium deputatum,provt cuique opus fuerit inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum; ita tamen vt sicut præmissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his, quæ sibi distributa fuerint singulariter viuant.

Oratorium provt commodius fieri poterit,construatur in medio cellularum: vbi mane per singulos dies ad audienda Missarum solemnia conuenire debeatis,vbi hoc commodè fieri poterit.

Dominicis quoque diebus, vel aliis, vbi opus fuerit de custodia Ordinis, & animarum salute tractetis, vbi etiam excessus, & culpæ Fratrum,si quæ in aliquo deprehensæ fuerint, charitate media corrigantur.

Ieiunium singulis diebus, exceptis Dominicis, obseruetis à festo Exaltations Sanctæ Crucis, vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi infirmitas, seu debilitas corporis, aut alia iusta causa ieiunium solui suadeat, quia necessitas non habet legem.

Ab esu carnium semper abstineatis, nisi infirmitatis, & nimiæ debilitatis remedio sint sumendæ.

Quia verò militia est vita hominis, & omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur, aduersarius quoque vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, omni solicitudine studeatis indui armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis.Muniendum est pectus cogitationibus sanctis: scriptum est enim, *Cogitatio Sancta seruabit te*. Induenda est lorica iustitiæ, vt Dominum Deum vestrum ex toto corde, & tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximos vestros tanquam vos metipsos Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide enim est impossibile placere Deo, & hæc est victoria fides nostra. Galea quoque salutis capiti imponenda est, vt de solo Saluatore speretis salutem,qui saluum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris. Et quæcumque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant. Faciendum est vobis aliquid operis, vt semper vos diabolus inueniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat inuenire. Habetis in hoc Beati Pauli Apostoli magisterium pariter, & exemplum, in cuius ore Christus loquebatur, qui positus est, & datus à Deo prædicator, & doctor Gentium in fide,& veritate,quem si secuti fueritis, non poteris aberrare. *In labore (inquit) & fatigatione fuimus inter vos nocte, ac die operantes, ne quem vestrum grauaremus, non quasi nos non habemus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, hæc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari non manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietè nihil operantes. His autem, qui huiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes suum panem maducent.* Hæc via sancta, & bona, ambulate in ea. Commendat autem Apostolus silentium, cum in eo præcipit operandum. Et quemadmodum Propheta attestatur, *Cultus Iustitiæ silentium est*; & rursus *in silentio, & spe erit fortitudo vestra.* Ideoque statuimus, vt ab hora vespertina, vsque ad horam tertiam sequentis diei silentium teneatis, nisi fortè necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpant. Alio vero tempore licet silentij non habeatur obseruatio tanta, diligentius tamen à multiloquio cauetur, quoniam sicut scriptum est, & non minus experientia docet, *in multiloquio non deerit peccatum, & qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Item, *qui multis verbis vtitur lædit animam suam.* Et Dominus in Euangelio, *de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines,reddunt rationem de eo in die iudicij.* Faciat ergo vnusquisque stateram verbis suis, & frænos rectos ori suo, ne fortè labatur, & cadat in lingua sua,& insanabilis sit casus eius ad mortem, custodiens cum Propheta vias suas, vt non delinquat in lingua sua; & silentium in quo est cultus iustitiæ, diligenter, & caute studeat obseruare,Tu autem Frater Brocarde, & quicumque post te institutus fuerit Prior,illud semper habeatis in mente, & Sertis in opere, quod Dominus in Euangelio: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, erit vester minister, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Vos quoque cæteri Fratres Priorem vestrum humiliter honorate, Christum porius cogitantes, quàm ipsum, qui posuit illum super capita vestra. Et Ecclesiarum præpositis ait: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*, vt non veniatis in iudicium de contemptu,sed de vestra obedientia mereamini

vitæ

vitæ æternæ mercedem. Hæc breuiter scripsimus vobis conuersationis vestræ formulam statuentes, secundum quam viuere debeatis. Si quis autem supererogauerit, ipse Dominus cum redierit, reddet ei. Vtatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

Finis Regulis primitiuæ.

26. CIrca hanc porro B. Alberti Regulam dubia aliquor esse possunt. Primum, de Authore ipsius; quis scilicet is Albertus fuerit: secundum, de Brocardo illo, cui cum cœteris Eremitis Carmeli data fuit; tertium, de tempore datæ ipsius; quartum de illius confirmatione, à quo videlicet approbationem, vel confirmationem meruerit; quintum de excellentiis, & prærogatiuis ipsius Regulæ. Quia tamen hæc potius ad historiam, quam ad moralem doctrinam, quam in hoc opere intendimus, spectant, & quia de ipsis latè in nostris Annalibus dicimus, ad ea ipsa referimus, in lucem edenda, si Deus concesserit. Sub compendio tamen dicimus Authorem huius fuisse Albertum Hierosolymitanum Antistitem ab Inn. III. ex Vercellensi Episcopo ad terram Sanctam missum, quem officio canonico vt beatum Ordo noster veneratur. Brocardum verò illum, ad quem Regula dirigitur, fuisse B. Brocardum Ordinis Generalem, inter Latinos secundum. Tempus datæ credimus in re incomperta fuisse circa ann. Domini 1205. vel paulò pòst. Confirmatam autem Regulam primò asserimus ab eodem Alberto potestate tum ordinaria Patriarchæ, qua fungebatur, & quæ ad id sufficiebat ante Concilium Lateranense quod id prohibuit; tum extraordinaria Legati Apostolici, deinde à Concilio Lateranensi, seu Innoc. III. Honorio III. Gregorio IX. & Innocent. IV sub anno 1245. duobus annis ante istam solemniorem confirmationem in Mari magno insertam. De quo inter alios noster antiquus Doctor Ioannes de Baccone *lib 3. quodlib. q.6.* Eius autem excellentiam maxime commendat, quod breuitate, & claritate ea omnia, quæ ad finem, & media perfectionis Religiosæ spectant, mirificè continet. Sed de iis, vt dixi latè in Annalibus nostris.

27. Alia tamen ad nostrum intentum magis vtilia in præsenti de ipsa inquirenda sunt. Primum quidem, qualiter, & in quibus Summis Pontificibus declarata, correcta, moderata, & mitigata fuerit. Secundum, de obligatione ipsius, qualiter scilicet, & sub quali culpa ad ipsam obseruandam teneantur Carmelitæ. Tertium, quod pertinet ad ipsis expositionem, de dubiis, quæ circa ipsam esse possunt, provt ad materiam moralem, & ad conscientiam Fratrum spectare possunt; omissis multis, quæ circa ipsius spiritualem sensum tradunt plures ex nostris; specialire venerabilis, & antiquus nostri Ordinis Pater Ioannes Soreth Generalis *in exposit. paranet. Regul.* Hieronymus Gratianus *in Discipl. Regular.* Thomas de Iesu *de Regul. Carmel.*

28. Et, quod attinet ad primum, ex collatione istius Regulæ, quam vocamus primæuam, puram, & primitiuam cum ea, quæ iussu Innocentij IV. correcta est, quæ isto Mari magno est inserta, colligitur manifestè in quibus declarata, correcta, moderata, & mitigata fuerit. Et primò quidem, cum in capite primo Regulæ primitiuæ diceretur, quod Fratres promitterent obedientiam Priori, in ista declaratum est id fieri debere *cum castitate, & abdicatione proprietatis.* Deinde quia in Regula primitiua nihil dicebatur de locis, seu habitationibus Fratrum, quin potius, vt aliqui dicebant, solum illis permissum erat, vtpotè Eremitis in eremis habitare; ad tollendum dubium declaratum id est hoc modo. *Loca autem habere poteritis in eremis, vel vbi vobis donata fuerint ad nostra Religionis Obseruantiam apta, & commoda, secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.* Præterea, quia *in cap.7.* Primitiuæ Regulæ dicebatur: *In deputatis cellulis singuli maneant, & ex iis, quæ sibi distributa fuerint, singulariter viuant;* His verbis deletis, & rigorem, qui in ipsis erat, mitigando, additum est post illa verba capitis secundi, *eadem cellulæ, cuique fuerint assignatæ* quod sequitur: *Ita tamen vt in communi Refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam Lectionem Sacræ scripturæ audiendo, vbi commodè poterit obseruari sumatis.* Item quia *in cap. 6.* primitiuæ Regulæ dicebatur: *Hi qui litteras norunt, & legere Psalmos, per singulas horas eos dicant, qui ex institutione Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbata consuetudine ad horas singulas sunt deputati;* cum hoc Fratribus dubium generaret, an illi tenerentur ad alias horas canonicas præterquam ad Psalmos dicendos, propterea hanc clausulam corrigendo, & declarando sic positum fuit. *Hi qui horas canonicas cum clericis dicere norunt, eas dicant secundum constitutionem Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem.* Id quoque quod *in cap.7.* primæuæ Regulæ dicebatur. *Ex his, quæ vobis Dominus dederit, distribuatur vnicuique per manum Prioris, idest, per hominem ab eo ad idem officium deputatum,* sic fuit in hac recentiori Regula declaratum, & correctum. *Sint vobis omnia communia, & distribuantur vnicuique per manum Prioris, idest, per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, provt vnicuique opus erit,* &c. Post quæ etiam (cum similia in primitiua Regula non haberentur) in posteriori hac priorem declarando conformiter etiam ad declarationem Gregorij IX. & eiusdem Innoc. IV. in Bulla *Ex officij nostri* in Speculo Ordinis *lib.8.cap.5.& fol.61.* additum est: *Asinos autem siue mulos provt vestra expostulauerit necessitas, vobis habere liceat, & aliquod animalium siue volatilium ad nutrimentum.* Seu quod in idem fere recidit; *Et aliquot animalium, siue volatilium ad nutrimentum.* provt sæpius legitur. Maximè verò prima illa Regula mitigata est in posteriori iussu Innocentij alterata in eo quod habetur *in cap. vndecimo.* Cum enim in illa habetur: *Ab esu carnium semper abstineatis nisi pro infirmitatis, &* (alias *aut*) *nimia debilitatis remedio sint sumenda,* cum rigidissima viderentur, mitigata hoc modo sunt: *Ab esu carnium abstineatis nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur,* deletis particulis *semper,* & *nimia,* quæ erant in primitiua Regula. Quin additum est: *Et quia vos oportet frequenter mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus: sed & carnibus supra mare vesci licebit.* Maximè etiam moderata est & mitigata prior illa Alberti Regula per hanc posteriorem authoritate Innoc. IV. quoad silentij obseruantiam. Cum enim in primitiua Regula diceretur. *Ideoque statuimus, vt ab hora vespertina vsque ad horam tertiam sequentis diei silentium teneatis, nisi fortè necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpant;* quod sanè durissimum

durissimum videbatur, mitigatum sic est hac posteriori Regula: *Ideoque statuimus, vt dicto Completorio silentium teneatis vsque ad primam dictam sequentis diei.* Tollendo videlicet verba illa *Nisi forte necessitas*, &c & temperando tempus silentij, scilicet *à Completorio vsque ad primam sequentis diei*; cum antea esset *ab hora vespertina, vsque ad horam tertiam sequentis diei.*

29. Resumendo ergo dicta ex iis colligitur primam illam, primitiuam, seu primæuam Alberti Regulam declaratam seu correctam fuisse in hac posteriori authoritate Innocentij altera in quinque punctis, scilicet in obseruantia castitatis, & proprietatis; in locis, seu habitationibus Fratrum; in officio diuino recitando; in eo, per cuius manus distributio fieri deberet Fratribus de necessariis, in possessione asinorum, mulorum, nutrimento, &c. Moderatam autem, seu mitigatam fuisse in tribus, scilicet in comestione in cellulis, in esu carnium; & silentio. De quibus Philippus Ribbotí antiquus Ordinis Scriptor *in Speculo Ordinis lib.8.cap.6.*& nos in nostris Annalibus.

30. Ne tamen aliquis credat ob huiusmodi Regulæ alterationem, ipsam, vel Religionem diuersam existimari debere, audiat S. R. decisionem in vna Oriolensi *præcedentiæ* Veneris decimo Martij 1600. coram Litta, quæ habetur inter decisiones recentiorum per Farinacium collectas *part.2.decis.26.* in qua resoluitur præcedentiam deberi Ordini prius instituto, ac approbato, etiamsi Regula sit aliquantulum immutata, dummodo non sit mutata in substantialibus, his verbis: Domini soluerunt, Carmelitas Monasterij Oriolen. præcedere debere Fratres de Mercede in eadem Ciuitate existentes, eo moti fundamento, quia constat, quod Ordo Carmelitarum fuit institutum ante Concilium generale, vt legitur *in cap. fin. §. Sanè ad Prædicatorum, de Religiosis domibus in 6.* & probatur ex pluribus authoribus hic relatis per informantes, & quia fuit approbatus per Honorium Tertium ann. Sal. 1225. vt constat ex Bulla eiusdem Honorij, quæ supponitur pro nunc in forma approbanti, de qua in summario iurium, *num.1.* in concesso autem est, Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede fuisse institutum post dictum Concilium generale, & fuisse approbatum per Gregorium Nonum anno octauo sui Pontificatus, qui Gregorius Nonus fuit Pontifex creatus post d. Honorium, quo fit, siue spectetur initium Ordinis, siue approbatio illius, vti prior tempore Carmelitarum Ordo præcedere omnino debeat, ad not. per Doct. *in l. honores, ff. de decurio. in l. fin.* vbi Bart. *C. de Tironibus l. 1.* cum aliis, de quibus Cassan, *in Catalogo glor. mund. part. 4. considerat. 52. vers. §. ergo modo*, & per Tob. Non. *consil. 71. num. 35.* per Nauar. *cons. de stat. Monach.* & ad illud deductum per informantes contra Carmelitanos, quod scilicet Regula prædictorum non sit eadem, quæ fuit instituta ab Alberto Patriarcha in Terra Sancta Apostolicæ Sedis Legato de anno 1280. vel circiter, & postmodum approbata per Honorium Tertium fuit responsum non probari mutationem huiusmodi, & in dubio eam non debere præsumi. Alc. *de præsump. 1. & 2.* & licet in aliquibus Regula prædicta fuerit tam per Honorium Tertium, quam per Innocentium Quartum reformata, ac moderata, non tamen apparet alterata circa substantialia ipsius Regulæ, nec priores, & originales constitutiones illius fuerunt turbatæ, quo casu posset dici mutata forma illius ad text. *cap. Recolentes de stat. Monach.* & ita ex his, & aliis hic latius deductis per Informantes, fuit resolutum, vt supra, &c. Hæc in ista decisione ad intentum satis vtilia, siquidem ex ea habetur per reformationem, & moderationem huius Regulæ factam ab Innoc. IV. non fuisse alteratam circa substantialia, ac per consequens vnam, & eandem substantialiter esse cum ea quam Albertus fecit, & Honorius Papa confirmauit.

Quoad secundum, de obligatione scilicet, qua astringuntur Carmelitæ ad obseruantiam istius 31.
Regulæ, quamuis sufficienter de eo dictum fuerit *tom.2.cap.7. per tot.* nihilominus doctrinam generalem ibi traditam de Regulis Religionum ad specialem hanc Regulam applicando, per aliquot puncta rem decidimus.

Primum. Obligatio ad Regulam Carmelitarum 32.
ex triplici capite prouenit. Primo, ex professione ipsorum. In ea enim expresse promittunt obedientiam, paupertatem, & castitatem *secundum Regulam Ordinis.* Modus enim professionis Carmelitarum talis est. *Ego Frater N. facio Professionem meam, & promitto Obedientiam, Paupertatem, & Castitatem Deo, & Beatæ Mariæ Virgini de Monte Carmeli, & Reuerendissimo Patri N. Priori Generali Fratrum Ordinis eiusdem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, suisque successoribus Regulam prædicti Ordinis, vsque ad mortem.* Secundo ex vi confirmationis ipsius Regulæ à Summis Pontificibus factæ. Et vt omittam confirmationem primitiuæ Regulæ ab Honorio III. Greg. IX. & Innoc. IV. factam, in qua Pontifices isti illam iniungunt, seu præcipiunt obseruari, vt patet in Bullis ipsorum, quæ habentur *in Speculo Ordinis fol. 31. 32. 60. & 61.* Id clarè constat in eadem Regula, prout in præsenti declarata, correcta, & mitigata iussu eiusdem Innocentij IV. Commissarij enim Apostolici qui id fecerunt, prout dixi eo *cap.1. num.4.* sic dicitur: *Qua fungimur authoritate, mandamus, quatenus Regulam à nobis correctam, declaratam, & mitigatam, prout expedire vidimus, deuotè recipientes eam firmiter obseruetis.* Tertio ex Concilio Trident. *sess. 25. de Regularibus cap. 1.* vbi sic ad intentum: *Hoc decreto præcipit, vt omnes Regulares tam viri quàm mulieres ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant: atque in primis, quæ suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum respectiuè essentiam necnon ad communem vitam, victum, & vestitum obseruanda, pertinentia fideliter obseruent.* Quod etiam inculcant sæpius posteriores Pontifices in suis Bullis, ac decretis; ac Sacræ Congreg. Eminentissimorum Dominorum Cardinalium in suis etiam decretis, decisionibus, & declarationibus Regularium materiam concernentibus.

Secundum, iuxta dicta *eo cap. 7.* quanti- 33.
tas obligationis Regulæ attendenda est, primò, ex parte materiæ, quam præcipit. Secundò ex intentione institutoris ipsius. Tertiò, ex verbis quibus vtitur. Quartò, ex communi acceptatione Religionis. Ex iis enim iuxta ibidem dicta, colligi potest, an Regula obliget ad mortale peccatum, an solum ad veniale, vel ad nullam culpam. De quo non solùm Sanctus Thomas, Caietanus, Nauar. Sanchez, Valencia, & alij eo loco relati, sed etiam Laiman *lib. 4. tract. 5. cap. 8.* & Castrus Palaus *p.3. tract.16. disp.4. punct.3.* & ex nostris circa huius Regulæ expositionem Hierony-

mus

mus Gratianus *in disciplina Regulari cap. 1. de obedientia circa illa verba de Obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem* §. 4. Thomas de Iesu *super Regulam Carmelit. part. 2. dub.* 8. Ioannes de Iesu Maria *in tract. de instit. Relig. not.* 8. & Ioannes Pintus de Victoria *in Hierarchia Carmelitana tract. 2. cap.* 23.

34. Tertium iuxta dicta etiam *eo cap.* 7. ea quæ præscribuntur in Regula, quædam sunt, quæ aliàs sunt sub præcepto, vt diligere Deum, & proximum, dicere horas canonicas, &c. quædam quæ pertinent ad obseruantiam votorum essentialium Religionis, scilicet, obedintiæ, castitatis, & paupertatis; quædam, quæ proponuntur vt meta consilia, & ad maiorem charitatem exercendam; quædam verò quæ non proponuntur vt mera consilia, neque sunt directè de votis promissis, aut de rebus aliàs præceptis, sed sunt obseruantiæ quædam externæ ordinatæ ad obseruantiam votorum essentialium, v. g. ieiunia, silentium, abstinentia à carnibus, &c.

35. Quartum, iuxta dicta etiam *eo cap.* 7. quomodo Regula præscribit aliqua, quæ aliàs sunt sub præcepto, obligat ad mortale, vel veniale, sicut res illa obligabat. Quando præcipit aliquid pertinens ad obseruantiam votorum, ex genere suo obligat ad mortale, sicut & ipsa vota licet ratione paruitatis materiæ possit solum ad veniale obligati. Quando præscribit aliquid solum sub consilio, ad nullam cupam obligat. Quando verò præcipit obseruantias Regulares, scilicet conducentes ad obseruantiam votorum, vt sunt ieiunia, silentia, abstinentiam à carnibus, &c. tunc licet secundum se obligare posset ad mortale; cum vtatur verbis præceptiuis, quæ supposita grauitate materiæ peccatum mortale indicant (præsertim, quia in confirmatione Regulæ ab Innocent. I V. facta, & Concilio Tridentino, vt vidimus ea verba præceptiua reperiantur) nihilominus, quia communis consensus Religionis, solum sub veniali tales obseruantias acceptauit, ideo solum ad veniale obligant. Provt *eo cap.* 7. *num.* 14. ex D. Thoma de Iesu, & Ioanne Pinto de Victoria, dixi. Quibus iunguntur Hieronymus Gratianus, & Ioannes de Iesu Maria *suprà*. Quæ omnia magis constabunt ex iis, quæ circa singula Regulæ puncta inferius dicentur.

36. Quintum, iuxta dicta *eo cap. 7. num.* 15. ex Thoma de Iesu, & Ioanne Pinto de Victoria, transgressio præceptorum Regulæ, quamuis ad lethale crimen non pertingat, intra limites tamen venialis culpæ graue peccatum est, tum quia, vt ibi dixi, talis offensa est circa illa, quæ maximè pertinent ad Religiosum, & quæ sunt illi maxime propria. Ad quod præsertim deseruiunt, quæ *in tract. de Reformatione Regularium cap.* 5. & 6. scripsi, vbi pluribus, variisque SS. Patrum, & Doctorum testimoniis, aliquotque etiam horrendis casibus, seu exemplis ostendi obseruantiam Regulæ, etiam quoad minima quæque valde ad fulcimentum Religionum iuuare; è contra verò defectus in hoc ipsas euertere. De quo etiam inter neotericos Ioannes Eusebius *in doctr. ascetic. lib.* 6. *doctr.* 8. *per tot.* Tum quia vt tenet noster venerabilis Ioannes Soreth *in exposit. huius Regul. text.* 19. *cap.* 2. tenentur Religiosi nostri *ex iustitiæ debito* ad ipsius obseruantiam. Iustitiæ autem debitum grauem culpam inducit.

37. Sextum iuxta dicta etiam *tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 17. dum de obseruantia Constitutionum, seu statutorum Ordinis loquerer, transgressio Regulæ ex contemptu ipsius, vel legislatoris, aut Prælati, culpam mortalem arguit. Provt ibidem ex D. Thoma, Caietano, & aliis ostendi. Quod etiam specialiter de Regula nostra loquentes tenent ex nostris relatus venerabilis P. Ioannes Soreth *in exposit. huius Regulæ circa text.* 2 *cap.* 4. & Hieronymus Gratianus supra. Idem dic de transgressione Regulæ cum scandalo, iuxta dicta *eo cap.* 8. *num.* 18. quod & tenet Gratianus *supra*.

Circa tertium verò quod promisi hic tractandum circa præfatam Regulam, provt ab Innocentio I V. & eius iussu declarata, correcta, & mitigata est, & in isto Mari magno nostrorum Carmelitarum inserta, scilicet de expositione ipsius, & dubiis, & quæ circa ipsam oriri possunt, de iis in præsenti agendum, eam Regulam, vel maioris claritatis gratia, in 18. capita diuidendo, provt in nostris Constitutionibus cernitur, licet alij in pluta, alij in pauciora, capita seu textus eam diuidant. 38.

Expositio Regulæ Carmelitarum in hoc Mari Magno insertæ.

Prologus Regulæ B. Alberti.

Albertus Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha. dilectis filiis Brocardo, & cæteris Fratribus Eremitis, quæ sub eius obedientia iuxta fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur, in Domino salutem, & sancti Spiritus benedictionem. Multifariè, multisque modis Sancti Patres instituerunt, qualiter quisque in quocumque Ordine fuerit, vel quemcunque modum Religiosæ vitæ elegerit, in obsequio Iesu Christi viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & bona conscientia deseruire. Verum quia requiritis à nobis, vt iuxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis. 39.

Ex præfatione, procemio, seu (quod idem est,) prologo legis, seu Constitutionis, colligi posse, imo debere, ipsius intelligentiam, cum ibi causa finalis talis legis, seu Constitutionis contineatur, dixi *tom.* 4. *verbo Leges Regularium num.* 37. Ex Bartholo, Baldo, Panormitano, & aliis iuristis, aliquibusque Theologis. Ex hoc ergo prologo elicitur huius Regulæ finem esse: *In obsequio Iesu Christi viuere, & eidem fideliter de corde puro, & bona conscientia deseruire.* Imo & eundem finem esse vitæ Religiosæ, & innuitur illis verbis. *Vt iuxta propositum vestrum.* Quia etenim idem est *viuere in obsequio Iesu Christi, & eidem fideliter de corde puro, & bona conscientia deseruire,* ac tendere ad perfectionem Religiosam, quæ principaliter in actibus charitatis, erga Deum, & proximos, minus principaliter verò in actibus aliarum virtutum consistit, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 1 *num.* 7. & ad quam procurandam Religiosi tenentur, iuxta dicta *eo cap.* 1. propterea vocatur *propositum vestrum*, id est finis, scopus & totum negotium vestrum. Quomodo autem Religiosi teneantur ad hunc finem perfectionis procurandum, quantaque huius rei sit obligatio, quandove contra illam peccent, sæpius etiam mortaliter, dixi eo *cap.* 1. *per totum*, & ad hoc intentum deseruiunt. 40.

Circa titulum Patriarchæ, quo B. Albertus vtitur, nota quoad etymologiam, *Patriarcham* idem esse ac *Summum*, seu *Principem Patrum*, vt habet Isidorus 41.

Isidorus *lib. Etymolog. cap.* 12. Qui propterea multis priuilegiis, etiam Summorum Pontificum propriis, vtitur iuxta text. *in cap. renouantes* 22. *dist.* Et inter ea, quod ad ipsum in omnibus causis suarum Prouinciarum possit appellari sine medio prætermissis aliis inferioribus Prælatis. *c. antiqua, de priu.* Et quod Regibus, aliisque Principibus superiorem non habentibus æquiparentur, cum eorum instar multarum Prouinciarum regimina subeant. Baldus *in l.* 1. §. *iis cunabulis.* 3. *ff. de offic. præf. prætor.* Et quod insigniis, & ornamentis Pontificiis ornari, veste rubea indui, equo albo phalerato incedere, fræno, & calcaribus deauratis vti possit. Abb. Panormit. Ostiens. & alij DD. *in d. cap. antiqua.* Quatuor autem sunt in Orbe præcipui hi patriarchæ præter Papam, qui est Patriarcha Patriarcharum, scilicet Canstantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus. Durand. *in ration. diuin. offic. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 18. Ostiens. *in Summ. tit. de authoritat. & vsu pallij num.* 3. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. tit.* 3. *cap.* 1. *de Patriarchis num.* 1. post plures alios. Etsi alij sunt, qui vel Romani Pontificis indulgentia, vel inueterata consuetudine Patriarchale nomen retinent, videlicet Aquileiensis, Gradensis, Patriarcha Indiarum, & Æthiopiæ. De quibus Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 41. & Barbosa *de Iure Ecclesiastic. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 41. *& seqq.* post alios.

42. Tanta ergo huius B. Alberti dignitate, accedente viri sanctitate, & quod ad ipsum potestate ordinaria Carmeli locus spectabat, vel saltem ob extraordinariam, qua fungebatur, legati; forsan etiam ob specialem Innocentij III. Papæ commissionem, Eremitæ Carmeli, qui eum locum à seculis tenuerant, & sub Ioannis Patriarchæ institutionibus Latinitati per Aymericum Antiochenum traditis religiosè vixerant (quod indicant etiam illa *iuxta propositum vestrum*) etiam sub vnius Præpositi obedientia) prout manifestè etiam denotant *Brocardo, & Fratribus, qui sub eius obedientia,* &c.) permoti, ad eum Accone morantem (eò quod Ierosolyma ipsius Sedes in Turcarum manus deuenerat) accesserunt postulantes, *vt iuxta propositum* suum, scilicet vitam Religiosam, quam gerebant, & prædicti Ioannis institutiones, quas obseruabant, quia in eis non continebantur expresè, breuiter, & succinctè aliqua, de quibus inter ipsos dubietas, & opinionum diuersitas erat, traderet eis *vitæ formulam*, id est, breuem, & compendiosam Regulam, *quam tenere in posterum* deberent. Præfatus ergo Albertus eorum iusta petitione visa, Ioãnisque institutionibus recognitis (forsan etiam aliis, quas Brocardus eorum Prior ipsis tradiderat) hanc Regulam ipsis dedit, De quibus latè Historici nostri, nosque in nostris Annalibus.

De Priore habendo, & tribus sibi promittendis.

Cap. I.

43. *Illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi omnium assensu, vel maioris, & sanioris partis ad hoc officium eligatur; cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare, cum castitate, & abdicatione proprietatis.*

44. *Vnum ex vobis,* &c. Circa hæc nota, ex illis

haberi Ordinis Prælatum debere esse eiusdem professum, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 25. *& cap.* 18. *n.* 5. Estque hoc de iure communi *c. nullus de elect. in* 6. *Clem.* 1. *de elect.* Pontifex assignat, pro ratione, non congruere, vt homines dispatis professionis, vel habitus simul in eodem Monasterio socientur. Maximè *ex c. cum causam, de elect.* vbi etiam redditur pro ratione, quòd secundum legem diuinam *non sit arandum in boue, & asino, nec quisquam debeat induere vestem de lana, linoque contextam*, & Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 21 *de Regul.* Vnde Regulares vnius Ordinis vel habitus non posse eligi in Prælatos alterius Ordinis, nisi id ex dispensatione Apostolica habeatur, docent Zerola *in praxi Episcop. p.* 1. *verb. Abbatissa,* Gonzales *ad reg.* 8 *Cancel. gloss.* 8. *num.* 78. afferens declarationem S. Congregat. circa hoc Azor. *instit. moral. p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 13. *q.* 11. Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *c.* 2. *num.* 11. Iulius Lauorius *var. lucub. tom.* 1. *tit.* 4. *c.* 16. *num.* 117. & alij plures. Consuetudine tamen introduci potest, vt rationabili subsistente causa, puta, si aliqua Religio careat personis idoneis ad Prælaturas, vt ad illas assumantur ex alio ordine. Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regular. quæst.* 52. *art.* 8. Aliàs non, prout colligitur *ex d. cap. cum causam.* Vide Tambur. *de Iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 5. *quæsit.* 10. *&* 11.

Vnum, &c. Hic etiam nota hoc verbo denotari in vno Monasterio, seu Conuentu non posse esse nisi vnum Prælatum. Quod maximè cauetur in nostris Constitutionibus *p.* 2. *c.* 4. *num* 4. etiam pro casu, quo in Conuentibus præter Prælatum immediatum sint aliqui Commissarij Prouinciales, vel Generales Vnde Ioannes Soreth *Super hunc locum* rectè: *In naui vnus est gubernator, in domo vnus dominus in quouis grandi exercitu vnius signum expectatur; ita si viuendum est in quocumque Ordine, sub vnius disciplina Priores in multorum consortio necesse est esse.* Fauet etiam ius commune *c. in apibus* 7. *q.* 1. vbi ad hoc intentum habetur: *In apibus princeps vnus est, graues vnam sequuntur ordine litterario, Imperator vnus, iudex vnus Prouinciæ, Roma, vt condita est, duos Fratres, simul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebecca vtero Esau, & Iacob bella gesserunt,* &c. Barbatius *cons.* 40. *num.* 68. *&* 72. *vol.* Rota in Montis Regalis *Iurisdictionis* coram Coccino anno 1604. *num.* 2. & alia eiusdem tit. & coram eod. Coccino 1605. *num.* 7. ex Butrio *in c. cum ignores num.* 4. *de prabend.* Doctores *in d. c. In apibus*, quos ibi affert Barbosa. 45.

Qui ex vnanimi omnium assensu, vel maioris, & sanioris partis ad hoc officium eligatur. His verbis traditur forma seruanda in electione Prioris scilicet quod fieri debeat ex consensu omnium, vel maioris, & sanioris partis Fratrum. Thomas de Iesu *super hunc loc.* Quia ergo hæc forma electionis conformis est ei, quæ traditur *in c. quia propter, de elect.* ex Innoc. III. in Concil. Lateranensi, vbi etiam habetur: *Is eligatur, in quem omnes, vel maior, & sanior pars Capituli consentit.* Ideo in electione Priorum nostræ Religionis, & aliorum Prælatorum ipsius obseruari debet forma præscripta *in d. c. quia propter*, iuxta dicta *tom.* 1. *c.* 15. *num.* 11. *& tom.* 2. *c.* 12. *num.* 25. *& tomo* 3. *verbo Electio quoad Regulares num.* 2. *& tomo* 4. *verbo Prælatus Regularis num.* 2. *& in Relectione super validitate cuiusdam Capituli addita eidem* 4. *tom. dub.* 7. Quod maximè procedit in electionibus Priorum Generalium, & Prouincia- 46.

lium; ac ita quoad electionem Generalis practicatum est in nouissimo Capitulo Generali hoc ann. 1645. Romæ celebrato, præsente, & Præsidente Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinali Ginetti Ordinis Protectore; & quoad electiones Prouincialium, & aliorum Prælatorum iussum in eodem Capitulo obseruari debere in posterum, non obstantibus Constitutionibus non satis clarè in hac re loquentibus. Imò etiam in electionibus Priorum, quando eorum institutio fit per electionem, obseruari debere dictam formam *c. quia propter* consequentes ad dicta in locis relatis tenendum est, maximè propter S. Rotæ decisiones allatas loco relato *ex 3. tomo.* Dixi quando eorum instituto fit per electionem, quia iuxta Ordinis constitutiones, & inueteratam ipsius consuetudinem, Priorum constitutio sæpius potest fieri sine electione, saltem à Conuentibus facta, non obstante hoc capite Regulæ. Etenim Generalis saltem si absens fuerit, habet facultatem in quocumque Conuentu carente Priore ipsum instituere, prout habetur ex Constitutionibus Soreth à Clem. 7. approbatis & in posterioribus aliis Constitutionibus Caffardi, & Canalis, *p. 2. c. 1. num. 2.* ac in Constitutionibus Canalis *part. 2. c. 2. num. 4.* vbi cautè adiungitur *ex causa vtili, & necessaria*, ad denotandum sanè, tali causa non subsistente, non debere vti hac facultate. Eam etiam habet respectu Priorum Romanæ Curiæ, & aliorum Conuentuum, qui sub eius regimine immediatè constituti sunt. Ex eisdem Constitutionibus Sorethi, Caffardi, & Canalis *p. 2. cap. 1. num. 3.* Item in casu depositionis Priorum ab ipso factæ ex iisdem Constitutionibus *num. 2.* Similiter Diffinitorium Capituli Prouincialis habet etiam facultatem eligendi Priores pro Conuentibus Prioribus carentibus exceptis Conuentibus Reformatis, ex Constitutionibus Sorethanis *p. 5.* dum est sermo de Capitulo Prouinciali *c. 10. num. 1.* & ex Constitutionibus Caffardi *p. 4. cap. 19. num. 1.* vbi id limitatur, nisi sit consuetudo in contrarium; & ex Constitutionibus Canalis etiam *p. 4. c. 19. num. 1.* vbi etiam id limitatur, sicut in Sorethanis Constitutionibus, vt non possit id fieri in Conuentibus efficaciter sub obseruantia viuentibus, seu reformatis; neque in Conuentibus maioribus, scilicet, in quibus sunt octo Fratres vocem, & locum habentes, vltra Piorem. Licet quoad hoc vltimum de istis Conuentibus maioribus prædicta Constitutio in vsu recepta non sit, saltem generaliter in Ordine, vt dixi *in præfata Relect. dub. 8. num. 76.*

47. Si autem quæras, quo pacto fieri potest, vt constitutio Priorum Conuentualium fiat aliter quam per electionem Conuentuum, siuè à Generali, siue à Diffinitorio Capituli Prouincialis; cum hoc fit contra Regulam nostram in hoc capite; imò contra ius commune *c. 1. de elect. &c. Congregatio 15. quæst. vlt.* & aliis iuribus, quæ retuli supra in Mari magno Minorum *circa* §. 3. Respondeo, quod attinet ad Regulam, facilè dici potest non esse contra illam, sed eam loqui solum de electione Prioris Generalis, iuxta dicta in præfata *Relect. cap. 8. num. 73.* eo scilicet quod loquitur cum B. Brocardo, qui Prior Generalis Ordinis fuit, etsi simul Prior Montis Carmeli; & quia loquitur de electione illius Prioris; *cui obedientiam promittit quilibet aliorum*, vt in ipsa Regula dicitur, quod solum verificatur de Priore Generali, cum soli ipsi, non autem locali promittatur expressè obedientia, iuxta dicta supra. Dato etiam quod Regula loqueretur de electione cuiuscumque Prioris etiam localis, cum tamen consuetudine (satis etiam rationabili, vt infra dicetur) Constitutionibus etiam à Sede Apostolica approbatis, quæ iam relatæ sunt, oppositum habeatur, illis standum, iuxta dicta *eo num. 73.* Ex quo etiam patet ad illud de iure communi, eo namque admisso, cum consuetudo, & Constitutiones à Sede Apostolica approbatæ oppositum præscribant, per illa derogatum est iuri communi, iuxta dicta *eo cap. 8. num. 73. & 74.* Esse verò hanc consuetudinem satis rationalem, ac Constitutiones iustas, ex eo constat, quod iuxta dicta *eo dub. 8. num. 86.* conformia sunt tum vsui, & praxi ferè communi Religionum, tum rationi, ob vitanda inconuenientia magna, quæ passim ob temporum malitiam oriuntur ex electionibus, si fiant à Conuentibus, tum Patrum doctrinæ ibi relatorum. Vnde Generalis Chizzola Visitator Apostolicus Hispaniarum authoritate Clem. VIII. *in c. 10. Statutor.* pro illis Prouinciis editorum sic habet: *Priorum electiones deinceps non fiant nisi à Capitulo Prouinciali; ita etiam existimamus Fratres nostros maiori cum quiete Domino seruire, & à multis molestiis, & ieiuniis liberari*, &c. Adde, quod iuxta dicenda infra *circa* §. 68. huius Maris magni, statuta Ordinis concedentia facultatem Generali ad instituendum alios Superiores sine electione approbata etiam videntur à Sixto IV. eo §. 68 fauent quoque dicenda infra in Mari magno Seruitarum *circa* §. 41. propter priuilegium Innoc. VIII. illis concessum, & nobis communicabile.

Circa illa verba *vel maioris partis*, quæ etiam 48.
habentur *in c. quia propter* relato, nota illis denotari maiorem partem ad electiones non esse censendam comparatione minoris quomodocumque, sed respectu totius Capituli, ita vt si sint v. g. viginti suffragatores, non sufficiat, vt quis dicatur electus, quæcunque maioritas numeri, sed requiratur maioritas respectu, & in ordine ad totum Capitulum, ita scilicet, vt debeat, habere saltem vndecim suffragia. Prout tenent communiter Doctores, specialiter Felinus. Panormitanus, & alij, quos referunt, & sequuntur Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 1. disp. 5. quæst. 6. num. 27.* & Barbosa *in Collectan. DD. in d. cap. quia propter num. 27.* post Rotæ decisiones, & alios Doctores. Consonantque nostræ Constitutiones *p. 4. cap. 6. num. 3. & c. 23. num. 2.* Vnde si maior pars vocalium in vnum non consenserit, de iure communi iterari debet electio, seu scrutinium, quousque maior pars suffragiorum in vnum conueniat, *argum. c. cum terra, de elect.* Tamburinus *supra num. 28.* Sigismund. de Bononia *de elect. dub. 38. num. vlt.* Ne autem scrutinia, aut electiones protrahantur multum, statuitur in locis relatis Constitutionum nostrarum, quod si tertia vice contigerit non concordare electores dando vni plura vota, quam omnibus aliis simul, tunc habeatur pro electo ille, qui habuerit plura vota, quam aliquis alius, etiamsi non habuerit plura, quam omnes alij simul. Quod etiam est conforme Constitutionibus Sorethanis authoritate Apostolica approbatis *p. 5. de Capitulo Generali cap. 6. num. 1. de electione Prouincialis c. 6 num. 1. & c. 7. num. 2.* Quid verò in eo casu agendum sit stando in iure communi, tractat Sigismund. supra *dub 47. per totum.*

Circa verba illa *sanioris partis*, quæ etiã habetur 49.
in *d. c. quia propter*, consequenter ad dicta *to. 1. c. 15. num. 10.* nota modò post Concilium Tridentinum

sess. 25.

seß. 25. de Regul. cap. 6. maiorem partem semper haberi debere pro saniori, ita vt quoties maior pars in aliquem consenserit, sanior etiam pars in ipsum consensisse censeri debeat; eo quod Concilium prohibet eo loco, vt eligentium nomina publicentur, & sine ista publicatione non potest constare, an sanior pars in aliquem consenserit. Suarez 4 *tomo de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 5. num. 13.* Sigismundus *supra dub. 38. num. 7.* Tamburinus *sup. num.* 18. Barbosa supra post Rotæ decisionem, & alios Doctores.

50. *Cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare cum castitate, & abdicatione proprietatis.* Nota hic statui formam professionis faciendæ à nostris Religiosis, ita scilicet, vt cum professionem emittunt, debeant, promittere obedientiam Generali Priori Ordinis. Quamuis autem Thomas de Iesu *supra hunc locum* existimet hic præcipi vt dum profitentur, obedientiam cum castitate, & abdicatione proprietatis expresè promittant. Hoc tamen contrariatur textui Regulæ, quæ non dicit *Obedientiam promittant*, castitatem, & paupertatem; sed solùm *Obedientiam promittat, & promissam studeat operis veritate seruare cum castitate, & abdicatione proprietatis*, construendo scilicet verba *cum castitate, & abdicatione proprietatis* cum illis *operis veritate seruare*, & non cum verbo *Promittat.* Ex vi ergo Regulæ nostræ solùm sufficit promissio expressa obedientiæ; non tamen castitatis, & paupertatis, cuius signum est, quod in forma professionis, quæ olim erat in Religionis vsu, provt patet ex Constitutionibus Sorethanis *p. 4. de cap. Conuentuali cap. 6. num.* 1. solum exprimebatur obedientia, non tamen castitas, aut paupertas. Idque sufficere constat non solùm ex eo quod in obedientia, maximè ea, quæ est secundum Regulam, continentur etiam castitas, & paupertas; etiam ex eo quòd in aliquibus Religionibus, vt in Benedictina, profitens solum dicit: *Promitto stabilitatem meam, & conuersionem morum meorum, obedientiam secundum Regulam S. Benedicti,* &c. Quod etiam seruatur apud Carthusienses, & Dominicanos. Imo in aliquibus, vt in Religione Minorum Conuentualium nulla facta mentione obedientiæ, castitatis, aut paupertatis, solum dicit profitens: *Promitto seruare Regulam Fratrum Minorum.* Fauet. *cap. porrectum, de Regularibus* & maximè Rota in vna Neapolitana *Professionis* coram Bubalo *in 2. p. decis. diuers. decis. 216. num.* 10. vbi sic: *Promissio obedientiæ cum susceptione habitus monachalis in manibus Superioris, & respectu certæ, & determinatæ Regulæ approbatæ,* &c. *Operatur professionem expressam quoad votum Obedientiæ, & tacitam quoad alia vota.* Et ita tenent expresè Thomas de Iesu *supra*, Azorius *tom. 1. Inst. moral. lib. 12. cap. 4. quæst. 2.* Rodriguez *in Summ. p 2. cap. 8. num. 23.* Sà *in Summ. verb. Relig. num.* 18. Bartholomæus de Vechiis *de nouit. disp. 13. dub. 2. n. vlt.*

51. Quamuis autem circa hoc caput Regulæ plurima dici possent spectantia tum ad professionem Religiosam, tum ad vota Obedientiæ, castitatis, & paupertatis; quia tamen de iis sufficienter dictum est *tom. 1. cap. 2. 4. 5. & 6. & 24. ac tom. 4. verbo Nouitij, & Nouitiæ Regularium, & verbo Professio Regularis*, ac in opere *de Reformatione Regularium*, ideo ad ea loca, & ad Commentarium in istam Regulam Ioannis Soreth, Thomæ de Iesu, & Hieronymi Gratiani lectorem remittimus.

De receptione locorum.

Cap. II.

Loca autem poteritis in Eremis, vel vbi donata vobis fuerint ad vestræ Religionis obseruantiam apta, & commoda, secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire. 52.

Ex hoc capite Regulæ tria deduci possunt. Primum, non solum in eremis, sed aliis quoque locis, puta, vrbibus, oppidis, aut villis Ordinis nostri Monasteria construi posse. Secundum, ea debere esse ad Religionis obseruantiam apta, & commoda. Tertium id relinqui iudicio Prioris, & Fratrum. Thomas de Iesu *hic.*

Et quidem circa primum, licet Nicolaus Gallicus Ordinis quondam Generalis Antistes, & vitæ sanctimonia celebris ann. Dom. 1270. librum scripserit *Ignea Sagitta* nuncupatum, in quo valde, & acriter nimis deplorat statum Ordinis, eo quod Eremos reliquerit, & in vrbibus, locisque popularis habitare elegerit; nihilominus, quia authoritate Apostolicarum Innocentij I V. hoc concedentis in Regula ab ipso mitigata, tum Nicolai I V. & aliorum Pontificum, qui eam confirmarunt, id factum est; & ex eo quod isto proximorum vtilitati confessiones audiendo, & concionibus incumbendo fructuosius Deo, & Ecclesiæ deseruire Fratres nostri possent, damnandi in eo non sunt, sed licitè id fecisse existimãdi. Quamuis etiam ex vi præfatæ concessionis ab hoc, & aliis Pontificibus Regulæ confirmatoribus factæ possent nostri Religiosi præfata loca, seu Monasteria vbique recipere; quia tamen his temporibus, tum à Concilio Tridentino, tum à Clem. VIII. Gregorio X V. & Vrbano VIII. plures quoad hoc modificationes, & restrictiones, priuilegiorumque reuocationes prodierunt, ideo illis standum, & in nouorum Monasteriorum erectione seruanda ea, quæ dixi *tom. 1. cap. 9. num. 34. 35 & 36.* maximè verò *tom. 4. verbo Monasteria Regularium num. 2. & sequentibus.* 53.

Circa secundum de locis, quæ apta, & commoda censeri debent pro nostræ Religionis obseruantia, quamuis plura dici possent; illud tamen non prætermittendum; quod cum, iuxta dicta *tom. 1. cap. 7. num. 3.* nostræ Regulæ, ac Religiosis scopus, & finis sit, tum vita contemplatiua, tum etiam actiua, quæ ad proximorum salutem, & ipsorum conuersionem attendit, ideo ac loca censeri debent apta, & commoda nostræ Religioni, in quibus, quoad fieri possint, præfata vita actiua, & contemplatiua exerceri possint. De quo Thomas de Iesu *super hunc locum Regulæ Glossa* 2. ex D. Basilio, & Nazianzeno. Ne tamen credat Religiosus impossibile esse vitæ contemplatiuæ in medio vrbium extra Eremi solitudinem attendere, aut solos Eremi cultores contemplatiuos esse posse, audiant D. Bernardum *serm. 40. in Cantica*, quem ad huius capitis Regulæ intentum affert noster Sorethius: *O sancta anima sola esto, vt soli omnium serues te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge, & ipsos domesticos, secede ab amicis, & intimis, etiam & ab illo, qui tibi ministrat.* Quomodo autem sit faciendum, adiungit sic: *Secede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed deuotione, sed spiritu. Spiritus enim ante faciem tuam Christus Dominus, spiritusque requirit, non corporis solitudinem, quamquam & corpore interdum non otiosè te separas, cum opportunè potes, præsertim in tempore* 54.

tempore Orationis. Apte etiam infrà. *Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quòd multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant, si iurgia deuites, si damna non sentias, si non recorderis iniuriarum. Alioquin nec si solus corpore es, solus es. Videsne posse esse te, & solum, cum inter multos, & inter multos, cum solus es? Solus es in quantacunque hominum verseris frequentia, tantum caue alienæ conuersationis esse, aut curiosus explorator, aut temerarius iudex.* Hæc ruminent Religiosi nostri, si volunt in mediis vrbibus quieti, & contemplationi Regulari vacare. Nihilominus, quantum sine dispendio charitatis fieri possit, turbas, & tumulus hominum, secularium præsertim, esse Religiosis fugiendos, ex iis, quæ scripsi in libro de *Reformatione Regularium cap.9.* satis habebit lector, conformiter ad Patrum, & Doctorum sententiam.

56. Circa tertium de iudicio Prioris, & Fratrum in receptione locorum, adiuncto etiam, quod capite sequenti habetur de assensu etiam Fratrum requisito ad distributionem cellularum Monasterij, nota iuxta dicta alibi, ex iis haberi, regimen nostræ Religionis, ex vi Regulæ non esse monarchicum, sed mixtum ex monarchico, & democratico, id est, ex regimine vnius Prioris, quod denotat monarchiam, & subditorum communitate, quod est democratia, siquidem ad receptionem locorum, & distributionem cellarum tam Prioris, quam Fratrum sensus requiritur. Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 3. disputat. 1. quæstionib. 2. numero 10.* Ex vi tamen vsus, seu consuetudinis potius videtur esse mixtum ex monarchico, & aristocratico, id est, ex regimine vnius Prioris, ac aliorum non vulgarium, sed principalium. Siquidem Generalis cum Sociis, Prouincialis cum Diffinitoribus, & Prior localis cum clauariis Ordinem gubernant. Quem esse communissimum, in Religionibus præsertim, aptissimum, & conuenientissimum regiminis modum (esto monarchicus optimus communiter censeatur à Diuo Thom. Aristotele, & aliis) tenent Nauarrus *in c.nullam 18. q.2. n.10. & 15.* Bellarminus *tomo 1. Tract.de Rom. Pontific.post initium,* Thomas de Iesu *Super Regul. Carmelitar. c. 1. gloss.1.* Tamburinus *supra num.1. 2.& 3.*

57. Circa consensum verò Fratrum, qui ex vi huius Capitis Regulæ videtur requisitus ad receptionem locorum, vide quæ dixi *tomo 3. verbo Litteræ Apostolicæ n.21.*& dicenda inferius *c. sequent.*

De Cellulis Fratrum.

Cap. III.

58. *PRAETEREA iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ.*

59. Circa hoc caput Regulæ primo notant Expositores ipsius ex vi nostræ Regulæ cellulas Fratrum potiùs *cellulas*, quam cellas esse dicendas, id est, breues, arctas, & strictas, paupertatis, humilitatis, & simplicitatis indices Ædificiorum namque vanitas & superfluitas reprehensibilis est valde inter Regulas. De quo multa congessi ex Patribus in opere *de Reformatione Regularium c.17.* Clariora sunt illa S Bernardi *in Apolog. ad Guillelmum,* vbi sic: *Absit vt credam tantas Sanctos Patres, quantas video in plerisque Monasteriis vanitates, ac superfluitates præcepisse, vel concessisse.* Inter quas enumerat intemperantiam *in construendis ædificiis.* Clarius ipse, vel qui nomen ipsius præfert, *in Serm. ad Fratres de Monte Dei* sic: *Iam subintrauit de ære alieno sumptuosa, & quantum pudor sinit, ambitiosa ædificatio, & abiecta simplicitate, & rusticitate, sicut Salomon dicit, ab Altissimo creata, quasi Religiosas quasdam nobis creamus habitationes honestas, in quibus tantum compassum est à talibus, vt pene omnes in hoc effecti simus animales.* Et infra: *Verum decorem domus Dei alienantes à nobis, & à cellis nostris, per manus artificum exquisitorum, cellas non tam eremiticas, quam aromaticas ædificamus nobis de eleemosynis pauperum.* Item *in Serm. 4. super missus est* valde reprehendit. *Cum magna cura erigere muros, & negligere mores.* Optime etiam S. Bonauentura *in Quæstionib. circa Regul. quæst.6.* sic: *Cum secundum Patres laudentur monachi in casellis, & in vilibus habitaculis habitasse, quid est quod altas, & magnas domos erigitis, oratoria sumptuosa, & areas latas magno pretio comparatas.* Et infra: *Vbi autem superfluitas, curiositas, & irreligiositas, & Regulæ, & paupertati nostræ derogantes essent structuræ, reprehendo.* Alia ex ipso, & aliis Doctoribus, ac Patribus eo loco videnda, sicut & Ioannes Soreth, Hieronymus Gratianus, & Thomas de Iesu hunc locum Regulæ exponentes.

Notat idem Thomas, ideo dici in hoc textu 60.
Regulæ *cellulas separatas,* quia antiqui nostri Patres Carmeli cultores, quibus Regula hæc data est a solitariè, & sigillatim in cellulis locali distanti inter se diuisis, & veri Eremitæ, prout etiam apud Camaldulenses, & alios nunc cernitur, degebant; licet modo tam Patres Discalceati quam nostri de Obseruantia in cellulis coniunctis cœnobitarum more degamus, antiquo Regulæ rigore correcto, vt idem fatetur. Adde, quod ex nouis decretis pro *Reformatione Regularium* sub Clem. VIII. editis, & sub Vrbano VIII. confirmatis præcipitur ista cellarum coniunctio, illis verbis: *Nullus etiam superior cellas siue in claustro, siue alibi separatas à communi dormitorio habeat, sed vnusquisque vnica cella, eadem cum cœteris aliorum Fratrum coniuncta.* Et infra: *Cellæ, siue ædiculæ, quæ extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut alias ad communem vsum, & commoditatem Conuentus redigantur.* His ergo temporibus tum ex vsu, & paxi Religionis, tum ex Pontificum præcepto cellulas non *separatas,* sed potius coniunctas habere debemus.

Verba illa, *Sicut per dispositionem Prioris ipsius,* 61.
& de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis eadem cellulæ cuique fuerint assignatæ, satis indicant Priorem in hoc, & similibus negotiis ad communitatem Ordinis spectantibus cum consilio Fratrum agere debere. Quia tamen, iuxta dicta *super c. 2.* modus iste regiminis democratici mutatus iam est in aristocraticum, ideo consilium hoc, saltem à senioribus, & Superiorum consiliariis habendum erit. Pro hoc tamen, & similibus casibus nota, quod regulariter loquendo in iis, quæ pertinent ad prudentiam, maximè indiget homo ab alio consilium accipere, & præcipuè à senibus, qui sanum intellectum circa operabilia habent. S. Th. *2.2.qu.49. art.3.* & Aristoteles *Ethic lib.6. c.11.* Quod confirmat Sanctus Doctor illa *Prou. 3.* sententia, *Ne innitaris prudentiæ tuæ:* & alia *Eccles.6. In multitudine presbyterorum, idest, seniorum (exponit idem Sanctus) prudentium sta, & Sapientiæ illorum ex corde coniungere.* Quamuis autem non

non semper quis teneatur sequi consilium sibi datum *cap.1. de monach.&c.in veteri,de elect.* Panorm. *ibid.* Syluester *in Summ.verbo Consilium q.1.* Sigism. de Bononia *de elect.dub.*111.*n.1.* Aliquando tamen, saltem quando petitur consilium ab eo, qui est particeps officij, tenetur illud sequi, Paleotus *de Sacro Consf.p.1.q.3. art.8. circa medium* loquens de Summo Pontif. Sigismundus *supra n.* 14. Iussus etiam facere aliquid cum consilio alterius, teneatur eius consilium sequi. Butrius *in c.Cum olim,de Arbitris,* Panormitan.*ibi n.5.* Dominicus *c. Vnico §. vbi verò num. 9. de Sede Vacante in 6.* Francus, Gonzalez, Nauarr. Sanchez, & alij, quos refert, & sequitur Bartholomæus Vechius *de Nouitiatu disput. 7. dub.2. n.5.& disput.12.dub.1.n.10.* maximè tamen id requiritur, prout in præsenti *c.* Regulæ, quando dicitur aliquid fieri debere cum consensu, seu assensu aliorum. Clausula enim ista facit conditionem, & deficiente conditione deficit actus, vt dixit Rota *decis.*282.*n.2.lib.3.in prima edit.* coram Puteo. De quo etiam *cap.Nouit.* adiuncta Gloss. *de his,quæ fiunt à Prælat.sine consensu c.* Bart.*in l.1. §. si plures num. 3. ff. de exercit.action.* cum aliis ibi per eum adductis. Bursat. *lib.1. Consil.90.* Panorm. *in cap. Porrectum num. 5. & 6.& c. ad Apostolicam n.4.& 12. de Regul.* Pro quo vide dicta *tom.4. verbo Litteræ Apostolicæ num. 21.*

De communi refectione.

Cap. IV.

62. *ITA tamen, vt in communi refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter sumatis, aliquam lectionem Sacræ Scripturæ audiendo, vbi commodè poterit obseruari.*

63. Nota cum Thoma de Iesu *super hoc cap. Regulæ,* quòd olim in Regula Alberti communis mensa Anachoretis nostris omnino erat interdicta, vt patet ex illis verbis: *Ita tamen, vt in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his, quæ sibi distributa fuerint, singulariter viuant.* Innocent. verò præcauens incommoda, quæ in futurum ex hac iam singulari vita possent oriri, vel fortè quia iam Fratres tam arctam vitæ eremiticæ semitam perficere non sufficiebant, prædictis verbis commune refectorium indixit. Notat id etiam Ioannes Soreth *hic.* Vnde in hoc Alberti Regulam fuisse ab Innocentio mitigatam dixi *sup. num.28.* Ex iis autem nobis præcipi quatuor colligitur. Primum, quod extra refectorium nihil comedamus. Secundum, quòd in ipso refectorio simul fiat comestio. Tertium, quòd in tali loco non detur alicui peculiaris cibus. Quartum, quòd tempore comestionis lectio aliqua S.Scripturæ recitetur; *vbi commodè poterit obseruari.*

64. Primum de nihil comedendo extra refectorium, commune veluti est Patrum documentum, specialiter Cassiani, qui *lib.4. instit. c.16. & 18.* de monachis Ægypti (quos ex Essenis Eliæ prosapia oriundos in Annalibus nostris demonstramus) loquens, dicit apud eos veluti sacrilegium esse plagis emendandum contrarium. Similiter S.Benedictus *in sua Regula cap.43.* dicens: *Nec quisquam præsumat ante statutam horam, vel postea, quidquam cibi, aut potus sumere.* Idem etiam habetur in Regula Minimorum *c.7. §.33.* vbi plura Peirinis. Sequitur idem intentum Concilium Oxononse *decr.45.* Et fauet decretum Clement. VIII.& Vrbani VIII. de quo *infra.*

Secundum de comestione simul in refectorio ab omnibus habenda præterquam ratio vitæ communis id postulare videtur, commune etiam est Patrum, & Conciliorum preceptum. Specialiter Chrysostomi *Hom.58.ad populum,* Augustini *in sua Regul.c.8.* illis verbis: *Quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat.* Cassiani *supra,* Basilij *in Reg. breuior. interrogat.* 136. Benedicti *eo cap.43.* quos sequuntur Concilium Coloniense *tit. de Monach.* Concil. Maguntinum *c.9.* Concil. Oxoniense *n.48.* Concil Cameracens. *tit.de Monast.c.3. & 4.* & Synodus Hydruntina *tit.de Monaster.c.4.* De quibus Thomas de Iesu *super hunc locum Regulæ gloss.4.* 65.

Pariter & tertium de ciborum particularitate, seu peculiaritate in refectorio vitanda præscribitur à Chrysostomo *loco relato,* & Concil. Oxonens. *c.* 42. sic *Omnem singularitatem interdicimus, in refectorio, vt cibus alter vni, quam alteri præparetur.* Item à Summis Pontificibus Clem. VII. & Vrbano VIII. *in decret.pro reformat.Regular.* vbi sic: *Omnes etiam Superiores quicunque illi sint eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, siue eadem (vt aiunt) pitantia, in communi mensa prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo priuatim quisque in cibum, vtatur, vllo modo afferri possit. Si quis in ea re peccauerit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, & aquam.* Nota tamen meritò adiunctum esse *nisi infirmitatis causa,* &c. qua ratione illius potest hæc peculiaritas ciborum concedi, prout Basilius, Augustinus, & Benedictus expressè in suis Regulis admittunt, imo id esse faciendum præcipit Concilium Oxonense eo *num.42.* subiungens: *Sed qui præest, videat, vt scilicet interdum alia præparentur, de quibus aliorum debilitas, vel infirmitas valeat releuari.* Licèt in hoc cauendum esse vanum prætextum infirmitatis, aut debilitatis prætensæ ea, quæ adduxi *in opere de Reformatione Regularium cap 22. num.16. & 17. & cap. 16. num. 25. & sequentib.* ex variis Doctorum testimoniis, & exemplis satis confirment. De quo etiam Sorethius noster *hunc locum cap.1.* 66.

Similiter quartum de lectione S. Scripturæ habenda tempore comestionis valde à Patribus commendatur, dum Monachos instruunt. Specialiter de hac re Cassiano *lib.4. instit. capit.17.* S.Basilio *in Breuior. Regul.1. Regul.180.* S.August. *in Regul.cap. 8.* S.Benedicto *in Reg.cap.38.* Quod etiam prosequitur Synodus Hydruntina *c.4. relato.* Hinc bene Thomas Malleolus *in Epitaphio, seu Enchiridio monachor.* inquiens: *Insipida refectio si desit Sacra Lectio.* De quo etiam ex nostris Sorethius *supp.c.2.* & Thomas de Iesu *d.gloss.4.* ac de modo, quo Religiosus se gerere debeat in mensa aut refectorio, Ioannes Eusebius *Doctrin. ascetic.l.5.doct.4.c.37.* ex D.Bonauentura, & Dauide de Augusta. 67.

Nota præterea transgressionem huius capitis Regulæ communiter loquendo solum posse esse culpam venialem, nisi adsit scandalum, contemptus aut alia similis praua circumstantia Ita enim communi acceptatione Religionis habetur. Cui maximè adhærendum, cum nullis sit fidior legis interpres, quàm consensus populi consuetudine firmatus. *Cap. Dilectus, de consuetud.* D.Thomas *p.2. qu.67.art.3.* Caietanus 2.2.*q.186. art.9.* Summistæ *verbo Consuetudo.* & alij communiter. 68.

De non mutando, aut permutando Cellulas.

Cap. V.

69. *NEC liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum vel cum alio permutare.*

70. Hoc statutum Regulæ licet solum videatur loqui de mutatione cellulæ non facienda sine licentia Prioris localis, iure tamen optimo extenditur etiam ad mutationem Conuentus non faciendam sine licentia Prouincialis, & ad mutationem Prouinciæ etiam non faciendam sine facultate Generalis. Sic enim illud intelligunt ex nostris Ioannes Soreth *super hoc cap* & Hieron. Gratianus *in discipl. Regul. p 2. c. 5. §. 1.* Pertinet autem id non solum ad obediētiæ obseruantiam; & quodammodo ad Paupertatis custodiã; sed maximè ad quietem mentis, & corporis Religiosorum conseruandã; ea enim valde perturbatur simili locorum mutatione, vt bene Sorethius *supra.* Iuuat etiam ad euagationē religiosorum fugiendam, quam regularem obseruantiam, Monachismũque fœdare latius ex Patribus, & Doctoribus cõprobaui *in opere de Reform. Regul. c. 7. & 8.* legatur S. Basilius *in Constitutionibus Monast. c. 8.*

De Cellula Prioris.

Cap. VI.

71. *CELLVLA Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedant.*

72. In hoc puncto Regulæ duo considerare licet; alterum quod ad litteram ipsius spectat, videlicet quod *Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eumdem locum primus occurrat*; alterum quoad spiritum, imo quod est finis primi; scilicet, quod *de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum, quæ agenda sunt, cuncta præcedant.* Et quidem quoad primum, certum est cessasse obligationem hanc Regulæ; id enim statutum fuit propter Carmeli Montis mansionem, in qua cellulæ Fratrum per eremum dispersæ erant, & forsan neque sæpe circumclusæ, prout in eremis Camaldulensium modo etiam cernitur; tunc enim conueniens erat, vt Superioris cellula sita esset iuxta introitum loci, vt venientibus primus occurreret; quod quidem his temporibus cessat, cum iam Ordinis Monasteria cœnobitico, & claustrali modo constructa sint. Thom. de Iesu *hic gloss. 5.* Poterit tamen modus iste seruari in eremis, quæ sunt in Ordine nostro, imo debet id fieri, vt Regula, quantum fieri potest, ad vnguem obseruetur. Quod dixerim propter Eremum, quam Ordinis nostri Pattres in Galliæ partibus habitant in Prouincia Vasconiæ, vbi Regulam omnino primæuam, & primitiuam sine vlla mitigatione Innocent. IV. Eugenij IV. aut aliorum Pontificum obseruant, ex concessione Vrbani VIII. iuxta dicenda infra *circa* §. 102. huius Maris magni.

73. Quoad secundum verò, obseruat idem Thomas ex iis verbis Regulæ inferri posse Monasterij negotia omnia arbitrio solum Prioris peragenda esse, quod dicit esse de iure communi *cap. nullam 18. quæst. 2.* de quo Nauarrus, *ibidem num. 4. & conscientiæ, 76. de Regularibus.* Cœterum quod attinet ad verba Regulæ, ex iis solum colligi potest, quod res minoris momenti, quales sunt, an aliquis veniens ad Monasterium sit illi aditus pandendus, an claudendus potius (prout Sorethius hic indicat) idem est, an volenti alloqui aliquem Religiosum, id sit ipsi permittendum, aut interdicendum, vel similia negotia, quæ facilè expediri possunt, solum Superiori pro tempore arbitrio decernenda sint; non verò quod res maioris momenti Cum constet Regulam *cap. 2. & 3.* ad receptionem locorum, & diuisionem cellularum Fratrum, etiam consensum Religiosorum requirere. Quòd vero attinet ad ius commune *in d. cap. nullam*, licet satis id colligatur ex ipso textu, prout dixi etiam *tomo 1. cap. 18. num. 13. & tomo 2. cap. 19. num. 52. & tomo 3. verbo administratio, & administrator. num. 1.* vsus tamen, consuetudo, imo ius commune Religionum est, vt saltem grauia negotia sine consensu, aut saltem consilio Fratrum non peragantur, iuxta dicta, *supp. cap. 2. & 3.* Estque conforme Regulis fundatorum, videlicet Sancti Basilij *in Breuiorib. qu. 48.* & S. Benedicti *c. 3. Regulæ.* Et pater in receptione Nouitiorum ad habitum, vel professionem, iuxta dicta *tom. 1. c. 2. n. 25. & c. 18. num. 66.* De quo Vechius *in praxi Nouit. disp. 12. dub. 1 num. 10.* quoad monachos Tambur. *de iur. Abbat. tomo 3. disput. 1. quæst. 6.* & generaliter Thomas de Iesu *supra.*

De Mansione in Cellulis, & iugi Oratione.

Cap. VII.

MANEANT singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, die, ac nocte, in lege Domini meditantes, & in Orationibus vigilantes, nisi aliis iustis occasionibus occupentur.

Duo magni ponderis, & momenti puncta in hoc capite præcipiuntur. Alterum est de mansione in cellulis, vel iuxta eas *die, ac nocte.* Alterum verò de continua, & iugi meditatione in lege Domini, & orationis exercitio; quæ propterea diligentius expendenda sunt. 74.

Et primò inquirendum, an verba illa *die, ac nocte*, referenda sint ad anteriora illa, scilicet *maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas*, an ad posteriora, scilicet *in lege Domini meditantes, & in Orationibus vigilantes, nisi &c.* an verò ad vtraque tam anteriora, quàm posteriora, Ad quod respondet P. Thomas de Iesu *hic gloss. 6. dub. 1.* ad vtraque referenda, quia ita tenet communis consensus Ordinis, & contextus id petit, ac quia propterea postulata fuit ab Eugenio IV. istius puncti Regulæ mitigatio. Sed quod attinet ad communem consensum Ordinis, nullum affertur pro ea testimonium, atque ita non concludit intentum. Quod attinet verò ad contextum Regulæ, & postulationem mitigationis eius, facilè negari potest assumptum, & dici contrarium. Melius ergo id suadet is author ex eo quod in iure receptum est, quod determinatio respiciens plura determinabilia pariformiter ea debet determinare. Sed quia de hoc nec textum, nec rationes, aut Doctores affert, ideo à nobis id faciendum, ac dicendum causam quare illa clausula *die, ac nocte* referri debeat tam ad antecedentia, quam ad subsequentia, esse, quia iuxta dicta *tomo 3. verbo Clausula num. 4.* Clausula posita in vna parte dispositionis, siue in principio, siue in medio, siue in fine, refertur ad omnia contenta in illa, quando omnium eadem est ratio, prout dixi eo loco ex Decio, Nauarro, Sanchez, & alij, & contingit in præsenti. Similiter, quia Clausula 75.

respi

respiciens plura determinabilia debet pariformiter determinare. *leg. iam de iure, ff. de vulg. & pupill. l. quamuis, & l. hæreditatem, C. de impub. subst. l. si legatarius*, vbi Bartol. *de legat.* 3. Rota in vna Vrbeuetana *Castrorum* 19. Ianuarij 1579. coram Blanchetto. Menochius *cons.* 170. *num.* 20. *vol.* 2. Marta *de clausulis* 4. *part. clausul.* 5. & 28.

77. Nunc iam ad illud *Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas die, ac nocte, &c.* Hic præcipitur nostris iugis habitatio, seu mansio in cellulis, vel iuxta eas, intellige, *nisi alijs iustis occasionibus occupentur*, prout habetur in fine capitis. Est autem præceptum hoc conforme praxi Ægyptiorum monachorum, à quibus, vtpote Esseni instituti, Elianum Propheticum continuatum fuisse in lege noua, Annales nostri demonstrant. Apud ipsos enim magna circa hoc obseruantia erat, vt habet Cassianus *lib.* 2. *instit. cap.* 5. *lib.* 4. *cap.* 10. & 16. & alibi sæpius. Commendatur autem valde à D. Basilio *serm.* 1. *exercitat.* & *in Constitut. Monastic. cap.* 7. & 8. Sancto Ephrem Syro *parænesi* 1. & *parænesi* 44. & *adhort.* 1. ac *in serm. ascetico*, & Cassiano relato *lib.* 10. *institut.* & *collat.* 24. D. Bernardo *serm. de modo bene viuendi*, & *serm. de septem oneribus*, Auctore apud ipsum *de vita solitaria ad Fratres de Monte Dei.* Diuus Bonauentura *in Alphabetico*; nostro Nicolao Gallico, & aliis multis, quorum testimonia, exemplis etiam confirmata, retuli in opere *de Reformatione Regularium, cap.* 7. & 8. Sed pro omnibus vnus sanctus Antonius Abbas non est prætermittendus, de quo celebris illa sententia refertur. *Monachus extra cellam, aut solitudinem est sicut piscis extra aquam.* Item illud, quod habetur *in Apophthegmatibus Patrum* 8. *tomo Bibliothecæ lib. de quiete*, sic dicens: *Sicut pisces, si tardauerint in sicco, moriuntur, ita & Monachi tardantes extra cellam, aut cum sæcularibus immorantes, à proposito reuoluuntur. Oportet ergo sicut piscem in mari, ita & nos ad cellam recurrere, ne fortè foris tardantes obliuiscamur interioris custodiæ.* Nota tamen hoc punctum Regulæ mitigatum, seu potius declaratum esse ab Eugenio IV. in Bulla referenda §. *sequenti.* Ibi enim concedit Religiosis nostris, vt *horis congruis in eorum Ecclesiis, & eorum claustris, ac per earum ambitus manere, & deambulare libere, & licitè valeant.* Dixi autem iis Eugenij verbis potius declaratum, quàm mitigatum fuisse hoc punctum regulæ, quia cum in regula diceretur, *maneant in cellulis suis, vel iuxta eas*, & postea *nisi aliis iustis occasionibus occupentur*, dici sanè posset illud Eugenianæ, *horis congruis in eorum Ecclesiis, & eorum claustris, ac per earum ambitus manere, & deambulare licitè, & liberè valeant*, fuisse quasi explicationem illorum verborum, *vel iuxta eas*, & eorum *nisi aliis iustis occasionibus occupentur*, præsertim cùm dictio *iuxta* importet vicinitatem cum aliqua distantia, & verificetur nedum in contiguis, sed etiam in aliqualiter distantibus. Baldus *in leg.* 1. *Cod. de sacros. Eccles.* Gratianus *cons.* 112. *num.* 22. *lib.* 1. Paris. *cons.* 58. *num.* 58. *vol.* 2. Alexander *consil.* 120. *num.* 6. *vol.* 2.

78. Illud autem *die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes*, licet non inueniatur in alia regula præter nostram tam expresse, sub nomine tamen communis orationis habetur quodammodo in regulis sancti Augustini, Hieronymi, Benedicti, & Francisci, & in regula Saluatoris, *in Reuelationibus sanctæ Brigittæ, cap.* 19. ac in regula Minimor. *cap.* 8. §. 35. Iuge etiam, & continuum orationis exercitium Religiosis maximè necessarium esse, pluribus, & grauissimis Patrum, & Doctorum testimoniis probaui in opere *de Reformatione Regularium, cap.* 3. & 4. specialiter Basilij *in Moralibus regul.* 66. *cap.* 1. Hieronymi *ad Rusticum*, Ephremi, *in adhort. in doctr. de humilit.* & *in tract. de Timore Domini*, Cassiani *collat.* 9. *cap.* 2. Nili *in parænesibus*, Antiocheni *homil.* 106. Isaiæ Abbatis *Orat.* 1. & 21. Ioannis Cumaci *grad.* 1. Laurentij Iustiniani *in lib. de grad. perfect. cap.* 2. nostræ sanctæ Teresiæ *de itiner. perfect. cap.* 4. Thomas à Kempis *in lib.* 2. *de Ordinat.* & *discipl. claustral.* & *alibi sæpe*, Ioannis Lanspergij *in Dialogo cum Lutherano*, & aliorum. Notaui autem *cap.* 4. *relato, num.* 2. circa hæc verba regulæ nostræ, quod etsi ipsa ab Eugenio IV. in Bulla relata superius mitigata, seu correcta sit quantum ad mansionem continuam in cellis, non tamen quantum ad continuam orationem, ac proinde Carmelitas semper, & vbique debere esse *in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi aliis, &c.* Qualiter autem hoc præceptum obliget, operosius inuestigandum est.

Et quidem certum primò est illud non obligare ad orationem iugem, continuam, & perpetuam, veluti mathematicè, aut metaphysicè, sed solum moraliter, & humano modo, id est, quantum per alia negotia humanæ vitæ necessaria licet. Sic Thomas de Iesu *super hunc locum Regulæ, dub.* 2. idque colligit ex Vvaldensi nostro *de Sacramentalibus, tit.* 9. *cap.* 76. *num.* 3. Clarius id colligitur primo ex ipsis verbis Regulæ, *nisi aliis iustis occasionibus occupentur*, quo clarè denotatur huiusmodi continuitatem orationis non physicam, sed moralem esse debere. Secundò, ex eo quòd physica, aut metaphysica perseuerantia in oratione impossibilis est homini carnis fragilitate circumdato, vt est Cassianus *collat.* 1. *cap.* 3. & *collat.* 23. *cap.* 5. Tertiò, quia similes locutiones sacræ Scripturæ, in quibus etiam commendatur iugis, & continua oratio, qualis est illa Iosue 1. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus.* Et Ecclesiast. 18. *Ne impediaris orare semper.* maximè *Lucæ* 18. *Oportet semper orare, & non deficere*, cui similis est illa 1. Thessalonicens. 5. *sine intermissione orare.* Item illa *ad Coloss.* 4. *Orationi instate vigilantes in ea*, & aliæ communiter à Patribus, & Doctoribus, eorumque locorum Expositoribus intelliguntur de oatione continua solum morali modo. Quibus iunge Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract.* 4. *leg.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. Lessium *leg.* 2. *de iust.* & *iure, cap.* 37. *dub.* 2. *num.* 10. 79.

Ex quo fit præceptum hoc isto modo intellectum non esse valde difficile, siquidem non est oratione iugi, & continua physicè, siquidem non est oratione iugi, & continua physicè, aut metaphysicè, vt dixi, sed solum moraliter. Secundò, quia similia dicta fuerunt non Religiosis, aut viris Deo specialiter dedicatis, sed præliatoribus, militibus, & in negotiis belli occupatis *Iosuë* 1. verbis relatis, prout notat Gratianus *in locum istum regulæ.* Adde Christum Dominum, & Apostolum locis etiam relatis cum omnibus fidelibus loqui, quod arguit non esse rem valde difficilem. 80.

Colligitur etiam secundò, quod quamuis hoc præceptum secundum aliquos adimpleatur per exercitium cuiuscunque boni operis, quia putant eos semper orare, qui bene semper operantur, prout docent sanctus Basilius *homil. in Iulittam Martyr.* Beda, Glossa, & alij communiter relati ab Expositoribus super loca sanctæ Scripturæ adducta; nihilominus quia tam in præfatis locis, quàm in isto Regulæ sermo est de oratione propria, vt ex 90.

verbis ipsius constat, non est cur ad minus propriam orationem recurramus, qualis est ista, prout importat omnem bonam operationem. Suarez *sup. num.3.& cap.30.num.3.*

82. Illud secundò certius est, adimpleri hoc præceptum, siue per orationem mentalem, quæ denotatur illis verbis *in lege Domini meditantes*, cùm meditatio sit actus, siue discursus intellectus in veritatis inquisitione occupati, iuxta sanctum Thomam 2.2. *quæst.*180. siue per vocalem, quæ etiam denotatur illis verbis, *Et in orationibus vigilantes*; siue per orationes iacularorias, vt vocant, examen conscientiæ, propriarum culparum considerationem, iudiciorum Dei, & aliorum ad ipsum spectantium humilem speculationem; imo & per Dei præsentiam actualem, qualem Elias Parens noster habebat, dum dixit 3.Reg.17. *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto*; cum ista etiam sint species orationis. Item quodammodo per quodcunque Theologiæ, & sacræ Scripturæ studium, cùm etiam sit diuinorum consideratio. De quibus Thomas de Iesu *supra dub.*1.

83. Certum tertiò, huius præcepti orandi continuò, moraliter, vt dictum est, transgressionem, quantum est ex vi Regulæ, solum esse venialem culpam. Vt enim dixi in superioribus communis consensus, & acceptatio religionis nunquam sub mortali culpa hoc punctum, & alia similia regulæ recepti. Et ita supponunt communiter authores nostri, qui de hoc regulæ præcepto loquuntur, specialiter Thomas Vvaldensis, Ioannes Soreth, Hieronymus Gratianus, & Thomas de Iesu relati, & Suarez *tom.2.de Relig.tract.4.lib 2.cap.4. num.*2. loquens generaliter de Regularium obligatione. Dixi autem, *quantum est ex vi Regulæ*, quia dubium esse potest, an aliunde obligentur Religiosi ad orationis exercitium sub peccato mortali. Nec est sermo de recitatione officij canonici, & orationum *Pater noster* laicis à Regula præscriptæ, quia de illis inferius dicetur; sed de alia oratione, siue mentali, siue vocali, & de præcepto diuino.

84. In quo, iuxta dicta *tomo 1.cap.7. num.*24. dicendum, nullum datur præceptum diuinum per se obligans Religiosos ad orationem solum mentalem. Ratio est, quia nullibi extat tale præceptum, neque generaliter pro omnibus hominibus, neque specialiter pro Religiosis, aut Deo specialiter dicatis; cùm loca sacræ Scripturæ adducta non loquantur determinatè de oratione mentali, sed de oratione, siue vocali, siue mentali; ac per consequens præceptum diuinum orandi, quod in illis habetur, adimpleatur tam oratione vocali, quàm mentali. Suarez *dicto cap.4. num.5. & 7.* Filiucius *tract.23.de Relig.cap.2.dub.3. §.ex his sequitur.* Bonacina *de hor.canonic. disput.1. quæst.2. punct.1.num.*11. Dixi *per se obligans*, quia per accidens, scilicet, propter adimpletionem aliquorum præceptorum diuinorum, scilicet fidei, spei, charitatis, aut contritionis obligantur generaliter omnes ad aliquam recogitationem, seu considerationem internam circa obiecta illorum actuum, quæ recogitatio, seu consideratio mentalis, oratio appellari potest; quod etiam continget tempore, quo currat præceptum diuinum confessionis, cùm ad illam sit etiam necessaria recogitatio aliqua peccatorum, imo & quando occurrat præceptum diuinum orandi vocaliter, cùm oratio vocalis aliquam mentalem orationem, seu attentionem requirat. Suarez *suprà num.*4. In prædictis autem casibus, & similibus obligatio orandi mentaliter præfato modo, quatenus necessarium id fuerit ad impletionem talium præceptorum, erit etiam sub veniali, vel mortali, sicut & obligatio ipsorum.

An verò aliunde, scilicet ex vi Religiosi status, teneantur Religiosi ad orationem mentalem sub mortali; eo quòd sub mortali tenentur rendere ad perfectionem, quæ obtineri non potest sine tali oratione; affirmare videntur sanctus Bonauentura *in opusc. de perfect.vit.cap.5.* dicens. *Reuera Religiosus orationem non frequentans* (loquitur autem de mentali) *assiduè, non solum est miser, & inutilis, quinimo coram Deo fert animam mortuam in corpore viuo.* Et *in opusc.de process.Relig.lib.7.cap.*11. aiens: *Vita Religiosi sine studio deuotionis internæ sicut fauus sine melle, sicut murus absque temperamento, & sicut cibus absque condimento.* Et infra: *Omnes Religio arida, & imperfecta est, & ad ruinam promptior, quæ spiritum diuinæ suauitatis non quærit, & præcipuum conamen ad studium internæ puritatis non impendit.* Et Caietanus 2.2. *quæst.82. art.3.* dicens: *Non posse vacari Religiosum, qui saltem semel in die ad huiusmodi exercitium* (scilicet orationis mentalis) *se non transfert.* Clarius, imo clarissimè id tenet Sanctorus *super Constit. Minim.cap.5. stat.2. §. respondeo*, alios etiam referens. E contra verò Nauarrus *de Oratione, cap.20. num.*61. & Suarez *suprà, num.*7. id negant, ex eo quod licet Religiosi teneantur tendere ad perfectionem, non tamen tenentur tendere ad illam per omnia media, sed solum per vota, quæ promiserunt, vel per ea, quæ continentur in Regula, iuxta modum, quo in illa continentur, oratio autem mentalis non est promissa per Religiosorum professionem, nec continetur in Regula sub obligatione ad culpam mortalem. Quidquid tamen de hoc sit, illud in hac re certum, quod dixi *tomo 1. cap.7. num.*24. scilicet exercitium orationis mentalis moraliter loquendo esse medium necessarium ad religiosam perfectionem consequendam, vt admittit Suarez *num.*7. quia vt inquit *num.*8. multum illuminat animam in his, quæ ad Deum, & salutem pertinent, & præparat illam ad vincendas tentationes, & pericula peccandi euitanda. De quo etiam Peirini, *in Regul. Minim.c.8. §.35.quæst.*1. 85.

Datur tamen præceptum diuinum naturale orandi oratione indeterminata, siue vocali, siue mentali, obligans ad id sub mortali culpa omnes viatores, siue Religiosi sint, siue non; primò quidem per se, & ex virtute Religionis, ad quam pertinet ipsa oratio, aliquoties in vita, & in articulo mortis; secundò per accidens, scilicet ratione adimpletionis aliorum præceptorum, videlicet quando peccator se disponere debet ad gratiam; vel quando imminet vehemens tentatio, seu periculum peccandi mortaliter, vel quando est magnum periculum alicuius mali etiam alterius, præsertim Communitatis. Hoc enim colligitur ex testimoniis sacræ Scripturæ adductis *suprà, num.*79. & ex eo, quod cùm homo indigeat auxilio Dei ad ea quæ pertinent ad ipsius salutem, & tale auxilium regulariter, secundum communem, & suauem Dei dispositionem, & vt in plurimum (esto sæpius aliter contingat) non concedatur à Deo nisi mediante oratione, iuxta illud Matth.7. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur*, & Matth.26. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*, rectè sequitur orationem esse necessariam præcepto diuino naturali omnibus. Sanctus Thomas 2.2. *quæst.* 83. 86.

art.

art.3.& in 4. distinct.15.quæst.4.art.2.quæst.3. Paludan.*ibid.quæst.5.art.1.*Durandus *quæst.12.*Nauarrus *de Oratione, cap.3.* Medina *de Oratione, quæst. 3.* Suarez *dicto lib.1. cap.26. & 30.* Laymanus *lib.4. tract.1.cap.1.* Trullenc.*in Decalog.lib.1.c.7. dub.4.* Bonacina *supra,num.10. & seqq.*post alios.

87. Si autem quæras quomodo per Regulam possit Religiosis præcipi oratio mentalis etiam sub sola culpa veniali, cùm certum sit per legem humanam non posse præcipi actus merè internos. Respondeo quod licet ex vi iurisdictionis humanæ præcisè non possint præcipi actus merè interni, ex vi tamen voti, vel promissionis sicut quis potest obligari ad actus internos, sic etiam ad obediendum Regulæ, vel superiori illos præcipienti, quod contingit in præsenti, cum Religiosi ex vi professionis maneant obligati ad obediendum Regulæ, vel superiori præcipienti secundum illam. Suarez *lib.2. de Orat.ment. cap.4. num.2.* Thomas de Iesu *supra,dub.2.in solut.ad 2.*

De Horis Canonicis.

CAP. VIII.

88 *HI, qui Horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant secundum Constitutionem sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui eas non nouerunt, viginti quinque vicibus* Pater noster *dicant in nocturnis vigiliis,exceptis Dominicis, & solemnibus diebus,in quorum vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari, vt dicatur* Pater noster *vicibus quinquaginta.Septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis. In aliis quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur oratio præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.*

89. Agitur specialiter in hoc capite de oratione vocali, cùm in præcedenti etiam de mentali actum sit. Hoc verò præceptum de horis canonicis, vel certis orationibus à Fratribus dicendis habentur etiam in Regula sancti Augustini,*cap.3.*Sancti Benedicti, *cap.16.* Sancti Francisci, *cap.3.* & in Regula Saluatoris apud sanctam Brigittam, *cap.5.* De quo plura dixi, *tom.1. cap.12. tom.3. verbo Breuiarium, & tomo 4.verbo Officium diuinum.* Quare solùm in præsenti ea afferam, quæ ad huius capitis Regulæ intelligentiam necessaria sunt.

90. Primò ergò per *Horas Canonicas* intelliguntur preces ab Ecclesia, seu canonibus institutæ pro certis diei horis, scilicet matutinum; prima,tertia, sexta,nona, vesperæ, completorium.Hugo de sancto Victore *lib.2 de offic. Ecclesiast. cap.1.* Thomas de Iesu *super hoc cap.Regul.gloss.7.*Vnde non dicuntur *Horæ* ab orando, prout Panormitanus, & aliqui alij Canonistæ existimant, sed ab hora,quæ est pars temporis,prout tenent Nauarrus *in tract.dict. cap.3.num.26.* Azorius *parte 1.instit.moral. lib. 10. cap.1. quæst.1.* Sanchez *tomo 2. consil.moral. lib.7. cap.2. dub.1.* Annellus *de Horis Canonicis, cap.1. dub.1.num.6.* post alios. Dicuntur etiam Canonicæ, vel quia iuxta Canonum sanctiones dicendæ sunt, prout habent Nauarrus, Sanchez, & Thomas de Iesu relati,& Bonacina *de Horis Canonicis, quæst.1. punct.1. num.5.* vel (quod in idem recidit) quia sunt veluti regula Ecclesiasticorum, qua vti debent in publicis orationibus (*canon* enim est idem, quod regula) vt putant plures tam antiqui quàm moderni, quos refert Annellus *suprà, num.7.*

Circa nomen *Clericis*, quo vtitur Regula, nota, quod licet illud, iuxta dicta *tomo 3.verbo Clericus,num.1.* aliquando, saltem in fauorabilibus, denotet quemcunque religiosum,siue choristam,siue laicum; hoc tamen loco cum regula videatur illos distinguere, solum sumi videtur pro religioso,qui choro destinatus est, & communiter dicitur chorista. Sicque video supponere Ioannem Soreth, Hieronymum Gratianum, & Thomam de Iesu huius Regulæ expositores. 91.

Illud *Constitutionem sanctorum Patrum* denotare videtur vsum antiquum recitandi preces, quem monachi,& præsertim antiquiores Carmelitæ,tum in ipso Carmelo, tum in tota Palæstina, imò Ægypto,& Thebaida, vbi Esseni eorum progenitores habitarunt,obseruare soliti erant. De quo Cassianus *lib.2.instit.cap.2.& 3.& lib.3. fere per totum.* Sic intelligit hunc textum Thom. de Iesu *super illum,dub.2.* 92.

Per *Ecclesiæ approbatam consuetudinem*,vel intelligi potest consuetudo Ecclesiæ Hierosolymitanæ, prout Sorethius, & Thom.*suprà* illud intelligunt; eo quòd cùm maiores nostri in partibus illis Palæstinæ cœperint, & vixerint semper, Ecclesiam illam maximè reuereri videntur; vel intelligitur Ecclesiæ vniuersalis consuetudo,quod conformius videtur menti Innocentij IV. & aliorum Pontificum Regulæ confirmatorum. Quidquid autem de eo sit; quamuis vsque ad annum 1584. Religio semper vsu fuerit Breuiariis, & Missalibus iuxta Ecclesiæ Hierosolymitanæ consuetudinem, ab eo tamen tempore, propter decretum Generalis Capituli Romæ celebrati, non vtitur nisi Breuiariis, & Missalibus ad normam Breuiarij Romani à Ioanne Baptista Caffardo Generali correctis, & à Gregorio XIII. approbatis. Nostri autem Patres Discalceati anno 1586. Sixto V. approbante Breuiarium Romanum receperunt. Notant Thom. de Iesu *suprà*, & Ioannes de Matre Dei *in annotat. ad priuileg. Patrum Discalceatorum circa Bullam 1. Sixti V.* Præterea per *Ecclesiæ approbatam consuetudinem* Sorethius *hic cap. 2.* intelligit vsum chori, ita vt ex vi Regulæ non sufficiat Carmelitis nostris horas canonicas dicere, nisi eas simul in choro dicant.De quo tamen infra circa *cap.10.*dicetur, vbi etiam de cantu Ecclesiastico. 93.

Cùm autem dicatur in hoc capite Regulæ: *Hi, qui horas canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant,&c.* denotari videtur, eos omnes, qui officium diuinum recitare sciunt, siue Clerici sint,siue laici, teneri ad illud. Et ita tenendum est,stando in vi Regulæ, & iuxta textum ipsius, prout tenent Sorethius *hic cap.1.§.licet*, & Thomas *suprà, dicta Glossa 7.* Iuxta consuetudinem tamen Religionis, quæ conformis est vsui aliarum, solum tenentur ad horas canonicas cum clericis ij,qui sunt choro destinati, & propterea vocantur choristæ,non autem laici, etiamsi contingat aliquando eos scire,& posse dicere horas cum clericis; hi enim solùm obligantur dicere *Pater noster* iuxta Regulæ præscriptum. 94.

Insurgit tamen hoc loco vulgare dubium, an scilicet ad horas canonicas, seu officium diuinum teneantur Fratres professi clerici, qui non sunt in sacris constituti. Dixi *professi*, quia loquendo de Nouitiis certum est ad id non teneri, nisi aliàs in sacris constituti sint iuxta dicta *tom.1. cap.12. n.5. & tomo 5.verbo Nouitij,& Nouitiæ Religionum,n.44.* Dixi etiam, *qui non sunt in sacris constituti*, quia certum, & indubitatum est omnes in sacris constitutos, 95.

tutos, id est, ordinibus maioribus initiatos ad id obligari, iuxta dicta, eo *cap.12.num.2.* ex *cap. presbyter de Celebrat. Miss. &c. dolentes ad tit.* Solum ergo dubium præsens est de professis clericis non ordinatis maioribus Ordinibus. Ad quod dicendum primò, ratione Regulæ obligari præfatos ad officium diuinum, seu horas Canonicas. Ratio est; quia Regula obligat ad id faciendum omnes Clericos, vt patet ex illis verbis: *Hi qui cum Clericis,* &c. isti autem professi sunt Clerici. Ergo. Deinde illi non obligantur ad *Pater noster* illis vicibus repetendum, quas Regula assignat; quia hoc solum obligat laicos. Ergo obligantur ad officium, seu horas Canonicas; ne dicamus Regulam nullam de ipsis mentionem fecisse. Ioannes Soreth *hic c.1.* Thomas de Iesu *hic dub.1.* Hæc autem obligatio Regulæ; quantum est ex vi ipsius, solum est sub veniali culpa, iuxta dicta in superioribus. Sorethius *supra.* Dicendum secundò, obligari dictos professos ad officium, & horas Canonicas ratione consuetudinis Religionis, iuxta dicta eo *cap.12. num.3* ex Caietano, & Medina, quod etiam tenent Sotus, Ledesma, Angles, Suarez, Vasquez, & Sanchez cum pluribus aliis, quos citat, & sequitur Annellus *de horis Canonicis, c. 5. dub.23.* & ex nostris Thomas de Iesu *supra dub.1.* Addit etiam Gratianus noster *in discipl. Regular.3. part. cap. 4. §.1.* etiam oriri hanc obligationem ex eo, quod tales professi viuunt ex bonis Ecclesiæ, & sunt dicati cultui diuino, quod etiam Doctores alij tenuerunt. Sed hi tituli communiter non admittuntur, vt sufficientes ad introducendam hanc obligationem, quia multis aliis occupationibus ipsis satisfieri posset, vt ostendunt authores relati. Illud certum hanc obligationem esse sub mortali. Quia talis consuetudo est receptissima, & habet vim legis obligantis ad mortale. Angles *in floribus quæst. Theologic.1.part. de horis Canonicis.* Sanchez *tomo 2. consil. mor. lib.7. cap.2. dub.3. num.6.* Annellus *suprà,* post alios, & Thomas de Iesu *suprà.* Licet probabiliter satis excusari possint à peccato mortali, quando semel aut bis propter aliquam notabilem occupationem officium non recitauerint. Non enim videtur hæc consuetudo cum maiore rigore introducta, cuius signum est, quod Summi Pontifices plura circa hoc priuilegia dictis professis concesserunt, saltem per viuæ vocis oracula, vt referunt Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Officium diuinum,* & ibi Sorbus *in Annotationibus.* Etsi enim talia viuæ vocis oracula reuocata sint his temporibus, nisi forsan per bullam confirmata fuerint, ex illis tamen arguitur, non existimasse summos Pontifices obligationem istam esse tam strictam sicut illam, quam habent ij, qui in sacris constituti sunt. Vide Aragonium *2.2. quæst. 83. art. 12. dub.4. concl.3.* Sotum *10. de Iustit. q.5. art.3.* & Thomam de Iesu *dub.1. relato.* Quomodo autem consequenter dicendum sit, quod in Religione, vbi non est talis consuetudo, qualis dicitur esse Societas Iesu, non sit talis obligatio, dixi eo, *num. 3.* de quo etiam Sanchez *supra num.8.* post Angles, Medinam, Henriquez, & alios, & Annellus *supra dub. 24.* Similiter, qualiter si contingat, professum choro destinatum ad conuersorum statum deiici, non teneri ad officium, dixi etiam eodem *num.3.* & tractat idem Annellus *dub.25.*

96. Circa aliud quod tangitur in hoc capitulo Regulæ, scilicet de obligatione, quam habent conuersi, seu laici Religionis ad dicendum *Pater noster* vicibus illis in Regula designatis, constat ex dictis eo *cap. 12. num 4.* hanc obligationem non esse sub mortali, quia non est ex vi professionis, aut præcepto aliquo Ecclesiastico, aut etiam consuetudine Religionis sub mortali obligante, sed solum ex vi regulæ, quæ duntaxat ad veniale obligat, vt sæpe dictum est. Sanchez *supra num.15.* Thomas de Iesu *dicto dub.1. §. contrariam tamen.* Licet aliter dicendum esse de Conuersis Fratrum Minorum, eo *num.4.* indicauerim. Addendum modò, iuxta dicta *tomo 2. cap.8. num.23.* in nostris Constitutionibus *part.1. cap.16. num.3.* præcipi, vt singulis *Pater noster* subiungatur *Aue Maria,* in honorem proculdubio tantæ Virginis Ordinis Patronæ. Hæc autem obligatio dicendi *Aue Maria,* cum non sit ex vi Regulæ, sed ex vi Constitutionum, credo quòd ad nullam obligat, sicut nec ipsæ Constitutiones, iuxta dicta *tomo 1. cap.8.* Quia tamen aliqui conuersi per recitationem officij Beatæ Virginis, aut aliud quodcunque exemptos se esse credebant ab huius puncti Regulæ onere, ideo in nouissimo Capitulo Generali Romæ 1645. celebrato hoc editum fuit decretum. *RR. adm. PP. Prouinciales iniungant Conuersis obligationem, quam habent ex Regula ad dicendas suas horas per orationes* Pater noster, &c. *&* Aue Maria, &c. *& quod nullo modo satisfaciant Regulæ, & suæ obligationi, si officium B. Virginis, aut aliud aliquid recitent.*

Pro modo piè, & deuotè recitandi tum horas Canonicas, tum prædictas preces *Pater noster, & Aue Maria,* ac de mysteriis Christi Passionis, Resurrectionis, &c. eo tempore meditandis, legant nostri Religiosi Gratianum nostrum *supra dict. cap.4. per totum.* 97.

De non habendo proprium.

Cap. IX.

NVllus Fratrum aliquid esse sibi proprium dicat, sed sint vobis omnia communia, & distribuantur vnicuique per manum Prioris, id est, per Fratrem, ab eodem ad id officium deputatum, prout vnicuique opus erit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum. Asinos autem, siue mulos, prout vestra expostulauerit necessitas, vobis habere liceat, & aliquot animalium, siue volatilium ad nutrimentum; seu, vt legitur in multis exemplaribus, *aliquod animalium, siue volatilium nutrimentum,* aut prout in aliis, *aliquod animalium, siue volatilium ad nutrimentum.* 98.

In hoc capite præscribitur modus paupertatis in nostro Ordine seruandus, qui consistit in non habendo proprium, sed in perfecta vitæ communis obseruantia. Similis sanè illi, quem SS. Augustinus, Benedictus, & Franciscus in suis Regulis præscripserunt. Quod etiam cernitur in Regula Saluatoris apud sanctam Brigittam, *cap. 2.* 99.

Pro cuius luce nota vitam hanc communem in eo consistere, vt nullus Religiosus aliquid sibi proprium, siue peculiare retineat, sed omnia, quæ adquirit, Superiori tradat, vt ex illis tam ipsi, quàm aliis æqualiter prouideatur, inspecta tamen necessitate singulorum. Ita enim colligitur ex actibus Apostol. *cap. 4.* vbi sic: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Et infra: *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant. Et ponebant ante pedes Apo* 100.

Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuiq; opus erat. Item ex D Basilio *serm.4. excitat.* Augustino *serm.27. de verb. Apost. & in regula c.3. ac lib. 6. confes. c.14.* D. Benedicto *in Regul. c.33.* Concil. Trident. *sess.25. de Regular. c.1. & 2.* Concil. Coloniensi *titul. de monach. c.3.* Concil. Mediolanensi *part.3. titul. de commun. vitæ vsu.* Concil. Cameracens. *tit. de Monach. c.9.10. & 11.* Clem. VIII. Vrbani VIII. *in decretis pro reformatione Regular.* & aliis, quæ adduxi *tomo 1. c.6. num.7.8. & sequent.* De quo etiam Ioannes Soreth *super hoc c. regulæ,* Hieronymus Gratianus *in discipl. regular. parte 2. c.10. præsertim* § 1. Thomas de Iesu *super hunc textum dubio 2.*

101. Nota tamen, quòd, licet iuxta dicta eo *numer.7.* tam nostri, quam alij quicunque Religiosi teneantur ad vitam communem præfatam obseruandam; eo quòd illa, licet simpliciter non sit necessaria pro obseruantia paupertatis voti, nihilominus ab Ecclesia indicta est ob facilem, & securum modum obseruandi dictum paupertatis votum; tamen non obstante, plures Doctores tenent licitè posse concedi à Prælatis peculium aliquod suis subditis in ordine ad vsus licitos, & honestos, & dependenter ab ipsorum Prælatorum voluntate, & cum quibusdam conditionibus. Hi sunt Nauarrus, Rodriguez, Beia, Azor, Miranda, Sanchez, Ledesma, Peirinis, Bartholomæus à S. Fausto, & alij, quos refert Barbosa *in Collectan. Concilij Trident. ad c 2. sect.25. de regul. n.2. & 3.* quibus iunge Dianam *1. part. Tract.6. Resolut.32.* & Bordonum *Resolution. 43. numero 48. & sequentibus.* Quibus tamen non assentior, propter dicta eo *c. 6. numero* præsertim ex decretis Summorum Pontificum, & SS. Congregationum, in quibus, vt ibi dixi, nisi cœci simus, manifestè præcipitur incorporatio, & confusio bonorum, quæ Religiosi adquirunt cum bonis Monasteriorum, ita vt non obstante quacunque licentia Superiorum nullum omnino peculium obtinere possint. Quod etiam nuper sequitur Trullenc. *in Decalog. lib.7. c.2. dub.5. n.7.* post Lessium. Quo tamen non obstante, an in illis Monasteriis; in quibus præfata vita communis obseruari non potest, vel saltem ob aliquorum negligentiam, vel malitiam non obseruatur, possit id permitti, dixi eo *c.6. n.21. & 22.* Quid etiam sentiendum de depositis, quæ in aliquibus Religionibus permittuntur, dixi *ibid. n.23.* Et cum quibus conditionibus *n.24.* Similiter quando Religiosus peccat mortaliter contra paupertatem, & sit proprietarius, aut quando non, aliaque ad hoc intentum spectantia habes ex dictis eo *c.6.*

102. Cum autem in Regula dicatur, *Nullus Fratrum aliquid esse sibi proprium dicat, sed sint vobis omnia communia, & distribuantur,* &c. ac postea solum permittatur habere *asinos, siue mulos, & nutrimentum* &c. ideo rectè infertur ex vi Regulæ ipsius nos tam in particulari, quam in communi arctissimam paupertatem profiteri, quæ consistit in abdicatione dominij & alterius cuiuslibet iuris ad res temporales, non solum in particulari, sed etiam in communi, prout Minores de Obseruantia, & Capuccini etiam post Concilij Tridentini concessionem obseruant. Ratio est, quia prout habetur ex Siberto de Beke antiquo Ordinis scrip. *in Tract. de consider. super Reg. Carm.* & Speculo Ordinis *lib 8. c.5.* cum in Regula primitiua solum diceretur. *Nullus Fratrum sibi dicat aliquid esse proprium, sed sint vobis omnia communia, & ex his, quæ vobis Dominus dederit,* &c. orta est contentio inter Carmeli Eremitas, an illis liceret in communi habere possessiones, domus, redditus, & loca, quibusdam asserentibus, quibusdam verò negantibus; res ergo deducta est ad Gregorium IX. Papam, qui anno 3. sui Pontificatus in Bulla *ex Officij nostri* in Speculo Ordinis, *vt suprà,* & apud Palæonydorum *lib.3. cap.5.* declarando prædictum dubium dixit: *Authoritate præsentium districtius inhibemus, ne in proprietatem de cætero Eremi vestra loca, vel possessiones, seu domos, aut redditus alios recipiatis nullo modo, vel præsumatis habere, prætor asinos, mulos, & aliquod animalium, seu volatilium nutrimentum.* Quod similiter, & eisdem verbis fecit Innocentius IV. in alia Bulla etiam *ex Officij nostri* sexto Idus Iunij, Pontificatus sui, anno 2. in speculo Ordinis, *vt suprà, & fol.61.* Idemque supponit idem Pontifex Innocentius in alia Bulla *Quoniam vt ait,* Idibus Iunij eodem anno 2. data, quæ etiam habetur in Speculo Ordinis *fol.61.* in qua ait Religiosos nostros *Nullas possessiones, neque proprium per quod sustentari valeant,* possidere; ex iis enim rectè infertur ex vi Regulæ prout declaratæ ab iis Pontificibus Religiosos nonnullas habere posse possessiones, aut proprium etiam in communi. Idem quoque colligitur ex eadem Regula, prout ab eodem Innocentio IV. correcta, & mitigata est, & de qua in præsenti, vbi cùm dicat conformiter ad declarationem Gregorij IX. à seipso etiam anno 2. sui Pontificatus, vt dictum est, confirmatam, posse habere Religiosos nostros, *asinos, & mulos, & aliquod nutrimentum animalium,* &c. manifestum est hac exceptione declarare voluisse nos, non obstante quod ex Regula nostra nullas possessiones habere possimus, posse nihilominus dicta animalia, & nutrimenta possidere; alias prorsus inutilis, imò ridicula esset ista concessio, aut declaratio. Idem quoque pariter confirmat, quod idem etiam Innocentius in Bulla *Sacrosancta* in eodem Speculo Ordinis *fol.61.* dum concedit quod non teneamur dare decimas de hortis, & virgultis nostris, pro ratione assignat. *Quod Ordo vester nullas possessiones habeat, sed vos de fidelium eleemosynis dumtaxat elegeritis sub Regulari habitu sustentari.* Data autem est hæc Bulla anno vndecimo Pontificatus, aliquibus scilicet annis post correctionem, & mitigationem Regulæ, de qua in præsenti. Ex quo colligitur hunc modum paupertatis sine dominio aliquarum possessionum etiam in communi eo tempore in vsu fuisse. De his Thomas de Iesu *super hunc textum Regulæ, glossa 8.*

Ex quo rectè colligit *ibidem, dub.6.* iuxta ea, quæ diximus *tom.2. cap.1. num.1.* contra Azorium ibi relatum, ex Abbate Lappo, Carmelitas Mendicantes esse ex Regula, non ex Constitutionibus, aut priuilegiis solùm; prout etiam colligitur ex hac Regula *cap.13.* illis verbis: *Et quia vos oportet frequenter mendicare,* verbum enim *oportet* siue sumatur præceptiuè, siue secundum honestatem, & decentiam (de quo Barbosa *in tract. de dictionibus dict.242.*) denotat modum viuendi sine vlla proprietate, etiam in communi. 103.

Nota tamen, quod, iuxta ea, quæ diximus eo *tomo 2. cap.1. num.2.* his temporibus post Concilium Tridentinum, propter concessionem ab ipso factam licitum est nobis, & aliis Mendicantibus, exceptis Minoribus de Obseruantia, & Capuccinis, bona immobilia, & possessiones in communi possidere. Quod quamuis Carmelitis non licere dicat idem Thomas à Iesu eo *dub.6* oppositum tamen eo loco probaui ex Rodriquez, & Sanchez. 104.

Est

Est autem vulgare dubium circa illa verba *Nullus Fratrum aliquid esse sibi proprium dicat*, an scilicet solum interdicatur iis verbis Religioso nihil habere proprium, an etiam id dicere, ita vt peccet saltem contra Regulam, dicens *hic liber est meus*. Est autem eadem difficultas propter ius commune *ca.non dicatis 12. quæst.1.* vbi etiam habetur pro omnibus Regularibus, *Non dicatis aliquid proprium* &c. Ad quam consequenter ad dicta *tomo 1.c.6.num.11.* dicendum, quod Religiosus dicens etiam oretenus aliquid esse suum, intendens habere dominium illius, aut vsum irreuocabilem, aut independentem à suo superiori, peccat mortaliter (intellige posita grauitate materiæ, & perfecta aduertentia) contra paupertatem, & est proprietarius ratione talis intentionis. Graffius eo loco relatus, & Hieronymus Gratianus *in discipl. Regul. parte 2. c.8. §.3.* Si autem non habeat talem animum, aut intentionem, quamuis aliqui Canonistæ, scilicet Archidiaconus, Cardinalis, & Alexander *in d. c.non dicatis*, & alij Expositores Regulæ Sancti Augustini dicant peccare venialiter peccato mendacij prout etiam tenet Thomas de Iesu *hic dub.1. & de voto paupertatis p.2. c.1.* nihilominus etiam à peccato mendacij excusari potest, si velit dicere solùm rem illam esse suam quoad vsum dependentem à voluntate Superioris, sicut, qui est in xenodochio, vel aliquo hospitio, potest sine mendacio dicere, hic est meus lectulus, meus cultellus &c. quia scilicet sibi consignati sunt à domino xenodochij, vel hospitij ad vsum. Nauarrus eo loco relatus, Gratianus *supr.* An verò saltem contra Regulam peccet venialiter sic loquens; Thomas de Iesu *supra* respondet affirmatiuè, eo quòd talis transgreditur præceptum Regulæ, quæ habet *Nullus dicat aliquid esse sibi proprium*, quod est satis conforme S. Scripturæ vsui Act. 4. illis verbis *nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid esse suum dicebat*, & doctrinæ Sanctorum Patrum, Basilij *interrogat.85.* Augustini *serm.1. de uit. Comm. cleric. & epist.109.* Chysost. Cassiani, & aliorum. Mihi tamen videtur dicendum, aliud esse dicere, *hic liber proprius mihi*, aliud dicere, *hic liber est meus*; prima locutio est contra Regulam, & peccaminosa, vt bene Thom. secunda verò non est contra illam, & communi modo loquendo habet bonum sensum, & ita non est peccaminosa.

106. Circa illa *Asinos autem siue mulos vobis habere liceat* &c. nota per illos denotari animalia apta ad vecturam, seu laborem, prout sunt non solum asini, & muli, sed etiam equi, prout notat Sorethius *hic c.6.* Notant etiam quod *hic non conceditur vsus phaleratorum equorum ad vanitatem.* Per illud etiam *animalium siue volatilium nutrimentum*, licet non intelligantur arietum, siue caprarum greges, quia isti computantur inter bona stabilia, & possessiones, quæ diximus ex vi Regulæ prohiberi, & post Concilium Tridentinum permitti, intelliguntur tamen paucæ aliquot oues, capræ, gallinæ &c. pro lacte, caseo, ouis &c. Sibertus de Beke *supra* apud Speculum Ordinis *lib.8.c.5.* Sorhetius *supra.* Gratianus *supra parte 2. c. 10. §.4.* Thomas super hunc textum. Et hoc siue legamus cum aliquibus *& aliquot animalium, siue volatilium ad nutrimentum*, siue *& aliquod animalium siue volatilium nutrimentum*, siue etiam, *& aliquot animalium siue volatium ad nutrimentum*, hæ enim diuersæ lectiones ad idem tendunt, & important ea, quæ dixi.

107. Circa illud *Et distribuantur vnicuique per manum Prioris, &c. inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum*, iam dixi *dicto cap.6. num.16.* de modo obseruando à Superiori in taxatione, seu dispensatione rerum necessariarum Religiosis. De quo latius Sorethius *supra c.5.* Hieronymus Gratianus etiam *supra §.3.* & Thomas de Iesu *supra dub.3.4. & 5.*

De Oratorio, & audienda Missa quotidie.

Cap. X.

Oratorium, prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, vbi mane per singulos dies ad audienda Missarum solemnia conuenire debeatis, vbi hoc commodè fieri poterit. 108.

Duo continentur in hoc capite; alterum, de habendo Oratorio in medio cellularum Fratrum; alterum verò de audienda Missa quotidie in ipso; licet pro vtroque, commoditatis habendam esse rationem simul præscribatur. Quod maximè notatur in Regula, eo quòd Monasteria nostra, illud præsertim, quod erat in Carmelo, non erant sic fabricata, vt cellulæ, dormitoria, & Ecclesia contigua, aut coniuncta essent; non enim talia erant, sed potius sic fabricata, vt ista omnia diuisa, & à se inuicem separata essent, modo eremitico, iuxta dicta supra circa *cap.3.* Propter quod dicitur quod *construatur Oratorium prout commodius fieri poterit in medio cellularum*, vt scilicet ad illud Fratres commodè conuenire possent. Additur etiam in fine *vbi commodè fieri poterit* ad denotandum, quod in illis eremis, in quibus cellulæ essent tam distantes ab Oratorio, vt propter inclementiam temporis, vel aliam causam illuc accedere non possent Fratres *ad audienda Missarum solemnia*, ad id non tenerentur. Thomas de Iesu *super hunc textum, gl.9.* 109.

Quod ergo attinet ad primum de Oratorio, constat ex dictis *4. tomo, verbo Oratoria quoad Regulares, num.1.* Oratorium esse *locum aptum ad orandum*; cùm ergo Regula præcipiat construi Oratorium, per illud, locum aliquem ad orandum aptum intellexit; qualis etiam solet vocari *Capella*, seu *Ecclesia.* Notat etiam Sorethius noster *super hoc caput Regulæ* dictum esse in Regula *Oratorium*, non *Templum*; quod est *amplum tectum*, ad denotandum, quod Religiosa loca debent esse moderata. De quo aliqua dixi *in tract. de Reformat. Regul. cap.17.* Aliqua etiam Sorethius *supra.* Quæ omnia eo tendunt; vt tam in Ecclesiis, quàm in Monasteriis vanitas, & superfluitas euitetur. De Oratorio autem non solum fit mentio in Regula nostra, sed etiam in Reg. S. Aug. *c.3.* S. Benedicti, *c.52.* Saluatoris apud S. Brigit. *c.20.* etsi sub nomine Ecclesiæ. Alia quæ spectant ad Oratoria siue publica, siue priuata, siue erecta authoritate Ordinarij, siue non, habes ex dictis eo verbo *Oratoria quoad Regulares per totum.* 110.

Quoad secundum verò de Missa audienda à Fratribus quotidie in dicto Oratorio, communis sensus Religionis est, obligari illos ex vi huius capitis Regulæ ad audiendam Missam quotidie, & non solum in Dominicis, aut solemnioribus diebus, prout sæculares obligantur. Sic colligo ex Sorethio, & Thoma de Iesu *sup.* Hæc autem obligatio solùm est extra dies ab Ecclesia præscriptos, sub veniali, quia vt dixi sæpius, Regula nostra ad veniale solum obligat in iis præceptis, quæ non sunt de votis essentialibus Religionis, & ita supponit Soreth. *supra.* Si verò Religiosus non audiret Missam in diebus Dominicis, & festis ab Ecclesia 111.

detet

determinatis,tunc non solum peccaret contra hoc caput Regulæ,sed etiam contra commune præceptum Ecclesiæ *cap.omnes fideles de consecr. distinct.* 1. praxim,& vsum Ecclesiæ. Suarez *tom.3. in 3.part. disput.*88.*sect.*4.§.*iam verò*. Fagundez *de primo Ecclesiæ præcepto,lib.*2.*cap.*2.*num.*4. ac per consequens peccaret etiam mortaliter, sicut generaliter omnes alij fideles talibus diebus Missam non audientes peccant, prout communis doctrina Theologorum docet.Sacerdotes autem celebrantes huic præcepto Ecclesiæ pro diebus Dominicis, & festis imposito. Perfectus enim Missam audiunt, & ad illam attenti sunt quàm simpliciter eam audientes. Suarez *supra*. Azor.*tomo* 1. *Instit.Moral.cap.*3.*q.*4. Fagundez *supra num.*5.

112. Ex eo autem quod in hoc Regulæ textu dicatur. *Ad audienda Missarum solemnia conuenire debeatis*,infert Thomas de Iesu *supra* ipsam loqui de Missa Conuentuali, solemni, aut cantata,ita vt ad ipsam omnes conuenire debeant ex vi huius textus Regulæ. Cæterum, et si Missam solemnem, seu Conuentualem in omnibus Ecclesiis etiam Regularium celebrari debere dixerim *tom.*1.*cap.*21.*num.* 29. quod etiam colligitur ex aliquibus declarationibus sacræ Congregationis, quas retuli *tom.*4. *verbo Missa, num.*48. nihilominus quod ad ipsam ex vi Regulæ teneantur conuenire nostri Religiosi,non video sufficiens fundamentum. Tum quia Regula non dicit ad dicenda, cantanda, aut celebranda *Missarum solemnia*, sed *Ad audienda*.Tum quia iuxta praxim, & vsum Religionis quomodocunque aliquis audiat,siue dicat Missam priuatam, aut non solemnem, satisfacere censetur Regulæ. Dixi *ex vi huius textus Regulæ*,quia aliunde, scilicet ex Decretis summorum Pontificum Clem. VIII. & Vrbani VIII. cùm iuxta dicta *tom.*1.*cap.*50.*num.* 20.teneantur choro assistere omnes Regulares, consequenter etiam tenebuntur assistere Missæ Conuentuali. Vide dicta *tom.*1. *cap.*12. *num.*9. *&* *tomo* 4. *verbo officium diuinum, num.*2. 3.4. *&* 5. & Constitutiones nostras *part.*1. *cap.*19. *num.*10. Vbi nullus nisi actu prædicans, vel legens, infirmus, &c. à seruitio chori censetur immunis.

113. Ex hoc autem puncto Regulæ colligi porest secundum ipsam vsum chori in Ordine nostro debere esse. Cùm enim in illo præcipiatur Fratribus conuenire ad Oratorium pro audienda Missa quotidie, ne dicamus confusim cum sæcularibus, & extraneis, qui ad eandem Missam audiendam ad Oratorium etiam conuenire poterant, in eodem loco eam audire debere, quod indecens est, maximè Religiosis, qui vitam Eremiticam profitebantur; dicendum videtur ab eisdem sæcularibus separatos, & loco distincto positos id agere consueuisse. Qui locus, secundum vsum Religionis, est chorus. Idque supponere videtur Vvalden. noster *tomo* 3. *de Sacramentalibus, tit.* 9. *cap.* 75. de hoc Oratorio loquens. Similiter,si, vt Thomas de Iesu putat, illud *Missarum solemnia*, intelligitur solum Missa Conuentualis, solemnis, & cantata, procul dubio in hoc denoratur chorus, qui est locus, in quo clerici cantantes deseruiunt Missæ, quàm Sacerdos dicit in Altari. Deinde Religiosos nostros ex vi Regulæ teneri adire chorum pro diuino officio recitando probat idem Author super illum textum Regulæ, *Hi qui horas Canonicas cum Clericis, &c.dub.*1.§.*vlt. dico* ex iis verbis. Ea enim significant horas Canonicas *cum Clericis* dici fuisse solitas, ac proinde omnes simul, & in choro. Secundò, ex *cap.de silentio*,vbi dicitur:*statuimus,vt d*

Completorio silentium teneatis vsque ad primam dictam sequentis diei, hoc enim non est intelligendum de Completorio, aut Prima singulariter dictis, alias non esset determinatum tempus pro silentio, cùm has horas possit priuatim quisquam, saltem ob rationabilem causam, nimis protrahere. Supponit erg Regula,eas,& alias horas Canonicas communiter ab omnibus simul eodem tempore,& loco recitari solitas, ac per consequens in choro, qui est locus ad id munus deputatus.Colligit præterea vsum Chori ex Regula nostra Ioannes Soreth *super textum* 9. *dub.*1. tum ex illis verbis *cum Clericis*, vt dictum est tum ex illis, quæ habentur in eodem textu Regulæ, scilicet, *secundum Ecclesiæ approbatam consuetudinem*, & propterea *non sufficit*(Inquit)*sigillatim dicere psalmodiam.sed pariter, & in conuentu*. Supponens sanè Ecclesiæ approbatam consuetudinem esse, vt Clerici dicant horas simul, & coniunctim in choro, prout etiam supponit Thomas de Iesu *supra*.. Portò esse hanc Ecclesiæ approbatam consuetudinem, vt Clerici simul in choro horas dicant, imo esse antiquissimam, in Ecclesia veteri inchoatam aliquo modo, & in lege gratiæ ab ipso Christo,eiusque discipulis demonstratam, & executioni mandatam, communis est sententia Doctorum. De quo sanctus Isidorus *lib.*1.*de Ecclesiast. offic.cap.*3. Amalarius Fortunatus *lib.*3.*de Ecclesiast. offic.cap.*3. noster Thomas Vvaldensis *tom.*3. *de Sacramentalibus, tit.*2. *cap.*17. *&* 18. Dominicus Sotus *lib.*10. *de Iust.quæst.*5.*art.* 2.*arg.*4. Alfonsus de Castro *lib.*4. *aduers. hær. verbo Cantus*. Bellarminus *tom.*4. *contr. lib.*1.*de bonis operibus, cap.*16.*exempl.*1. *&* 2. Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*4.*de horis Canonicis, cap.*7. Peirinis *in Regula S. Francisci de Paula, cap.*4. §.12. *quæst.*1. Annellus Tractat.*de horis Canon.c.*2.*dub.*1.*&* 2.& alij plures.

Ex eisdem quoque verbis *cum Clericis*, & *secundum Ecclesiæ approbatam consuetudinem* colligi etiam potest vsum cantus Ecclesiastici etiam esse de mente nostræ Regulæ: siquidem ille est in vsu clericorum, & *secundum Ecclesiæ approbatam consuetudinem*, vt probant prædicti authores, imo ferè pro vno,& eodem accipiunt chori,& cantus vsum, ita vt chorus dupliciter sumatur, scilicet pro loco, in quo diuinæ laudes canuntur, & pro ipso cantu,& psalmodia,quæ ibi exercetur,lege Annellum supra ex relatis authoribus; & Vvaldensem *supra tit.*9.*cap.*75. de hoc Oratorio loquentem. 114.

De Capitulo, & correctione.

Cap. XI.

Dominicis quoque diebus,vel aliis, vbi opus fuerit,de custodia Ordinis, & animarum salute tractetis,vbi etiam excessus, & culpæ Fratrũ,si quæ in aliquo fuerint deprehensæ,charitate media corrigatur. 115.

Agit in hoc cap.Regula nostra de Capitulo habendo, & correctione Fratrum in ipso facienda, quod etiam video tractari in Regula S. Aug. *c.*7.S. Bened.sæpius,præsertim *c.*46.69.*&* 70.S.Francisci *c.*7.& in Regula Saluatoris apud S.Brigittam *c.*18. Circa illud etiam aliqua nobis breuiter dicenda. Primò de vtilitate talis Capituli; secundò, de tempore illud celebrandi;tertiò,de modo, qua fieri debet;quartò,de iis,quæ in ipso tractanda sunt;quintò,de correctione in ipso facienda;sextò, de modo talis correctionis. 116.

Quoad primum, Capituli culparum vtilitas sufficientissimè commendatur ex doctrina communi 117.

Patrum, qui Religiosorum correctionem maximè commendant. Hi sunt S. Basilius *in Regul. Breu. interrogat.* 47. *& in Reg. fusioribus interrogat.* 46. S. Hieronymus *in Regul.* S. Augustinus *in Regul.* S. Cæsarius *in Monial. Regul.* Antiochus Monachus *hom.* 67. Hugo Victorinus *in Comment. supra Regul. S. August.* Smaragdus Abbas *supra Regul. S. Benedicti*, S. Thomas *quodlib.* 11. *art. vlt.* Humbertus *sup. Reg. August.* commendatur etiam ex visione facta Patriarchæ S. Dominico, in qua vidit diabolum nolentem intrare locum, in quo Capitulum fieri solebat, ob magnam iacturam, quàm ex illo sibi comparare dicebat. Fauet & illud, quod de Abbate de Manburgo *Alphab.* 12. *cap.* 9. *memb.* 4. refertur, scilicet, quod in Capitulo *diabolus amittit quidquid aliis locis lucratur.* Item Sorethius noster *hic cap.* 1. dicens: *Attende in Samaritano Prælatum, & in stabulo Capit. in effusione vini, & olei fomentum consolationis, & asperitatem correctionis. Hæc est piscina compunctionis, in qua sanatus est infirmus post commotionem veræ confessionis.* Gratianus quoque noster *in discipl. Regul.* 3. *part. cap.* §. 1. dum inquit locum Capituli vocati Capitulum, quia sit caput, & principalior inter alia loca Monasterij, eo quòd in illo agatur de puritate animæ tam necessaria Religiosis. Vide eundem Gratianum §. 2.

118. Quoad secundum de tempore faciendi Capit. culparum, ex verbis allatis Regulæ habetur debere esse singulis septimanis, *diebus Dominicis, vel aliis vbi opus fuerit*; id est, aliis etiam diebus, si id necessarium fuerit. Ex vsu tamen Religionis, forsan, quia Dominici dies impediti esse solent confessionibus, prædicationibus, & solemnioribus officiis diuinis, fieri solet tale Capitulum diebus Veneris, vel aliis. Gratianus *supra* §. 2. Vnde in Constitutionibus nostris *part.* 4. *cap.* 21. *num.* 1. solum dicitur: *Capitulum Conuentuale in qualibet septimana per Priorem, Superiorem, aut Vicarium, ad minus semel celebretur.* Velle autem Regulam, quod nulla excusatione admissa Capitulum saltem semel in hebdomada celebretur, & ex eo colligitur, quòd non adiicit illam clausulam, *vbi commodè fieri poterit*, quàm aliis locis adiicere solet. Thomas de Iesu *hic dub.* 1. Vnde Prælatus non celebrans semel in hebdomada Capitulum istud non excusatur à veniali peccato, vtpote Regulæ transgressor, quæ ad hanc culpam obligat. Aliunde etiam peccabit mortaliter, si in Capitulo, vel extra illud omittat corrigere subditos non solum in peccatis mortalibus, sed etiam in venialibus, quibus introducuntur consuetudines contrariæ Religioni, quibus detrimentum graue patitur in obseruantia Regulari, iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 18. *num.* 15. ex Thoma de Iesu & Diana, quod etiam tenent Miranda *de Ordine iudiciario, tom.* 1. *quæst.* 10. *art.* 1. *concl.* 5. Tanarus *in* 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 5. *dub.* 4. *num.* 76. Villalobos *in Summ. tomo* 2. *tract.* 4. *diff.* 2. *num.* 5. & alij quos referunt, & sequuntur Diana *tom.* 3. *tract.* 2. *dub.* 38. & Ioannes Eusebius *doctrinar. ascetic. lib.* 2. *doctr.* 14. *cap.* 97. Quibus fauet Ioannes Pintus de Victoria *in Hierarchia Carmelitana, tract.* 2. *cap.* 23. Quod saltem videtur indubitatum, si talia peccata venialia sint, aut possint esse occasio peccati mortalis. Rodriguez *de Ordin. iudiciar. cap.* 9. *num.* 7.

119. Quod attinet ad tertium, scilicet de modo celebrandi hoc Capitulum culparum, is præscribitur in nostris Constitutionibus loco relato supra. Quibus addendum, tum ex vsu Religionis, tum ex magna congruentia esse, quod Prælatus Capitulum faciens sermonem aliquem opportunum habeat, quo subditorum mentes ad Regulæ, quam professi sunt, vel ad aliarum virtutum exercitium adhortetur. Thomas de Iesu *supra.* Tenetur etiam ex vi iuris communis Clementinæ *ne in agro, de stat. Monach.* is qui præest huic Capitulo, exponere, etiam vulgariter, propter iuniores, Regulam, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 2. *num.* 31. *& cap.* 12. *num.* 24. De quo Thomas *supra.* De authoritate autem huius Capituli aliqua dixi eo *cap.* 12. *num.* 24.

Loquendo de iis, quæ in hoc Capitulo tractanda sunt, manifestò habentur in Regula illis verbis, 120.
De custodia Ordinis, & animarum salute tractetis, vbi etiam excessus, &c. corrigantur. Hæc ergo tria in Capitulo agenda. Gratianus, & Thomas de Iesu *supra.* Imo Sorethius noster *hic cap.* 1. condemnare videtur, quod in hoc Capitulo culparum agatur de exterioribus negotiis, aut temporalibus Monasteriorum; etsi enim hoc in Capitulis Conuentualibus tractari debeant, sed non in Capitulis culparum, de quibus in præsenti, nisi aliqua rationabilis causa oppositum suadeat, & tunc transitoriè, aut perfunctoriè, cùm Capitulorum istorum scopus sit præcipuus, non de iis, sed *de Custodia Ordinis, & animarum salute* tractare. Thomas de Iesu *supra. dub.* 3.

Circa quintum de correctione facienda in his 121.
Capitulis, nota dupliciter fieri posse; primò quidem, dum Religiosi seipsos coram omnibus humiliter de culpis, & excessibus se accusant; secundò verò, cùm à Prælato, vel ab alio de Capitulo accusantur. Primus modus conformior est tum nostris Constitutionibus, tum vsui Patrum antiquorum, vt videre est in D. Basilio *serm.* 4. *exercitat. & in Regul. fusior. interrogat.* 37. D. Hieronymo *in Regul. Monac. cap.* 9. Cassiano *lib.* 4. *instit. cap.* 16. D. Benedicto *in Reg. cap.* 46. & Hugone Victorin. *de instit. monast. serm.* 53. Secundus autem modus etiam est licitus, seruatis tamen iis, quæ diximus seruari debere in accusatione, seu denunciatione defectuum aliorum *tomo* 1. *cap.* 27. *& tomo* 3. *verbo Accusare, & accusator, & verbo Denunciatio, & denuntiare, & verbo Iudex, & iudicium Regulare.* Quibus adde, quod cùm aliquis se accusat, id faciendum de peccatis, seu defectibus notabilem famæ iacturam non inferentibus, aut scandalum non generantibus, sed de leuioribus, nisi forsan grauiora iam publica sint. Ita enim supponunt Patres relati, qui de accusatione propria loquuntur, & docent Thomas de Iesu *sup.* & Sanctorus *in Constit. sui Ordinis, cap.* 8. *statut.* 61. Similiter, cùm aliquis non se accusat de commissis, accusati posse ab aliis, imò quandoque id fieri debere habent D. Basilius *in Regul. fusioribus interrogat.* 46. D. Hieron. *in Reg.* S. Thomas *quodlib.* 11. *&* 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. *ad* 4. *& in* 4. *dist.* 19. *quæst.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 3. Hugo Victorin. in Comment. *sup. Reg. S. Aug.* Smaragdus Abbas *in Reg. S. Benedicti.* Humbertus *in Reg. S. August. cap.* 95. Idque colligitur ex Chrysost. *Orat.* 1. *contr. Iudæos*, & D. Bernardo *serm. de Natiuitate sancti Ioannis Baptistæ*, & supponunt ex nostris Sorethius, Gratianus, & sanctus Thomas relati.

De sexto, scilicet de modo correctionis à Præla- 122.
to tenendo satis clarum habemus Regulæ documentum illis verbis: *Charitate media corrigantur*, id est, quod defectus, seu culpæ Fratrum de quibus ipsi se accusant, seu ab aliis accusantur, corrigi debeant non ex rancore, ira, aut simili passione, animive perturbatione. De quo D. Basilius *in Regul. Breuior. interrog.* 99. D. Benedictus *in Reg. cap.* 64. Dionysius Carthusianus *leg. de modo corripiendi, &*

*& iudicandi c.*20.& nostri huius Regulæ Commẽtatores Sorerhius, Gratianus, & Thomas relati. Apud quos etiam de modo, quo subditi accusati se gerere debeant, dum accusantur. Vide Sanctorũ *supra.* & Ioannem Eusebium *etiam sup.c.*98.nostrasque constituriones loco relato.

De ieiunio.

Cap. XII.

123. *Ieiunium singulis diebus, exceptis Dominicis, obseruetis à Festo Exaltationis Sanctæ Crucis, vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis; nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia iusta causa ieiunium solui suadeat, quia necessitas non habet legem.*

124. Commendatur Religiosis omnibus in ipsorum Regularium obseruantia ieiunij, vt videre est in Regula Sancti Augustini *c.* 3. Sancti Benedicti *c.* 4. Sancti Francisci *c.* 3. in Regula Saluatoris apud Sanctam Brigittam *c.* 9. & in Regula Sancti Francisci de Paula *c.* 7. §. 29. Et meritò sanè quia ex ieiunio prodeunt innumeri effectus spirituales animæ, vtiles valde Religiosis personis. De quibus Patres sæpius, quorum plures congerit Peirinis *in Regul. Sancti Francisci de Paula loco citato.* in nulla verè Regula nisi in nostra determinatur hoc tempus, ab Exaltatione scilicet S. Crucis, quæ contingit 14. Septembris vsque ad diem Paschæ, quod regulariter est septem mensium vel circiter continuorum. Quare verò Regula non protraxerit ieiunij præceptum vltra diem Paschæ, vix ratio alia assignari potest, nisi quia ex Ecclesiæ consuetudine non admittuntur ieiunia toto tempore Paschali ob lætitiam Dominicæ Resurrectionis *c.post Pascha, c.scire debet dist.* 76. *& c. consilium de obseruat. ieiun.* Pasqualigus *de ieiun.disp.*178. *num.*2. Imò hoc videtur sumptum ex antiqua Apostolorum traditione. Tamburinus *de iur. Abbat.tom.* 2.*disp.*12.*quæsit.*1.*num.*3. Thomas de Iesu *super hoc caput Regulæ dub.*2. §. *quoad secundam* id confirmans ex Cassiano, Epiphano, & Hilario. Reliquo verò tempore post finitum tempus Paschale propter nimium caloris rigorem proculdubio tam in nostra, quam in aliis Regulis ieiunium non præcipitur. Thomas de Iesu *supra.*

125. Excluduntur etiam ab hoc præcepto ieiunij dies Dominici, quia etiam in illis propter Ecclesiæ consuetudinem, *c. ieiun. de consec. dist.* 3. *c. si quis tanquam, c.si quis præsbyter dist.*30. *& c. sacerdos* 26.*q.* 6. fundatam in Apostolica traditione ieiunium non admittitur; prout ex Patribus, & Doctoribus probat Thom. supra §. *quoad primam partem.* Quare iis diebus ieiunare Ecclesiæ consuetudinem contemnendo, aut ex superstitione, scandalo vel errore, prout faciebant Manichæi, qui teste D. Hieronymo *in Math.c.*9. Dominicis diebus ieiunabant malè sentientes de Christi Resurrectione proculdubio peccatum esse mortale S. Thom.2.2.*quæst.*147. *art.*5. *& in* 4. *dist.* 15. *quæst.*3. *artic.*3.*quæst.*2. noster Io.Boetz *in præcept. Decalog. præcept.*3. *exposit.*4.*c.*2. Caietanus 2.2. *q.*92. *art.*1. Nauarr.*in Summ.c.*11.*num.*41. Fagund. *de* 4.*Eccles. præcept. lib.*1. *c.*5.*n.*3. Sanchez *lib.*2. *in Decalog.c.* 37.*num.*12. Pasqualigus *sup. n.*3. Qui autem hoc faceret solum ex quadam singularitate, cessante scandalo, aut alio malo mortaliter fine, seu praua circumstantia, solum, vt credo, peccaret venialiter, vt habet Sanchez *sup.n.*13. Imo etiam, si cessantibus prædictis, ieiunaret quis diebus Dominicis propter aliquem bonum finem, scilicet deuotionem, profectum spiritualem, domationem carnis, &c. nullo modo peccaret, sed faceret actum meritorium, quia ieiunium est opus virtutis, ex se laudabile, & meritorium Et ita colligitur ex D.Aug. *ep.*86. *ad Casulam.* D.Hieron.*epist.*29. *ad Lucinum, & refertur c. vtinam dist.*76. vbi hoc ieiunium approbat exemplo Apostolorum. Estque communis sententia Doctorum, quos referunt, & sequuntur Sanchez *sup.n.* 12. Fagundez *d.n.*2. Pasqualigus *n.*4. De quo etiam noster Beetz *supra.*

Quamuis autem in Regula non excludatur festum Natalis Domini, si extra Dominicam venerit, ita vt ex vi Regulæ ea die ieiunari debeat, cum exceptio illa *Exceptis Dominicis*, firmet illam pro quibuscunque aliis diebus, & quia Ecclesia, cum talem diem excipit, si fuerit feria 6. ab obseruantia abstinentiæ à carnibus *c. fin. de obseruat. ieiun.* manifeste declaret se non loqui cum illis, qui voto aut Regula sunt adstricti, de quo inter alios relatus Ioannes Beetz *sup.* nihilominus quia talis dies Natalis ex Ecclesiæ consuetudine videtur exceptus, & propter ipsius solemnitatem, ac in abominationem Priscillianistarum, qui eo die ieiunare solebant, ipsa quoque æquitate suadente, in tota Religione introductum est, ne ea die Fratres ieiunent, propterea Regula pro tali die non obligat. Vide Bellarminum *tomo* 3. *de bonis operib. in particular. l.*2.*c.*23. Thomam de Iesu *sup. contrarium*, & Peirinis *supra.* 126.

Quæri autem solet, an ipsa dies Exaltationis S. Crucis includatur in hac lege ieiunij Regulæ, ita vt etiam ea die ieiunari debeat. Et quidem, licet iuxta dicta *tomo* 3.*verbo dictio, num.*2. de huiusmodi dictionibus *A, Ab*, an scilicet significantes terminum debeant intelligi inclusiuè, an exclusiuè, includendo videlicet diem termini, vel illum excludendo, res sit dubia, quia vt ibidem dixi, nihil clarius, aut breuius dici potest, quam quod in odiosis stetit exclusiuè, ita vt dies termini non includatur in termino, in fauorabilibus tamen è contra stent inclusiuè, ita vt dies termini includatur in ipso; dubitari autem potest, an hæc lex ieiunij accipienda sit, vt odiosa, quia est pœnalis Religiosis an verò vt fauorabilis, quia est talis toti Religioni, propterea recurrendum censeo ad consuetudinem, quæ est optima legum interpres. Quia ergo consuetudine Religionis habetur talẽ diem Exaltat. S. Crucis includi in obligatione ieiunij Regulæ, ideo ita est asserendum. Thomas de Iesu *sup. dub.* 1. quod idem obseruari dicit in Ordine Prædicatorum, in quo à Constitutionibus indictum est simile ieiunium incipiens ab hac die. Dicit etiam esse ex mente Nauarri *cons.*18.*de præbend. n.*6. asserentis, quod quando præposito *A.* adiicitur à lege alicui diei determinato, tunc includit ipsum Cœterum, quia communior modus loquendi Doctorum est, quod dies termini non clauditur in termino, prout habetur ex *l.vbi lex. ff. de regul.iur.c.*1. *de rest.spoliat.l.*6. & docent plurimi, quos refert, & sequitur Barbosa *de Axiomatib. iuris. Axiomat.* 71. *n.*5. ideo vt dixi, ad consuetudinem Religionis attendendum est. 127.

Quod atrinet verò ad Diem *Dominicæ Resurrectionis*, certum est illum stare exclusiuè, nec includi in obligatione ieiunij. Etsi enim diceretur, quod dies vltima termini includi deberet in ipso, hoc solum posset stare, vbi absurdum aliquod vel inconueniens non esset, prout contingeret in proposito; magnum siquidem inconueniens, & absurdum 128.

esset, quod Religiosi ex vi Regulæ tenerentur ieiunare die Paschæ, cum hoc esset contra Ecclesiæ consuetudinem in Apostolica etiam traditione fundatam, vt dictum est. Sic colligo à simili ex doctrina Cyni *in l. à Caligato*, *C. de nupt.* Tiraquelli *de retr. lignan. in gloss.* 11. *num.* 13. ac Oaldi *in Summ. littera A. Ab. §. secundò fallit.*

129. Quoad obligationem huius ieiunij Regularis dicendum primò, illam solùm esse sub veniali, secluso tamen scandalo, contemptu, aut simili alia circumstantia mortali; quia vt sæpe dictum est, & supponunt Regulæ nostræ Expositores, ipsa non obligat in huiusmodi Obseruantiis, quæ non pertinent ad vota essentialia, nisi solum ad veniale. Dicendum secundò, hac lege ieiunj Regularis obligari omnes professos siue Choristas, siue laicos ante vigesimum primum annum, iuxta dicta *tom.* 1. *c.* 7. *num.* 26. & *to.* 3. *verbo Aetas num.* 8. & *verbo Annus n.* 9. & *verbo Ieiunium num.* 6. quia etsi tales ad ieiunium Ecclesiasticum commune toti Ecclesiæ non obligentur, quia illud solum obligat vigesimum annum complentes; cum tamen ipsi per professionem ad strictiorem obseruantiam se astrinxerint, quam Ecclesia tenet, scilicet ad Obseruantiam Reguel, cum in ipsa præcipiatur hoc ieiunium, ad illud tenebuntur tales professi. Prout tenent non solum Azor, & Sanchez, quos retuli loco citato ex *primo tomo*, sed etiam Corduba, Ledesma, Rodriguez, Filiucius, Fagundez, Sancius, & alij, quos referunt Pasqualigus *de ieiunio decis.* 254. Peirinis *supra*, & Bordonus *Resolut.* 18. *num.* 6. contra aliquos oppositum tenentes. Posse tamen facilè in hoc præcepto dispensari à Prælatis, vt conseruatis viribus melius seruire possint Religioni, tenent Martinus de Ledesma 2 *part.* 4. *qu.* 17. *art.* 3. *vers. præterea*, Pasqualigus *supra num.* 6. & Bordonus etiam *supra*. Qualiter etiam dicti professi non habentes vigesimum primum annum obligentur ad ieiunia Ecclesiæ, si Regula, vel Constitutiones Ordinis id ipsis præcipiunt, & iuxta modum, quo Regula, vel Constitutiones obligant, dixi locis relatis, licet Pasqualigus *decis.* 253. id non admittat, nisi hoc præceptum cum illis expresse loquatur. Dicendum tertiò, quod cum hoc ieiunium Regulæ sit Ecclesiasticum, vt pote quia à Prælato Ecclesiastico indictum, & à Papa confirmatum, ideo in ipso obseruari debent conditiones ieiunij Ecclesiastici, de quibus dixi *tomo* 3. *verbo ieiunium*, præsertim *num.* 2. 3. 4. & 5. ac proinde in ipso debet obseruari ciborum delectus, scilicet abstinentia à carnibus; vna tantum comestio, etsi non excludat refectionem nocturnam; & quod comestio fiat tempore competenti, scilicet circa meridiem. De quo etiam Peirinis *supra*. Quia tamen iuxta dicta eo *num.* 3. abstinentia ab ouis, & lacticiniis solum est necessaria in ieiuniis quadragesimalibus, in aliis verò ieiuniis iuxta patriæ consuetudinem, ideo in hoc etiam assimilari debet hoc ieiunium Regulæ cum ieiunio communi Ecclesiæ. Ita à simili de ieiunio Fratrum Minorum Sanctorus *Super Constitutiones sui Ordin. c.* 3. *stat.* 13. *dub.* 2. Fauet Thomas de Iesu *sup. dub.* 3. Pro ieiuniis autem, quæ nullo modo sunt ab Ecclesia instituta sic habetur in nostris Constitutionibus *p.* 1. *cap.* 4. *num.* 1. *Poterunt Priores, exceptis ieiuniis institutis ab Ecclesia, & Aduentu de esu lacticiniorum, vel abstinentia secundum varias locorum consuetudines ordinare.* Ad quod iuuat priuilegium quoddam Eugenij IV. quod ex Corduba, & Cassarubio referunt Sanctorus, & Thomas relati. Addendū quartò, hac obligatione ieiunij obligari Religiosos etiam extra sua Monasteria existentes. Quia hæc obligatio non est localis, sed personalis orta ex voto secundum Regulam. Nec habet limitationem *extra domos vestras*, vt est illa de abstinentia à carnibus, de qua inferius. Bordonus *sup. n.* 4. Pasqualigus *supra decis.* 205. *n.* 6.

Circa excusationem autem ab obligatione huius præcepti præter dicta de ieiunio communi Ecclesiæ eo *verbo Ieiunium num.* 8. & *sequentib.* vlterius notanda verba illa Regulæ, *Nisi infirmitas, vel debilitas corporis, vel alia iusta causa ieiunium solui suadeat, quia necessitas non habet legem.* Quæ enim amplissima sint, amplissimam quoque habent explicationem. Ita vt plurimæ causæ sint, propter quas Religiosi ab ista lege ieiunij excusari possint. Prima est *infirmitas, vel debilitas corporis*, prout Regula dicit. Ad quam etiam reducitur infirma complexio, talis scilicet, vt capitis dolorem, vertiginem, aut simile incommodum ex ieiunio ortum participet. Secunda notabilis labor corporalis, quando simul cum ieiunio sic debilitat corpus, vt impediatur Religiosus eidem, vel simili corpori labori assistere. Tertia, labor etiam spiritualis concionandi, legendi, audiendi confessiones, &c. quando ieiunium ea opera impedierit. Nomine etiam *iustæ causæ* maximè intelligitur ea, quæ pertinet ad charitatem, seu pietatem, ita vt harum virtutum operibus cedat obligatio ieiunij, quando cum illo non sunt compatibilia. De quibus, & similibus, Sorethius *super hunc textum cap. vnico.* Gratianus *in disciplina regulari part.* 3. *cap* 7. §. 2. & Thomas de Iesu *supra dub.* 4. conformiter ad doctrinam Caietani, Nauarri, & aliorum. 130.

Nota demum hunc punctum Regulæ mitigatum esse à Summis Pontificibus Eugenio IV. Pio II. & Sixto IV. vt in sequentibus videbitur. Vnde licet Patres Discalceati, & Patres Primi Instituti, seu de *Monte Sancto* vocati ad præfatum ieiunium omnibus diebus, exceptis Dominicis, ab Exaltatione Sanctæ Crucis, vsque ad diem Resurrectionis teneantur, eo quod profitentur Regulam, prout ab Innocentio IV. correcta, & mitigata est, quod potiori ratione dico de Eremitis nostræ Prouinciæ Vasconiæ in Galliis, cum ipsi obseruent primæuam, & omnino primitiuam Alberti Regulam, iuxta dicenda infra *circa* §. 102. nihilominus reliquum corpus Religionis solum tenetur ad ieiunium Feria quarta, sexta, & sabbato iuxta dispensationem dictorum Pontificum, & ad ieiunia Aduentus, & Quadragesimæ. 131.

De abstinentia carnium.

Cap. XIII.

Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet frequenter mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus. Sed & carnibus supra mare vesci licebit. 132.

Quoad hunc punctum Regulæ mitigata est primæua, & primitiua illa Alberti Carmeli Eremitis data. Cum enim in illa haberent: *Ab esu carnium semper abstineatis, nisi pro infirmitatis,* & (aliàs *aut*) *nimiæ debilitatis remedio sint sumendæ*, cum rigidissima viderentur, mitigata hoc modo sunt in hac Innocentij IV. mitigatione. *Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur,* 133.

sumantur, deletis particulis *semper*, & *nimia*, quæ erant in primitiua Regula. Quin additum est: *Et quia vos oportet frequenter mendicare itinerantes ne sitis hospitibus onerosi; extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus, sed & carnibus supra mare vesci licebit.* Quod autem in eo præcipitur, scilicet abstinentia à carnibus, conforme est Regulæ Sancti Benedicti *Cap.* 36. *&* 39. & Regulæ Saluatoris apud Sanctam Brigittam *capit.* 9. & consentiunt etiam aliæ constitutiones Religionum, in quibus est similis obseruantia Specialiter Carthusianorum 2. *part. c.* 10. *numero* 24.

134. Suppono autem primo contra Iouinianum apud D. Hieronymum *lib.* 2. *contra ipsum*, & Lutherum, Caluinum, Brentium, Centuriatores, & Chemnitium apud Bellarminum *tom.* 3. *de bonis operibus in particulari lib.* 3. *cap.* 3. abstinentiam à carnibus licitam, & honestam esse; ac proinde iure optimo in Regula præcipi posse. Colligitur primò ex Sacra Scriptura *Danielis* 10. vbi dicitur, carnem tribus hebdomadis non comedisse, & *Danielis* 10. vbi dicitur, carnem tribus hebdomadis non comedisse, & *Matthæi* 3. de Ioanne Baptista dicitur: *Esca autem eius erat locusta, & mel siluestre.* Ac ad *Ryman.* 14. Apostolus ait: *Bonum est manducare carnem.* Colligitur secundò ex Concilio Toletano primo *in assertione fidei*, & Braccarensi *can.* 14 & *c. cum ad Monasterium de stat. monach.* vbi monachis carnium comestio prohibetur. Idem habetur, ex *can. carnem, de consecr. distin.* 5. Tertiò, ex doctrina Patrum, specialiter Chrysostomi *Homilia* 14. *in Epistola ad Timotheum.* Hieronymi *de custodia virginitatis.* Diui Augustini *de moribus Eccles. c.* 30. Basilij *in Regul. fusior. interrog.* 19. *&* 20. Cassiani *l.* 4. *institut. c.* 11 *& lib.* 5. *c.* 23. Diui Bernardi *serm.* 66. *in Cantic.* Diui Bonauenturæ *libro* 2. *Pharm. cap.* 23. & aliorum. Quartò, ex vsu plurium Religionum. Minimi enim non solum carnibus, sed etiam lacticinijs vesci prohibentur. Carthusiani, etiam imminente morte, à carnibus abstinent. Camaldulenses, solùm tempore infirmitatis illis vtuntur Dominicali quoque, saltem in refectorio, illis non vtuntur. Imò etiam antiquitus filij Seth, & cæteri, qui ab aliis segregatam vitam gerebant, à carnibus abstinuerunt, vt probat Antonius Perez *in Regul. S. Benedicti c.* 39. *numero* 9. Denique quintò, quia cum esus carnium sit seminarium libidinis, vt habet D. Hieronymus *lib.* 2. *aduer. Iouin.* & Religio sit schola virtutum, pœnitentiæ præsertim, ad quam pertinet abdicatio voluptatum, quæ castitati contrariæ sunt, proculdubio non nisi cum magna temeritate dici potest vsum carnium prohiberi non posse, aut esse contra rationem legem eas prohibentem.

135. Nec obiici potest abstinentiam à carnibus illicitam esse, eo quod per illam abbreuiatur vita. Hoc enim generaliter loquendo falsum esse constat, cum exemplo antiquorum PP. Antonij, Hilarionis Pachomij, Honufrij, & aliorum; tum plurimorum, qui in Religionibus hac obseruantia vtentibus, ad decrepitam vsque ætatem peruenerunt, à carnibus semper abstinentes; tum ex eo, quod carneus cibus cum sit solidioris substantiæ, difficiliùs concoquitur, & digeritur, ac per consequens, est minus congruus Religiosis, qui orationibus, studiis, & functionibus mentis, plusquam corporis, attendere debent Pro quo legendus Lessius *in opusc. de ver. rat. valetud. conser.* & Peirinis *tomo* 1. *de subdito q.* 4 *c.* 4. probans vitam quadragesimalem non abbreuiare vitam. Legendus etiam Ioannes Sancius *in selectis disp.* 3. *n.* 7. & illis vetustior noster Ioannes Beetz *in precept. Decalog. precep.* 3. *exposit.* 4. *c.* 2. conformiter ad doctrinam Arnoldi de Villa noua dicentis languentibus ob defectum cibi plus competere vinum mediocre, & vitella ouorum mediocriter mollia, quæ velocissima digestione conuertuntur in sanguinem, quam carnem.

Suppono secundò, nomine carnium in præsenti 136. sicut etiam in præcepto communi Ecclesiæ, intelligi illas, quæ à piscibus contradistinguuntur iuxta communem Christianorum vsum, aut medicorum iudicium. Neque enim melior illa regula, quo ad hoc assignari potest. Bonac. *disp. vlt. de precep. Eccl. q. p. pu.* 2. *n.* 1. Trullench. *lib.* 7. *in decal. c.* 2. *dub.* 2. *n.* 2. Tamburinus *tom.* 2. *de iure Abbatum, disp.* 12. *q* 9 *n.* 9. Pasqua igus *de ieiunio disp.* 67. Vnde infero, quod si dubitetur de aliquo animali an sit caro, vel piscis, consulendus est communis vsus fidelium; quod si nihil certi ex vsu constet, consulendi sunt medici. Bonacina, & Tamburinus *sup.* Hinc etiam cochleas, ranas, & testudines, carnes non esse, sed pisces, ex communi vsu fidelium accipitur. Bonac. & Tambur. *sup.* ex Azorio, Reginaldo. Quia tamen aliqua sunt, quæ verè carnes non sunt, ex carnibus tamen ortum, & originem trahunt; vt sunt oua, & lacticinia; & alia quæ licet propriè carnes non possint dici, tamen maximam cum eis propinquitatem habent, vt sunt sanguis, lardum, sagimen, siue pinguedo; alij verò, quæ licet à carnibus originem non habeant, ex coniunctione tamen ad illas magnam earum virtutem, & substantiam participant, vt ius, in quo carnes decoquuntur, & denique alia sunt, quæ licet carnium substantiam in se non suscipiant, & simultanea tamen decoctione aliquam qualitatem, & excellentiam acquirunt; qualia sunt legumina cum carnibus cocta, ideo de singulis disquirendum est, an sub prohibitione carnium contineantur.

Et primò, non contineri oua, & lacticinia certum est, tum quia propriè carnes, non sunt, sed veluti ipsarum excrementum, tum quia hic est vsus non solum plurium Religionum, in quibus etiam est prohibitio comedendi carnes, scilicet Carthusianorum, & Dominicanorum, sed etiam totius Ecclesiæ, quæ, quamuis in *capit. de esu de consecrat. d.* 3. caueatur, vt feria 6. Christiani omnes à carnibus abstineant, huiusmodi nihilominus cibis ea die vtitur. Id etiam colligitur ex hac nostra Regula, propterea enim *capit.* 9. illis conceditur habere aliquot animalia, oues scilicet, gallinas, &c. propter oua, & lac, iuxta communem sensum Religionis. Sorethius *in capit.* 10. *Regular. capitul.* 9. Thomas de Iesu *hic dub.* 2. De sanguine loquendo, dicendum est eum nomine carnis comprehendi, quia licet proprie caro non sit, est tamen in proximo statu vt conuertatur in illam, & communi vsu fidelium eodem genere cum carne censetur. Pasqualigus *supra disputation.* 75. De lardo etiam id est magis certum, est enim caro pinguior, aut crassior, aut caro mixta cum pinguedine eiusdem fere saporis cum carne, & pro carne communiter habetur. Fagundez *in* 4. *Eccles. præcept. libro* 1. *capitul.* 2. *in fin.* Thomas *supra* Pasqualigus *supra disputat.* 74. *numero* 5. De sagimine autem, siue pinguedine est maior difficultas. Et sane licet standο in iure satis probabile sit nomine carnis non venire, eò quod sagimen, seu pinguedo non sit caro, licet ex carne originem trahat, sed perinde ac oua, & lac, sit quoddam veluti excrementum, 137.

vt habet Aristoteles 1. *de generat. animal. c.* 18. *circ. fin.* & ita teneant Layman *lib.* 4. *Tract.* 8. *c.* 1. *numero* 5. Ludouicus à Cruce *de exposit. Bullæ Cruciatæ disputat.* 1. *c.* 5. *dub.* 16. *numero* 2. Diana *part.* 1. *Tractat.* 9. *de ieiun. Resolut.* 21. & Pasqualig. *supra numero* 6. post alios, quos referunt; nihilominus ratione consuetudinis ferme generalis totius Ecclesiæ, & specialis nostræ Religionis sagimen, seu pinguedo habetur vt caro, quia verè multo magis accedit ad carnem, quam oua, & lacticinia, & ita nomine carnis in præsenti comprehenditur. Layman *supra*, Ludouicus à Cruce *supra*, *numero* 4. Thomas de Iesu etiam *supra*. Vnde infert, quod si in aliqua Regione consuetudine receptum sit, quod sagimen seu pinguedo pro carne non habeatur, prout dicitur esse in Regno Siciliæ, tunc licitè poterit esse vsus illius, quia talis consuetudo potuit legem communem abrogare. Diana *supra* Pasqualigus *supra n.* 11.

138. De aliis verò, quæ etsi caro non sint, neque ex carne ortum trahant, ab ipsa tamen participant aliquam qualitatem, virtutem, vel etiam substantiam, vt sunt ius, legumina, & herbæ, quæ cum carne coquuntur, certa res est pro carne haberi in ista Regulæ prohibitione. Tum ex vsu totius Ecclesiæ, quæ similiter illa pro carne censet in prohibitione communi manducandi carnes Feria sexta, Tum ex vsu Religionis nostræ, quæ semper de iis similem habuit existimationem. Tum denique ex ipsamet Regula, nam cum in ipsa concedatur esus pulmentorum cum carnibus coctorum solum extra domos nostras, & ne simus hospitibus onerosi manifestè supponit pulmenta esse carnem, aut pro carne haberi; pulmenta autem sunt legumina, herbæ, & similia cum iure carnis decocta, vt dicetur infeferius. Thomas de Iesu *supra*.

139. Excipit tamen Regula aliquos casus, in qubus licitus est Religiosis nostris esus carnium. Primus est, *si pro infirmitatis remedio sumantur*. In quo prudentis, & timorati medici iudicio standum est, iuxta illud Ecclesi. 38. *Honora medicum propter necessitatem &c.* Gratianus *in Disciplina Regulari p.* 3. *c.* 7. §. 3. *super hunc textum*. Dixi *timorati*, quia aliquando tam laxiores medici sunt, vt non semper illis credi debeat. Maximè si alioqui religiosi procliuiores sint ad carnes comedendas contra Regulæ præceptum, de quibus loquitur D. Bernardus *in apologia ad Gulielm.* E contra verò quando infirmitas euidenter apparet, non est opus medico, sed sufficit licentia ad carnes manducandas diebus prohibitis à Regula, Thomas de Iesu *supra dub.* 3.

140. Secundus casus est, si *pro debilitatis remedio sumantur*. Per quam intelligere debemus corporis languorem, vel imbecillitatem, Gratianus, & Thomas de Iesu *supra*. Nota tamen non esse necessarium, quod huiusmodi debilitas sit nimia. Propterea enim cum in Regula primitiua haberetur *nimiæ debilitatis*, Pontifex abstulit verbum *nimiæ* Thomas sup.

141. Tertius est, quando Religiosi mendicant itinerantes, & sunt extra domos suas. Tunc enim ipsis permittitur sumere *pulmenta cocta cum carnibus*. Per *pulmenta* autem, omissis variis ipsorum significationibus ad Varronem, Athenæum, Calepinum & Thesaurum linguæ Latinæ, secundum vsum, & consuetudinem Religionis, intelliguntur legumina, herbæ, offæ, & quidquid aliud cum carnibus coquitur, dummodo non sit caro ipsa, imò ipsum ius, seu brodium, cum quo carnes coquuntur Gratianus, *supra* Thomas de Iesu *supra hunc Tex.* Notat Gratianus verbum illud, *ne sitis hospitibus onerosi*, dicens, quòd si illi non sumant fastidium ex Fratrum abstinentia à carnibus quia habent pisces, tunc piscibus, & non pulmentis vti debeant. Sed contrarium dicit Thomas, quia licet cesset ratio Regulæ in particulari, non tamen cessat in vniuersali. Addit, quòd licet ex vi Regulæ non possint Fratres vti hoc priuilegio, nisi itinerantes, consuetudine tamen receptum sit, quòd etiam non itinerantes extra Conuentus Ordinis manducantes pulmentis vti possint. Notat vlterius *dub.* 4. quod licet hoc præceptum Regulæ de non edendis carnibus nisi in prædictis casibus, ex se tantùm obliget ad venialem culpam, et si grauissimam, & dignam, vt à Prælatis seuerè, & acriter puniatur, ratione tamen contemptus Regulæ, seu scandali (quale sæpius est in sæcularibus videntibus Fratres comedere carnes contra suam Regulam) posset esse peccatum mortale, iuxta dicta etiam à nobis in superioribus.

Quartus casus à Regula exceptus est illis verbis *sed & carnibus supra mare vesci licebit*. Qui intelligitur pro tempore nauigationis. Propter penuriam ciborum. Soreth. *hic c.* 1. *ad finem*. Gratianus *sup.* Thom. *sup. hunc Text.* Qui propterea animaduertunt non posse vti hoc priuilegio illos, qui cum in terra degunt, naues ingrediuntur recreationis causa, vel ad manducandum ibi, quia hoc est contra Regulæ intentionem, quæ plus inspicienda est, quàm nuda verba illius. An autem possint Religiosi in domibus Principum, cum ab ipsis inuitantur, vti eodem priuilegio carnes comedendi diebus prohibitis à Regula, tractat idem Thomas, & respondit negatiuè. Cœterum existimo id solum habere locum, quando tales Principes non ægrè ferant huiusmodi abstinentiam Fratrum. Tunc enim, si similiter id ægrè non ferant, poterunt pulmentis vti. Si verò vtrumque molestum illis sit, vel per epicheiam credendum est Regulam non obligare, sed charitatem illi præponendam. Quod maximè procedit, si Principes illi priuilegium aliquod habeant à Sum. Pontifice. Fauet Gloss. *in can. carnem de consecrat. dist.* 5. 142.

Maximè excipiuntur à Regulæ obligatione, quoad hunc punctum illi ex nostris, qui obseruant illam secundum mitigationem ab Eugenio IV. factam, & aliis Pontificibus confirmatam. Etenim secundum illam possunt ter, aut quater in hebdomada carnes comedere. Quare ad istam Regulam secundum dictum rigorem solum tenentur nostri Patres Discalceati, & illi, qui vocantur de primo Instituto, qui profitentur Regulam solum, prout ab Innocentio IV. correcta, & mitigata est. Imo & Eremitæ Prouinciæ Vasconiæ, qui iuxta dicenda infra *circa* §. 102. obseruant primæuam Alberti Regulam. Et sic supponunt Sorethius, Gratian. & Thom. Regulæ Expositores. 143.

Quid verò dicendum in casu quo Natiuitas Domini inciderit in feriam sextam, aut sabbatum, & an Religiosi illis diebus carnes comedentes peccent contra ius commune, aut solùm contra Regulam, habes ex dictis *tomo* 1. *c.* 7. *num.* 27. Vbi etiam quid dicendum, si tale festum Natalis Domini in feriam quartam inciderit. 144.

De

De armis spiritualibus.

CAP. XIV.

145. *QVia verò tentatio est vita hominis super terram, & omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur. Aduersarius quoque vester Diabolus, tamquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, omni solicitudine studeatis indui armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis. Muniendum est pectus cogitationibus Sanctis: scriptum est enim: Cogitatio sancta seruabit te. Induenda est lorica iustitiæ, vt Dominum Deum vestrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex virtute diligatis, & proximum vestrum tanquam vosmetipsos. Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Galea quoque salutis capiti imponenda est, vt de solo Seruatore speretis salutem. Qui saluum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris: & quæcunque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.*

146. Religiosi vitam militiam veluti esse ex S. scriptura manifestè elicitur Iob. 7. & 14. Ad Rom. 7. ad Galat. 5. Matthæi 11. & alibi sæpius. Propterea arma ipsi tribuuntur etiam sæpius, præsertim ad Ephes. 6. illis verbis: *Induite vos armaturam Dei.* Et infra: *Accipite armaturam Dei.* De qua etiam armatura plura, miraque S. Antonius apud S. Athanasium *in vita ipsius.* D. Basilius *in illa verba Deuteron.* 15. iuxta septuaginta. *Attende tibi ipsi.* D. Chrysostomus *hom.* 22. D. Bernardus *serm.* 3. *in Cant.* Chrysostomus *serm.* 12. 13. 15. & 28. Laurentius Iustinianus *in opusc. de interiori conflictu.* D. Antoninus 3. *part. Summæ tit.* 4. *c.* 1. § 3. 4. & 5. & inter omnes Cassian. cæteris clarius, loquens *lib.* 4. *cap.* 38. & *coll.* 7. *c.* 5. Sic ergo Albertus noster in isto capite Religiosum militem esse supponens, arma necessaria præscribit. Castitatis videlicet cingulum, sanctam cogitationem loricam iustitiæ, seu charitatem, scutum fidei, spem pro galea, verbum Dei pro gladio, & veluti prò continuo exercitio, quod omnia *in verbo Domini fiant.* Similia fermè aliarum Regularium fundatores faciunt, videlicet Sanctus Augustinus *in Regula præsertim cap.* 1. 6. & 8. S. Benedictus *præsertim etiam c.* 4. S. Franciscus *præsertim c.* 1. Regula Saluatoris apud Sanctam Brigittam *c.* 3. De illis etiam inter nostræ Regulæ Expositores optimè, & quoad spiritualem Religiosorum instructionem, Ioannes Soreth *super hoc caput*, & Hieronymus Gratianus *in Disciplina Regulari p.* 3. *c.* 8. Quibus omissis nos, quoad moralem, quam nunc intendimus animaduertenda alia existimamus.

47. Et primò quidem, quod, cum iuxta dicta *supra num.* 34. in Regula alia sunt, quæ proponuntur vt præcepta; alia quæ proponuntur vt consilia; alia verò quæ solum sunt veluti intimationes præceptorum siue diuinorum; siue Ecclesiasticorum alias obligantium; & deinque alia, quæ pertinent ad obseruantiam votorum essentialium: ex quibus etiam supra dixi quod ea quæ proponuntur vt intimationes præceptorum alias obligantium obligant, sicut & ipsa præcepta aliàs obligabant; & quod ea, quæ pertinent ad vota essentialia, obligabant, sicut & ipsa vota; quæ verò ponuntur vt præcepta Regulæ, obligēt solum ad venialem culpam; & quæ proponuntur solum sub consilio ad nullam culpam obligent: ideo, & iuxta traditam doctrinam, manifestè colligitur, quanta sit obligatio nostrorum Religiosorum ad faciendum ea, quæ in hoc capite præscribuntur. Etenim quod attinet ad castitatem, id obligat quantum ipsum castitatis votum obligare dixi *tom.* 1. *c.* 5. Quoad præcepta fidei, spei, & charitatis, de quibus etiam in hoc capite fit mentio, ipsæ obligant, sicut & præcepta diuina harum virtutum, de quibus Thologi communiter cum S. Thoma *in* 2. 2. Illud de cogitatione sancta consilium videtur, & exhortatio quædam; ac per consequens ad nullam culpam obligare, secluso contemptu legis, aut Legislatoris. Idē dicendum de illo *Quæcunque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.* Quo sensu etiam video in Regula S. Francisci inculcatum, quod Fratres faciant aliqua *In nomine Domini*, & in documentis Sancti Ignatij Iesuiticæ Societatis Patriarchæ, *Ad maiorem Dei gloriam.*

Difficilius est, an idem quoque dici debeat de illo *Verbum Dei abundanter habitet in ore, & cordibus vestris.* Si enim id intellgatur solum de communibus colloquiis, aut sermo cinationibus Religiosorum, ita vt Regula velit illa debere semper esse de rebus diuinis, iuxta illud 1. *Petri* 4. *Si quis loquitur quasi sermones Dei*, & de quo Isaias Abbas *orat.* 5. Antiochus Monachus *hom.* 33. D. Bernardus *serm.* 7. *de spirit.* & alij Religiosæ disciplinæ instructores facilè dici potest solum esse exhortationem, seu consilium, ac per consequens ad nullam culpā obligare. Si verò provt Ioannes Bacco *in tract. super Regul. Carmelit.* Speculum Ordin. *fol.* 51. Sorethius, & Gratian. *supra* existimare videntur, his verbis intelligatur prædicationis, seu concionationis officium à nostris exercendum, maior obligatio in illis intimari videtur. Attenta enim conditione Fratrum Mendicantium, & quòd cooperatores simus Episcoporum, & aliorum Ecclesiæ Prælatorum: veluti ex officio obligari videmur ad prædicationis, & disseminationis verbi Dei munus exercendum. De quo nonnulla dixi *tom.* 1. *c.* 1. *n.* 17. & *tom.* 2. *c.* 1. *n.* 9. 10. & 11. 148.

De assiduitate operationis ad euitandam otiositatem.

CAP. XV.

FAciendum est vobis aliquid operis, vt semper vos diabolus inueniat occupatos; ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat inuenire. Habetis in hoc Beati Pauli Apostoli magisterium pariter, & exemplum, in cuius ore Christus loquebatur. Qui positus est, & datus à Deo prædicator, & Doctor gentium in fide; & veritate; quem si secuti fueritis, non poteritis aberrare: In labore, inquit, & fatigatione fuimus inter vos, die, ac nocte operantes, nē quem vestrum grauaremus. Non quasi nos non haberemus potestatem, sed vt nosmetipsos, formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet Audiuimus enim quosdam inter vos ambulantes inquietè, nihil operantes. His autem, qui eiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. Hæc vita sancta est, & bona, ambulate in ea. 149.

Commendatur hoc loco labor, seu operatio otiositati contraria, conformiter ad mentem non solùm Apostoli Pauli in Regula relati, sed etiam Patrum, & Doctorum, specialiter S. Pachomij *in sua Regul. à n.* 35. D. Hieronymi *in Epist. ad Rustic.* D. Basilij *in suis Regulis inter.* 37. 38. 39. 40. & 41. D. Augustini etiam *in sua Regula*, Cassiani *lib. 2. instit. c. 3. & 5. & lib. 5. c. 37. 38. & 39. maximè vero lib. 10. fermè per totum, & collat. 24. c. 11. & 12.* D. Benedicti *in sua Regula c. 48. 57. & 66.* D. Bernardi, seu auctoriis, qui Bernardi nomen habet, *in epist. ad Fratres de Monte Dei.* S. Francisci *c. 5. suæ Regulæ.* S. Bonauenturæ *in Reg. Nouit. c. 8. & de informat. Nouit. c. 4.* S. Ignatij de Loyola 3. *part. Constit. c. 1. num. 6.* Dauidis Augustini *in form. Nouit. c. 14.* Gerardi Zutphaniensis *de Reformat. c. 39.* & aliorum, quorum plura testmonia retuli *in opere de Reformatione Regularium c. 10. per totum.* Alia etiam afferunt Sorethius, & Gratianus hic.

150. Videtur autem hæc institutio de labore aliquo semper faciendo *ad euitandam otiositatem* non esse merum consilium, seu exhortationem, sed continere præceptum, prout tenet Thom. de Iesu *in initio p 4 sup. Regul & super hoc c. gloss. 2.* qui id videtur colligere ex Vualdensi nostro inter præcipuas institutiones nostræ Regulæ istam designantis, Colligitur etiam ex fine ipsius, qui est vitare *otiositatem.* Cum enim vitare otium iure naturæ præceptum sit, ita vt quodcunque verbum, siue opus o osum peccatum saltem veniale sit, prout communiter colligunt Doctores ex illo *Matthæi* 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij,* rectè sequitur etiam ipsum laborem, qui ordinatur ad otium fugiendum, præcipi sub aliqua culpa, saltem veniali. An autem, & quomodo Religiosi aliquando peccent etiam mortaliter otiosè viuendo, & nihil operando, dixi *tom. 1. c. 1. num. 16. & c. 6. num. 43. & c. 7. num. 23.*

151. Quamuis autem in Regula non exprimatur, quod labor iste debeat esse manualis, ita vt laborare manibus necessarium sit ad adimplendum hoc præceptum Regulæ, cum in illa solum dicatur, *Faciendum est vobis aliquid operis*; nihilominus consensus communis Expositorum Regulæ est hic præcipi laborem manualem. Id enim colligitur, tum ex exemplo S. Pauli, de quo in ipsa Regula, & quem manibus laborasse certum est, habetur ex illo *primæ Corinth.* 4. (quod etiam de illis Apostolis intelligitur) *laboramus operantes manibus nostris*, & colligitur *ex Actor.* 18. exercuisse artem scenofactoriam, vt habent Origines *hom. 17. in Num* Cornelius *in 2. ad Thessalon. c. 4. ver. 8.* & Gratianus noster *in Discipl. Regul. part. 3. c. 9. §. 2.* tum etiam exemplo aliarum Regularium. Etenim D. Benedicti *Regula c.* 48. sic habet: *Tunc Monachi sunt, si per laborem manuum suarum viuunt, sicut & patres nostri, & Apostoli.* Regula etiam S. Francisci laborem manuum commendat, & ipse in suo testamento dixit: *laborent Fratres manibus, quia ego manibus laborabam.* Quod etiam habetur ex Patribus, & Doctoribus relatis, illis præsertim, qui Monachos instituunt. Hic autem labor manualis non solùm comprehendit omnia officia humana, ex quibus homines licitè victum quærunt, siuè manibus, siuè pedibus, siuè lingua fiant, iuxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 187. *art. 3. in corpore*, sed etiam, quod attinet ad Religiosos, alia ministeria, in quibus præcipuè corporis labor exercetur, vt sunt officia Procuratoris, Expenditoris, Ianitoris, Sacristæ, Infirmarij, &c. Imo etiam Lectiones siue Theologicæ, siue Philosophicæ, siue Grammaticæ sint; nam lingua in hoc casu iuxta doctrinam S. Thomæ relati, nomine manus comprehenditur. Thomas de Iesu *hic dub. 3.* Iuxta dicta etiam *eo c. 7. num. 23.* sufficienter adimpletur hoc præceptum laboribus, & exercitiis spiritualibus, vt sunt audire confessiones, prædicare, legere, scribere, docere, &c. prout ex Vualdensi, & Miranda eo loco retuli. Iunge Gratianum nostrum *in Disciplina Regulari part. 3. c. 9. §. 3.* verba illa D. Hieronymi ad intentum recitantis: *Qui communi omnium saluti, vel seriis vacant studiis, absurdum profectò foret eos ad labores redigere, non enim est melius fiscellas iunco texere, palmarum complicare folia, quàm sacris operam dare studiis.*

Generaliter etiam loquendo, qualiter sit hic labor ex specialibus Constitutionibus Religionum id determinantibus colligitur. In nostris autem Constitutionibus sanctè satis *part. 1. c. 16. num. 7.* sic statuitur: *Mandamus Prioribus localibus, & præsidentibus Conuentuum, quod omnes Fratres suos, tam clericos, quam laicos, per sanctæ Obedientiæ meritum moneant, inducant, & si opus sit, compellant ad aliquid operandum, & semper eos in aliqua bona occupatione ponant ac teneant, sub pœna grauis culpæ per duos, tam Priori, quam otiosis, aut vagè discurrentibus infligenda, cum in Regula mandetur, semper aliquid boni operari. Nec volumus quod Priores, aut quicunque Maiores; permittant quoquomodo suos subditos otiosè discurrere, vel vagari. Clerici studeant, secundum quod fuerint dispositi, & semper post diuina peracta occupentur circa virtutes. Fratres vero laici, & semifratres ad arbitrium sui Prioris laborent, non solum intra Conuentum, sed etiam extra, quilibet in arte sua, & opere suo, vel quocunque alio sub pœna inobedientium eis infligenda. Et Fratres tam clerici, quam laici, & semifratres, sine murmure operentur, vbi & quando aliquid dispensandum, & laborandum est, proprietatis vitio penitus abdicato.* 152.

Notent iuniores, verba illa Regulæ, *audiuimus quosdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes*, &c. non poni ab Alberto quasi inter Carmeli Eremitas, quibus Regulam dedit, tales inuenirentur, sed ea posuisse referendo verba Apostoli 2. *ad Thessalon.* 4. qui ea scripsit, & à quo sumpta sunt plura verba huius capitis. 153.

De Silentio.

Cap. XVI.

Commendat autem Apostolus silentium, cum in eo præcipit operandum. Et quemadmodum Propheta testatur: Cultus iustitiæ silentium est. Et rursum: In silentio, & spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, vt dicto Completorio silentium teneatis, vsque ad primam dictam sequentis diei. Alio verò tempore, licet silentij non habeatur obseruatio tanta, diligentiùs tamen à multiloquio caueatur. Quoniam sicut scriptum est, & non minus experientia docet: In multiloquio non deerit peccatum: Et qui inconsideratus ad loquendum, sentiet mala. Item. Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam. Et Dominus in Euangelio: De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Faciat ergo vnusquisque stateram verbis suis, et frenos rectos ori suo, ne fortè labatur, & 154.

cadat

cadat in lingua, & insanabilis casus eius sit ad mortem, custodiens cum Propheta vias suas, vt non delinquat in lingua sua. Et silentium, in quo cultus iustitiæ est, diligenter, & cautè studeat obseruare.

156. Commendatur hic etiam silentium, conformiter, quoque ad doctrinam Patrum, & Doctorum, eorum præcipuè, qui Regulas pro Monachis ediderunt. Vt videre est in Regula S. Augustini *c.* 10. S. Benedicti *c.* 3. Saluatoris apud S. Brigittam *c.* 6. & Minimorum *c.* 8. §. 36. De quo etiam D. Augustin. *ad Fratres in Eremo in sermon. de silentio* D. Chrysostomus *hom.* 17. *in epist. ad Ephes.* D. Gregorius *lib.* 7. *moral. c.* 17. Petrus Damian. *serm.* 2. *de vitio linguæ.* D. Bernardus *in serm. de tripl. cust.* D. Bonauentura *lib.* 3. *phar. c.* 3. De eo etiam ex aliis Patrum, & Doctorum testimoniis aliqua dixi in opere de *Refor. Regularium c.* 5. *à num.* 12. & agunt Regulæ nostræ, & aliarum Expositores.

157. Est etiam obseruantia silentij vna ex illis, quæ in Regula nostra proponuntur; non vt mere consilia, sed vt præcepta ad culpam venialem obligantia. Ita enim supponunt Regulæ Expositores, specialiter Gratianus *supra c.* 10. *maximè* §. 3. Thomas de Iesu *hic. Glossa* 3. Id probans ex verbo illo, *Ideoque statuimus*, quod denotat præceptum & non merum consilium; secundò, ex eo quod propterea hic punctus Regulæ mitigatus fuerit ab Innocentio IV. tertiò, quia ita consuetudine, & communi Ordinis consensu receptum est, vt nullus vnquam de eo dubitauerit. Quibus adde, quòd cum obseruantia silentij iure communi præcipiatur Monachis *c. cum ad Monast. de stat. Monach.* mirum etiam non erit, quòd à Regula, maximè prout ab Innocent. IV. confirmata, qui fuit posterior Innocent. III. qui dictum caput *cum ad Monasteriorum* edidit, statuatur etiam sub obligatione præcepti, iuxta ea quæ dixi *tom.* 1. *cap.* 7. *num.* 25. ex Gratiano ibi relato.

158. Obligat autem hoc præceptum tam Prælatos, quàm subditos, sicut & alia Regulæ documenta. Vnde quamuis in Constitutionibus permittantur colloquia aliqua tempore silentij, id tamen intelligendum est, quando ea commodè in aliud tempus differri non possint. Nomine quoque silentij à Regula præcepti non solum intelligitur cessatio à locutione, sed à quolibet alio strepitu, qui alios possit inquietare. Vnde in Constitutionibus *p* 1. *c.* 6. *num.* 3. dicitur: *Neque in verbo, vel alio modo strepitum faciant, vnde dormientes possint inquietari, sub pœna grauis culpæ per tres dies.* De his Thomas de Iesu supra.

159. Nota vlterius, quòd cum Regula præcipiat obseruantiam silentij post Completorium, cum id nequeat obseruari, si post Completorium fiat cœna, aut refectiuncula, ideo in Constitutionibus *p.* 1. *c.* 5. *num.* 1. statutum est, vt quando fieri potest sine scandalo, dicatur Completorium post dictam cœnam, seu refectiunculam; quando verò id non poterit obseruari (prout regulariter contingit, quia semper populus desiderat, vt Completorium dici possit hora competenti, vt illi possint assistere, & ita ante cœnam, vel refectiunculam) vel in Conuentibus studiorum propter conferentias studentium; tunc iuxta mentem earundem Constitutionum omnia debent fieri *silenter*; per quod, quantum fieri potest, satis fit intentioni Regulæ. Idque conforme est Sacræ Script. *Ioannis* 11. vbi dicitur, quòd Martha *vocauit Mariam sororem suam silentio dicens, Magister adest, & vocat te.* Vbi pro eodem habetur silentium, ac secretè loqui. Sic colligo ex Gratiano *sup. c.* 10. §. 3. Maximè ex S. Francisco de Paula, qui cum in Regula Minimorum ipsis præcepisset obseruantiam silentij *à Completorio vsque ad primam*, prout etiam præcipitur in nostra Regula, subiungit immediatè, *Aliàs sub nisè, ac religiosè loqui studentes*, satis denotans Regulare silentium non frangi submissa locutione. Prout etiam id explicat in sequentibus.

Maximè notandum tanti haberi in Religione obseruantiā silentij, vt illud frangenti imponatur in Constitutionibus *vt supra* pœna comedendi in terra panem, aquam per tres dies. Propter quam fortè causam, cum in primitiua Regula Alberti post statutum silentium diceretur. *Nisi fortè necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpant*, sublata sunt hæc verba ab Innocentio IV. in correctione, & mitigatione, de qua in præsenti. Ad excludendum videlicet faciles excusationes fractionis silentij, vt maiori cum cautione, & solitudine obseruetur. Licet hoc non obstante, si talis necessitas, vel causa rationabilis verè subsistant, aut legitima Prioris licentia, frangi possit silentium sine fractione Regulæ. Grat. *sup.* 160.

Quomodo Innocentius in hac Regulæ correctione mitigauerit rigorem primitiuæ, eo quod in pritimiua obseruari deberet silentium à dictis vesperis *vsque ad dictam tertiam sequentis diei*; in ista verò solum à dicto completorio *vsque ad primam sequentis diei*, constat ex dictis *supra num.* 28. & 29. 161.

De humilitate, ad Priorem exhortatio.

CAP. XVII.

TV autem, Frater Brocarde, & quicunque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & seruetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio: Quicumque voluerit inter vos maior fieri, erit minister vester, quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. 162.

Continet hoc caput exhortationem B. Brocardo tunc temporis Generali Ordinis, & aliis suis successoribus, vt non cum imperio, sed cum humilitate subditos gubernent. Quod etiam faciunt alii Regularum conditores, videlicet S. Basilius *in Regulis fusioribus interrog.* 3. S. Augustinus *in Regula c.* 43. S. Benedictus *c.* 7. S. Franciscus *c.* 20. Saluator in Regula apud S. Brigittam *c.* 3. Quod satis colligitur ex testimonio Christi in Regula adducto, & ex doctrina Patrum, præsertim D. Gregorij 2. *parte pastor. cap.* 6. & aliorum, dum exponunt locum illum Euangelij in Regula relatum, & illud 1. Petri 5. *Pascite qui in vobis est gregem, &c. neq; vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* 163.

De honorando Priorem, ad Fratres exhortatio.

CAP. XVIII.

VOs quoque cæteri Fratres, Priorem vestrum honorate humiliter: Christum potius cogitantes, quàm ipsum, qui posuit illum super capita vestra: & Ecclesiarum præpositis etiam ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, vt non 164.

veniatis

veniatis in iudicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. Hæc breuiter scripsimus vobis, conuersationis vestræ formulam statuentes, secundum quam viuere debeatis. Si quis autem supererogauerit, ipse Dominus cum redierit, reddet ei: vtatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

165. Hoc similiter caput continet exhortationem ad Fratres, vt Priorem suum humiliter honorent, *Christum potius cogitantes, quàm ipsum*. Quod etiam video admoneri in Regula S. August. *cap. 2. & 23.* & in Regula S. Benedicti *cap. 5. & 72.* & in Regulam S. Francisci *c. 10.* ac in Regula Societatis Iesu *3. part. cap. 1. num. 23.* Hic autem honor multis modis præstari potest. Primò, diligenter præstando auditum loquentibus. Secundò, reuerenter alloquendo. Tertiò, venientibus assurgendo. Quartò, sedentibus decenter stando. Quintò, incedentes comitando. Sixtò, transeuntibus, vel alibi inclinando. Septimo, propriam operam id seruitiis exhibendo. Octauò, honorabiliora vt fercula, vestes, &c. conferendo. Nonò, propriam magnificentiam ad illorum præsentiam deponendo, vt caputium, pileum, &c. Decimò, ipsos præferendo in omnibus, vt in eundo, descendendo, loquendo, sedendo. D. Antoninus *4. parte tit. 5. cap. 10. §. 2.* Aluarez *de vita Religiosa lib. 6. c. 9. §. Exterius verò.* Peirinis *tom. 1. de subdito, quæst. 1. cap. 28. §. dico 5.*

166. Quamuis autem præfatum capitulū Regulæ de honorando Priore, quantum ad illud de ipso honorando *Christum potius cogitando, quam ipsum*, merum consilium videatur, ad nullam culpam obligans; quatenus tamen est intimatio obligationis iure naturali, & diuino debitè reuerendi, & honorandi Superiores, non est merum consilium, sed continet præceptum ad culpam obligans. Ratio est, quia Prælatis debetur à suis subditis ex debito legali iustitiæ honor, & reuerentia. Ita enim colligitur ex Sacra Scriptura *ad Rom. 13. Cui honorem*, habita relatione ad potestatem, de qua initio dixerat; *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. 1. ad Timoth. 5. Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore sunt digni.* Quod declarans Glossa, ait: *Non solùm sublimi honore, sed terreno.* Et *ad Rom. 12. Honore inuicem praeuenientes.* Quod exponens ad *Philip. 2.* ait. *Superiores inuicem arbitrantes*; quasi dicat; vos honore inuicem præuenite propriè potestis, quia singuli singulos inuicem Superiores arbitrari debetis. Item ex *can. quamquam omnes dist. 23. & cap. debent. de offic. Iud. ord.* Maximè ex Fratribus, videlicet S. Ignatio *epist. ad Smyrnenses*, Cypriano *lib. 3. epist. 9.* & refertur *can. Deo nostro dist. 93.* D. Gregorio *3. past. adm. 5.* D. Thom. *2. 2. quæst. 102. art. 2.* D. Antonino *vt supra*. De quo etiam Expositores S Thomæ ibidem, Nauarr. *cap. int. ver. concl. 5.* Summistæ *ver. honor.* Aluarez *supra dicto cap. 9.* & alij, quos refert, & sequitur Peirinis *dict cap. 28.* Adde, huiusmodi obligationem esse aliquando sub mortali, vt si ex superbia, vel contemptu omittatur; aliquando sub veniali, si id solum fiat ex inaduertentia, vel negligentia, seu in re parui momenti. Peirinis *supra §. dico 6.*

167. Quid sit contemptus, de quo Regula in hoc capite loquitur, habes ex dictis *tom. 1. c. 8. num. 17.* Eum verò sic definit. *super hunc textum Regulæ c. 1,* noster Soreth, *Contemptus est quædam Religionis subuersio, verè venenum insanabile, nam contemptus tradit hominem impœnitentiæ: impœnitentia obstinatione firmatur; & hoc peccatum neque in hoc seculo remittitur, nec in futuro.* Sano modo hoc intellige, lector. Plura etiam de illo Gratian. *supra cap. 11. §. 4.*

Circa illud, *si quis autem supererogauerit, ipse Dominus cum redierit, retribuet ei.* nota id quod dixi *tom. 1. cap. 7. num. 22.* opera supererogationis non esse prohibita Religiosis nostris, sed potius illis permissa; maximè accedente consensu Prælati; iuxta dicta *ibidem* ex D. Basilio, & Benedicto. Consonant etiam alia, quæ Soreth. super hunc *tex. cap. 3.* Grat. *supra cap. 12.* & Thom. de Iesu *supra epilogum Reg. dub. 2.* ex Patribus scribunt. 168.

Pro discretione tamen, qua vtendum, quia *est virtutum moderatrix*, legantur *c. præsentium 1. q. 5. & c. 1. de offic. custod.* Sorethius *sup. dub. 3.* Gratianus *supra §. 3.* Thom. de Iesu *etiam sup. dicto dub. 2.* apud quod plurium Patrum testimonia. Quibus iunge D. Gregorium *lib. 1. moral. cap. 24.* D. Bernardum *serm. 58. in cant.* & Laurentium Iustinianum *de lign. vitæ c. 3.* 169.

Hæc de Regulæ Expositione.

VT tamen feruentius Fratres nostri ad ipsius obseruantiam excitentur, eò magis quòd specialiori titulo filij Virginis Deiparæ Mariæ dicuntur, libet in præsenti quasi quoddam parergon nequaquam importunum attexere Tractatulum quendam breuem de Analogia, seu conformitate nostræ Regulæ cum vita eiusdem Sanctissimæ Virginis, qui est in Speculo Ordinis *pag. 51.* & affertur in fine expositionis Regulæ Soreth, & in Disciplina Regulari Gratiani *p. 1. c. 2. §. 2.* Quamuis autem author ipsius sine nomine ponatur in Speculo Ordinis, & Gratianus putet esse Ioannem de Cimineto, antiquum Ordinis Theologum, credo tamen non esse nisi Ioannem de Baccone celeberrimum, & antiquum Doctorem, quia in Catalogo operum ipsius hoc opusculum recensetur. 170.

Tractatus de conformitate Regulæ Carmelitarum cum vita SS. Virginis Mariæ.

CVuiuslibet Religionis titulus ortum habet à loco, vel à Sancto. A loco quidem, vt à Cistertio Cistertienses: quomodo Ordo noster à loco Carmeli est intitulatus. A Sancto; vt cum successores vitam, & Regulam sibi eligunt obseruandam, quam aliquis Sanctorum sibi elegerit, prout Canonici nigri dicuntur de Ordine S. Augustini. Et isto modo Fratres Ordinis Beatæ Mariæ in Bullis Apostolicis sumus nominati. Elegimus enim Regulam, cuius multa similia puncta Beata Virgo Maria in vita sua seruare curauit. In primis constat eam perfectè obedientem fuisse. Angelo enim nuncianti respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Et de hoc in Regula: *Priori obedientiam promittant quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare.* Constat etiam eam proprium abdicasse. Abfuit enim à Regula Apostolica, quæ via perfectionis nuncupatur, exclusam fuisse. De qua Regula scriptum est Actuum 11. *Omnes, qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia.* Et infra capitulo quinto: *Et nullus suum esse dicebat.* Et de hoc in Regula: *Nullus Fratrum aliquid sibi esse proprium dicat, sed sint vobis omnia communia*, &c. Constat eam castitatem 171.

castitatem fideliter seruasse, de qua scriptum est: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Et de hoc in Regula. *Accingendi sunt lumbi cingulo castitatis.* Secundò idem patet per specialia capitula. Legitur de ea, quod frequenter visitauit loca Baptismi Christi, & vbi Christus ieiunauit; quæ sunt loca deserta secundum Magistrum in historiis, & sic eremiticæ vitæ apta. Visitauitque loca habitata, Nazareth scilicet, & Bethleem. Et quia loca eremitica, & alia erant sibi cara, ideo simile dicitur in Regula: *Loca autem habere poteritis in eremis, vel vbi nobis donata fuerint, &c.* Item concordant Sancti, quod cùm Angelus nunciabat Filij Dei incarnationem, eam in separata camera contemplantem inuenit. Et de hoc in Regula: *Iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas.* Præter hæc cum edentibus, & bibentibus vixit in communi loco, vt in Nazareth in parentum domo, in quo communem commendauit refectionis locum. Propter quod dicitur in regula: *In communi refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, sumatis.* Legitur quoque de ea in libro *de floribus Sanctorum*, quod cùm ad Templum à parentibus fuerat ducta, non solitaria, sed cum aliis virginibus in Templo erat dimissa. Vnde quoad commune oratorium subditur in Regula: *Oratorium construatur in medio cellularum.* Collegium tenuit cum Ioseph laico, & cum Ioan. Euangelista summo Clerico, vtroque in suo statu viro deuoto. Sic Ordinem nostrum in laicis, & clericis constitui voluit, & vtrisque in Regula horas deuotionis distinguit. Vnde de clericis dicitur. *Hi qui horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, &c.* De laicis quoque subiunctum est: *Qui verò eas non nouerunt, &c.* Hieronymus in quadam Epistola *ad Chromatium, & Eliodorum* dicit, quòd beata Virgo hanc Regulam sibi statuit, vt à mane vsque ad tertiam orationibus insisteret; à tertia vsque ad nonam textrino operi vacaret; à nona ab oratione non recedebat, quousque Angelus apparens escam sibi dabat. Propter assiduitatem orandi, quam exercuit, dicitur in Regula: *Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes.* Propter continuitatem operandi dicitur ibidem: *Faciendum est vobis aliquid operis, vt semper diabolus vos inueniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat inuenire.* Quod vsque ad nonam ieiunauit, de ieiunio nos introduxit. Vnde in Regula. *Ieiunium singulis diebus à festo Exaltationis sanctæ Crucis, &c.* Quod cibum ab Angelo suscepit, nos introduxit, cibis tantum sobriis, quæ vitæ congruunt spirituali, non carneis, & lasciuis rore vescendum. Vnde ibi: *Ab esu carnium abstineatis, nisi infirmitas, vel debilitas, &c.* Silentium multum seruauit. Non enim legitur in Euangelio locuta fuisse nisi quater, vt dicit Bernardus, scilicet Angelo in annunciatione Elizabeth in salutatione; in nuptiis, in Cana Galilææ, & Filio in eius inuentione. De hoc in Regula, & primò in generali: *Commendat autem Apostolus silentium, cùm in eo præcipit operandum, &c.* Et in speciali cùm subditur: *Ideoque statuimus, vt dicto Completorio silentium teneatis vsque ad primam dictam sequentis diei.* Constat eam simplicitatem dilexisse. Quando enim iuit in Bethleem, vbi Filium pareret, in adiutorium, non equum, sed asinum secum duxit, vt dicitur in historiis. De hac nostra simplicitate dicitur in Regula: *Asinos, siue mulos habere poteritis, &c.* Constat etiam eam in magna fide, spe, & charitate stabilem fuisse, cùm in Filij sui passione permansit, alij verò eo relicto fugerunt. De perfectione charitatis dicitur in Regula: *Induenda est lorica iustitiæ, vt Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro diligatis, &c. & proximum vestrum, &c.* De fide subiunctum est: *In omnibus sumendum est scutum fidei, vt possitis, &c.* De spe sequitur: *De solo Saluatore speretis salutem.* Ad statum veluti prædicatoris peruenit. Postquam enim Dei Filium conceperat, magnum sermonem fecit. Primò, Deum laudando, & dicendo: *Magnificat anima mea Dominum, &c.* Secundò, ad mores applicando ibi, *Et misericordia eius à progenie in progenies.* Tertiò ad propositum modo sermonis in fine Prophetias allegando, dicens: *Sicut locutus est ad Patres nostros, &c.* Vnde in Regula; *Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris,* &c. humilitatem seruauit ad Deum dicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, &c.* Sic in Regula debent subditi ad Prælatum. Vnde ibi. *Vos quoque cæteri Fratres Priorem vestrum honorate humiliter.* Humilitatem tenuit ad minorem. Cùm enim esset Mater Dei; tribus mensibus ministrauit matri sui Præconis. Vnde in Regula instruuntur Priores de humilitate sic: *Illud semper habeatis in mente quod Dominus ait in Euangelio: Quicunque inter vos voluerit maior esse, erit minister vester.* Et quia super omnes virtutes prædictas adhuc alias habuit innumeras præter has, quæ in Regula ponuntur, ideo supererogatio nobis indulgetur. De hoc in Regula: *Si quis autem supererogauerit, Dominus cùm redierit, reddet ei.* Sic igitur patet quòd meritò Regulæ Ordo titulum habet beatæ Mariæ. Vnde idem Innocentius IV. qui Regulam declarauit, dans licentiam confitendi, & prædicandi, sic scripsit citò post: *Dilectis filiis Priori Generali, & Prouincialibus Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem.* Ex tunc Romani Pontifices vsque in hodiernum diem suis Bullis, & litteris in principio prædictum titulum *Beatæ Mariæ* conscribunt. Et Ioannes XXII. in priuilegio exemptionis perhibet testimonium super istis dicens: *Sacer Ordo vester in agro Domini plantatus, & Gloriosæ Virginis Mariæ titulo specialiter insignitus, Apostolicis gratiis dignè meretur attolli.*

Hæc Author huius opusculi, deuotè sanè; vel ad hoc quòd Fratres nostri maiori in sanctissimam Virginem deuotione accendantur, ea tamen simplicitate sermonis, quàm tempora, in quibus scripsit, tolerabant, nec cum ea proprietate, quàm rigor Theologicus expostulare videtur hac tempestate. Nunc iam ad nostri Maris magni expositionem reuertendum. 172.

Circa §. 8. Maris Magni.

CONtinetur in hoc §. Bulla Eugenij IV. per quam moderantur Capitula Regulæ Alberti confirmatæ ab innocentio IV. & aliis Pontificibus, quoad duo, scilicet, quoad abstinentiam carnium, ita scilicet, quòd non obstante, quod in Regula prædicta caueretur expressè, quod Fratres abstinerent à carnibus, *nisi pro infirmitatis, aut debilitatis remedio sumantur,* possent nihilominus *tribus diebus singularum septimanarum, præterquam in Aduentu, & Quadragesima, & aliis generaliter prohibitis diebus, carnibus vesci.* Item quoad mansionem continuam in cellulis, ita scilicet, quod non obstante, quòd in Regula præciperetur 173.

quod

quod Religiosi manere deberent *in cellulis suis die, ac nocte in lege Domini meditantes, ac in orationibus vigilantes*, possent nihilominus *horis congruis in eorum Ecclesiis, & illarum claustris, ac per earum ambitus manere, & deambulare.* Obseruantibus etiam Regulam sic mitigatam facultatem concedit Pontifex, vt ipsis plenaria remissio concedi possit in articulo mortis. Ponit tamen ad hoc duas conditiones. Prima, quod Fratres propter huiusmodi gratiam ad illicita in posterum committenda procliuiores non fuerint. Secunda, quòd per vnum annum singulis feriis sextis ieiunent.

174. Circa primam concessionem de manducatione carnium tribus diebus nota, quòd cùm in ipsa non exprimeretur an, illis diebus, quibus carnibus vesci possunt Fratres: ieiunare tenerentur, propterea id postulatum est à Pio II. & ab ipso in Bulla, de qua § *sequenti* dicetur, data est facultas Generalibus ad dispensandum in hoc puncto.

175. Circa secundam concessionem de mansione, seu deambulatione in Ecclesiis, claustris, aut per earum ambitus nota primò, quòd, iuxta dicta *supra num.* 77. cùm in Regula, dum præcipitur talis mansio in cellulis, dicatur, *Nisi aliis iustis occasionibus occupentur*, dici potest hanc Eugenij concessionem fuisse veluti explicationem Regulæ, & dictorum verborum. Ioannes Pintus de Victoria inferius referendus. Præsertim, cùm iuxta dicta ibidem, dictio *Iuxta*, quæ ponitur in Regula, dum dicitur; *Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas*, importet vicinitatem cum aliqua distantia, & verificetur etiam in aliqualiter distantibus. Nota secundò, quòd, cùm Pontifex in hac concessione nullum verbum habeat de moderatione, seu mitigatione Regulæ quantum ad exercitium iugis, & continuæ orationis, sed solum quantum ad mansionem in cellulis, propterea, iuxta dicta in Opere de Reformatione *cap.* 4. *num.* 2. *& supra, num.* 78. exercitium iugis, & continuæ orationis à Regula præceptum, non est vllo modo Fratribus nostris dispensatum, aut mitigatum, sed manet in sua vi, & rigore. Nec id mirum, siquidem non est tale præceptum de continuitate physica, aut metaphysica, sed solum morali, iuxta dicta etiam *supra num.* 79. Et tale præceptum adimpletur, siue per orationem vocalem, siue per mentalem, examen conscientiæ, orationes iaculatorias, aut pias alias considerationes, siue speculationes, iuxta dicta etiam *supra num.* 82. Eo etiam præsertim, quòd prædictum orationis exercitinm haberi potest in omni, & quocunque loco, iuxta illud Psalm. 102. *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino*, & illud 2. ad Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco*, & Patrum doctrinam. Nec Patres nostri postulauerunt mitigationem Regulæ, quoad orationem, vt ex Bulla Eugenij patet, & ex mente Sorethi, Coræ, & aliorum nostrorum Authorum docet Ioannes Pintus de Victoria *in Hierarchia Carmelitarum, tract.* 2. *cap.* 14. reprehendens Thomam de Iesu oppositum dicentem *lib.* 1. *antiquit. cap.* 4. *& in Expositione Regul. part.* 2. *dub.* 4. §. *tertiò accedunt, & parte* 3. *dub.* 1. nec postulare debebant, cùm tale exercitium potissimus nostræ Religionis scopus sit. De quo bene ipse Thomas *dict. dub.* 4.

176. Quoad remissionem illam plenariam peccatorum, quam Pontifex concedit pro articulo mortis obseruantibus Regulam sic ab eo moderatam, nota eam denotare tum plenariam absolutionem peccatorum ipsis tribuendam à Superiori, vel alio idoneo Sacerdote, vt dicitur in Bulla; tum etiam indulgentiam plenariam. Ita enim communiter est intellecta hæc concessio, seu gratia, & circumstantiæ ipsius, scilicet articulus mortis, pro obseruantibus tantum esse concessam, & onus ieiunij impositum per annum, id manifestant. Et quidem quatenus hæc concessio importat plenariam absolutionem peccatorum quamuis videatur inutilis, eo quod quilibet Confessarius, imo simplex sacerdos in casu necessitatis possit in prædicto articulo eam concedere, iuxta communem doctrinam Doctorum; nihilominus inutilis non est, eo quòd peccata confessa, & absoluta etiam si sint reseruata, ex vi talis priuilegij pro articulo mortis concessi, non debent iterum confiteri, etiamsi in tali articulo mortis constitutus tum non moriatur. In quo differt hic modus absolutionis per similia priuilegia ab ea, quæ fieret à quocunque sacerdote, seu alio confessore sine illis; iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 19. *num.* 28. ex Soto, & Suarez illic relatis.

Quatenus verò prædicta concessio importat indulgentiam plenariam nota, quòd iuxta dicta *tom.* 3. *verbo indulgentia quoad Regulares, num.* 10. non obstante, quod Paulus V. omnes indulgentias Regularibus concessas reuocauerit, aliquas de nouo concedendo; nihilominus pium, & probabile est per talem reuocationem reuocatam non esse hanc, vel similes indulgentias pro articulo mortis Regularibus concessas. Eo quòd speciali nota dignæ esse videantur, & non nominentur à Paulo V. in præfata reuocatione, iuxta dicta etiam *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. Quod etiam tenent Peirinis dictis locis à me relatus, & Alphonsus Leo *dict. num.* 10. citatus, ac Reuerendissimus Theodorus Stratius *in Instructione pro Fratribus Carmelitis Romæ impressa, cap.* 10. *num.* 9. 177.

Maximè notandum obligationem illam annui ieiunij solum esse, vt Fratres nostri potiri possint gratia huius concessionis, non vt vti, aut gaudere possint priuilegio mitigationis Regulæ, iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 7. *num.* 5. ex Ioanne Pinto de Victoria ibi relato. Quod maximè confirmat Reuerendissimus Stratius *dicto cap.* 10. *num.* 5. vbi ad sedandas conscientias Fratrum declarauit prædictum ieiunium iniunctum fuisse ab Eugenio in hac Bulla solum pro obtinenda dicta gratia plenariæ remissionis suorum peccatorum, seu indulgentia plenaria, non verò vt possint vti prædicta Regulæ mitigatione. Quod colligit primò ex contextu Bullæ. Secundò, ex eo quod si tale ieiunium iniunctum esset pro potienda gratia mitigationis Regulæ, proculdubio in Constitutionibus Ordinis, maximè illis, quæ post dictam mitigationem editæ fuerunt Bruxellis anno 1466. id declaratum esset; cùm tamen nec ibi, nec alibi mentio facta sit talis ieiunij. Tertiò ex simili concessione eiusdem Eugenij pro Cistertiensibus Castellæ, vbi pro consecutione indulgentiæ plenariæ cuiusdam eadem conditio ieiunij annui, & eisdem ferme verbis ponitur. Quibus adde, quòd cùm Sixtus IV. infra in hoc Mari magno §. 102. retulisset, & confirmasset hanc mitigationem ab Eugenio factam, nullatenus refert dictam conditionem annui ieiunij, ac proinde clarè denotare videtur eam non fuisse positam ab Eugenio pro potienda gratia dictæ mitigationis. Imo addendum, quòd casu dato quòd Eugenius voluisset dictum ieiunium annuum necessarium esse pro potienda gratia dictæ mitigationis, cùm tamen Sixtus hanc conditionem non posuerit, & sine illa confirmauerit, imo innouauerit Eugenij mitigationem, existimandum est illam necessarium 178.

necess

necessarium non esse. Solum ergo, vt dixi, conditio talis ieiunij necessaria est pro consecutione gratiæ dictæ plenariæ remissionis peccatorum.

179. Addendum præterea, neque ad hanc gratiam potiendam necessarium esse modo tale ieiunium, eò quod similem gratiam; & clarioribus verbis concessit Sixtus relatus obseruantibus dictam Regulam mitigatam, nullam apponens conditionem ieiunij. Provt patet *ex d.* §. 102. huius Maris magni. Præsertim, quòd plures aliæ Religiones similem concessionem habent pro articulo mortis, provt retuli *eo verbo Indulgent. quoad Regulares num.* 10. & in huiusmodi gratiis probabile sit dari communicationem priuilegiorum, iuxta dicta *ibid. n.* 8. *&* 21. Similiter Paulus Quintus omnibus Religiosis pro articulo mortis sine vllo onere, aut conditione indulgentiam plenariam concessit his verbis. *In cuiuslibet vero mortis articulo, si pariter verè pœnitens, & confessus, ac Sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiuerit, saltem contritus nomen Iesu ore, si potuerit, sin autem corde deuotè inuocauerit, etiam Plenariam.* Formula autem, qua vti potest Confessarius absoluens Fratrem in articulo mortis constitutum, & indulgentiam plenariam dictam, aut aliam similem illi communicans, talis est, absolutione peccatorum prius concessa. *Authoritate etiam Domini nostri Iesu Christi, & Beatorum Petri, & Pauli tibi indulta, & mihi commissa concedo tibi omnem illam indulgentiam peccatorum tuorum, quam possum concedere virtute priuilegiorum Apostolicorum nostro Ordini concessorum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Vide Stratium *sup. c.* 9. & alia, quæ spectant ad intelligentiam huius Bullæ Eugenij IV. *d. c.* 10. ac dicenda infra *circa* §. 102. huius Maris magni, ac aliam concessionem Innocent. VIII. pro Seruitis, quam habes infra in ipsorum Mari magno §. 53. quæ est non solùm pro articulo mortis, sed etiam pro vna vice in vita.

Circa §. 6.

180. COntinetur sub hoc §. Bulla quædam Pij II. in qua cum ab ipso peteretur, an scilicet cum Eugenius IV. in Bulla §. *præcedenti* relata concessit esum carnium, tribus diebus singularum Septimanarum: ieiunij quoque obseruantiam à Regula præscriptam pro illis diebus relaxauerit; & Pontifex facultatem concedit Priori Generali pro tempore existenti, vt *personarum, locorum, & temporum qualitate attenta cum Fratribus* super hoc *iuxta sua conscientiæ arbitrium* dispensare valeat. Circa quod illud animaduertendum, quod sæpius timorati Religiosi pro illis, quæ iure communi facere possunt nihilominus ad maiorem conscientiæ tranquillitatem ad Sedem Apostolicam recurrunt. Quod contingit in proposito; cum enim, iuxta probabilem multorum sententiam, quam tenent non solùm Caietanus, Henriquez, Toletus, Sanchez, & Diana, quos retuli *tom.* 3. *verb. Ieiunium num.* 11. sed etiam Medina, Suarez, Azor, Ledesma, & alij, quos citat, & sequitur Pasqualigus *de Ieiunio disp.* 267. dispensatus ad carnes, est etiam dispensatus à ieiunio pro illis diebus, quibus comedit carnes Religiosi nostri potuissent tribus illis diebus, quibus carnes comedere poterant, non ieiunare, eo præsertim, quod à Papa Eugenio non solùm petiissent dispensationem in carnium comestione, sed etiam in ieiunio, & dum dispensationem in primo concesserat, virtualiter etiam concessum videbatur pro secundo, nihilominus pro maiori suarum conscientiarum quiete ad Papam recursum habuerunt, dubij solutionem expectantes. Qui propterea prudentissimè rem Ordinis Generali decidendam commisit pro suæ conscientiæ arbitrio.

Pro verbis autem illis *conscientiæ suæ arbitrium* 181.
nota, illis denotari idem, quod arbitrium boni viri, id est, quòd secundum rectam prudentiam fieri debet. Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *q.* 8. *num.* 40. Mascard. *de probat. concl.* 414. Moneta *de commut. vlt. volunt. c.* 7. *num.* 46. Vnde tale arbitrium semper debet esse regulatum secundum ius commune. Alexan. *consf.* 65. *num.* 2. *vol.* 1. Marta *de clausulis p.* 1. *clauf.* 303. Et per talem clausulam nihil potest fieri contra æquitatem naturalem. Constantin. Rogerius *in repetitione l. si sic, ff. de legibus & in tract. de iuris interpretatione vers.* 12. *& vltimo.* Marta *supra* Vide alia ad intentum apud Barbos. *in tract. de clauf. Clausula* 24.

Nota etiam, quòd quamuis ex vi facultatis hoc 182.
loco concessæ à Pio II. Ordinis Generalibus ad dispensandum, seu potius declarandum, ieiunium Regulæ non obligare tribus illis diebus, quibus iuxta Eugenianam concessionem carnibus vesci licebat, id actum sit; nihilominus veluti in commutationem talium ieiuniorum Religio obseruat alia ieiunia, quæ non continentur in Regula, nec sunt instituta ab Ecclesia, quæ æquiualere videntur ieiuniis, in quibus dispensata est. Quæ porrò sint hæc ieiunia, constat ex Constitutionibus Ordinis *p.* 1. *cap.* 4. §. 1. vbi sic. *Statuimus, quòd Fratres nostri ieiunent omnibus vigiliis institutis ab Ecclesia. In vigilia Corporis Christi, in singulis diebus præcedentibus quodlibet festum B. V. Mariæ, per Quadragesimam, & Aduentum, in Quatuor anni temporibus, in Litania maiori, idest, in die S. Marci, si non in Dominica venerit, in tribus diebus Rogationum ante Ascensionem Domini, necnon in omnibus sextis feriis, excepta illa, quæ est infra hebdomadam Paschæ, cuius ieiunium in arbitrio Fratrum relinquimus.* Pariter etiam veluti compensationem permissæ comestionis carnium in eisdem Constitutionibus §. 2. sic rigorosè statuitur contra Prouinciales, vel Priores comestionem carnium permittentes in Aduentu, & Feriis Quartis per totum annum. *Priores vero Prouinciales, & locales in Aduentu, includenda etiam primam Dominicam, ac Feriis quartis per totum annum comestionem carnium permittentes, teneantur absolui ab eorum officiis, nisi euidenti necessitate, & manifestè cognouerint eos cum quibus dispensant, indigere.* Insuper in prædicto §. 1. prohibetur in Aduentu esus lacticiniorum, provt in Italia, Romæ præcipuè, cum magno rigore obseruari video.

Circa §. 10.

COncedit hoc loco Pontifex Vrbanus IV. fa- 183.
cultatem recipiendi loca, quæ feudalia, seu censualia non sint, de consensu Diæcesanorum, ac in illis habere Ecclesias, campanile, & officia diuina, ac liberam sepulturam, *Canonica iustitia, & Parochiali iure Parochialium, ac vicinarum Ecclesiarum in omnibus semper saluis.*

Circa quæ nota, ideo Pontificem nolle conce- 184.
dere in hoc priuilegio receptionem locorum feudalium; nam bona feudalia non sunt sub dominio illius, qui ea possidet, sed solùm, quoad vsum. Vnde propter hanc rationem bona feudalia non veniunt in

in cõfiscatione bonorũ, vt colligitur ex Iulio Claro *l.5.sent.§.fin.q.78.n.7.* Neq; etiam in generali obligatione bonorum veniunt feudalia propter eandem rationem. Andr. Gaill.*lib.2. obseruat.*154. Similiter nec concedit bona censualia, tum quia illa sunt aliis obligata: tum ne Religiosi illa recipientes obligati manerent ad census solutionem, prout necessarium erat, siquidem onus censuale per se, ac directè transit ad quemuis rei, super qua census locatus est emptorem, legatarium, aliumque possessorem, qui proinde actione confessaria statim conueniri potest. Quomodo autem à Sixto IV. in hoc Mari magno §. 103. facultas ista Vrbani IV. extensa etiam videatur ad loca feudalia, seu censualia, eo loco dicetur.

185. Nota secundò, in hoc priuilegio concedi Religiosis nostris posse habere in Ecclesiis, aut Oratoriis suis campanile, id est locum vbi sunt campanæ. Conceditur etiam habere posse in huiusmodi campanili *pro conuocandis Fratribus* campanam. Sed quod attinet ad verbum illud *pro conuocandis Fratribus* vsu etiam obtinetur, vt per illas vocetur populus ad conueniendum in Templis, qui est principalis ipsarum finis. Quia tamen hic solum conceditur habere campanam, non campanas, notandum est, quòd, etsi per Extrauagantem, *Quia cunctos de officio custodis* prohibeatur, ne Religiosi Mendicantes possint habere plures campanas, sed tantum vnam, quia tamen ibi permittitur plures etiam habere, si id sine lite, & contradictione consuetum fuerit, ideo consuetudine rationabili introductum est, vt plures etiam campanas habere possint. Imo etiam plures campanas pro refectoriis, Sacristiis, Capitulis, &c. Verba extrauagantis sunt hæc. *Hoc edicto perpetuo ordinamus, quod Religiosi dictorum Ordinum Mendicantium in nullo Conuentu suo, seu loco plures campanas habeant sine Sedis Apostolicæ licentia speciali, sed vna tantummodo pro loco quolibet sint contenti.* Et inferius. *Cæterum Religiosis eisdem permittimus, quod vbi hactenus plures campanas sine lite, & contradictione qualibet in vsus dumtaxat proprios habuerint, & nunc habent, illis etiam deinceps liberè vti possint. Aliis quibuscunque per eos habitis intra trium mensium spatium de suis locis seu campanilibus deponendis, & nullatenus iterum reponendis. Verum campanulas, quæ in refectoriis, sacristiis, capitulis, & aliis forsan officiis Religiosorum ipsorum consueuerint habere, sub ista nostra ordinatione nolumus comprehendi.* Nec obstat si contra hoc dicatur, quòd *in cap. patentibus de priuileg.* prohibentur Religiosi Templarij, Hospitalarij, & alij habere campanas in Oratoriis priuatis suarum domorum, quia, vt ibi notatur, hoc est contra iustitiam aliorum, Parochorum scilicet, quia solis Ecclesiis parochialibus id videtur permissum, cùm campana sit vnum ex signis Ecclesiæ Curatæ, vt habent Alciatus *lib.8.parerg.cap.11.* Selua *de benef. part.1. quæst.5. num.82.* Valenzuela *cons.26. num.1. & 2.tom.1.* Respondeo enim hunc textum loqui solum de priuatis Oratoriis Religiosorum, in iis enim non licet habere campanas, bene tamen campanulam aliquam. Sic intelligit hunc textum, & illum concordat cum *cap. nimis de excessibus Prælator.* Barbosa in Collect.*in dict.cap.patentibus,n.6.* ex aliis Doctoribus. A quo benedici debeant huiusmodi campanæ, habes ex dictis 3. *tom.verbo Benedictio, & benedicere, num.14.* Non posse impediri Religiosis Mendicantibus pulsationem campanarum, etiam antequam pulsentur campanæ Maioris Ecclesiæ, præterquam in Sabbatho Sancto, habes etiam ex dictis *tom.2. cap.1. num.43. & 44.* vbi etiam aliquas declarationes sacræ Congregationis ad intentum adduxi. An, & quomodo pulsari possint campanæ tempore interdicti, constat ex dictis *tom.3.verbo interdictum quoad Regulares, præsertim, num.26.* Campanas præterea institutas esse, & pulsari debere, vt timeant dæmones, eoque sonitu territi abscedant, & vt repellantur procul hostiles exercitus, & vt fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum, infesta tonitrua, & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum, & aeriæ tempestates prosternantur, habet Concilium Coloniense *tit.de Constit. & consuetudinibus, cap.14.* Fusch. *de visitatione, lib.1. cap.14.num.7.* Delrius *disquisit. Magic. lib.6.cap.3. quæst.33. ad fin.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi, alleg. 26. n.48.* apud quos etiam alia de campanis.

De aliis, quæ in hoc priuilegio continentur, 186. scilicet de consensu Diœcesanorum requisito ad receptionem Ecclesiarum; de libera sepultura in illis habenda; & de canonica iustitia, seu parochiali iure plura dicta sunt in præcedentibus, & aliis locis Summæ ibi relatis, & propterea ab ipsis supersedendum modò.

Circa §. II.

Conceditur hoc loco à Ioanne XXII. Fratribus 187. nostris extensio Constitutionis *Super Cathedram* à Bonifacio VIII. editæ, & à Clemente V. in Clementina *dudum de sepult.* confirmatæ Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus super prædicationibus faciendis, iniungendis pœnitentiis, absolutionibus impendendis, ac sepultura, & obuentionibus tam funeralium, quàm relictorum, datorum, & donatorum, & cæteris aliis in eadem Constitutione contentis. Ita vt eodem modo possent Prælati nostri Ordinis præsentare aliquos Fratres idoneos pro audiendis confessionibus, & illi eas audire sine alia approbatione, aut licentia. Quod tamen priuilegium vacare his temporibus propter reuocationem factam à Concilio Tridentino *sess. 23.cap.15.* iuxta dicta *tomo 1.cap.19.* & sequentibus, communis sententia tenet, nisi forsan in casu raro, quo Episcopi sine rationabili causa Religiosis idoneis ad audiendas confessiones sibi præsentatis facultatem ad id negarent, iuxta dicta eo *cap. 19. num.3.* De quo etiam in Mari magno Eremitarum sancti Augustini latè *circa* §.1. & alia inferius *circa* §.16. Maris magni Seruitarum, propter quandam Epistolam nomine sanctæ Congregationis Episcoporum, & Regularium ad Episcopum Pisaurensem transmissam.

Aduerte tamen cum Scholiaste huius Maris 188. magni inter priuilegia nostrorum Patrum Discalceatorum *in Scholio super istam Bullam* cauendum esse à Nauarro *in cap.placuit à num.184.de pœniten. distinct.6.* & Rodriguez *tomo 1.Quæst.Regular.q.59. art.6.* quibus iunge alterum Rodriguez *in Compend. Resolut.32.num.6.* asserentibus diuerso modo priuilegium hoc competere Prædicatoribus, & Minoribus, quàm Augustinianis, & Carmelitis, eo quod quoad illos insertum est in corpore Iuris, non quoad istos. In quo manifestè falluntur, siquidem in Extrauagant. *frequentes de iudiciis*, quæ est in corpore iuris, manifestè declarat Pontifex Ioannes XXII. qui est author illius, hoc priuilegium, quo quatenus pertinet ad Prædicatores, & Minores, haberur expressè in Extrauaganti *Super Cathedram*, & Clementina *Dudum*, extensum fuisse

à Boni

à Bonifacio VIII. pro Augustinianis, & ab ipso Ioanne XXII. pro Carmelitis, & ita præcipit pro omnibus illis obseruari debere. Vnde cessant aliqua, quæ præfati Nauarrus, & vterque Rodriguez dicunt ad intentum, cum non videantur legisse huiusmodi. Extrauagantem *frequentes* Existimat etiam idem Scholiastes Ioannem de Cruce cum Nauarro, & Rodriguez sentire. Sed oppositum in ipso video. Etenim *lib.3. cap.4.dub.1.conc. 2.§.ad hoc dico*, tenent ex iure communi competere hoc priuilegium Augustinianis, & Carmelitis. Sed, vt dixi, priuilegium hoc vacat his temporibus post Concilium Tridentinum, iuxta communem sententiam, & ita quæ adduxi, non sunt valde necessaria. Essent tamen, si vera esset sententia Nauarri, Ioannis de Cruce,& aliorum,quos refert, & sequitur Barbosa, in Clement. *Dudum,de sepult. num. 6. & 7.* & ego retuli loco relato ex Mari magno Eremitarum Sancti Augustini,existimantium Concilium Tridentinum non derogasse ipsi. Quos tamen impugnant Suarez *tom. 4. de pœnit.disp.28 sect.5.num.13.*& alij communiter.

189. De aliis, quæ in prædicta Extrauaganti, & Clementina continentur circa sepulturam, funeralia, relicta, seu donata, &c. quia plura dicta sunt in præcedentibus, & alia dicentur in sequentibus, pro nunc omittuntur; sicut in simili dixi de simili priuilegio extensionis concesso à Bonifacio VIII. Eremitis S. Augustini in ipsorum Mari magno §.

Circa § 12.

190. MVlta priuilegia continentur sub hoc §.Summorum Pontificum, scilicet Eugenij IV. Nicolai V. & Callisti III. Omnia vero eo tendunt, vt damnent errores Ioannis de Poliaco, circa confessiones factas Mendicantibus, & ad compescendum alios, qui postquam prædicti errores damnati fuerant, eos suscitare ausi sunt, & Rectorem Vniuersitatis Parisiensis, qui litteras huiusmodi Apostolicas non solùm recipere recusauerat, sed etiam occasione ex illis sumpta, contra prædictos Mendicantes procedere ausus fuerat.

191. Pro quorum maiori luce, præter dicta superius in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 51. Minorum §. 50. Eremitarum S.Augustini §. 50. notandum, errorem Ioannis de Poliaco prædicti asserentis, quod confessi Fratribus Mendicantibus tenerentur etiam confiteri eadem peccata suo Parocho semel in anno, fundatum ab illo fuisse *in c.omnis vtriusque,de pœnit.& remis.* §... Vbi dicitur omnes fideles teneri omnia sua peccata proprio sacerdoti confiteri, aut alicui alteri de eius licentia atqui proprius sacerdos est solus Parochus: ergo huic, vel alicui de eius licentia tenentur omnes fideles sua peccata confiteri. Fundari etiam potuit in Extrauagantibus Benedicti XI. Martini V. & Sixti IV. quas retuli loco relato ex Mari magno Eremitarum Sancti Augustini, in illis enim clarè videtur supponi id quod Ioannes ille de Poliaco intendebat.

192. Nihilominus huius Poliaci sententia omnino reprobata est ab Ecclesia, propter Bullas Summorum Pontificum, scilicet Ioannis XXII. Eugenij IV. Nicolai V. Callisti III. & Sixti IV. quos retuli in Mari magno Prædicatorum loco superius relato, & qui huiusmodi Bullis,de quibus in præsenti, referuntur, & in sequentibus referentur. Colligitur etiam ex Concilio Tridentino dicente *in sess.14.c.5.* quòd Ecclesia *in c.omnis vtriusq.* nihil noui præcipit circa materiam, aut ministrum confessionis; sed tantũ præscribit certũ tẽpus, quo teneamur diuinum præceptum implere: ergo per eam confessionem, qua satisfacimus præcepto diuino,per eandem etiam satisfacimus præcepto Ecclesiastico, si singulis annis eam facimus. Sed qui confitetur in fine anni omnia sua peccata mortalia alicui ex dictis Religiosis, satisfacit præcepto diuino, (quia hoc nos solum obligat, vt omnia peccata mortalia confiteamur ei, qui potest nos directè ab iis absoluere,quod talis facit)ergo etiam satisfacit præcepto Ecclesiastico. Confirm. quia *in capit omnis vtriusque,* dicitur, fideles debere confiteri proprio Sacerdoti, aut alteri cum eius licentia. Et si autem propriè per proprium sacerdotem significetur Parochus, tamen per eum potiore iure intelligitur etiam Episcopus,aut Papa,quias alias, qui bis in Paschate confiteretur, non satisfaceret præcepto Ecclesiæ, quod est absurdissimum. Atqui præfati Religiosi habent hanc facultatem à Papa.Ergo qui ipsis confitetur,satisfacit dicto *cap. omnis vtriusque.* Deinde,quia priuilegia Religionibus concessa dant iurisdictionem simpliciter,& absolutè in foro conscientiæ, absque onere iterum confitendi: ergo confirmatur,quia alioqui nullius esset momenti,vel vtilitatis eiusmodi priuilegium, nullus enim fideliũ vellet confiteri cum eo onere. Denique vsus ipse tot annorum confirmat sensum prædictorum priuilegiorum. Ex quo patet ad *cap. omnis vtriusque* relatum.

Extrauagans autem Benedicti XI. solum intendit confessos Religiosis teneri semel in anno confiteri proprio Parocho, si confiteri indigeant, non autem si confessione non egeant. Vnde qui tunc non habent materiam confessionis, non tenentur ipsi confiteri,sed solùm reddere certum suum Parochum de confessione legitima ab ipsis eodem anno facta,vel quod non habeant conscientiam peccati, quæ ipsos ad confitendum obliget.Quo etiam modo intelligi debet Extrauagans Sixti IV. ibi relata, ita scilicet vt fideles etiam confessi Mendicantibus teneantur in Paschate proprio sacerdoti confiteri, si confessione egeant. Similiter Martini V. Extrauagans eundem sensum habet. Adde huiusmodi omnes Extrauagantes intelligi debere de confessione facienda proprio Parocho,ita vt aliis non habẽtibus priuilegium fieri non possit, non tamen ita vt excludantur etiam habentes priuilegia à Sede Apostolica, qualia habent Mendicantes, quia ius cõmune non excludit priuilegia Sedis Apostolicę, cum hæc sit supra illud. De his Suarez *tom.4.in 3. p.d.26 sect.2.* Vasq.*in 3.p.q.93.art.1.d.6.* Filliucius *tract.7.c.8.d.6.* Coninch. *de pœnit.d.7.d.9.* & Cardinalis Lugo *de Sacram. pœnit.d.19.sect.1.n.25.* ac alij apud Bonacinam *de pœnit. d.5. q.5.sect.2. p.4.n. 35.* Addit ad intentum huius quæstionis noster Ioãnes Bretzantiquus Scholasticus *in præcept.Decalog. præcept.3.exposit.4.c.6.* Ex Hostiensi,Petro de Tarãtasia,& aliis, Religiosos Mendicantes,seu priuilegiatos posse dici proprios sacerdotes,vel parochos ex authoritate non quidem ordinaria, sed delegata,cum habeant ex priuilegio tantam authoritatẽ, sicut illi.*Clem.dudum de sepult.* Quidquid tamen de hoc loquendi modo sit,quoad rem ipsam iam constat ex dictis quid sentiendum. 193.

Ex dictis,quoque infertur, sententiam asserentem confessos Fratribus Mendicantibus non teneri eadem peccata Parocho in Paschate confiteri, adeo certam esse,vt qui talem confessionem dubi- 194.

tabilem, & incertam dixerit, falsum, erroneum, ac contrarium sacris canonibus dixisse comprobetur, provt Eugenius IV. in Bulla hoc loco relata declarat, & decernit. Imò vt Coninck *supra* refert, & approbat Cardinalis Lugo, cum hæc difficultas ab aliquibus his temporibus moueretur veritatem hanc diffiniuit Clemens Octauus anno 1592. pro die 22. Decembris.

195. Ex eo etiam, quod Callistus tertius in Bulla hoc loco relata concedat Mendicantes recipere posse gradus, & Doctoratus insignia in Vniuersitate Parisiensi, infertur id quod dixi *tom.1.c.13.n.42.* contra Rebuffum ibi relatum, scilicet huiusmodi gradus, & insignia iure optimo Religionis concedi posse. De quo etiam D. Bonauentura *in Opuscul. ad Magistrum Innominat.* vbi inter alia: *Damno pomposum, sed commendo studiosum*, intellige Magistrum Religiosum. Quod quidem non solum intelligitur de gradibus in Theologia, & Iure Canonico, sed etiam de gradibus in Iure Ciuili, aut Medicina, in casu videlicet, quòd Religiosus, siue licitè, siue illicitè ius scientiis vocauerit, provt tenet Sanchez *tom.2. in Decalog. lib.6. cap.14. num.45. & 46.* post Calderinum, Felin. Nauar. Salzed. & Rodriguez, quibus etiam iungitur Castrus Palaus *p.3. tract.16 disp.4. punct.13. §.6.* Quamuis oppositum tenent quoad gradus in iure Ciuili, & Medina Tambur. *de iure Abb. tom. 3. disp.3 quæst. 6. num.38.* cui sanet alter Rodriguez *in compend. Resol.80. num.1.*

196. Nota etiam dicenda infra *circa* §. 69. huius Maris magni, vbi Sixtus IV. facultatem concessam Ordinariis ad procedendum contra afferentes tales propositiones, extendit ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, Protectores Ordinis, & Auditorem Cameræ Apostolicæ. Et pro graduum receptione dicenda in Mari magno Seruitarum *circa* §. 19.

Circa §. 13.

197. NOtatur hic priuilegium Alexandri IV. quo conceditur facultas Fratribus nostris ministrandi Ecclesiastica Sacramenta suis familiaribus, & eos tradendi sepulturæ Ecclesiasticæ, cum decesserint. De quo priuilegio non solùm dixi *tom.2. cap. 16. num. 3.* sed etiam in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 11. & Minorum *circa* §. 9. Confirmatur etiam, & innouatur hoc priuilegium à Sixto IV. in hoc Mari magno §. 51. vt ibi dicetur. Notat autem circa illud Scholiastes nostrorum PP. Discalceatorum concessionem hanc intelligi etiam pro die Paschatis, & articulo mortis. Sed de iis, aliisque concernentibus hoc, & similia priuilegia eorumque moderationibus per Concil. Lateranense sub Leone X. & Concil. Tridentinum factis latè: *eo cap.1.* dictum manet, & alia dicentur *circa* §. 51. relatum.

Circa §. 14.

198. COncedit hoc loco Papa Vrbanus IV. Fratribus nostris Presbyteris, vt Confratrum, & familiarium suorum, ac aliorum fidelium, causa deuotionis ad eos recurrentium, confessiones audire possint, de suorum licentia Prælatorum. De quo priuilegio Casarubius *in Compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo Absolutio quoad sæculares primo num.19.* dicit non reperiri simile in priuilegiis Mendicantium. Illud autem sic exponit Sixtus Quartus in hoc Mari magno §. 61. *Litteras verò felicis recordationis Vrbani IV. prædecessoris præfati, per quas concedit indultum, quo cauetur, quod Fratres prædicti suorum Confratrum, & familiarium, & aliorum Christi fidelium causa deuotionis ad eos recurrentium de licentia suorum Prælatorum confessiones audire, & eis pro commissis pœnitentias iniungere valeant, nisi fortè talia commiserint, propter quæ merito Sedes Apostolica esset consulenda. Declaramus licentiam suorum Prælatorum illam intelligi debere, quam Ordinarij præsentatis ad confessiones audiendas iuxta eiusdem Concilij Viennensis Constitutionem dare sunt astricti.* Ex vtroque autem Pontifice colligitur confessarios nostros existentes in Diœcesibus, vbi sunt approbati, posse omnium ex quacunque Diœcesi ad ipsos venientium confessiones audire, iuxta dicta *tom.1. cap.19. num.11.* Pro quo videndi Miranda, & Suarez eo loco relati. Cum autem Pontifex Vrbanus hoc loco dicat *de suorum licentia Prælatorum*, per quod denotari videntur Prælati illorum fidelium, qui ad ipsos recurrunt, videtur etiam hic concedi facultas dictis confessariis ad audiendum confessiones dictorum fidelium ad ipsos venientium, etiamsi tales confessarij approbati non sint ab Ordinariis illarum Diœcesum, in quibus morantur, dummodo tales à suis Prælatis licentiam ad hoc obtinuerint. Sed quia id est contrarium Concilio Tridentino volenti, vt Regulares non audiant confessiones sæcularium, nisi approbationem obtineant ab Ordinariis locorum in quibus resident, ideo non possunt Religiosi nostri vti hoc pacto isto priuilegio.

Circa verbum illud *Confratrum*, per quod intelligi videntur sæculares illi, qui vulgo *Confratres* appellantur, vide dicta *tom.2. cap.15.* vbi multa circa Confratrum priuilegia, eorumque limitationem pro his temporibus. Nota etiam obiter antiquitatem nostræ Confraternitatis, siquidem Vrbanus IV. hoc priuilegium pro ipsis concessit anno primo sui Pontificatus, qui correspondet anno Christi 1261. sed de hoc, ac maiori antiquitate huius Confraternitatis vide dicta *eo cap. 15. n.32.* Quid intelligatur per clausulam illam *propter quæ Sedes Apostolica sit meritò consulenda* vide dicta in Mari magno Prædicatorum §. 41. Minorum §. 40. Eremitarum Sancti Augustini §. 42. & dicenda infra §. 62. Quomodo etiam sit intelligenda facultas nostrorum confessariorum circa absolutionem à casibus Papæ reseruatis vide dict. *tom.1. cap.19. num.15. 16. & 17.* Contendit etiam Rodriguez *tom.1. q. Regul. quæst.61. art.3.* ex vi huius priuilegij posse absoluere Confessarios Regulares, nostro scilicet, & qui cum eis communicant in priuilegiis, à casibus Episcopalibus. Sed circa hoc videnda sunt decreta S. Congregationis in contrarium, quæ adduxi loco relato, & Rodriguez non vidit. 199.

Circa §. 15.

COnceditur in hoc priuilegio ab Eugenio IV. Fratribus nostris: scilicet Generalibus, vel eorum Vicariis, Prouincialibus Prioribus, ac Fratribus, vt circa confessiones audiendas aliáque salutem animarum Fratrum nostrorum concernentia, habeant eam facultatem, quam habent minores Pœnitentiarij in Curia præsentes. Quod est magnum priuilegium, & forsan speciale nostræ Religionis. Confirmatum etiam à Sixto IV. 200.

in

in hoc Mari magno, solum excludendo absolutionem hæreticorum relapsorum, Schismaticorum, & eorum qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, vt videre est infra §. 62.

201. Nota tamen, quod iuxta dicta *tom. 3. verbo Confessarius Regularis, num.* 17. circa hoc priuilegium, excipiendi etiam sunt omnes casus Bullæ Cœnæ, propter annuam reuocationem omnium priuilegiorum, quæ quotannis fit in ipsa Bulla. Nota etiam, id quod eo loco notaui, & animaduertit Scholiastes huius Bullæ *inter priuilegia Patrum nostrorum Discalceatorum ex* Authore *Compendij priuilegiorum Sancti Hieronymi, verbo Absolutio quoad omnes*, videlicet, quod facultas, seu potestas minorum Pœnitentiariorum est incerta, & varia iuxta beneplacitum Summorum Pontificum, & maiorum Pœnitentiariorum, ac proinde vix constare poterit de ea, quam habebant minores Pœnitentiarij tempore Eugenij IV. qui fecit dictam concessioné. Lege Sanctorum vnum ex his Pœnitentiariis *supra statuta, & Constitut. Ordinis Minorum, cap. 1. stat.* 14. vbi refert casus, à quibus absoluere possunt Pœnitentiarij minores, & quomodo restricta sit eorum facultas, tum à Pio IV. tum ab Vrbano VIII. Notat etiam, quod priuilegium hoc Eugenij IV. pro nostris Carmelitis non sit reuocatum, cum non sit reuocata authoritas Pœnitentiariorum minorum, ad cuius formam conceditur. Nota præterea plures casus prohibitos esse Pœnitentiariis minoribus, quoad absolutionem, qui confessariis Regularibus non sunt prohibiti, sed permissi. Vt inde colligatur, etsi tales Pœnitentiarij non possint absoluere à dictis casibus, non propterea infertur idem esse dicendum de confessoribus Regularibus, sed attendendum ad ipsorum priuilegia, si alias reuocata non fuerint.

Circa §. 16.

202. PRiuilegium hoc loco relatum est Clem. IV. & per ipsum conceditur nostris Carmelitis, vt de erogatis, seu legatis ipsis nulli canonicam iustitiam, seu portionem aliquam soluere teneantur, dummodo præmissa non conuertantur in alios vsus, nisi in eos, pro quibus relinquuntur, & quamdiu in paupertate, & sine possessionibus viuant. De quo priuilegio non solùm *tom. 1. c. 3. n.* 12. & *tom. 2. cap. 1. num. 29. & 30. & tom. 3. verbo Canonica portio, & tom 4. verbo Quanta funeralis*, dictum est, sed etiam supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 32. & 43. Minorum *circa* §. 34. & 42. & Eremitarum S. August. *circa* §. 38. 39. & 40. *ac* 41. Quia tamen in sequentibus ampliora priuilegia circa hanc materiam afferentur, præsertim Nicolai V. in §. *seq.* & Sixti IV. iuxta dicenda infra *circa* §. 59. & 99. ideo ad ea loca remitto lectorem. Interim etiam videatur inter priuilegia nostrorum RR. PP. Discalceatorum, quæ Scholiastes huius Maris magni, & P. Io. à Matre Dei super Bullas Clementis VIII. & Pauli V. de hac materia scribunt.

203. Solum est animaduertendum hoc priuilegium prout iacet parum deseruire nostris, aut aliis Religiosis, siquidem illud conceditur, vt in ipso dicitur, *quandiu sine possessionibus intra septa Monasteriorum sint*. Constat autem his temporibus post Concilium Tridentinum licere omnibus Mendicantibus (Minoribus de Obseruantia, & Capuccinis exceptis) possessiones tenere, iuxta dicta *tom. 2. c. 1. n. 2.* deseruiebat tamen pro tempore, quo concessum fuit, scilicet circa annum 1265. quo tempore dictis possessionibus carebant, iuxta dicta supra *in Expositione Regulæ circa cap. 9. ipsius*. Quid verò nomine possessionis importetur, habes ex dictis in Mari magno Eremitarū S. August. *circa* §. 12.

Circa §. 17.

PRiuilegium Nicolai V. hoc loco relatum de eadem materia est ac præcedens Clementis IV. 204.
scilicet de exemptione nostrorum Fratrum à Canonica portione in quibuscunque rebus sibi erogatis, cum derogatione vniuersalissima, præsertim Clementinæ *Dudum*. Ex quo proinde colligitur magis amplum, & extensum, quàm illud Clementis IV. esse istud Nicolai V.

Quæ autem in dicta Clementina *Dudum* circa 205.
huiusmodi canonicam portionem soluendam statuatur, quia id necessarium est pro dictis, & dicendis in hac materia, hic apponendum. *Verum ne parochiales Ecclesiæ, & ipsarum Curati, siue Rectores, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de iure competere, prædicare, seu proponere verbum Dei, & confessiones audire fidelium, debitis, & necessariis beneficiis defraudentur, cum operariis mercedis exhibitio debeatur, authoritate Apostolica constituimus, & ordinamus eadem, vt dictorum Ordinum Fratres de obuentionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuscunque, & quomodocunque relictis distinctè, vel indistinctè ad quoscunque certos, vel determinatos vsus, de quibus etiam quarta, siue canonica portio dari, siue exigi non consueuit, vel non debet de iure, necnon de datis, vel qualitercunque donatis in morte, seu mortis articulo in infirmitate donantis, vel dantis de qua decesserit quomodocunque directè, vel indirectè Fratribus ipsis, vel aliis pro eisdem quartam partem, quam auctoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum rectoribus, seu curatis largiri integrè teneantur.* Huic ergo statuto derogatur expresè per dictū priuilegium Nicolai V. prout videtur necessarium, cùm dictum statutum Conciliare sit, factum videlicet à Clemente V. in Concilio generali Viennensi. Quomodo autem hæc quarta, & à quibus Conuentibus solui debeat, maximè post decretum Concilij Trident. *sess. 25. cap.* 13. sæpius dictum est, & dicetur in hoc opere.

Circa §. 18.

COntinetur hoc loco Bulla Innocentij VI. referentis aliam Clementis VI. in qua Clemens 206.
concedit Fratribus nostris, vt de iis, quæ crescunt infra septa murata locorum nostri Ordinis, nullus petere, aut exigere decimas præsumeret. Videtur autem priuilegium hoc diuersum esse ab eo, quod habetur in Mari magno Prædicatorum §. 26. Minorum §. 28. Eremitarum Sancti Augustini §. 13. In illis enim conceditur dictis Religiosis exemptio à solutione decimarum de virgultis, & hortis ipsorum; in isto autem de iis, quæ nascuntur infra septa murata locorum Ordinis. Cùm autem septa iuxta Calepinum, & alios, denotent generaliter omnia loca munita, seu sepimento vallata, vt sunt villæ, stabula pecorum, boum, caprarum, & similia, ideo omnia ista in hoc priuilegio comprehenduntur, ac proinde videtur magis amplum quā illa, quæ solū concedunt talē exemptionem à solutione decimarū eorū, quæ nascuntur in hortis.

Quod etiam colligitur ex verbo illo *crescunt*, quo vtitur Pontifex, illud enim non solum accommodatur leguminibus, granis, & fructibus, quæ nascuntur ex plantis, & arboribus, sed etiam animalibus, ouibus videlicet, bobus, capris, & similibus. Sed de hac materia, præter dicta in Mari magno Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum Sancti Augustini, alia quoque dicentur inferius *circa* §.46.

Circa §. 19.

207. TRres continet gratias priuilegium Clementis IV. hoc loco relatum. Prima est, de susceptione personarum, locorum, & honorum Ordinis sub Beati Petri, & Papæ protectione. Secunda est, de confirmatione prædictorum bonorum Fratrum nostrorum. Tertia, de exemptione à decimis, de hortis, & virgultis nostris, quæ propriis manibus, aut sumptibus colimus. Et quidem quoad primam gratiam ex dictis *tomo* 3. *verbo Exemptio Regularium num.6 & 7.* in Mari magno Eremitarum Sancti Augustini *circa* §.11.& in hoc eodem Mari magno *circa* §.3. constat quid importet, quamve vim habeat susceptio alicuius sub protectione Beati Petri, & Papæ. De secunda etiam aliquid dixi in simili priuilegio Eremitarum Sancti Augustini *circa* §. 12. De tertia constat ex dictis *circa* §. 18. *præcedentem* gratiam similem esse aliis concessis Prædicatoribus, Minoribus & Eremitis S. Augustini locis relatis ibidem ex eorum Mari magno. Alia etiam in sequentibus de his omnibus dicentur.

208. Nunc animaduertendum clausulam illam *ad vsus proprios deputatis*; qua vtitur Pontifex, dum exemptionem à decimis, de hortis, & virgultis Fratribus nostris concedit, quæ etiam sæpius solet apponi in aliis Pontificis priuilegiis, posse denotari tria, scilicet vsum fructum, vsum iuris, & vsum facti. Est autem iuxta dicta *tom.1. cap.6.n.2.* vsufructus facultas vtendi, & fruendi alienare, salua illius substantia, *lib. 1. ff. de vsufructu*; Vsus autem iuris est, facultas solum vtendi aliena re, salua illius substantia *Instit. de vsu, & habitat. in princip.* vnde non est vsus iuris facultas fruēdi sicut vsusfructus. Ex quo oritur quod vsufructuarius potest disponere de illa re ad libitum, & in vsum etiam aliorum, habens autem vsum iuris non potest de illa re disponere nisi in ordine ad vsus proprios *Instit. de vsu* relata *l. plenum 12.§.1. ff de vsu & habitat. & l.1.& 2.ff.eod.tit.l.si alij 42. ff.de vsufruct.* vsus verò facti est ipse actus vtendi, vt equitatio est vsus equi. De iis non solùm Lessius, & Azorius eo loco relati, sed etiam Sotus 4. *de iust. quæstion.1. art. 1.* Sairus *in clau. Reg.lib.9. c.3.n.6.* Sanchez *lib.7.in Decalog. cap.13.num.2.* Bordonus *Resol.43.num.7.* Sanctorus *in Const. & stat. Minor. cap.6.stat.1.§. vsus verò.* Quia ergo, iuxta dicta eo *cap. 6. num. 2. &* personæ Religiosæ ratione voti paupertatis non sunt capaces habendi vsum fructum, aut vsum iuris, sed solum, vsum facti, provt non solùm tenent Azorius, Lessius, Sanchez, & Rodriguez eo loco relati, sed etiam Sotus *supra*, Nauarrus *apolog. ad lib. de redditibus quæst.1.monit. 14. & comment.1.num.13.& comm.2.num.2. & Regul.2.2.q. 61. init. tract.de domin.q.1.dub.1.* Bordonus, & Sanctorus relati, ac alij communiter; ideo talis clausula provt applicata Religiosis personis solum importare poterit vsum facti. Similiter, quia iuxta dicta etiam *eo cap.6.num.5.* è contra Religiosi in communi possunt habere dominium, & proprietatem rerum temporalium, provt communiter etiam authores relati tenent; ideo prædicta clausula illis in communi applicata denotare poterit non solùm vsum facti, sed etiam vsum iuris, seu vsum fructum. Quomodo autem sit applicanda, ex verbis dispositionis personis, cum quibus loquitur, & aliis circunstantiis peti debet. Nota tamen, quod cum dicitur, Monasteria habere dominium bonorum in communi, non sic accipiendum est, vt omnes Religiosi sint domini singuli alicuius quotæ pro indiuiso, sicut contingit in fundo multis communi. *l. per fundum ff. de seruitute rust. præd. l. Sabinus ff. commun. diuid.* sed quod habent tale dominium per modum communitatis, & collectiuè. Nauarrus *comm.2.n.3. & 8. de Regularibus*, Rodriguez *tom.1.quæst.Regularium quæst.28.art.4.* Sanchez *d.lib.7.cap.18.num.11.*

Circa §. 20.

PRiuilegium hoc loco relatū est Ioannis XXII. confirmatis priuilegium aliud Alexandri IV. quo inhibuit ne aliqui Religiosi professos nostri Ordinis sine licentia Prioris Generalis petita, & obtenta reciperent. Ioannes ergo Pontifex dictam Alexandri inhibitionem innouat, & præcipit, ne Prædicatorum, Minorum, aut Eremitarum S. Augustini Fratres professos nostri Ordinis recipiant, vel retineant sine Generalis nostri licentia petita, & obtenta, sub pœna inualiditatis talis receptionis seu retentionis, ac priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa recipientis, seu retinentis, & quod prælibati Fratres Prædictorum, Minorum, & Eremitarum S. August. ad requisitionem nostrorum Religiosorū sic receptos teneantur restituere. 209.

De materia huius priuilegij dicetur §. 21. 22. & 23. *sequent.* tunc enim aduertendum, verba illa, quibus vtitur Pontifex, scilicet, *licentia petita, & obtenta* denotare non sufficere, quod petatur, sed requiri, quod obtineatur. Non solùm propter generalem doctrinam, quam affert Cassaneus *in consuetud. Burgundiæ rub. 1.§.8. in verbis Sans congè, n.5.* & Barbosa *in tract. de dict. dict. 371.* sed etiam propter expressionem illam à Papa factam, scilicet, *petita, & obtenta*, quæ includit vtrumque. Imò talis licentia debet præcedere transitum, iuxta dicta *tom.4. verb. Licentia quoad Regulares n. 8.* Adde ex dictis *ibid. n.3. & 4.* requiri, quod talis licentia sit voluntaria, & legitima. Cum autem non dicatur ibi, quod debeat esse in scriptis, sufficier, quòd sit oretenus concessa, saltem pro foro interno, iuxta dicta *ibid. num. 9.* 210.

Circa §. 21.

REfert & confirmat hoc loco Papa Vrbanus VI. constitutionem Benedicti Duodecimi, in qua prohibuit ne Fratres Mendicantes ad Ordinem Monachorum Nigrorum, vel Cisterciensium transire possint sine Papæ licentia speciali expressam faciente de Constitutione huiusmodi mentionem. De qua aliquid dixi *tom. 1. cap. 22. num. 6.* alia etiam in sequentibus. Solum hic notandum Monachos Nigros appellari Benedictorum Religionem, quæ hodie diuisa est in quinque celebriores Congregationes, scilicet Cassinensem, seu S. Iustinæ de Padua, Germanicam seu Bursfeldensem; Gallicam, seu Casalensem; Hispanicam, seu Vallisoletanam; Lusitanicam, seu S. Martini de Tibes. Cisterciensium autem 211.

nomine

nomine veniunt monachi sancti Bernardi titulo insignes, & à sancto Roberto Monacho Benedictino instituti. De quibus Historici. Quia autem sub nomine Cisterciensium veniunt etiam Eolienses, qui sunt Cistercienses Discalceati, & Reformati, ideo dubitari potest an prohibitio hæc facta Mendicantibus de non transeundo ad Cistercienses extendatur etiam ad istos Cistercienses reformatos. Et quidem licet probabilis sit pars affirmatiua, eo quod sint verè Cistercienses, & monachi, vt propterea Clement. VIII. in Bulla *Regis pacifici* anno 1599. in Bullar. Laertij præcedentiam illis contulerit supra Mendicantes, ac proinde comprehensi in hoc priuilegio Benedicti XII. nihilominus probabilius mihi est, non comprehendi, sed quantum est ex vi huius inhibitionis, posse transire Mendicantes ad ipsorum Ordinem, eo quòd arctiorem, & strictiorem vitam, magisque reformatam tenent, quàm ipsi Mendicantes, aut alij communes Cistercienses. Dixi autem quantum est ex vi huius inhibitionis, quia propter Extrauagantem *Viam* Martini V. de qua in §. *sequenti* dicetur, prohibitus est transitus Mendicantium ad alium quemcunque Ordinem, Carthusiensi excepto, iuxta dicta *tomo.1. cap.22. num.6.* relato. Quomodo autem intelligatur illa clausula *plenam & expressam faciente de Constitutione huiusmodi mentionem*, qua vtitur Benedictus in hac Bulla, collige ex dictis supra in Mari magno Minorum. *circa* §.15.16. & 17. vbi etiam habes, quàm vim habeat his temporibus.

Circa §.10.

212. EXtat hoc loco Bulla Nicolai V. referentis, & confirmantis aliam Martini V. quæ est Extrauagans *Viam de Regularibus, & transeuntibus*, in qua Martinus prohibet Religiosis Mendicantibus transitum ad quemcunque Ordinem monasticum sub pœna excommunicationis Papæ reseruatæ, quàm incurrunt tam transeuntes, quàm illos recipientes. Decernit autem quòd sic recepti maneant in sua vocatione, & Ordine, in quo sunt recepti. Si verò vagari vellent, cogantur ad Ordinem redire, alioquin tanquam Apostatæ, & excommunicati habeantur.

213. Nota primò, hanc prohibitionem solum esse pro Mendicantibus, quia solum in fauorem ipsorum facta est. Suarez *tomo 5. in 3. parte, disp.22. sect. 5. num.16.* Cùm autem sit priuilegium, & fauor Mendicantium, extenditur ad omnes Mendicantes, non solum eos, qui tempore Martini V. existebant, sed etiam ad alios, qui postea prodierunt, Patres videlicet Societatis. Quia lex semper loquitur *leg. Arrian. Cod. de hæret.* & agit de Mendicantibus. Suarez *supra*, Bonacina *de censuris extra Bullam, disp.2. quæst.9. punct.1.* Bordonus *resol.29. n.27.* Intelligi tamen debet de iis, qui transeunt ex vi alicuius licentiæ, aut indulti Apostolici, prout colligitur ex ipsa Bulla. Vnde transeuntes sine dicto prætextu non incurrunt excommunicationem in ipsa positam. Bonacina, & Bordonus *supra*, Conformiter etiam ad dicta *tom.1. cap.22.* ex Lessio, & Sanchez probabile est non comprehendere transeuntes cum dispensatione, & causa legitima etiam à Papa non concessa. Licet oppositum satis etiam probabiliter teneant D. Antonin. 3. *part. tit.16. cap. 4. §.4.* Sairus *de censuris, lib.3. cap.30. num.8.* & alij, quos refert, & sequitur Vechius *in prax. disp.15. dub.5. num.9.* Quibus iungitur Barbosa *in Collectaneis super istam Extrauagant. num. 2.*

Quoad illos verò Ordines, ad quos prohibetur transitus Mendicantium, nota, illos esse omnes Monasticos, præsertim Benedictos, Cistercienses, Camaldulenses, Vallis-Vmbrosinos, & Canonicos Regulares sancti Augustini, hi enim specialiter nominantur. Suarez *sup. num.17.* & Bonacina *supr.* Quare si transitus fiat ab vno Ordine Mendicantium ad alium, ex vi huius iuris non incurretur excommunicatio. Licet ex particularibus priuilegiis singularum Religionum ea incurri possit. Suarez, & Bonacina *supra.* Si autem transeant Mendicantes ad Monachos nigros, vel Cistercienses, facient quoque contra prohibitionem Benedicti XII. de qua *supra* §.21. Specialiter quoque si Fratres nostri transeant de Ordine nostro ad alium paris, vel minoris arctitudinis sine licentia Generalis, facient etiam contra prohibitionem Alexandri IV. de qua inferius §. *sequenti* dicetur. Quomodo etiam, si iisdem Fratres nostri ad alios Mendicantes transeant, contra Constitutionem Ioannis XXII. faciant, si sine licentia Generalis id fiat, professioque, seu receptio sit nulla, & recepti sint restituendi, constat ex dictis *supra, circa* §.20. 214.

Cur autem in hac Martini V. Constitutione, aliisque similibus Carthusiani excipiantur, Ioannes Maior *in 4. distinct.28. quæst.21.* quem sequitur Bonacina suprà, respondere videtur, quia *Carthusia Religionum optima.* Sed quia hoc pendet ex quæstione illa, in qua quæritur an perfectio Religionis sumenda sit ex arctitudine, & rigorositate, an verò ex fine, & mediis ad ipsum, de qua dixi *cap. 22. relato, num.5. & tomo 4. verbo Transeuntes Regulares, num.5. & 6.* ideo pro nunc dicendum, causam huius esse, quia Carthusianorum Religio inter Mendicantes, & Monachales austerior, & asperior putatur. Sanchez *dict. cap.7. num.21.* Bordonus *sup. n.23.* & ego *d. num.5.* An verò sit hæc religio perfectior Eremiticis, præsertim cùm dicatur Leonem X. concessisse transitum ex illa ad Camaldulensem Eremiticam, lege Thomam de Iesu *de variis Regul. Carmelitar. part.2. circa tit. Reg. dub.7. §.2. constituto.* Nota autem, quod quamuis iuxta declarationem sacræ Congregationis, quam adduxi *tom. 1. cap. 22. num. 21.* Religiosi legitimè translati ad Carthusienses possint in ea Religione esse Priores, & Procuratores, nihilominus video modo in Aldana *in Compendio canonicarum resolutionum, lib.3. tit.16. num.3.* & Barbosa *in Collect. Doctorum in Conc. Trident. sess.25. de Regularibus, cap.19. num.34.* ex constitutione Clementis VIII. & rescripto sacræ Congregationis ad Generalem Carthusianorum, Mendicantes ad Carthusienses translatos voce actiua, & passiua carere, ac ad quæuis officia, ministeria, ac gradus perpetuo inhabiles existere. 215.

Quæri autem solet cum D. Antonino, an Religiosus Ordinis Mendidantis ab illo eiectus, possit non obstante huiusmodi Extrauaganti (idem dico de aliis prohibitionibus) ad quemcunque Ordinem, etiam Monachalem transire sine licentia Sedis Apostolicæ. Respondet D. Antoninus affirmatiuè, quia alias cogeretur in sæculo remanere. Suarez autem *sup. num.20.* respondet negatiuè, quia hoc dicit esse particulare priuilegium Gregorij XIII. pro Societate aliis non communicabile, & quia sic eiectus est verè Religiosus Religionis, à qua eiicitur. Bonacina verò *etiam sup.* cum Suarez sentit, quando eiectus est aliquis solum ad tempus, & cum D. Antonino, quando in perpetuum. Sed, vt ab hoc vltimo incipiamus, nunquam eiicitur aliquis taliter in perpetuū, vt reuocari non possit, 216.

imo debeat, quando est emendatus, adeo vt Religio teneatur illum quærere, iuxta dicta *tom.1.c.23.n.7. & 9.* & propterea sic eiectus teneatur morigeratè viuere, iuxta dicta *tomo 3. verbo Eiecti Regulares num.2.* Deinde dico conformiter ad dicta *cap. 23. num.10.* Eiectus non potest transire ad aliam Religionem sine licentia suorum Superiorum, propter rationem ibi assignatam, quæ est eadem ac ea, quàm Suarez adducit, scilicet, quia adhuc tempore eiectionis perseuerat Religiosus Religionis, à qua fuit eiectus. Ex quo colligo, & dico tertiò, non potest facere contra hanc prohibitionem in hac Extrauaganti positam, nec alias similes magis, quam poterat, dum erat in Religione. Est enim, vt dixi Religiosus Religionis, à qua fuit eiectus, & non melioris conditionis, quàm si esset in claustro. Vnde patet ad fundamenta contraria. Constat enim fundamentum D. Antonini non subsistere, cùm sic eiectus possit reuocari in propriam Religionem, & transire ad aliam cum debitis licentiis. Addit Suarez possit transire ad arctiorem, vel æqualem Religionem Mendicantium. Sed hoc non est admittendum, si sit eiectus ex nostra, propter dicta §.20. ex Ioannis XXII. priuilegio. Priuilegium autem illud Gregorij XIII. quod Suarez adducit, nihil probat contra nos; siquidem dicimus taliter eiectum non posse transire ad aliam Religionem nisi de licentia suorum Superiorum. Addit Bonacina *supra* hoc priuilegium Gregorij pro Societate non esse speciale Societatis quantum ad hoc punctum de licentia Superiorum requisita pro eiectis, vt ad alium Ordinem transeant, sed quantum ad alia, quæ in ipso continentur.

217. Alia concernentia hanc materiam habes ex dictis in Mari magno Prædicatorum *cicra* §. 20. 21. 22. & 24 & Minorum §.21.22.25. & 26. ac Eremitarum sancti Augustini *circa* §.15. & ex dicendis §. *sequenti, &* 94. ac maximè in Mari magno Minorum *circa* §.16.

Circa §. 23.

218. HOc priuilegium Alexandri IV. pro fratribus nostris concessum, vt scilicet nullus Ordo paris arctitudinis, vel minoris aliquem Ordinis nostri professum sine Generalis licentia recipere possit, & sic receptum teneatur restituere, est illud, quod relatum est, & confirmatum, ac ampliatum à Ioanne XXII. in priuilegio relato supra *circa* §.20. Vnde dicta eo loco, & aliis ibi relatis ad intentum deseruiunt.

219. Circa illud tamen nota primò, non curare Pontificem in hoc priuilegio de maiori, vel minori perfectione Religionis, ad quam est transitus, sed de maiori, vel minori arctitudine, seu rigorositate illius, vt hinc colligatur, aliud esse vnam Religionem esse perfectiorem alia; aliud verò esse strictiorem; & posse vnum stare sine alio, iuxta dicta *4. tomo, verbo Transeuntes Regulares, num.5. & 6.* Quomodo autem in iudicando, quæ Religio sit strictior, non solum sit inspicienda externa corporis asperitas, aut votorum multitudo, verum etiam alia vitæ ratio, videlicet exacta paupertas, propriæ voluntatis maior abnegatio, & similia, dixi eo loco *num.8.*

220. Maximè nota, quod cùm Pontifex eo loco prohibeat, ne Fratres nostri transeant ad alium Ordinem paris arctitudinis, vel minoris, aut quod idem st, in eo recipiantur, sine Generalis licentia; clarè oncedere videtur posse generalem concedere facultatem ad transitum ad Ordinem æquè, vel minus strictum. Quod, non obstante dicto decreto Concilij Tridentini *sess.25. de Regularibus, cap.19.* tenent Nauarrus, Miranda, Rodriguez, Bartholomæus de sancto Fausto, Sanctarellus, & Vechius, quos refert Barbosa *in Collect. Concilij loco relato, num.29. & 30.* De quo tamen quid sentiam, dixi loco adducto ex *4.tom.num.11.* Consule etiam dicta in Mari magno Prædicatorum *circa* §.24.

Circa §. 24.

DVo notabilia priuilegia Ioannis XXII. nostræ Religioni deuotissimi, in hoc loco referuntur. Alterum, circa benedictionem, seu consecrationem cœmeteriorum, ita vt eam obtinere possimus à quocunque Antistite gratiam Apostolicæ Sedis habente, in casu, quo Ordinarij locorum indebitè noluerint id facere. Alterum verò, circa facultatem recipiendi tam minores, quàm maiores Ordines à quocunque simili Antistite. Circa quæ aliqua in præsenti notanda. 221.

Et primò circa primum, quod, licet iuxta dicta in Mari magno Eremitarum sancti Augustini *circa* §. *decimum septimum*, dum de simili priuilegio eisdem Eremiticis concesso agerem, illud videatur reuocatum à Concilio Trident. quatenus *sess. 6. de reformatione, cap.vlt.* prohibet, ne aliquis Episcopus in aliena Diœcesi Pontificalia exercere possit sine licentia Ordinarij, nihilominus dici potest non fuisse reuocatum, sed manere in sua vi, iuxta limitationem tamen traditam à Leone X. in Concilio Lateran. pro Mendicantibus, videlicet quando Ordinarius bis, aut ter requisitus debitis reuerentia, & instantia sine legitima causa id recusauerit, iuxta dicta à simili *3.tom.verb.Altare, num.5. & verbo Ecclesia, seu Templum, num.5.* quia dici potest Concilium generaliter loqui, non autem in casu præsenti, in quo scilicet Diœcesani prædicta facere recusauerint indebitè, & humiliter requisiti, prout dicitur in Bulla. [Et ita tenet Scholiastes huius Maris magni ex nostris Patribus Discalceatis, dicens etiam hoc esse de iure communi, ac per consequens non derogari à Concilio. Quod maxime fulcitur ex communi axiomate iuris, scilicet, quod *generi per speciem derogatur*, de quo ex variis iuribus, & Doctoribus Barbosa *in tract. de axiomatibus iuris, axiomat.107.* vbi *num.17.* id dicit etiam intelligendum in opinionibus DD. quia communis opinio in genere derogatur per opinionem in specie in casu indiuiduo. Riminus iunior. *cons.265.n.5. & 6.lib.3.* quem refert Thusc. *Pract.conclus. tom.4. litt.G, concl.36. num.71.* Quæ ad hoc intentum valde deseruiunt. Vide Mirandam *2.tom.Man.quæst.40. art.5. & 6.* & Hieronymum Rodriguez *Compend.Resol.13.num.4.* 222.

Circa clausulam illam *sine Iuris præiudicio alieni* nota, intelligi debere de alio præiudicio, quàm expresso; alias inutilis esset concessio, & sibi contradiceret Pontifex. Vnde semper intelligi debere de alio præiudicio, quàm expresso colligitur ex Oltrad. *cons.330.in fine.* Paris. *cons.70.num.12. lib.1.* Gabriele *cons.151.num.29. & seq.lib.1.* Theod. de rubr. *dict.claus.754.num.9.* Verall. *dec.7. in fin.de iurepatr.* Hondedo *cons.86.num 47.tomo 2.* Stephan Gratian. *discept.forens. cap 867. num.19.* Cæsare Argello *de contradict. legitimo, quæst.12. n 9.* Rebuffo *in praxi benef.in forma non.prouis.in verbis dummodo, num.6.* Cenedo *post.lib. practic. quæst.sing. 100. num.3.* & dictum fuit in Toletana *admissionis* 17. Iunij 1609. 223.

coram

coram Pamphilio, impressa per Farinacium, *decis.* 192. *num.*16. *part.*1. ac proinde operatur tantum super non expressis in eodem contractu, vt per Rebuff. *in prax.tit.de erect. in Collectan.ad fin.* Mandosso *consil.* 10.*num.*14. Marta *de clausulis, part.*1. *claus.* 157.*num.*3. *& 9. in vltim. impress.* Rota *decis.* 720. *num.*8.*part.*1.*in posth.* Farin.*alias part.*3. *recent.* vbi quod non extenditur ad expressa. Quæ omnia affert ad intentum Barbos. *in tract.de clausul.claus.* 157.

224. Circa secundum verò priuilegium nota, illud esse reuocatum à Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.*8. & maximè propter decretum sacræ Congregationis iussu Clementis VIII. editum, quod retuli *tomo* 1. *cap.*14. *num.*12. & per extensum adduxi *tomo* 3. *verbo Dimissoria, num.*5. vbi præcipitur omnibus Superioribus Regularium, ne concedant suis subditis dimissorias ad Ordines suscipiendos, nisi ad Episcopum Diœcesanum, *nempe illius Monasterij, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet is Regularis* (scilicet, qui Ordines suscepturus est) *positus fuerit.* Vbi etiam ponuntur aliæ circunstantiæ harum dimissoriarum, de quo latè dixi *suprà* in Mari magno Prædicatorum *circa* §.8. & in Mari magno Minorum *circa* §.6. Vnde esto tale priuilegium derogatum non esset ab eodem Concilio, *sess.*7. *cap.*11. prout ex declaratione Pij V. & Passarello refert Scholiastes huius Maris magni ex nostris Patribus Discalceatis, nihilominus reuocatum est à Concilio loco relato, & maximè à Decreto sacræ Congregationis adducto. Imo ex textu ipsius capituli colligitur reuocatum esse. Dicitur enim ibi: *Facultates de promouendo à quocunque non suffragentur nisi habentibus legitimam causam, ob quam à propriis Episcopis ordinari non possint in litteris exprimendam; & tunc non ordinentur nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti præuio examine.*

225. Vide alia ad intentum infra *circa* §.77. & in Mari magno Seruitarum *circa* §.64. vbi aliqualiter simile priuilegium reperitur, & in Mari magno Minimorum *circa* §.6.

Circa §.25.

226. NOtabile etiam est priuilegium Clementis V. (non IV. vt communiter aliqui existimant) hoc loco relatum. In eo enim Fratribus nostris concedit, vt nulli alij ex Mendicantibus *Ecclesias, seu quæuis loca de nouo ædificare, seu construere, aut per alios constructa, seu ædificata de nouo recipere, aut inhabitare iuxta loca* nostra *infra spatium centum quadraginta cannarum mensurandarum etiam per aëra, vbi aliàs rectè non permitteret loci dispositio mensurari*, præsumerent decernens etiam irritum, & inane, quidquid secus actum fuerit.

227. Circa illud autem notat Scholiastes huius Maris magni ex nostris Patribus Discalceatis, primò quidem, cannam esse mensuram quandam continentem octo palmos; secundò, hoc priuilegium, non esse in vsu inter Monasteria Mendicantium prout habet Sorbus dicens sic sæpius iudicatum fuisse à Sede Apostolica; tertiò, Patres nostros Discalceatos habere indultum Gregorij XV. ad fundandum Monasteria, non obstante priuilegio aliis Religionibus concesso de distantia cannarum. Ex quibus, primum est certum, prout ex Miranda, & Barbosa dixi *t.*2.*v. Monasteria Regularium, n.*20. Secundum verò limitatione eget, iuxta dicta eo loco. Etsi enim in aliquibus ciuitatibus hoc priuilegium non sit in vsu; nihilominus, prout ibi dixi, & experientia Romæ didici, quando Religiosi reclamant hoc aut similia priuilegia ostendentes, à Sede Apostolica audiuntur. Vnde iuxta ibidem etiam adducta in impressione Veneta, cum Neapoli vellent Presbyteri sæculares S. Caroli Borromæi transferre suam Ecclesiam prope Ecclesias Dominicanorum Minor. & Theatinorum, prohibiti sunt id facere à Sacra Congregatione Episcopi, & Regular. 16. *Februarij* 1643. intra spatium 140. cannarum. Circa tertium autem nota, dubitari posse, an hoc priuilegium Gregorij XV. deroget isti alij priuilegio Clementis V. (quod etiam confirmatur à Sixto IV. in hoc Mari magno, vt dicetur §.79.) cùm enim priuilegium Gregorij XV. solum sit contra priuilegia aliarum Religionum, præsertim Mendicantium, Religio autem nostra diuersa non sit ab ea, quàm Patres Discalceati profitentur, sed eadem, & sub eadem Regula, licet magis, vel minus mitigata, vt dictum est in superioribus, maximè *num.*30. ex Rotæ decisione; & ipsa Relegio Patrum Discalceatorum sit vna ex quatuor Mendicantibus, Ordinem *videlicet Carmelitarum*, vt declarauit Clemens VIII. in Bulla *Romanum Pontificem*, videtur quod quemadmodum d. priuilegium Gregorij XV. non suffragatur istis Reuerendis Patribus contra monasteria suarum Congregationum, sic neque contra Ordinis nostri Monasteria, nam sunt eiusdem Ordinis Mendicantium cum illis. Illud tamen certius Priuilegium aliud Clementis VIII. in fauorem Collegij Mexicani, & Pauli V. in fauorem monasterij Bononiensis, & Cracouiensis, cùm sint pro particularibus monasteriis, edita, vt notat Ioan. à Matre Dei *super dictum priuilegium Gregorij XV.* non esse contraria priuilegio Clementis V. de quo in præsenti.

Alia dicam infra in hoc eodem Mari magno *circa* §.79. vbi priuilegium hoc Clementis V. declaratur, & extenditur à Sixto IV. Vide & Rotæ decisionem coram Palæoto anno 1559. in vna Cæsaraugustana *Erectionis Capellæ.* 228.

Circa §.26.

BVlla Pij II. hoc loco relata fauorabilis satis est pro reformatione introducenda, & conseruanda in nostris Monasteriis. Primo enim Generali, ac Prouincialibus Prioribus committit, & mandat, vt omnes sibi subditos iuxta Regularia instituta reformare procurent. Deinde monet, & hortatur omnes locorum Ordinarios, ac dominos, temporales, vt efficacis fauoris præsidium, quoties opus fuerit; & requisiti sint, illis præbeant. Præcipit etiam sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, & à solo Papa relaxanda, omnibus tam Religiosis nostris quàm quibuscunque aliis Ecclesiasticis, seu secularibus personis, nè reformationi prædictæ quouis quæsito colore se opponere, aut illam impedire præsumant. Circa quæ, vtpote valde Ordini necessaria, aliqua animaduertenda. 229.

Et primò quidem tam huiusmodi Papam Pium, quàm Paulum secundum §. *sequenti* referendum, & generaliter omnes, maximos esse zelatores reformationis Regularium, eo quòd maximè quoque necessarium sit Regulares ipsos reformatè viuere, prout ex variis fundamentis comprobaui *in Opere de reformatione Regularium cap.* 1. *&* 2. plura præcipuè testimonia tum SS. Patrum, tum grauissimorum aliorum Authorum referens, 230.

quibus acerrimis etiam verbis contra non reformatos Religiosos inuehuntur. De qua etiam materia post me scripsit Ioannes Eusebius *in doctrinis Asceticis, lib. 1. doctr. 4. cap. 36. & lib. 3. doct. 8. cap. 61. 63. 64. 65. & seqq. & lib. 6. doctr. 5. fermè per totum.* Deinde circa id quod præcipit Pontifex Generali, & Prouincialibus, vt iuxta officiorum suorum exigentiam omnes Ordinis professores reformare procurent, consulenda sunt, quæ dixi *tomo 4. verbo Reformati Regulares, num. 3.* conformiter ad doctrinam Concil. Trident. *sess. 25. de Regularibus, cap. 1.* Constitutionem Sixti IV. eo loco relatam, vbi etiam de aliis locis Summæ, in quibus de iis egi. Consonant etiam Decreta *pro Reformatione Regularium* sub Clemente VIII. & Vrbano VIII. quæ sæpius retuli.

231. Quoad secundum de exhortatione, qua Pontifex monet Dominos Ordinarios, vt efficacis fauoris præsidio assistant Prælatis Ordinis ad reformationem ipsius, nota iure optimo id facere Pontificem. Primò quidem, quia Religiosi Mendicantes sunt cooperatores Prælatorum Ecclesiæ, prout his verbis determinat Clemens V. *Clem. Dudum de sepulturis*, ex Concilio Viennensi. *Eos in prædicationis officio, & propositionibus verbi Dei, ac in omnibus aliis supradictis, tanquam cooperatores eorum idoneos, & laborum suorum participes prompta benignitate recipiant.* Et ex hoc textu colligunt communiter Doctores, specialiter Rodriguez *tomo 3. quæst. Regular. quæst. 31. art. 4. §. quod ego.* Fauet etiam *cap. inter cætera de offic. iudic. Ordin. in fin.* Si autem Prælatorum Ecclesiæ Mendicantes cooperatores sunt, iure optimo ab illis fauoris præsidium, in iis præsertim, quæ ad ipsorum Religionum reformationem spectāt, obtinere debent. Secundò, ex Concilio Tridentino *sess. 25. de Regularibus, cap. 22.* vbi Episcopi constituuntur executores eorum, quæ præcipiuntur in Concil. ipso, quorum vnum est, *cap. 1. eiusdem sess.* vt vetus, & Regularis disciplina, *vbi collapsa est, instauretur.* Ad Episcopos ergo pertinet in hac causa adiuuare Prælatos Religionum.

232. Quod verò etiam ad hoc exhortetur Pontifex dominos temporales, seu Principes sæculares, etiam est valde consonum rationi. Tum quia iure communi Ecclesiastici implorare possunt auxilium brachij sæcularis *cap. 1. de offic. Ordinar. cap. dilecto de sent. excommunicat. 6.* Concil. Trident. *sess. 25. de Regularibus, cap. 5.* dum sermo est de clausura Monialium. De quo Menochius *de arbit. casu 452. num. 4.* Stephanus Gratianus *disceptat. forens. cap. 66. num. 8. cum sequentibus*, & alij apud Barbosam *de offic. & potestat. Episcop. allegat. 107. num. 24.* Imo ad id possunt sæculares compelli. Menochius *ibidem*, Farinacius *in praxi criminal. quæst. 97. num. 82.* & plures apud relatum Barbosam *num. 25.* & in sequentibus, an ad hoc faciendum causæ cognitio dari debeat sæcularibus. Tum etiam ex Concilio Trident. *dict. sess. 25. de Regul. cap. 22.* vbi hæc: *Hortatur etiam S. Synodus omnes Reges, Principes, Respublicas, & Magistratus, & in virtute S. Obedientiæ præcipit, vt velint prædictis Episcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & cæteris præfectis in superius contentæ reformationis executione suum auxilium, & authoritatem interponere, quoties fuerint requisiti.* Cùm autem inter illa, quæ Concilium præcipit, vnum sit de *Regulari disciplina instauranda*, ita vt *Omnes Regulares tam viri, quàm mulieres ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptam vitam instituant, & componant, atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, aut obedientiæ, paupertatis, castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum respectiuè essentiam, necnon ad communem vitam, victum, & vestitum obseruanda, pertinentia fideliter obseruent*, prout habetur in eodem Concilio *dicta sess. 25. cap. 1.* ideo ad tale auxilium præstandum tenentur dicti domini temporales, quando requisiti fuerint à Prælatis Regularibus suas Religiones reformare volentibus. Vide dicta *3. tomo, verbo Clausula, num. 39.* circa clausulam illam *Inuocato, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.*

Quoad tertium verò de excommunicatione latæ sententiæ fulminata ab hoc Pontifice contra eos, qui reformationi se opponunt, aut illam impediunt, nota primò, illam comprehendere omnes, & quoscunque Religiosos nostri Ordinis, & omnes etiam extraneos, siue Ecclesiastici sint, siue sæculares, vt patet illis verbis Bullæ: *Vniuersis, & singulis, tam professoribus prædictis, quàm aliis quibuscunque Ecclesiasticis, & sæcularibus personis, cuiuscunque dignitatis, gradus, status, ordinis, vel conditionis existant.* Nota tamen secundò, illam non incurri nisi ab illis, qui id fecerint ex dolo, vel malitia, non ex ignorantia. Hanc etiam vim habet verbum *præsumat*, quo vtitur Pontifex, iuxta dicta *tom. 1. cap. 10. num. 33.* Circa illud verbum *se opponere.* Nota tertiò, per illud denotari hanc excommunicationem incurri ab illo, qui contra reformationem dictis, vel factis contrarium se ostenderit. Verbum enim *oppono* idem est, vt ait Calepinus, ac *contrapono.* De verbo illo *impedire*, quid denotetur per ipsum, quamuis multa dici possent, consulendi tamen sunt Caëtanus, Graffius, Vgolinus, Duardus, Alterius, Bonacina, & alij Expositores Bullæ Cœnæ Domini, dum simile verbum sæpius in ea Bulla repetitum explicant, & exponunt. Nota præterea, quod quamuis dicta excommunicatio sit Papæ reseruata, nihilominus ab ea absoluere possunt Prælati nostri propter priuilegia Ordinis, quorum plura retuli *tom. 1. cap. 18. à num. 31.* Nota demum excommunicationem istam semper perseuerare non solum, quia verba Papæ generalia sunt, & comprehendentia statum Ordinis, qui eo tempore erat, sed eum, qui poterat esse in futurum; sed etiam quia ita intellecta est huiusmodi excommunicatio in nostris Constitutionibus *parte 3. cap. 2. §. 4.* illis verbis: *Item quicunque Prælatis, quouis quæsito colore, impedimentum tribuunt, aut procurant, quo minus corrigere insolentes, & reformare loca nostra valeant, incurrunt sententiam excommunicationis, auctoritate Pij Papæ II. à qua donec resipiscant, non valent absolui, nisi per Summum Pontificem.* Item *part. 5. cap. 11. §. 4.* dum est sermo de casibus, in quibus incurritur sententia excommunicationis ipso facto, dum dicitur: *Si impedierit correctionem regularem, & reformationem Conuentuum, & hoc per indultum Pij Papæ II.* 233.

Pro modo autem, quo facienda est huiusmodi reformatio, & authoritate Prælatorum ad illam faciendam, vide Rodriguez. *tomo 2. quæst. Regular. quæst. 73. per tot.* & dicenda infra. *circa § sequentem*, ac in Mari magno Seruitarum *circa §. 59.* 234.

Circa §. 27.

AD promotionem reformationis, quam piissimus Generalis nostri Ordinis Io. Soreth procurabat, hanc Bul. Pauli II. hoc loco relatam impetrauit, in qua Pontifex confirmat primò decretum, seu 235.

seu statutum, in aliquibus Capitulis editum, in quo cauebatur, ne Prouinciales, aut Capitulum prouinciale possent pro suo libito præficere Priores pro Conuentibus reformatis, vel eos amouere; sed quos elegissent, confirmare tenerentur; nec etiam possent Fratres dictorum Conuentuum extraponere, aut alios in ipsis collocare. Secundò, confirmat excommunicationem contra impedientes reformationem à Pio II. latam, de qua §. *præcedenti*. Adiicit tertiò, quod nullus Prouincialis possit Conuentus reformatos visitare per Vicarium, sed personaliter cum socio etiam reformato, taxam aliquam illis imponere vltra consuetam. Item adiicit, quòd Priores Conuentuum reformatorum promittant fideliter obseruare, & obseruari facere Regulam Ordinis secundum Eugenianam mitigationem; alioquin à suis officiis deponantur. Addit quoque, vt Conuentus reformati seruatis præmissis conditionibus sub obedientia Prouincialium perseuerent, & quod Vicarius cuiuscunque hoc impedire non præsumat. Circa quæ præter dicta *tom. 4. verbo Reformati regulares n. 5. & 6* alia addenda in præsenti.

236. Et primò quidem, circa primum de Prioribus Conuentuum reformatorum non promouendis nisi per electionem Fratrum ipsorum Conuentuum, nota, id non solùm esse conformare Iuri communi, propter plura iura statuentia, quod Prælati eligantur à subditis Monasteriorum, quibus præficiuntur, quorum aliqua retuli *tom. 4. in Religione cuiusdam capituli num. 86.* & alia refert Barbosa *in collect. Doctor. supra c. 1. de elect.* sed etiam Regulæ nostræ *cap. 1. ipsius*, iuxta dicta supra in eius expositione; præsertim, cum in ea dicitur: *Vnum ex vobis Priorem habeatis, qui ex vnamini omnium assensu, vel maioris, & sanioris partis ad hoc officium eligatur.* Est quoque conforme constitutionibus tam nouis, quàm antiquis; vbi licet Diffinitorio Capituli prouincialis conceditur facultas eligendi Priores in Conuentibus Prioribus carentibus, excipiuntur tamen Conuentus reformati, vt patet in constitutionibus Sorethanis *p. 5.* dum est sermo de Capitulo prouinciali *cap. 10. n. 1.* & Constitutionibus Canalis *p. 4. cap. 19. num. 1. & p. 2. cap. 2. num. 4.* Quod etiam insinuatur in Constitutionibus Caffardi *p. 4. cap. 19. num. 1.* Nota tamen hoc priuilegium videri cessare, in casu, quo tota Prouincia reformata esset; tunc enim cum tam Prouincialis, quam Diffinitores Capituli essent ex Reformatis, proculdubio non nisi Reformatos Priores eligerent pro Conuentibus Reformatis, quod est intentum Summi Pontificis, & Religionis in hoc decreto. Licet etiam tunc, quantum fieri posset, standum esse iuri communi, quo electio Priorum conceditur Monasteriis ipsis. Maximè notandum, præcipuam causam, propter quam dictum decretum à Religione editum fuit, & ab hoc Pontifice confirmatum, illam videri esse, vt Conuentus Reformati haberent etiam semper Priorem Reformatum. Quod est conforme non solùm Regulæ in verbis illis relatis *c. 1.* scilicet, *vnum ex vobis*, id est, similem vobis, vt exponit Gratianus noster *in Discipl. Regul. super hunc locum*, sed etiam iuri communi, *Clem. 1. de elect. c. cum causam, de elect.* vbi dicitur, non esse in boue, & asino arandum, idest, vt Glossa exponit, quod homines diuersæ professionis non sunt sociandi, de quo etiam *cap. in noua actione 16. quæst. 7. & cap. diuersis fallaciis, de cleric. coniungat.* vbi dicitur quod male conueniunt citharæ cum psalterio.

Ex eo etiam, quod Pontifex Paulus confirmet in hac Bulla excommunicationem à Pio impositam contra eos, qui se opponunt Reformationi, aut illam impediunt, de qua *in §. præcedenti*, est dictum, præsertim, addat illa verba: *Conuentus hactenus reformati, aut etiam, qui in posterum reformabuntur.* Et illa: *Tam in Conuentibus reformatis prædictis, quam de cætero reformandis*, ac illa: *Vt Prouinciales ad plantandum in dictis Ordinis Conuentibus, suisque Prouinciis, confouendamque Regularem obseruantiam per amplius animentur*, &c. colligitur id quod etiam dictum est *circa §. præcedentem*, scilicet hanc excommunicationem esse perpetuam, & respicere tam statum illius temporis, quàm futuri.

Merito etiam statuit Pontifex in hac Bulla, ne Prouincialis possit visitare Conuentus Reformatos nisi per se ipsum, tum quia hoc pertinet ad maiorem authoritatem illorum conseruandam; tum quia maior confidentia haberi debet in negotio reformationis Conuentuum de Prouinciali, ad quem iure communi id spectat, quàm de alio quocunque. Statuit quoque quod Prouincialis non visitet dictos Conuentus Reformatos nisi cum socio etiam reformato, tum vt adiuuet illum in negotio reformationis, tum quoque, vt impediat si forsan aliquid contra bonum illius moliri prætendat. Hæc porro omnia in eo fundantur, quod Prælatorum, seu Visitatorum munus præcipuum est bonum spirituale subditorum procurare. De quo sanè ex Sacra Scriptura, Patribus, Doctoribus, & Philosophis, Peirinis *tom. 2. de Prælato quæst. 1. cap. 7.* 238.

Ex eo quoque, quod Pontifex hic statuit, ne Conuentibus reformatis aliqua taxa imponatur præter solitam, approbari videtur consuetudo tam nostræ, quàm aliarum Religionum, vt scilicet Prouincialibus, vel Visitatoribus, aliqua taxa, vel quota pecuniarum designetur. Non quidem ad eos ditandos, sed pro expensis itineris, communibusque ipsorum necessitatibus. De quo *cap. Romani de censibus §. procurationes in 6. cap. si Episcopus, de offic. Ordinar. etiam in 6.* Surdus *de aliment. tit. 4. q. 22.* Azor *tom. 2. Instit. moral. lib. 3. c. 42. q. 9.* Zerola *in prax. p. 2. verbo Visitatio §. 6.* Obiter tamen nota, quod si Prælatus v. g. Generalis, vel Prouincialis non visitat, sed tantummodo mittit Visitatorem, non potest talis Prælatus accipere à visitatis dictam ratam, vel quotam. Ita enim habetur *ex d. capitulo si Episcopus, & capit. relata est 10. q. 1.* vbi reprehenduntur quidam Episopi, qui non visitantes suas diœceses pecunias aliquas postulabant. Peirinis *in Formular. littera P. cap. 9. num. 2. & tom. 1. priuileg. Minim. in Constitution. 14. Leon. X. num. 10.* vbi etiam, quid dicendum, quando talis Prælatus, Generalis videlicet, haberet aliquos redditus ab Ordine, & in quibus tales redditus sint expendendi. 239.

Circa promissionem, quam Pontifex in hac Bulla fieri vult à Prioribus Conuentuum reformatorum, scilicet de obseruanda, & obseruari facienda Regula nostra secundum Eugenij mitigationem, nota, quòd cum ibi non declaret Pontifex hanc promissionem debere esse voto, vel iuramentum necessarium non videri, sed sufficere simplicem promissionem ex fidelitate obligantem. Pro huius autem promissionis transgressione, quanta videlicet sit, an venialis, an etiam mortalis, nota, quod licet loquendo de obligatione simplicis promissionis sint variæ sententiæ Doctorum; quibus- 240.

dam

dam asserentibus solum esse sub veniali culpa, quos refert Diana *tom. 1. p. 2. tract. 3. Miscellan. resol. 9. & tom. 3. tract. 4. Miscellan. resol. 122.* aliis dicentibus esse sub mortali, quos refert Diana *supra*, & Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 5. num. 20.* quibus iunge Candidum *tom. 2. disquisit. Moral. 26. art. 16. dub. 2. concl. 4.* referentem Armillam, Syluestrum, Lopez, Sayrum, & Salonem; aliis vero dicentibus id pendere ex animo promittentis, ita vt si ex iustitia se velit obligare, transgressio promissionis sit mortalis, sin verò solum ex fidelitate, sit venialis, provt nouissimè ex Molina, & Lessio tenet Cardinalis Lugo *tom. 2. de iust. & iur. disp. 23 sect. 6. num. 90.* de qua controuersia alibi; nihilominus quia hæc promissio respicit honorem Dei, & magnum bonum communitatis, cuius valde interest, quod adimpleatur, ideo Prior negligens notabiliter in ipsius adimpletione, & obseruantia dictæ Regulæ grauiter sine dubio peccabit, & sæpius mortaliter. Cuius signum est pœna, quam Pontifex statuit contra illum, scilicet, quod debeat deponi ab officio sub censuris, & pœnis contra impedientes reformationem latis, quarum vna est excommunicatio maior, vt dictum est.

240. Quid vero intelligat Pontifex in hoc ptiuilegio, dum loquitur de permanentia Conuentuum Reformatorum sub obedientia Prouincialium dicens: *Nec Vicarius cuiuscunque hoc impedire præsumat*, dubitari potest. Et primo dicendum intelligi debere de Vicario generali, hic enim solus potest circa subiectam materiam intelligi, cum ipse sit supra Prouinciales. Adde, quod Ioannes Maria de Nouario, qui huic Mari magno Indicem, seu Repertorium adiunxit, *in verbo Reformatos Conuentus*; ea verba intelligi etiam de Vicario Apostolico. Dicit enim: *Nec Vicarius cuiuscunque personæ sit, etiamsi haberet Bullam Apostolicam gratia visitandi dictos Conuentus.* Quod est notabile priuilegium, & satis fauorabile reformationi.

241. Quia tamen in præfata Bulla Pauli Secundi, & sæpius in Ordine nostro fit memoria de quadam Bulla Callisti Tertij, in fauorem reformationis, data sub anno Incarnationis 1457. Idibus Aprilis, & ea non facile reperitur, nisi in Conuentu nostro Mechliniensi in vetusto libro scripto manu Ioannis Palæonydori Ordinis Historio graphi, vnde nouissiè ad me his diebus Dei speciali prouidentia à viro graui nostræ Religionis est transmissa, aliqua in ipsa contentu ad intentum spectantia hoc loco transcribi decreui in Reformatorum gratiam. *Pro parte vestra nobis exhibita petitio continebat, quod alias, videlicet in proximo Capitulo Generali, per vos in Ciuitate Parisiensi celebrato pro statu prospero, & felici dicti Ordinis, & quiete vestra inter alia statuistis, & ordinastis, quod Fratres dicti vestri Ordinis, qui de Obseruantia appellantur, in domibus, quas de præsenti habere noscuntur, & in posterum, largiente Domino, poterunt adipisci, per canonicam electionem Priores suos locales assumere possint, & debeant, ac eosdem Priores, vt præfertur, electos, Prouinciale Capitulum, vel Prior Prouincialis secundum morem dicti Ordinis pro tempore existens teneantur sine difficultate aliqua confirmare, ita quod alios præter electos nequeant, iisdem Fratribus inuitis, præficere in Priores; quod nullus ex Fratribus Obseruantiæ dicti ordinis per aliquem Prouincialem Priorem à domibus, seu Conuentibus huiusmodi amoueri, seu in eos, quouis modo intromitti valeat, nisi de Prioris, & Conuentus, domus huiusmodi expresso consensu; ipsique Priores, & Conuentus sub Regulari obseruantia viuentes quoscunque dicti ordinis; Fratres conuentuales, siue de laxiori vita ad huiusmodi Obseruantiam Regularem transire, & vnà cum iisdem Obseruantibus Altissimo famulari cupientes, recipere, ac retinere possint, nec obstante quacunque pœna à dicto Ordine imposita pro quocunque delicto, à qua Obseruantia si recedant, sub dicta regulari Obseruantia non perseuerantes, eo ipso incidant in eandem, necnon alia salubria, & honestas Ordinationes, & statuta fauorem vitæ Regulares huiusmodi, augmentum diuini cultus, ac etiam animarum salutem concernentia edidistis. Quare pro vestra parte fuit nobis humiliter supplicatum, vt tam præmissis, quam aliis quibuscunque huiusmodi ordinationibus, & statutis per vos insimilibus Capitulis robur Apostolicæ confirmationis adiicere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, ordinationes, & statuta prædicta, dummodo rationabilia sint, & canonica, authoritate Apostolica tenore præsentium ratificamus, confirmamus, & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus; si qui forsan interuenerint in eisdem. Nulli ergo hominum liceat, &c.*

Circa, quod priuilegium Callisti, prærer notata in Superioribus, vlterius animaduertendum, ex eo haberi, quod si Religiosi viuentes in Conuentibus non reformatis commisissent aliqua delicta, propter quæ pœnam aliquam ab Ordine impositam sustinere deberent, eo ipso, quod transeunt ad Conuentus Reformatos, talis pœna eis remittitur omnino: nisi fortè ab illis Conuentibus reformatis recedant, quia tunc incidunt de nouo in eandem pœnam. Quod est magnum priuilegium præfatorum Conuentuum, quia videntur æstimari quasi asylus, & locus sacer vel refugium delinquentium in Ordine. 243.

Dubitari autem potest circa statuta in his Bullis Callisti, & Pauli contenta an Religio possit illa alterare, seu mutare, in alio videlicet Capitulo Generali habente tantam authoritatem sicut & Parisiense, vbi edita fuerunt. Quia tamen de hoc puncto deque simili confirmatione staturorum dixi *tom. 1. cap. 8. num. 22.* & plura dicam infra in Mari magno Seruitarum *circa §. 5. & 25.* ideo ad ipsa me remitto. Illud tamen prætereundum non est, quod statuta illa posita in Bulla Pauli Secundi, ab illis verbis *Adiicientes nihilominus ad præmissa*, &c. scilicet de Conuentibus Reformatis non visitandis nisi per Prouincialem, de non soluenda ab illis taxa aliqua vltra ordinariam, de promissione facienda à Priore dictorum Conuentuum, quod obseruabit Regulam secundum Eugenij mitigationem, & de dictis Conuentibus permansuris sub obedientia Prouincialis, qui eos reformauit, cum sint statuta mere Papalia, à solo Papa, & à Religione edita, mutari, aut alterari non possint ab ipsa Religione, iuxta communem Doctorum sententiam, & axioma illud iuris *Inferior non potest tollere legem Superioris.* De quo axiomate *l. formam C. de offic. præfect. cap. cum inferior de maioritate, & Obedient. Clem. ne Romani de elect.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. glossa 45. §. 1. num. 69.* & alij plures apud Barbosam *in tract. de Axiomat. iur. Axiom. 124. n. 1. & seqq.* 244.

Circa § 28.

PRiuilegium Alexandri IV. hoc loco contentum, de facultate concessa Prælatis Ordinis ad excommunicandum, capiendum, ligandum, & incarceran 245.

incarcerandum Apostatas, & insolentes, simile est aliis concessis Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 23. & Minoribus in eorum etiam Mari magno §. 23. vnde dicta eo loco ad intentum deseruiunt. Plura quoque in sequentibus de ea re dicentur, præsertim *circa* §. 31. vbi priuilegium aliud Pij II. ad puniendum, carcerandum, & torquendum flagitiosos Religiosos habetur, & *circa* §. 74. *&* 92. vbi alia etiam priuilegia Sixti IV. pro eadem materia referemus. Alia etiam in Mari magno Seruitarum *circa* §. 34.

Circa §. 29.

243. Tria conceduntur ab eodem Alexandro IV. in priuilegio Generali, & Prouincialibus, pro tempore existentibus. Primum est, facultas exercendi officium visitationis cum libero ingressu, & exitu in Ecclesiis, & domibus, nostri Ordinis. Secundum, facultas ad mutandum Fratres. Tertium ad recipiendum Nouitios. De primo, scilicet facultate visitandi, dicendum, quod cum ea competat iure communi omnibus Prælatis Ordinariis, prout habetur ex *cap. fin. de stat. Monach. cap. mandamus de offic. Archidiacon. cap. Episcopum, & cap. decreuimus 10. quæst. 1.* ac aliis iuribus, quæ retuli *tomo 4. verbo Visitator Regularis, numero 2.* ideo facultas hæc non tam videtur priuilegium, quàm declaratio iuris communis. Hinc consequenter eo loco *numero 5.* dixi Generales, & Prouinciales teneri iure naturali, & diuino visitare Monasteria sibi subiecta, per seipsos quidem, si impediti non fuerint, alioquin per alios. Ita vt omittere personalem visitationem ex otiositate, aut negligentia videatur peccatum mortale. Plura etiam spectantia ad Visitatores Regulares habes ex dictis eo *verbo Visitator Regularis per totum, & tom. 2. cap. 13. & tom. 3. verb. Commissarius, & t. 4. v. Mandatum, & v. Vicarius Religionum.*

244. Clausula illa *Cum libero ingressu, & exitu* denotat etiam absolutam, & independentem authoritatem, quàm Generalis, aut Prouinciales habent ad talem visitationem faciendam. Prout colligitur ex Panormitano *cap. si pro debilitate n. 5.* Decio *n. 45. & 46. de offic. deleg. cap. 2. de locato cap. statuimus de Regularibus, cap. cum plures de offic. deleg. in sexto.* & aliis iuribus ac Doctoribus loquentibus de dictione *liberè*, quos refert, & sequitur Barbosa *in tract. de dictionibus dict. 199. n. 2.* Denotat etiam ea clausula talem visitationem faciendam à prædictis Prælatis sine impedimento, contradictione, onere, grauamine, vel obstaculo, aut vlla diminutione, vt in *Clem. fin. de ætate, & qualit. & in cap. 1. in princip. verbo Liberè de reg. Iuris, lib. 6. & in cap. cum Episcopus, verbo Liberè, de offic. Ordin. eod. lib.* Notant Glossa *verbo Liberè in dicta Clement. dudum.* Alex. *cons. 214. num. 4. vol. 6.* Roland. *cons. 42. num. 18.* Nauar. *530. num. 10 volum. 3.* Paris. *cons. 81. n. 3. l. 3.*

245. Curt. *iun cons. 2. n. 3.* & alij apud Barbosam *supra n. 3.* De facultate etiam mutandi Fratres de vno loco ad alium, de qua Pontifex in hac Bulla, dici etiam potest non continere priuilegium, sed ius commune, iuxta dicta *tom. 1. cap. 18. num. 91.* Idque colligitur, iuxta, ibid. dicta, ex authoritate quasi Episcopali, quam Prælati habent in subditos. De quo etiam Nauarrus *com. n. 4. de Regul. num. 22. & l. 1. de constit. cons. 9. num. 11.* & Peirinis *tom. 1. de subdito, quæst. 1. cap. 12.* Dixi autem eo *n. 91.* Prælatos non debere vti hac facultate (intellige contra voluntatem, aut vtilitatem, subditorum) sine rationabili causa, quia hoc esset contra charitatem, & bonam regimen Religionis. De quo Nauarrus *supra*, Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 23. art. 3.* & Peirinis *supra.* Qui etiam addunt, iuxta dicta ibidem, Religiosum sine causa mutatum de vno loco ad alium habere propterea iustam causam recurrendi ad Sanctissimum, vel Dominum Protectorem. Quod intelligo, quando certò constat nullam causam habere Superiorem in tali mutatione subditi. Quomodo autem Religiosi sic mutati teneantur obedire suis Superioribus eos mutantibus, saltem quando res est dubia, an scilicet subsistat, vel non causa rationabilis talis mutationis dixi, eo *num. 91.*
De quo etiam Peirinis *supra.* 246.

Circa hanc tamen facultatem nota, quoad Generalem esse satis vniuersalem, & ita receptam in Religione, vt patet ex *p. 2. constitut. c. 1. §. 1.* illis verbis: *De Prouincia ad Prouinciam, & de Conuentu ad Conuentum Fratres transferre liberè potest sine contradictione cuiuscunque.* Quoad Prouinciales verò limitata videtur in eisdem *constitut. part. 4. cap. 23. numero secundo.* Cùm enim ibi præcipiatur, quod nullus Frater, qui non habuerit ad minus sex menses conuentualitatis in aliquo Conuentu, habeat vocem siue actiuam, siue passiuam in electione in ipso facienda, consequenter limitatur authoritas Prouincialis, vt non possit intra sex menses, antequam Capitulum Prouinciale celebrandum sit, mutare Fratres vocem habentes ex vno Conuentu ad alium. De quo circa similem Constitutionem, quam ex Clemente VIII. habent Minimi, latè tractat Peirinis *de priuilegiis Minimorum circa constitutionem secundam Clementis VIII. §. 2. num. 6. & seqq.*

De facultate hic etiam concessa ab hoc Pontifice ad recipiendum Nouitios idem dici potest, scilicet eam competere Prælatis Regularibus iure communi, iuxta dicta *tom. 1. cap. 18 num. 66. & tom. 4. verbo Nouitij, & Nouitia, num. 2. ac verbo Prælat. Regul. num. 9.* Quibus etiam locis, maximè *tom. 1. cap. 24.* plura dixi spectantia ad Nouitiorum receptionem; aliqua etiam *supra*, in Mari magno Eremitarum sancti Augustini *circa* §. 14. dicta sunt, dum de simili priuilegio eisdem Eremitis concesso agerem. Alia etiam in sequentibus. Specialiter tamen notandum, quod cùm iuxta dicta iisdem locis, recipere Nouitios non pertineat ad Prælatos, nisi simul consentientibus Conuentibus, in quibus recipiuntur; ideo dubitari potest, an facultas hoc loco concessa Generali, & Prouincialibus ad recipiendum Nouitios intelligenda sit eodem modo, scilicet cum consensu Conuentuum. Et quidem, quod attinet ad Generalem, tam ex constitutionibus antiquis, quàm modernis in *cap. de Officio Generalis*, constat id facere posse *sine assensu cuiuscunque*, vt ibi dicitur. Quia tamen hæc clausula non ponitur in dictis constitutionibus, dum est sermo de officio Prouincialis, ideo videtur dicendum, Prouinciales non posse id facere sine consensu Monasteriorum, cùm hoc sit de iure communi, vt locis relatis dictum est. Et certa sit Regula, quam affert Rota in vna Tullensi *Monasterij* inter recent. *part. 1. dec. 234. num. 8.* quod quælibet dispositio recipit interpretationem passiuam à iure communi. Anchar. *cons. 6. n 8.* Butr. Abb. Dec. & alij *in c. causam quæ, de rescr.* Roman. *cons. 320. n. 4.* Alex. *cons. 46. n. 3. lib. 6.* Angel. Aret. *cons. 95. n. 12. & seq.* Cald *cons. 12. de const. & cons. 2. n. 2. de rescr.* Ruin. *123. n. 12. vers. vbi enim, vol. 2.* Maximè quando agitur de præiudicio tertij, cui nulla cadit verisimilitudo, quod Princeps maximè Ecclesiasticus intendat

dat derogare. *cap.Super eo*, vbi Glossa *in verbo Intentionis*, Butr.*n*.8. Hostien.*n*.4. Ægid.*n*.2. *de offic. de leg.cap. licet de offic. Ordin.* Felin. *in cap. causam quæ,num.6. de rescript.* Roman. *consf.*334. *n*.2. Abb. *cons.*101.*num.2.ver.moueor.*1.*part.*1.

Circa §.30.

248. Continetur hoc loco priuilegium aliud eiusdem Alexandri IV. quo Ordini nostro concedit, quod Prior Generalis, eo ipso quod secundum Regulam, & Constitutiones Ordinis electus est, curam gerat animarum Frattum, eosque ligate, & absoluere possit, ac agere alia, quæ iuxta Regulam, & Constitutiones viderit expedire. Fratres etiam teneantur eidem obedire, & ipse Generalis possit à Diffinitoribus Capituli generalis secundùm Ordinis Constitutiones absolui, & amoueri.

249. Pro quibus nota simile priuilegium, quod attinet ad electionem Generalis, magis declaratum, & confirmatum fuisse à Sixto IV. infra §.68. Haberi etiam pro Prædicatoribus in ipsorum Mari magno §.1.2 *&* 3. & pro Minotibus in eorum etiam Mari magno §.1. & pto Eremitis sancti Augustini similiter in ipsorum Mari magno §. 49. Præter dicta autem eis locis, quæ etiam ad hoc intentum deseruiunt, vlterius notandum, Generalem Ordinis nostri, quamuis iuxta præfatum priuilegium absolui possit ab officio, hoc tamen fieri non posse, nisi in Capitulo generali, & à diffinitoribus generalibus, iuxta modum præscriptum in nostris Constitutionibus *part*.4. *cap*.5.*num*.1. vbi sic inter alia: *Deinde præsidente Diffinitore illius prouinciæ, in qua Capitulum celebratur, diligenter audiant Diffinitores culpas Prioris Generalis, quibus auditis determinent, an in officio sit permittendus, vel ab eo absoluendus: declarantes, quod excessus, propter quos Generalis est absoluendus, sunt quatuor, videlicet pro hæresi, pro incorrigibilitate, pro peccato notorio, quod sine scandalo Ordinis non possit tolerari, vltimo, si omnino sit inutilis.*

250. Pro quibus etiam animaduertendum, primò quidem, quod cùm in his Constitutionibus detur facultas Diffinitoribus Generalibus absoluendi, vel deponendi Generalem pro hæresi, non sic est id accipiendum, quasi (hoc tempote ad minus) possint iudicare ipsum de causa hæresis. Constat enim ex dictis *tomo* 1.*cap*.18. *num*.18. *&* *tom*.3.*verbo Hæresis, & Hæreticus nu*.1. propter Constitutionem Pauli V. ibi relatam, hæresis causam solum pertinere ad S.Officium Inquisitionis; & illi denunciari debere omnes, & quoscunque hæreticos, seu de hæresi suspectos, facultatibus in contrarium reuocatis, Generales ergo hæretici, vel de hæresi suspecti denunciari debent S. Officio, etiam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ propter edictum eiusdem S.Inquisitionis, de quo eo loco dixi, & per extensum retuli *t*.3.*v.Accusare, & accusator, num*.7. Qui autẽ sint censendi hæretici, vel de hæresi suspecti, habes ex dictis eo *v.hæresis, & hæreticus, n*.2. *& seq.* Quomodo etiam recurrentes ad S.officium, vel in eo testimonium veritati perhibentes non possint à Superioribus suis per quinquennium inquietari, seu molestari, inconsultis Dominis Inquisitoribus constat ex decreto Pij V. quod *d.c.*18. *n.* 18. retuli. Quod etiam habetur per extensum apud Barbos.*in Sum.Apost.dec. v. Inquisitionis S.officium.* Facultas ergo hoc loco Constitutionum nostrarum Diffiniroribus concessa ad deponendum Generalem pro delicto hæresis, solum subsistere videtur hoc tempore, quantum ad hoc, quod si Generalis iudicatus, & declaratus esset ab Inquisitoribus in hæresim incurrisse, posset tunc à Diffinitoribus deponi, etiam casu, quo ab Inquisitoribus depositus non esset, illis maximè consentientibus.

Circa incorrigibilitatem, pro qua etiam Constitutiones declarant posse Generalem deponi, nota, quòd, iuxta dicta *t*.1.*c*.23.*n*.2. cùm ad hoc, quod 251.
aliquis sit, & cẽseatur incorrigibilis, tria iure communi requirantur, scilicet, quod crimina grauia sæpius commiserit; quod monitus sæpe non destiterit; & quod pœnitentiam pro illis non acceptauerit; ideo hæc tria etiam requirentur, vt Generalis sit, aut censeatur incorrigibilis. Crimina autem grauia videntur esse peccata contra honestatem commissa, rapinæ seu furta de bonis Religionis; sæuitia, aut crudelitas in subditos; ebrietas, aut similia. Vt autem dicatur sæpius ea commisisse, aut ab eis monitum non destitisse sufficit, quòd ter id contigerit. *Argum.cap.contig.*2.*de sentent.excommunicat, & c. const.eod.tit. in* 6. Hostiensis *in c.cùm in Eccles.de maioritate, & obedien.* Peirinis *t*.1. *de subdito,q*.1.*c*.25.§.*hic solum.* Iuxta Rotam etiam in vna Tullensi *Monasterij* inter recentiores *part*. 1. *dec*. 234.*n*.12. Prælati Regularis incorrigibilitas in eo consistit, vel quod non obstantibus monitionibus fuerit solitus ad eosdem defectus reuerti, Abb.*in c. cùm non ab homine, n*.30. *vers. quæro qualiter, & ibi Butr.n*.22. Dec.*n*.78. *de Iud.* vel quod pertinaciter conetur sustinere culpam, verè non esse culpam. Card.Iacob. *de Conc.lib*.4.*cap*.4.*n*.8. Sigismundus de Bononia *de electione Prelatorum dub*.102. Samuellius *de electione canonica, tract*.3. *controu*.3. *concl*.3. Quid verò denotetur in constitutionibus relatis per *peccatum notorium* collige ex dictis 4.*tom. verb. Notorium.* Quæ etiam sufficiant ad hoc, quod dicatur Generalis insufficiens, seu inutilis ad munus, quod gerit, habes ex dictis supra in Mari magno Minor.circa §. 1. Nota tamen, quod quamuis in dictis Constitutionibus ad deponendum Generalem necessariò requiratur, quod id fiat in capitulo generali, & à Diffinitoribus ipsius; nihilominus tamen, si vel capitulum generale celebrandum non esset, vel ipse Generalis congregare illud nollet, tunc possent Religiosi præsertim grauiores Religionis ad Sedem Apostolicam recurrere vt de opportuno remedio prouideret. Sigismundus, & Samuellius *supra.* Cæterum, quantum fieri potest, cauendum piis Religiosis, ne similes sint Cham patri Chanaam, qui *Gen*.9. Noë patris verenda nudata esse aliis nuntiauit, prout monet sanctus Gregorius *lib*.25. *Moral. cap*.22. & suo exemplo docuit Constantinus Imperator, dum chartas accusationum contra Episcopos sibi oblatas igne combussit, vt refert Theodor.*lib*.1.*Hist.*

Circa §. 31.

Hoc loco continetur Bulla Pij II. qua ad reprimendum dyscolos, & proteruos Religio- 252.
sos, concedit Generali, & Prouincialibus facultatem ad eos per locorum Ordinarios, & alios ministros, capiendos, incarcerandos, & torquendos; monens etiam omnes Ordinarios, ac dominos temporales, vt illis ad hoc auxilium præbeant, absque alicuius censuræ, vel pœnæ incursu. Circa quam concessionem satis amplam, vt ex ipsa paret, aliqua notanda.

Primò quidem, ex ea haberi posse dictos Præla- 253.
tos

tos præfatos delinquentes coërcere, & punire non solum pœnis contentis in Religionis Constitutionibus; sed etiam *arctioribus pœnis*, vt ibi dicitur. Id est, aliis extraordinariis, etiam maioribus. Quod intellige, de pœnis proportionatis personarum Religiosarum statui, ita scilicet, vt in earum taxatione Iudex Regularis in partem benigniorem, & magis fauentem reo incliner. Sairus *in Clau. Reg. lib. 1. cap. 13. num. 22. in nou. addit.* Portellus *in Responsionibus moral. tom. 2. cas. 40.* Et quod, iuxta dicta *tomo 3. verbo Iudex, & iudicium Regularium, num. 20.* non solum præferat, & anteponat opinionem magis piam, & conformiorem religiosæ perfectioni ei, quæ talis non fuerit, sed etiam, quod, quantum fieri potest, eligat illam, quæ soluit potius quàm quæ ligat, & reo magis, quàm actori faueat.

254 Ex illis etiam verbis *arctioribus pœnis* colligi potest id, quod dixi *tomo 1. cap. 16. n. 32. & tom. 4. verbo Triremium pœna, præsertim, num. 3. & 4.* quod licet triremium pœna indigna valde sit, quod Religiosis imponatur, nihilominus, quia cùm ex vsu, tum ex priuilegiis aliquarum Religionum concessum id est, eò præsertim, quia aliqui criminosi vix alia pœna puniri possunt, ideo ea applicari potest à Prælatis Regularibus, etiam nostri Ordinis, quando videlicet subditos delinquentes aliter castigare non possunt, iuxta dicta *ibid. num. 5.* Hoc enim etiam videtur concessum ab hoc Pontifice illis verbis *arctioribus pœnis*, & statutum in nostris Constitutionibus Caffardi *part. 4. cap. 20. num. 12.* & Canalis *part. 4. cap. 21. num. 12.* etsi in antiquis Sorethanis nihil de hoc inueniam. An verò tales ad triremes damnati habitu priuari possint, etiam quando ab illis reuertuntur. & an maneant irregulares, & à quibus dispensari possint, ac de aliis ad ipsos spectantibus, habes ex dictis locis relatis, maximè etiam supra in Mari magno Minorum circa §. 49. Notanda etiam supra in Mari magno Minorum circa §. 49. Notanda etiam valde ea; quæ circa illos in nostris Constitutionibus Canalis *parte 4 cap. 21. num. 12.* his verbis statuuntur: *Item quia nonnulli Fratres, ita instigante humano hoste, adeo facinorose viuunt, vt non erubescant se tam enormibus immiscere delictis, quod necesse sit ad exemplum, & timorem aliorum, & ad satisfaciendum publico scandalo ex eorum perditis moribus exorto, eis acerbam triremium pœnam infligere, statuimus, vt iustè damnati, & deducti ad triremes, in perpetuo arceantur ab Altari, & sacris Ministeriis, Officiis præterea omnibus, & dignitatibus, ac gradibus, locoque, & voce careant, itaut R. P. Ordinis non possit super præmissis cum illis gratiosè dispensare: poterit tamen, si quis iniustè condemnatus, & eo deductus fuerit, innocentem declarare, & de iure absoluere.*

255 Circa illa verba *torquere, & torqueri facere*, quæ habentur in hoc priuilegio Pij II nota, ex illis colligi posse, id quod dixi *tomo 1. cap. 18. num. 17. & cap. 27. num. 16. & tom. 4. verbo Tortura Regularium,* præsertim *num. 1.* posse Prælatos nostros subditos suos non plenè conuictos de aliquo crimine atrociori, & grauiori per torturam cogere ad illud fatendum. Vbi etiam de modo talis torturæ, & quæ indicia ad illam amplificandam requirantur, & alia ad hanc materiam spectantia. Nunc solum addendum, tam in Constitutionibus Sorethanis *parte 5. cap. 1. de cap. Conuentuali, num. 4.* quam in Constitutionibus Caffardi *parte 4. cap. 20. num. 12.* sic haberi conformiter ad istud priuilegium Pij II. *Per nullum tamen Præsidentem in Ordine cogatur aliquis per incarcerationem, aut torturam violentam ad cognoscendum, vel fatendum aliquod crimen sibi, vel alteri impositum, nec pro huiusmodi puniatur, nisi crimen fuerit euidens, aut sufficienter probatum, vel nisi violenta suspicio habeatur, quàm suspicionem habeant iudicare violentam, vel non violentam Præsidens cum quatuor, aut quinque Fratribus de discretioribus Conuentus. Et si tunc talis suspicio habeatur, indicetur ei purgatio canonica, prout in capite de diuisionibus, & partialitatibus dicitur. Veruntamen apostatas, criminosos, defectuosos, & incorrigibiles, poterunt per indultum Pij Papæ II. Prior Generalis, & Prouincialis per eos, quos ad hoc discretos, & idoneos iudicauerit, torquere, & torqueri facere, scilicet per Fratres, aut sæculares clericos, aut etiam ministros sæcularis potestatis: dummodo præsentes sint duo fratres antiquiores, & de eorum fiat assensu, absque cuiuscunque censuræ incursu.* Quod adhuc clarius, & expressius decernitur in nouis Constitutionibus Canalis *parte 4. cap. 21. num. 11.* his verbis: *Quoniam interdum in grauissimis delictis cognoscendæ veritatis necessitas compellit Superiorem, vt quam spontè non potest habere confessionem, diuersis cruciatibus è latebris eruere contendat, & ob id licitum sit nonnunquam Sacerdotem, etiam Regularem, torturæ subiicere, statuimus, vt si quis ex nostris Religiosis præsumpserit committere aliquod crimen, quod in sæcularibus iudiciis vltimo supplicio, aut grauissima alia pœna corporali soleat puniri (licet alia pœna imponenda sit in Ecclesiastico foro) possit à Præsidente in Ordine, in præsentia duorum Fratrum ex antiquiorbus, & de eorum assensu torqueri per Fratres, ac per ministros etiam sæcularis potestatis, si Fratres non fuerint periti in arte quæstionandi, dummodo tamen contra illum probata sint in plenario iudicio indicia, quæ magis, quam semiplenè probent delictum, & ea ipse non deleuerit, neque purgauerit.*

Pro eo quod tangitur in hoc indulto, scilicet de incarceratione Religiosorum delinquentium nota, idcirco statutum fuisse in nostris Constitutionibus, in Sorethanis quidem *part. 4. cap. 8. num. 4.* & in Constitutionibus Caffard. & Canalis *part. 5. cap. 6. num. 9.* quod *In quolibet Conuentu carcer construatur, quod si Prior fuerit in construendo carcerem negligens repertus, ab executione sui Officij suspendatur, subiacendo pœnæ grauis culpæ, quousque carcerem procurauerit construi.* Hoc quoque iure communi pro omnibus monasteriis statutum esse dixi *tom. 1. cap. 9. num. 41.* Ex decreto etiam sacræ Congregationis, quod retuli eodem *tom. 1. cap. 23. num. 3.* saltem in qualibet Prouincia debet haberi carcer. Barbosa *in Summa Apostolicarum decisionum, verbo Carcer. num. 2.* ex Ioanne Maria Nouario. 256

Circa §. 32.

STatuit in hac Bulla, & priuilegio Callistus III. vt Regulares ex Ordine nostro ad aliquot beneficia, siue secularia, siue etiam Regularia in titulum, vel commendam, quomodolibet, etiam authoritate Papæ assumpti quantumuis ea dimiserint, assumi non possint in capitulis Generalibus, vel Prouincialibus ad officia Ordinis sine Generalis consensu, sub pœna excommunicationis, quàm tam ipsi, quàm admittentes ad talia officia ipso facto incurrant. Item quod si dicti beneficiati admitti contra voluntatem Generalis procurauerint, irregularitatis, & inhabilitatis maculas incurrant. Pro quibus nota. 257

Supponere hoc loco Pontificem Regulares ca- 258

paces esse non solum beneficiorum Regularium, sed etiam secularium, saltem ex dispensatione Sedis Apostolicæ. De quo, & multis aliis dicta beneficia, ipsaque possidentes tangentia dixi *tom.2. cap. 18. per tot & tom. 3. verbo Beneficium, & beneficiati* etiam per totum. Quibus locis plura quoque spectantia ad differentiam, quæ est inter beneficia Regularia, & sæcularia. Supponit etiam Pontifex beneficia dupliciter concedi posse, scilicet, in titulum, & in commendam. Beneficium in titulum collatum est illud, quod alicui confertur modo ordinario, & vt sit suum Beneficium verò in commendam collatum dicitur illud, quod alicui confertur, non vt sit suum, sed in custodiam, & administrationem. Eo quod commendare nihil aliud est, quàm deponere. *leg. commendare, ff. de verb. signif. leg. Lucius 24. ff. depositi, cap. ne quis arbitretur 22. quæst. 2. cap. 1.* Coras. *de benefic. 1. part. cap 6. num. 1. & 4* Gonzalez *ad regul. de mensibus, gloss. 5. §. 2. num.* 38. Garzia *de Benef part 4 cap. 4. num. 1. & 6.* apud quos, & alios de differentia, quæ est inter vtrumque beneficium, & diuersis modis ipsorum. An autem Monachatus dici possit beneficium, prout includit ius exigendi certos fructus ad arbitrium proprium expendendos, prout contingit in aliquibus partibus Germaniæ, & Galliæ, dicam infra in Mari magno Seruitarum circa §. 18. ex Filliucio & Candido ibi referendis. Quia ergo ex eo, quod Religiosi nostri præfata beneficia habentes, illis nihilominus abutentes (propter quod Sorethius noster venerabilis Generalis ea appellat *maleficia* potius quàm beneficia) volebant etiam potiri officiis Religionis, ea in Capitulis Generalibus ambientes, ideo Pontifex hoc prohibuit in hac Bulla. Cùm autem in narratiua solum loquatur de procurantibus dicta officia *in Generalibus, & Prouincialibus Capitulis*, ideo videtur hæc prohibitio, & pœna excommunicationis per eam posita non comprehendere eos qui talia officia procurauerint extra dicta Capitula. Quia tamen etiam loquitur postea, dum talem prohibitionem, & censuram statuit de admissis ad talia officia, & illos admittentibus *in Congregationibus, seu negotiis*, ideo probabilius videtur eam extendi debere ad admissos, & admittentes ad ea, quomodocunque etiam extra Capitula, id enim denotari videtur illis verbis. Saltem id videtur certum ex vi confirmationis huius priuilegij à Sixto IV. factæ, quia generaliter statuit, vt *nullo modo* in dictis officiis *se impediant*, vt patebit ex verbis ipsius Sixti infra §. 404 referendis. Loquitur autem Pontifex de beneficiatis Fratribus extra Monasteria nostra, & Regularem obseruantiam viuentibus, vt patet ex illis verbis: *Vt extra domos, & Religionem huiusmodi commodiùs vagari valeant*, & rursus: *Volunt, & cupiunt præesse, & aliis, qui sub Regulari obseruantia in domibus dicti Ordinis deseruiunt, frena imponere.* Quare si tales beneficiati intra domos, & monasteria nostra, & sub Regulari Obseruantia viuant (quales sunt plures, qui habent beneficia Regularia in Monasteriis nostris, quæ sunt Parochiæ) non comprehendentur hoc statuto. Quomodo autem intelligenda sint illa, quæ subiicit Pontifex ab illis verbis: *Etsi dicti beneficiati*, dixi *tom. 2. cap. 18.* relato *num. 36.* vbi etiam de explicatione illorum verborum: *Dictique beneficia, seu officia ambientes, &c.*

259. Ingerit tamen difficultatem, quòd Pontifex, dum de talibus beneficiatis, admitti procurantibus loquitur, dicit: *Irregularitatis, & inhabilitatis maculas incurrant.* Cùm tamen irregularitas nunquam sit ab homine, sed tantum à iure imposita, iuxta dicta *tom. 3. verbo Irregularitas num. 3. & 4* ex *cap. is, qui de sentent. excommunicat. in 6.* & ex Soto, Suarez, & Cornexo ibi relatis. Responderi tamen potest primo nomine *irregularitatis*, intelligere Papam idem quod nomine *inhabilitatis* ad maiorem emphasim duplici nomine vtendo. Geminatio enim verborum maiorem deliberationem, & enixam voluntatem indicat. *leg. Balista ff. ad Trebell.* Barthol. *in leg. cùm scimus, num. 7. cap. de agricol. & censibus, lib 11.* & alij plures, quos refert Barbosa *in tract. de axiomat. iur. axiom.* 104. Quod maximè habet verum in sententia aliquorum existimantium inhabilitates esse irregularitates, quos referunt Sigismundus de Bononia *de elect Prælat. dub. 97. num. 9.* & Samnellius *de elect. canon. tract. 2. contr. 8. num. 10.* Vel dic secundò, quòd, quamuis regulariter loquendo non detur aliqua irregularitas ab homine, sed solum à iure, nihilominus negari non posse, quin Summus Pontifex possit irregularitatem per sententiam, seu ab homine ferre, quando ipsi placuerit, cum iuri communi derogare possit. Vt bene Bonacina *de cens. disp 7. de irregul. quæst. 1. punct. 2. num. 2* & Cornexo *tract. 5. de irregul. disp. 2.*

Vide alia ad intentum supra in Bulla *Aurea* vocata *circa* § 7. & infra *circa* §. 104. vbi Sixtus IV. confirmat, & extendit hoc priuilegium, vt ibi dicetur, & in Mari magno Seruitarum *circa* §. 66. vbi maius priuilegium ipsis conceditur in hac materia. Extenditur enim non solum ad habentes Beneficia, sed etiam ad habentes pensiones, seu Capellanias, & prohibetur talibus habere aliquam prouisionem à Conuentibus. Quomodo autem Prælati Regulares imponere possint aliqua onera ad modum pensionis supra beneficia Regularia, quæ prouident, consule dicta in Mari magno Eremitarum sancti Augustini *circa* §. 6. 260.

Circa §. 33.

Concedit in hac Bulla Pontifex Nicolaus V. Generali, & Prouincialibus Ordinis nostri, vt *circa receptionem, vitæ modum, admissionem, & protectionem* Monialium, eisdem, & similibus priuilegiis vtantur, sicut Ordines Prædicatorum, & Eremitarum sancti August.ni. 261.

Pro quo priuilegio nota, in eo non tam concedi, quàm supponi Prælatos Ordinis nostri posse recipere ad Religionis consortium Moniales. Id enim colligitur ex proœmio Bullæ illis verbis *Degentium, aut in posterum offerentur.* Et meritò sanè, quia, vt in Annalibus nostris, Deo dante ostendemus, ab antiquissimis temporibus Moniales in Ordine fuerunt. Imò id competere iure communi Religiosis Ordinibus, quod scilicet, sicuti in eis sunt viri Religiosam vitam profitentes, sic & fœminæ, colligi videtur, tū ex vsu omnium fermè Religionum, antiquarum præsertim; tum ex eo, quod iste mos in lege Euangelica à tempore Christi, & Discipulorum ipsius viguit. Constat equidem S. Marcum in Ægypto, vtriusque sexus Monasteria instituisse, prout ex Philone, Euseb. Cæsariensi, & Baron. affert Tamburinus *tom. 1. de Iure Abbatiss. disp. 2. quæst. 10* Erant autem isti ex Esseno & Eliano instituto, vt in nostris etiam Annalibus dicimus. Fuisse quoque in Ecclesia ab antiquis Apostolorum temporibus fœminas Deo sacratas etiam constat ex historia sancti Matthæi Apostoli, vita S Teclæ, D. Hieronymo *in epistola ad Sabinianum, & in epistola ad Eustachium*, Diuo Chrysostomo, 262.

hom.

*hom.8.in Matth.*Tertulliano *in lib.de velandis virginibus*, & aliis. De quibus Suarez *tomo tertio de Religione lib.capitulo quarto, numero decimo* Victorellus *de orig. & clausura Monialium*, & Tamburinus *de iure Abbatissarum disputat.7. quæst.prima*, & nos in nostris Annalibus.Quæ etiam sint huiusmodi priuilegia Ordinum Prædicatorum, & Eremitarum S. Augustini, quæ Pontifex hoc loco communicat Ordini nostro, ex compendiis, & Mari magno ipsorum,ac ex iis, quæ afferunt Cassarubius in *Compend.priuileg.Mendic.v.Moniales, & verbo Communicatio priuilegior.*Corduba,& Sorbus *ibid.*Rodriguez *in tomo* 1. *Quæst.Regular.quæst. 55.artic.*13.Portellus *in dub.Regular.verbo Moniales, & verbo Communicatio priuilegiorum, num.3. &* 4.desumi potest. Vide etiam Mirandam *in tract. de Monialibus, quæst.5.art.1.* Hieroymum Rodriguez *in Com.resol.98.&* Sanctorum *in Const.sui Ordinis,c.* 11.*stat.6.*dum loquuntur de Monialibus Minorum & cura,quam de ipsis habent Prælati eius Ordinis. Alia etiam ad intentum dabimus infra circa §.65. Et quod Moniales potiantur priuilegiis suarum Religionum, dixi supra in Bulla Aurea circa §.4.

263. Illud hic non prætermittendùm, quod scilicet, cùm Moniales Ordinis sub Prælatorum gubernio, & protectione sint, vt vel ex hoc priuilegio Papæ Nicolai habetur,non bene facere dictos Prælatos, cùm eas relinquunt, aut Ordinariis tradunt,ob leues causes, & præsertim ob laborem, & curam fugienda. Quia cùm illæ sint filiæ Religionis, & in eiusdem disciplina educatæ, non facilè tradi debent Presbyteris sæcularibus qui in Regula, & Constitutionibus Ordinum versati non sunt, & qui eas veluti extraneas tractare debent. Præsertim, quia cum, iuxta *cap. cùm causam, de elect.* secundum legem diuinam *non sit in boue arandum,& asino, nec quisquam debeat vestem induere de lana,linoque contextam*(vt ait Pontifex ibi) Superiores disparis professionis non debent dari personis Religiosis. Fauet etiam *cap.in decima 18. quæst.2.* vbi præcipitur, vt Moniales sint sub cura Monachorum *quorum non solum gubernaculis tueri, sed etiam doctrinis ædificari possint.* Fauet quoque Concil. Trident.*sess.14.cap.10.de Reformatione.* Vbi præcipitur quòd beneficia Regularia solum Regularibus eiusdem Ordinis conferantur.De quo Sanctorus *suprà* asserens peccare mortaliter Superiores contra charitatem, & iustitiam, si ob leues causas Moniales renunciant. Non ergo est id faciendum, nisi ob graues valde causas, vel ob Sedis Apostolicæ mandatum.

264. Imo addendum satis probabile esse non solum licitè, sed nec validè etiam posse Prælatos Regulares Moniales sibi subiectas renunciare, & Episcoporum iurisdictioni subiicere. Ratio est, quia huiusmodi Moniales exemptæ à iurisdictione Episcoporum sunt immediatè sub iurisdictione Summi Pontificis, vt patet ex multis priuilegiis Religionum, in quibus ipsarum professores, bona,& loca immediatè subiiciuntur Papæ, specialiter ex Mari magno Eremitarum sancti Augustini §.31.propter priuilegium Bonifacij Papæ confirmatum à Sixto IV. *ibidem* §.42. & ex hoc Mari magno Carmelitarum propter priuilegia Ioannis XXII. & Clementis VI. ibidem §.5. & 6. relata, & approbata à Sixto IV. §. 60. Ex hoc enim infertur contra ius Papæ esse dictas Moniales relinquere, ac iurisdioni immediatæ Episcoporum submittere, sicut neque clerici immediatè subiecti alicui Episcopo possunt alij subiici *cap. significasti de for.compet.*

ad quod maximè iuuat sacræ Rotæ decisio in vna Salisburgensi *Exemptionis Præpositura* coram Seraphino anno 1593. vbi ex eo, quod aliquod Monasterium fundatum sit sub tuitione Sedis Apostolicæ infertur acquisitum fuisse Monasterium Ecclesiæ Romanæ cui oblatum fuit,ad text.*in cap. dilectissimis §. omnes vera, &c. videntes 12.quæst.1.* ac proinde esse effectum iuris beati Petri,& Ecclesiæ Romanæ specialiter per hanc oblationem, ita quod aliam Ecclesiam spectare non potest.Oblata enim efficiuntur eius Ecclesiæ, cui offeruntur *cap. 1.de statu Monachorum, cap. cùm inter vos de verb. significatione.* Fauet valde *cap.cum tempore de arbitr. in fin.& cap. 2. de in integrum restitut. & cap. cùm olim de priuileg.* Glossa *fin.in Clement.penul.de sent. excommunicationis*, Butrius *in cap. significasti, num.* 12. vbi etiam Panormit.*num.10. & 11.* Socinus *d. cap.significasti, num.42.* Felinus *cap. cùm accessissent in princ.de constit.* Ioannes Andreas *in Regul.scient. de Regul.iur.*Iason.*in l. si quis in conscribendo*, Mandosius *designatur, verbo Exemptiones ab Episcopo, §. exemptus à iurisdictione*, Tuschus *verbo Renunciare, concl.171. num. 9.* Rodriguez *tomo. 1. quæst.regul. quæst. 63. art. 10.* Cochier *de iurisdictione Ordin. in exempt. part. 3. quæst. vlt.* Tamburinus *de Iure Abbatiss.disp.17.quæst.4.*Fauent etiam dicenda infra *circa* § 38.

Maximè fauet Rotæ decisio in vna Vlyssipponensi *Monasterij* coram Coccino 19. Nouemb. 266.
1625.vbi in casu huius dubij, scilicet renunciationis cuiusdam Monasterij Monialium Ordinis Minorum latè deciditur, & probatur Prælatum Regularem illius Monasterij nullo pacto potuisse dimittere illud, & subiicere Ordinario, multoque minus id potuisse facere ipsas Moniales, prout etiam probant Auhores relati, quos refert & sequitur Tamburinus supra. Quia tamen hæc decisio pro hoc, & similibus casibus valde necessaria est, ideo illam hic apponimus quoad ea, quæ huic concernunt intento. In ea ergo sic habetur.

Ad primam partem fuit dictum, quod quidquid sit de Iurisdictione Commissarij Generalis, 265.
etiam quod in Religione ipse haberet amplissimam facultatem, nihilominus nec ipse, imò nec ipsemet Generalis, ac tota Religio has moniales poterat dimittere, cùm agatur de Monialibus S. Claræ, quæ sunt exemptæ à iurisdictione Ordinariorum, & sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subiectæ,vt patet ex Bulla Eugenij IV.sub datum Florentiæ anno 1439. Idus August.anno Pont.9. quæ est apud Rodriguez 29. & fuerunt positæ sub gubernio,& obedientia Generalis, & Prouincialium Minorum,sublatis Protectoribus, quorum authoritate regebantur,vt in Constitutione eiusdem Eugenij sub datum Bononiæ an.1427.Id.Decemb.an. 7.apud eundem Rodrig.*constit.*27. quæ licet anterior,non tamen fuit per sequentem reuocata, cùm in posteriori expresse dicatur,quod Summus Pont. non intendit per illam,præiudicare gubernio,quod Generales Ministri, aliique Officiales dictarum Monialium habent.Quare cùm Summus Pont.has Moniales subiecerit curæ Regularium, & postmodum à iurisdictione Ordinariorum exemerit, & immediatè Sedi Apost.subiecerit;nõ potuit Commissarius eas dimittere,sine licentia Pontificis cuius authoritas immensa est,*c.ad honorem,de auth.* & vt Bald Gemin.*cons.14.in princ.n.2.* Rom,*cons.396.col. 2.in princ.* & in specie subiectio Religiosorum erga suos Prælatus à Sum.Pont.dependet,sine cuius ministerio, & intentione, Prælati Regulares nullam

haberent iurisdictionem. Medina *de indulg. cap.* 24. Sotus *de Iust. & iure lib.* 10. *quæst.* 1. *art.* 4. *& lib.* 8. *quæst.* 3. *art.* 1. Victoria *in relect. de potestate Eccles. quæst.* 2. *num.* 28. Alphons. de Castro *lib.* 2. *de iust. hæret. punit. cap.* 24. *& contra hæreses, in verbo Episcopus.* Ipse nimirum Summus Pontifex est Summus Prælatus cuiuscunque Religionis, vt bene aduertit Suar. *de Relig. tom.* 4. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 1. *& lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 21. *ante finem.* Qua propter, cum Papa gubernium dictarum Fratribus demandasset, & illas ab Ordinariorum iurisdictione exemerit, & immediatè Sedi Apostolicæ supposuerint, cuius nomine Fratres gubernant, non potuerunt illas, inconsulta Sede Apostolica, dimittere. Angel. *consil.* 367. *num.* 7. Vbi quod administratores Apostolici, non possunt præiudicare Summo Pontifici, nec poterunt dimittendo dictas Moniales ponere os in cœlū, & Summi Pontificis coarctare potestatem; cum ipsi sint subditi, quibus imminet necessitas sola parendi, vt pulchrè dicit Bald. *Consilio* 131. *ante med. versu nec possunt lib.* 14. Non aduersatur quod Commissarius potuerit renunciare huic priuilegio, vt quisque potest iuri suo renunciare *ad l. si quis in conscribendo cap. de pactis,* quia motiuum possit considerari, si priuilegium simpliciter fuisset concessum fauore Fratrum, sed cum Pontifex sub protectione Sedis Apostolicæ eas receperit, & ea occasione gubernium confirmauerit, hoc fuit actum non solùm fauore Fratrum, sed ipsius etiam Sedis, cuius interest multos habere immediatè subiectos. Clement. *Pastoralis de re iudic.* Rebuffus *cons.* 142. Ideo non potuerunt dicto priuilegio renunciare Felin. *in cap. cum accessissent num.* 29. *de constit.* & ibi Dec. *columna penult. versiculo secundo prædicta conclusio, & n.* 18. *colum. vlt. conclus. sexta* generaliter de renunciatione. Gallerat. *tomo* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num* 4. *versicul. Et ideo, & num.* 63. *ex l. Non videtur ff. de regulis Iuris, & l. si quæramus ff. de testament.* Bald. *titulo. Qualiter de feud alien. gloss.* §. *Porrò num.* 1. Cast. *in l. pen. col. fin.* & ibi Iason *num.* 14. *Cod. de pact.* Non obstat constitutio Bonifacij VIII. apud Rodriguez IV. quam etiam refert *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 17. *art.* 8. quia, etsi Bonifacius concedat facultatem Ministris per se, vel per alios visitandi, corrigendi, & reformandi tam in capite quam in membris, ea, quæ correctionis, & reformationis indigent; nihilominus ista facultas procedit quoad visitationem, & correctionem morum, non autem quoad mutationem status renunciando gubernio, vt bene ad propositum Bart. *in l. edicta n.* 8. *C. de eden.* vbi quod nec mutatio actionis nec substantia facti est mutabilis in libello, sed solum augmentum, vel diminutio condemnationis, firma remanente actione, & substantia; namque facultas intelligitur concessa secundum leges, non autem secundum voluntatem Superiorum, Decius *consil.* 146. *num.* 9. & in terminis clausulæ facultatis addendi, vel minuendi fuit dictum coram me, in causa Montis Regalis *iurisdictionis.* 4. Maij, & 15. Nouembris 1604. Non obstat, quod Monachus incorrigibilis potest eiici à Monasterio. Nauarr. *consilio* 80. *num.* 1. *de Regul. & in tract. de Regular. comment. secundo, num.* 36. *versic. Pro parte, verbo Negante,* quod motiuum fuit deductum in alia positione, cui Domini nihil responderunt, quia non meretur allegari, sed quoniam hodie vociferabatur hoc tollere omnem difficultatem, ideo fuit responsum, hic non applicari materiam eiectionis. Primò, quia agitur de monialibus, licet enim Monachus incorrigibilis possit eiici à Monasterio, & habitu priuari, ad hunc tamen effectum requiritur vltra incorrigibilitatem, quod defectus non solùm innotescant Fratribus, sed etiam sæcularibus & quod ex iis alij de facili possunt corrumpi, vt est originale dictum S. Bonauenturæ *q.* 14. *super Regul. Sancti Francisci,* quod certè non militat in Monialibus, quæ propter incorrigibilitatem non sunt eiiciendæ simpliciter à Monasterio, sed nisi ibi puniantur, possunt ad aliud transferri, vt est Constitutio Vrbani IV. quæ loquitur in puncto de Monialibus S. Claræ, quam referri Rodriguez *qq. reg. tomo* 1. *quæst.* 49. *art.* 1. *post princip.* & Miranda *de Monialibus quæst.* 3. *art.* 2. quæ Constitutio in hac parte neque per Constit. Pij V. neque per Conc. Trid. licet strictiora sint, censetur reuocata, vt per Rodrig. *ibid. art.* 5. *versiculo* 5. *non refertur,* & Miranda *loco citato versic.* 4. *casus.* Secundò fuit dictum hic non applicari: quia agitur de toto Conuentu eiiciendo, & iure non reperitur cautum, neque aliquis est, qui dicat integrum Conuentum posse eiici, sed quando Monasterium delinquit in casu, quo Monachus particularis eiiceretur, Monasterio prouidetur per mutationem Superiorum *cap. Quoniam de simon* ibi, quod si fortè propter nimiam multidinem alibi nequiuerint commodè collocari, ne damnabiliter in sæculo euagentur, recipiantur in eisdem monasteriis, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis, Quantum attinet ad secundum caput, an Moniales potuerint se submittere obedientiæ Ordinarij, negatiuè fuit resolutum, quia exemptus sine licentia Summi Pontificis non potest renunciare exemptioni, vt est textus rotundus *in cap. cum tempore Cod. de arbitr.* vbi Abbas *num.* 2. *& per istum text.* Glossa fin. *in Clementina penult. de sentent. excommunicat,* quam Abbas *ibidem, & in d. cap. Cum tempore,* dicit singularem. Ratio est, quia inter est Romani Pontificis, qui est superior, subditos suos ab alio non iudicari. Idem Abbas *in cap.* 1. *num.* 19. *de re iudic. & in cap. Si de terra, num.* 5. *de priuileg. & in cap. significasti* 17. *num.* 8. *in fine, & num. seq. de for. compet.* Io: Andr. *in cap. Scienti* 27. *in fin. vers. Si verò reperitur,* & ibi Franch. *num.* 4. *de reg. iur.* 6. Felin. *in cap. cum olim num.* 3. *de præscript.* Armil. *in Summa in verbo exemptionum n.* 8. Gaill. *obseruat.* 40. *num.* 2. *lib.* 1. Gall. *de renunc. tomo* 2. *renunc.* 144. *num.* 18. Erasmus à Cokier. *de iurisdict. Ord. in exempt. lib.* 2. *quæst.* 7. *& lib.* 3. *c.* 34. *per totum* & per dictum tex. *in cap. Cum tempore,* & per alias rationes in terminis exemptionis Regularium est *cons.* Castr. 432. incipit: *Videtur dicendum num.* 3. *lib.* 1. vbi *in vers. Quod autem,* ponderat, quod per priuilegium exemptionis effecti sunt immediatè subiecti D. Papæ, & Ecclesiæ Romanæ. Quamobrem sine illius licentia in alium consentire non possunt, hoc nempe renderet in derogationem iurisdictionis Pontificiæ. Considerat vlterius, quod priuilegium videtur fuisse in odium Ordinariorum, qui dictis Religiosis erant nimis infesti, eosque nimium grauabant, & concludit, quod ideo non possunt se subiicere iurisdictioni Ordinariorum: & quamuis in casu Castr. legeretur in priuilegio, quod ipsi Ordinarij erant nimis infesti, hæc tamen est vna ex rationibus, ex quibus Papa censetur concedere priuilegium exemptionis, vt dicit Bald. *de priuileg. in tract. exemp. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. Rebuff. *consil.* 141. *colum.* 2. *in princip.* Erasm. à Cochier *de iurisd. Ordin. in exempt. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 17. *& lib.* 2. *q.* 7. *num.* 3.

in fin. & lib. 3. *quæst.* 34. & in terminis Regularium Rom. *consil.* 369 *num.* 18 quem vltra Castr. *loco cit. num.* 5. sequitur Felin. *cap. cum olim num.* 3. *de præscript.* Non obstat quod priuilegio possit renunciari in præiudicium exempti, secus verò eximentis. Glossa fin. *in dicto cap. cum tempore, de arbitr.* quia vt dixit Abbas *ibidem num.* 7. non potest considerari aliquis effectus quantum ad exemptum, nam ius libertatis est ita coniunctum inter exemptum & Superiorem vt commodè separatio fieri non possit. Neque est verum, quod ait Albericus *in l. si quis in conscribendo* 39. *num.* 6. *C. de Episcop. & Cleric.* quod scilicet possit renunciari priuilegio specialis exemptionis, quando motu proprio non fuit concessum, quia Silu. *in Summa in verbo exemptio* § *Decimo*, dicit contrarium esse verius euidentissima ratione, scilicet quia exemptio fit gratia exemptoris: quod dictum sequitur Armil. *in eodem verbo num.* 8. Rebuff. *d. cons.* 142. *col.* 2. *vers. exempta.* Cochier. *loc. cit. num.* 17. *lib.* 1. & licet in aliis non Ecclesiasticis possit dari iurisdictio in præiudicium eorum, quos submittunt, non tamen in Superiorum præiudicium. Archid. *in cap. Conquestus sub num.* 4 9. 3. Bald. *in l. si quis ex consensu, num.* 8. *C. de Episcop. aud.* Afflict. *de prohib. feud. alien. per Feder.* §. *præterea inter duos num.* 2. 3. cum allegatis per Surd. *consil.* 47. *num.* 25. Nihilominus vt aduertit Abbas *in d. cap. Cum tempore in fine.* hoc indistinctè non procedit in Ecclesia, seque remittit ad not. per Innocent. *in cap. accedentibus, de priuilg. & præscription. in cap. veniens, de præscription.* vbi *num.* 21 dicit quod Prælatus potest conditionem Ecclesiæ facere meliorem, non autem deteriorem, vt *in cap. Fraternitatem, de donat.* & subdit post Innocent. quod per vnum vel plures actus non censetur renunciatum fauori Ecclesiæ, tum etiam expressè non possit renunciari. Et rursus addit, quod si omnes vellent facere contra priuilegium, vnus solus possit contradicere, prout euenit in casu isto, vbi magna pars Monialium, licet non maior contradixit. Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 33. *num.* 2. & quamuis idem Abbas *num.* 22. dicat prædicta non procedere, quando per renunciationem reuertitur ad ius commune, hoc tamen dictum quatenus verum in hac facti specie non officit propter præiudicium Sedis Apostolicæ, cuius interest habere exemptos, vt supradictum est, & benè Gaill. *obseru.* 40. *num.* 2. *lib.* 1. Quapropter merito Ordinarius noluit simpliciter recipere dictas Moniales, sed reseruato beneplacito.

267. Hæc in hac decisione vtilia valde tum ad intentum, tum ad alia similia, de quibus sæpius in hoc Opere agetur. Cui similis est alia de eadem materia coram Remboldo ann. 1625. vbi etiam decernitur præfatum Commissarium Generalem non potuisse renunciare dictas Moniales, nec ipsas se subiicere Ordinario, propter rationes in alia decisione coram Coccino tactas.

268. Nota præterea ex hac concessione Nicolai V. non solùm haberi præfatos Ordinis Prælatos posse recipere ad consortium Ordinis veras Moniales quas vocant Velatas, sed etiam pinzocheras, seu Tertiarias, aut Mantellaras. De vtrisque enim intelligi potest; de Monialibus quidem illis verbis; *Conuentus Religiosarum Virginum*, de Tertiariis autem illis: *Biguinarum Mantellatarum*, & de posterioribus intelligitur à Sixto I V. in hoc Mari magno §. 84. iuxta ea quæ dixi *t.* 2. *c.* 14 *n.* 11.

Circa §. 34.

Ponitur hoc loco concessio quædam Bonifacij I X. relata, & confirmata à Martino V. & Eugenio I V. per quam indulgetur Ordini Eremitarum S. Augustini facultas ad reciendum quascunque mulieres alias idoneas ad habitum Ordinis, eisque exhibendum Ordinis eiusdem Regulam ad instar mantellararum seu pinzocherarum Ordinum Minorum, & Prædicatorum. Quibus etiam Pontifices isti concedunt communicationem priuilegiorum eiusdem Ordinis. Ex eo autem huiusmodi concessio pro Eremitarum S. Augustini Ordine in nostro Mari magno inseritur, quòd Sixtus IV. infra in hoc eodem Mari magno §. 84. eam expressè ad Ordinem nostrum extendit. Quia autem de hac materia non solùm egi *tom.* 2. *cap.* 14. & *tom.* 4. *verbo Tertiarij, seu Tertiariæ*, sed etiam supra in Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* §. 8. & 9. Vbi istæ Bullæ Bonifacij, Martini, & Eugenij etiam inseruntur, sed etiam latius dicam infra circa prædictum §. 84. ideo pro nunc supersedendum. 269.

Circa §. 35.

Hoc loco habetur concessio Innocentij I V. pro fratribus nostris, vt scilicet de cætero non tenerentur de causis eisdem committendis inuiti cognoscere, nisi litteræ commissionis huiusmodi mentionem plenam fecissent de hac concessione. De cuius priuilegij materia aliqua dicta sunt in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 17. & in Mari magno Minorum *circa* §. 15. 16. & 17. ac in Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* §. 6. alia quoque dicentur inferius in hoc eodem Mari magno *circa* § 88. 270.

Nunc solum addendum pro hoc, & similibus priuilegiis, nomine causæ, in ipsis non intelligi id quod apud Philosophos, scilicet, *principium per se influens in aliud*; nec sumi pro occasione, aut motiuo, prout sæpius vsurpari solet; sed solùm pro causa iudiciali, aut forensi, lite, aut controuersia. Hoc enim sensu sæpissimè sumitur hoc nomen causæ, præsertim apud Canonistas, & Legistas. Quæ diuitur in spiritualem, & sæcularem, Spiritualis v. g. de decimis, matrimonio, iure patronatus, &c. Sæcularis, quæ est de re sæculari, vel ad Iudicem sæcularem spectanti. Deinde causa etiam diuiditur in criminalem, & ciuilem. Criminalis appellatur illa, in qua agitur de delicto puniendo corporaliter ad vindictam publicam, ita Clar. §. *fin. quæst.* 1. *vers. ex quorum omnium.* Marant. *in pract. part.* 4. *dist.* 1. *in princip. & num.* 17. Cardin. Tusch. *pract. conclus. tom.* 2. *littera C. Conclus.* 1083. *num.* 1. Vel quando agitur de pœna pecuniaria applicanda fisco, quæ proueniat ex delicto. Anchar. *cons.* 73. *visis omnibus in princ.* Roman. *cons* 152. *Præsens accusatio, num.* 2. Clar. *dicta quæst.* 1. *num.* 2. Boer. *decis.* 349. *num.* 2. Bald. *cons.* 226. *Quamquam num.* 3. Mascard. *de probat. concl.* 463. Card. Tusch. *d. lit. C. concl.* 1084. *num.* 3. Causa verò ciuilis est illa, in qua agitur non de delicto aliquo, sed de re aliqua; pecunia v. g. ad vendicationem eius, aut damni; vel interesse satisfactionem. *c. sup. prudent.* 12. *quæst.* 2. Summistæ *verb. causa*, Sanchez *tom.* 2. *cons. moral. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 8. Vbi causæ pecuniariæ appellatione tantùm venit causa ciuilis, non autem criminalis, *auth. vt Iudices sine quoque suffra-* 271.

gio, in princip. leg. si quando, vbi glossa *verb. causis, C. de testibus*. cum aliis citatis per Lancellottum & Conradum, ac Barbosam *de appell. verb. iur. appell. 44. num. 3.* Nota etiam aliam esse causam, quæ mixta dicitur, quia partim est criminalis, & partim ciuilis, quæ est quando agitur de aliquo crimine non criminaliter, sed ciuiliter; quia non proceditur ad vindictam publicam, sed ad satisfactionem, & recompensationem damni, & iniuriæ in bonis temporalibus, *cap. tua de procurator.* Summistæ, & Sanchez *supra.* Ex vi ergo huius priuilegij fratres nostri liberantur à cognitione harum causarum, etiam à Sede Apostolica committendarum, nisi litteræ commissionis plenam huiusmodi priuilegij fecerint mentionem. Pro cuius clausulæ intelligentia, maximè secundùm Curiæ stylum, consule dicta *supra* in Mari magno Minorum *circa* §.15.16. & 17. Alia verò quæ ad causas Regularium spectant, habes ex dictis 3. *tom. verb. causa iudicialis Regularium.*

Circa §.36.

272. CONcedit hoc loco Papa Clemens IV. Fratribus nostris, vt in locis, & Oratoriis possint cum altari viatico Missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare, Parochiali iure Ecclesiis Parochialibus reseruato. Quod declarat Pontifex consistere in oblationibus, decimis, & primitiis, quæ à Laicis solent Clericis exhiberi.

Duo continentur in hoc priuilegio; alterum est de celebrando Missam, & diuina officia in nostris Oratoriis, solum cum altari portatili; alterum vero est declaratio iuris Parochialis, quod scilicet, tria tantum importet respectu nostrorum Fratrum, scilicet oblationes, decimas, primitias. De primo dictum est in superioribus circa simile priuilegium eiusdem Clementis quarti pro Prædicatoribus in eorum Mari magno §.9. & pro Minoribus in eorum etiam Mari magno §.7. & locis relatis.

273. Circa secundum vero nota, Parochialem Ecclesiam illam dici, quæ habet ius consistens in cura animarum parochianorum certis limitibus constituta, ipsis Sacramenta ministrans, & proprium habens Rectorem Abbas *in Rubric. de paroch.* Carac. *de iurib. paroch. tit. 1. cap. 3.* Guttiertez *allegat. 8. n. 6.* Barbosa *de offic. & potest paroch. p. 1. c. 1. n. 26.* Vnde probare volens Ecclesiam esse parochialem, quatuor debet probare. Primum est, potestas fori pœnitentialis. Secundum, locus certis finibus constitutus. Tertium, parochum curam exercere nomine suo, non ratione Ecclesiæ. Quartum, parochum nomine suo singulariter & non cum aliis regimen Ecclesiæ administrare. Rota *decis. 2 p. 2.* & in Florentina *Parochialis* corā Coccino *p. 5. diuers. dec.* 380. Mascardus *de probat. concl.* 469. Zetola *in praxi Episc. p. 1. verbo parochia* §.1. Gonzales *ad Regul. 8. Cancell. gloss. 6. num. 34.* Barbosa *supra num. 27. & sequentibus.* Iurium etiam parochialium nomine quamuis veniant plura, scilicet oblationes quarta funeralis, sepultura, funeralia, primitiæ, decimæ, benedictiones, sacramentorum administratio, habere campanas, fontem Baptismi, Cœmeterium, &c. de quibus inter alios relatos Hieronymus Carac. *in opusc. de Iurib. paroch.* nihilominus ex vi præsentis priuilegij Fratres nostri non tenentur ad alia iura parochialia conseruanda, nisi ad illa tria. An verò ad alia teneantur, ex alibi dictis, & dicendis haberi potest. Alia spectantia ad parochias habes ex dictis 4. *tom. verb. Parochus, & Parochia Regularis*, & de ampliatione huius priuilegij, & alterius §. sequenti referendi infra in hoc eodem Mari magno *circa* §.87. vbi Sixtus IV. declarat ius parochialium Ecclesiarum solum consistere in decimis, & primitiis nulla facta mentione de oblationibus.

Circa § 37.

PRiuilegium hoc Vrbani IV. Papæ est veluti extensio alterius §. præcedenti ex Clemente IV. relati. Cum enim Clemens concessisset Fratribus nostris, vt in suis Oratoriis possent Missarum solemnia & alia officia diuina celebrare cum altari portatili, Vrbanus modò hoc extendit ad quæcumque loca congruentia, & honesta extra loca propria ipsorum *coram Prælatis, Principibus, & Magnatibus* (vt inquit Pontifex,) cum super hoc fuissent requisiti. De cuius priuilegij materia plura dixi *tom. 1. cap. 21. num. 14. & 15. & tom. 3. verbo Altare num. 13. 14. 15. & 16. & tom. 4. verbo Oratoria quoad Regulares, & supra* in Mari magno Prædicatorum *circa* §.39. & in Mari magno Minorum *circa* §.39. 274.

Nunc verò specialiter notandum, quod cum iuxta dicta *tom. 3. eo verbo Altare num.* 13. Concilium Tridentinum *sess. 22. in decret. de obseruand. & vitand. in celebrat. Missæ*, præceperit Episcopis, ne permitteretur, quod Sacrificium Missæ *in priuatis domibus* celebretur, sed solum in Oratoriis ab Ordinariis designandis, & ex alia parte, iuxta *ibidem num.* 16. dicta à S. Congregatione declaratum est, licentias celebrandi in priuatis Oratoriis non posse ab alio quam à Sede Apostolica concedi, pro quo etiam Sellus *in select. canonic. cap. 3. n. 53. 54. & 56.* refert alias S. Congregationis declarationes, ideo consequenter ad dicta *eo num. 16. & 4. tom. verbo Oratoria quoad Regulares num. 3. & 5.* dicendum est priuilegium hoc quantum ad facultatem celebrandi in domibus sæcularium, etiam in priuatis ipsorum Oratoriis omnino vacare, nisi ad hoc accedat Sedis Apostolicæ licentia in domibus autem & priuatis Oratoriis Episcoporum aut aliorum. Prælatorum Ecclesiasticorum credo posse Fratres nostros celebrare ex vi huius priuilegij, & quia illæ domus sunt personatum Deo dicatarum, in quibus non est ea indecentia, quæ in domibus merè sæcularibus reperitur. Decretum porro S. Congregationis iussu Pauli V. editum anno 1615. de quo *supra* tale est: *Perillustris, ac Reuerendissimè Domine vti Frater. Tametsi S. Cardinalium Congregatio Concil. Trident. interpretum optimis innixa rationibus sæpissimè responderit, celebrandi licentias in priuatis Oratoriis non nisi à Sede Apostolica esse concedendas, comperium est tamen per plures Antistites, eiusdem Concilij verba in alium sensum detorquentes, passim illas, ac nullo prope delectu impertiri. Qua quidem facilitate nedum ipsi Pontificiam sibi authoritatem adsciscunt, aliarumque Ecclesiarum & frequentiam minuunt, & dignitatem, verum etiam (quod summe dolendum est) tremendum illud mysterium, quo nullum aliud opus adeo sanctum, atque diuinum à Christi fidelibus tractari potest, intra domesticos parietes plerunque cum tanta irreuerētia peragitur, vt nihil ferè inter profanam, & diuinam domum interesse videatur. Quod sanè teterrimum exemplum vt de Christiana Repub. euellant, Illustrissimi Patres Amplitudini tuæ, cæterisque Archiepiscopis, atque Episcopis vniuersis, Sanctissimi D. N. iussu significandum duxerunt,* 274.

duxerunt; facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilij decreto vnicuique ademptam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reseruatam; proindeque Amplitudini tuæ abstinendum esse ab illis, vtcunque tribuendis; ac si quas hactenus, vel à tuis Antecessoribus, aut alias quoquomodo, quam ab ipso Summo Pontifice concessas repereris, nullas, atque irritas esse quam primum decernas, atque enixè curandum, ne vllæ illarum ratio imposterum habeatur. Quam quidem Sacræ Congregationis, atque adeo Sanctitatis suæ voluntatem libenter Amplitudo tua perficiet, harumque litterarum exemplum in acta publica primo quoque tempore referendum, ac deinde ad singulos istius Prouinciæ Episcopos, &c. Romæ die 10. Mart. anno 1615.

277. Refert hoc decretum Pasqualigus *in Decis. moralibus decis.* 165. Et notat quod, cum editum sit iussu Pontificis, vim legis obtineat, ac quod non solùm loquitur de licentiis celebrandi in priuatis Oratoriis. Item quod consuetudine receptum sit. In sequentibus etiam decisionibus tractat, an Episcopus possit licentiam concedere ad celebrandum in priuatis domibus, non obstante Concilio Tridentino. Maximè de Regularibus, quoad celebrandum in loco decenti sui Monasterij seu grangiis, vel cameris infirmorum agit *decis.* 174. 175. *& seqq.* De quibus etiam nos locis relatis. Vide Hieronymum Rodriguez *in Compend. Resol. 9. per totam* & QuintanaDuñas *in singularibus tract. 7. sing.* 31. 32. *&* 33.

278. Quia tamen sæpius à Sede Apostolica concedi solet facultas audiendi Missam in aliquo Oratorio priuato alicui personæ *in sua, & familiæ suæ præsentia*; ideò quæri potest, an si contingat dominum, cui concessum est tale priuilegiũ, non interesse Missæ, possit nihilominus ea Missa dici præsente sola familia. Quod dubium etiam deseruire potest pro priuilegiis, quæ habent Regulares ad celebrandum tempore interdicti in præsentia suorum familiarium. Et respondendum est, quod licet attendi debeat ad verba priuilegij, vel rescripti, si tamen ea fuerint qualia dicta sunt, vel similia, tunc poterit celebrari Missa in sola præsentia familiæ, vel familiarium. Ratio est, tum quia licet dictio *Et*, sit de se copulatiua, aliquando tamen habet vim disiunctiuæ, ita vt sit idem quod *seu*, aut *vel*, prout probaui *tom. 3. verbo Dictio n.* 19. idque iuxta subiectam materiam intelligendum, maximè si sit fauorabilis, vt in præsenti. Tum etiam, quia & si admitteretur, quod dictio *Et*, sumatur solum copulatiuè, adhuc stat quod priuilegium seruire possit pro sola familia, quia in virtute copulationis trahitur familia ad participandum in priuilegio. De sui enim natura æqualiter coniungit, vt ex variis iuribus tenenr Nauarr. *cons.* 573. *num.* 14. *lib.* 2. Socin. sen. *cons.* 40. *num.* 8. *lib.* 4. Ruin. *cons.* 108. *lib.* 2. Anch. *cons.* 137. *n.* 2. Crauet. *cons.* 208. *num.* 5. Alex. *consil.* 9. *num.* 5. *lib.* 5. & ideò cum familia æqualiter participet dictum priuilegium ipsi soli suffragari poterit. Megalla *tom. 2. resol. var resol* 161. *num.* 18. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 13. & quidam alij apud Ludouicum de Cruce *de Bulla Cruciatæ disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 3. *num.* 5. quos sequitur Pasqualigus *in Centuria quæst. moral. q.* 2. apud quem alia ad intentum.

Circa §. 38.

279. PRohibet hoc loco Alexander Papa IV. ne Episcopi, aut alij Ordinarij à Fratribus nostris in eorum Diœcesibus commorantibus obedientiam contra ipsorum priuilegia, aut exigere, aut recipere præsumant.

Circa quòd priuilegium, præter dicta supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 46. Minorum *circa* §. 44. Eremitarum Sancti Augustini *circa* §. 31. & 42. nota, quod licet obedientia debebatur Dominis Episcopis, quia illa est vnum ex iuribus Episcopalibus, quæ ipsis debentur, iuxta dicta loco relato ex Mari magno Prædicatorum; nihilominus tamen Religiosi exempti non tenentur ad istam obedientiam præstandam: cum ad id non teneantur neque ex vi voti obedientiæ, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 2. neque ex vi subiectionis, cum sint ab ipsorum subiectione exempti. Exempti autem habentur instar extraneorum, locáque exempta parificantur locis extraneis. *Can. luminoso* 18. *q.* 2. Antonius de Rosellis *in tract. de Indulg. num.* 323. Imò locus exemptis, & locus extra diœcesim pro eodem habentur. Henriquez *in summa lib.* 7. *cap.* 15 § 4. *litt. f* Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancellariæ Gloss* 43. *num.* 182. Nota etiam ex hoc priuilegio haberi Episcopos non posse recipere talem obedientiam à nostris Religiosis etiam in casu, quo illi eam eisdem dare velint. Quia non solùm est illis prohibitum in hac Bulla *exigere* dictam obedientiam ab ipsis, sed etiam *recipere*, prout patet ex verbis ipsius Bullæ. Adde, quòd iuxta dicta *eo cap.* 15. *num.* 5. huic priuilegio exemptionis non possunt renunciare Religiosi: quia vt ibi dictum est, illud est concessum in honorum status Religiosi, cui non possunt ipsi Religiosi præiudicare, & per illud sunt subiecti immediatè Papæ, ac proinde Papa est quasi Episcopus ipsorum, & immediatus illorum Superior, essentque propterea Papæ iniurij ab eorum se immediata subiectione subtrahendo. Vnde casu quo renunciare vellent hic priuilegio exemptionis, id deberet esse non in manibus Episcopi, sed in manibus Papæ, quia hic solum est illorum Superior. Sic Mandosius *in Signatura gratiæ, tit. resignationes vers. exempti, & tit. exemptiones ab Episcopis verbo exempti*, & ex ipso Sanchez *tom.* 2. *consil. moral. lib.* 6. *cap.* 9. *dub.* 1. *n.* 35. Fauet *cap. fin. de renunciat. & c. cum Venerabilis de consuetud.* Sanchez *supra.* Casu etiam quo ex negligentia patiantur subiici Episcopis, adhuc possent resilire, & in se tueri ex iure quo Papæ competit, contra quem non præscribitur nisi per spatium centum annorum *cap. ad audientiam de præscript.* Vbi Panormitanus *num.* 12. Mandosius supra, Hieronymus Rodriguez *in Compendio Resol.* 63. *num.* 23. ex iis, & aliis. Vide Rotæ decisionem supra *circa* §. 33. relatam valde vtilem ad intentum. 280.

Circa §. 49.

COntinet hic §. litteras Nicolai Papæ, quibus omnibus Ordinariis præcepit, vt Fratres nostros in eorum diœcesibus commorantes permitterent diuina officia in propriis Oratoriis celebrare, ab eorum molestiis, & grauaminibus desistentes, & subditos ab eorum inquietatione penitus compescentes. 281.

Pro quibus nota iure optimo Summos Pontifices defensionem Religiosorum, Mendicantium præcipuè, solitos esse suscipere. Primò quidem, quia iuxta dicta paulò ante *in §. præced.* Religiosi isti ratione exemptionis ab Episcopis, & Ordinariis, ita sunt Papæ subditi, vt ipse sit veluti ipsorum 282.

rum Episcopus, & immediatus Superior, ac proinde veluti tenetur eos defendere ab iniuriis, & grauaminibus, quod est proprium Episcopi, & Superioris munus, prout ex Gregorio Nazianzeno, Basilio, & aliis Patribus habetur. Secundò, quia sunt sub protectione Papæ, & Sedis Apostolicæ, prout constat ex multis priuilegiis ipsorum, quæ adducemus. Tertiò, quia Mendicantes portant *pondus diei, & æstus* (prout Pius Quintus, in Bulla *Romanus Pontifex*, & in Bulla, *Et Mendicantium* (*tam in prædicationibus, quam in cæteris spiritualibus muneribus*, ac proinde tanquam palmites fruct feri in agro Domini colendi, vt vberiores in dies fructus producant. Quartò, quia vt habetur in Clementina *Dudum, de sepult.* ipsi sunt coadiutores, seu cooperatores Episcoporum, vt Prælatorum Ecclesiæ, vt propterea Pontifex meritò in his litteris dixerit, quod *Indignum existat; vt iidem Fratres eos molestos sentiant, qui ipsos suæ Religionis obtenta tenentur in visceribus gerere suæ charitatis.* Ad quod valde iuuant, quæ Clemens Quintus in Concilio Generali Viennensi, prout habetur *in cap. Dudum, de sepultur.* relato in fauorem Mendicantium Ecclesiæ Prælatis his verbis intimauit. *Cæterum vniuersos Ecclesiarum Prælatos cuiuscumque præeminentiæ status, vel dignitatis existant, ac Sacerdotes Parochiales, & curatores, siue rectores prædictos præsentium tenore rogamus, & hortamur attentè, nihilominus, quæ eis districtè præcipiendo mandamus, quatenus pro diuina, & Apostolicæ Sedis reuerentia prædictos Ordines, & professores eorum habentes affectu beneuolo commendatos, fratribus ipsis non se difficiles, graues, duros, aut asperos, sed potius fauorabiles, propitios, ac benignos, piaque munificentia liberales se studeant exhibere; sic eos in prædicationis officio, & propositionibus verbi Dei, ac in omnibus aliis supradictis tanquam cooperatores eorum idoneos, & laborum suorum participes prompta benignitate recipiant, ac affectuosè admittere non omittant, vt proinde illis æternæ beatitudinis præmium augeantur, & animarum salutis incrementa felicia procurentur. Nec ipsos lateat quod si secus ab eis agi fortasse contigerit in hac parte, Apostolicæ Sedis benignitas, quæ Ordines, & professores eosdem vbere fauore prosequitur, & gerit in visceribus charitatis, contra eos non immeritò turbaretur, nec eodem æquanimiter pati posset, quin super hoc prouisionis opportunæ remedium adhiberet, ipsosque nihilominus cælestis indignatio Principis digna pro meritis respondentis, cuius obsequia Fratrum ipsorum, sedulitas curiosa prosequitur, minimè præteriret.* Vide alia ad intentum supra *circa* §. 2. Et nota non solùm verba, quæ singuli Pontifices Summi in concessione priuilegiorum Mendicantibus concessorum dicunt, sed maximè quæ Sixtus IV. harum Bullarum, quæ *Mare magnum* appellantur in ipsarum exordio, seu procemio dicit, ea præsertim quæ in hoc Mari magno §.44. pro nostris Carmelitis recitantur; ex eis enim planè demonstratur Summos Pontifices veluti supremos, & immediatos Ordinum Mendicantium Superiores ipsorum defensionem, ac protectionem libenti animo suscipere solitos esse.

283. Ad id quoq; faciendum iure optimo excitari possent vel propter dignitatem Sacerdotij inter ipsos Mendicantes maximè vigentis, cum magna ipsorum pars sacro huic ministerio deseruiat, Interest enim Christianæ Reipublicæ plures ministros habere per quos Deo sacrificia pro populi reconciliatione offerantur, quod Sacerdotum munus esse habet textus *in cap. ipsi Sacerdotes* 1. *quæst.* 1 *& in Authent. quo oport. Episcop. in princ. collat.* 1. Vnde Vlpianus Iureconsultus *in l.* 1.§. *fin.ff.de iust. & iur.* dicit publicum ius, id est, vtilitatem publicam in Sacerdotibus versari. Hoc ergo publicum ius, publicam vtilitatem, & Christianæ Reipub. interesse Summi Pontifices fouent, dum Religiosos protegunt, tuetur, defendunt, ac priuilegiis contra aduersantes communiunt.

Circa §.40.

Concessio hæc Bonifacij VIII. pro Fratribus nostris, quòd scilicet Prouinciales possent 284.
dare facultatem ipsis, quos cognouerint idoneos ad proponendum verbum Dei populo, Diœcesanorum tamen locorum assensu, parum, aut nihil hoc tempore iuuat, cum iuxta dicta *tom.1.cap.20. & tom.2.cap.1.num.12.* ac maximè *tom.3.verb.Concionari, & Concionator Regularis num.6.* ex doctrina Concilij Tridentini *sess.5. cap.2.* ad concionandum in Ecclesiis Ordinum requiritur benedictio Episcoporum; ad concionandum verò in Ecclesiis, quæ non sunt suorũ Ordinũ, requiritur licentia. Iuuare tamen posset, si *Diœcesanorum locorum* nomen tribui potest Parocho, & pro casu, quem aliqui admittunt, dicentes, quod Parochus possit Regularem doctum, & idoneum permittere sine aliqua licentia per aliquot vices. De quo alias. Interim vide dicta *cap.20.num.4.*

Circa §. 41.

Notabilis est hæc Vrbani concessio Fratribus 285.
nostris facta, pluráque notabilia continens. Primò scilicet quòd tam de vsuris, rapinis, vel alias malè acquisitis, de quibus restitutio fieri debeat, & sciri non possit, quibus sit facienda, recipere valeant vsque ad summam centum marcarum argenti. Secundò, quod de quibuscunque legatis indistinctè ad pios vsos relictis, dummodo executorum testamentorum ad id accedat assensus, possint etiam eamdem summam centum marcarum agenti recipere. Item tertiò, de commutatione votorum facta authoritate Diœcesanorum, excepto dumtaxat voto Hierosolymitano. Ponit tamen duas conditiones Pontifex. Prima est, si aliàs non habeant à Sede Apostolica simile priuilegium. Secunda, quod si aliqui de istis centum marchis dimiserint, restituerint, vel dederint illis, à quibus eos receperint, nihil illis prosit quantum ad obligationem, quam habent satisfacieudi.

Quoad primum tamen nota primò, similem 286.
concessionem, immò maiorem haberi pro Minoribus ex Alexandro IV. vt referunt Cassarubius *in Compend. priuil. Mendican. verb. bona num.2.* & Rodriguez *tom.1. quæst. Regul. q.38. art.1.* In ea enim ipsi conceditur, vt de malè acquisitis, & incertis relictis possint recipere quæcunque eis data fuerint, Pro quo etiam alia priuilegia Societati Iesu concessa, refert idem Rodriguez *ibid.* Vbi etiam aliud Innoc. IV. pro Seruitis in libro, cui titulus est *Mare magnum Fratrum Seruorum B.M.V. pag.* 145. Nota secundò, eam videri iure communi permissam, secluso quocunque priuilegio, propter dicta supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 27. ex Nauar. Henriquez, Bonacina, & Card. Lugo. Vtilis tamen erit, iuxta *ibidem* dicta, tum pro Minoribus, quia sine illa non possent semper id facere; tum pro nostris, & aliis Religiosis nostra priuilegia participantibus ad tollendum scrupulos,

pulos, & fugiendam varietatem opinionum, quæ sunt in hac materia de incertorum restitutione. Quæ verò bona computari debeant inter huiusmodi incerta, habes etiam ex dictis in Mari magno Minorum *circa* §.29.

287. Secundum de facultate accipiendi eandem summam centum marcharum argenti (dummodo executorum testamentorum ad id accedat assensus, delegatis ad pios vsus indistinctè) etiam videtur contineri in illo priuilegio Alexandri IV. pro Minoribus, vt patet ex duabus Bullis ipsius apud Rodriguez *in tom.1. Bullar. in Alexand. IV. num.* 16. *&* 17. Quamuis autem etiam hoc videatur iure communi concessum, iuxta dicta *tom.* 4. *verbo legata Regularibus relicta num.*35. ex aliquorum sententia cum aliquibus conditionibus, nihilominus præsens concessio deseruiet, vt dixi, tum ad tollendum scrupulos, tum etiam ad fugiendam varietatem opinionum, quæ quoad hoc sunt inter Doctores.

288. Tertium verò de facultate accipiendi dictam summam centum marcharum argenti ex cómutatione votorũ videtur procedere posse in casu quo aliqua vota commutata essent aliquibus in eleemosynas, quod scilicet tunc possent Fratres nostri ex illis accipere vsque ad d. summam. Et quidem si talis commutatio facta sit in eleemosynas indistinctè faciendas pauperibus aut pro causis piis indeterminatè, pauperes non determinando aut dictas causas pias, tunc vtique iure communi hoc posset fieri, & propterea quantum ad hoc priuilegium istud nihil iuuaret. Pro quo vide dicta à simili *tom.1.cap.6.num.39.& tom.4.verbo legata Regularibus relicta num.* 39. *&* 40. Si verò talis commutatio facta sit in opus pium determinatum, aut in eleemosynam determinato pauperi faciendam, tunc vtique dubitari valde posset, an pro eo casu possent Fratres nostri vti isto priuilegio. Et quamuis videatur probabilis pars affirmatiua, ne dicamus Pontificem nullam gratiam in hoc priuilegio concessisse, nihilominus non audeo id affirmare, quia solum videtur esse hanc concessionem pro casibus, & debitis incertis, & indeterminatis, prout patet in duabus aliis in hac eadem Bulla contentis, non pro casu, & debito certo, & determinato, provt hic loquimur. Excipit autem Pontifex hoc loco votum Ierosolymitanum, quia illud solum est commutandum in subsidium Terræ sanctæ, vt patet *ex cap. magnæ. c. quod super his, & c. ex multa de voto.* Quamuis hoc non procedat hoc tempore, sed procederet olim, quando vrgebat necessitas succurrendi expeditioni bellicæ in illius terræ subsidium. Vt docent Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de voto lib.6.cap.19.num.16.& 17.* & Sanchez *lib.4.in Decalog.cap.56.num.26.*

289. Quoad conditiones assignatas à Pontifice nota, primam videri positã ad limitandum ne Fratres nostri acciperent vltra illam summam centum marcharum, ex vi alterius priuilegij ipsis concessi; per quod tamen non videtur tolli quo minus ex vi priuilegiorum alterius Religionis, quibus propter communicationem vti possunt, (quale videtur illud Alexandri IV. pro Minoribus) id possit facere. Secundum verò, ad tollendam fraudem, quæ posset esse in præsenti dando, vel remittendo aliquid de prædictis centum marchis illis, qui tenebantur facere dictam restitutionem, aut adimplere dicta legata, aut votorum commutationes.

Pro multis autem difficultatibus, quæ solent esse circa huiusmodi incertorum, inuentorum, aut dubiorum bonorum restitutionem, vel applicationem, consulendi sunt authores, qui Bullam, quam vocant *Compositionis*, exponunt, specialiter Henriquez *lib.7.de indulg.* Rodriguez *in expositione huius Bullæ*, & Ludouicus à Cruce *in disp.* 3. *super eandem Bullam.*

Circa §. 42.

Concedit hoc loco Papa Vrbanus IV. Generali, & ab ipso designatis facultatem absoluendi subditos suos excommunicatos propter iniectionem manus in seipsos, & volentes ingredi Religionem à quacunque excommunicatione, nisi merito essent ad Sedem Apostolicam destinandi, & cum illis in irregularitate dispensare. Ita tamen quod si Ordinem postea exiuerint, vel dimiserint, eo ipso prædictis sententiis sint astricti, & dummodo etiam, si aliis sunt debitores, satisfacere teneantur. 290.

De quo priuilegio, quia in sequentibus extensum, ampliatum, & magis declaratum est, eis locis dicemus. Interim consule dicta *tom.* 1. *cap.*18. *&* 24. *ac tom* 3. *verbo Clericus, & verb. Irregularitas*, ac dicta *supra* in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 16. Minorum *circa* §. 14. ac Eremitarum Sancti Augustin. *circa* §. 43. *&* 44. quibus in locis ad alia, in quibus de hac materia aliquid tangitur, me remisi. 291.

Circa §. 43.

Concessio hæc Alexandri IV. extensio est præcedentis ab Vrbano factæ. Siquidem illa Vrbani solum erat pro Generali, & ab ipso designatis, & pro sententia excommunicationis; hæc vero Alexandri est pro Generali, & vniuersis Prioribus. Quia tamen in sequentibus etiam est ampliata, & magis declarata, propterea de ipsa modo nihil dicendum. Vide tamen loca relata § *præcedenti.* 292.

Circa §. 44.

Ab hoc loco incipit Sixtus IV. huius Maris magni, sicut & trium aliorum Mendicantium, author, seu compilator, approbare, innouare, & de nouo concedere omnia, & singula, quæ in prædictis, & superius relatis priuilegiis Nicolai IV. Bonifacij VIII. Clem. IV. Inn. IV. Io. XXII. Alexandri IV. Greg. XI Clem. VI. Eugenij IV. Pij II. Vrbani IV. Callisti III. Nicolai V. Benedicti XIII. Innocentij VI. Vrbani VI. Clement. V. Pauli II. & aliorum continentur; motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed de sua mera voluntate, deliberatione, & certa scientia. 293.

Circa quæ in primis expendenda verba illa Ordini nostro satis honorifica: *Attendentes vberes fructus, quos dictus Ordo vt prædiximus, multa refulgens gloria meritorum, & gratiæ redolens sanctitatis, in agro militantis Ecclesiæ in propagatione Religionis, & fidei Orthodoxæ hactenus prodixit vtiliter, & producit, ac in futurum producturum spe firma tenemus; ac illius statum prosperum, & tranquillum palmites suos à mari vsque ad mare, & etiam ad Barbaras extendendo nationes, propter illius atiquitatem, in Monte Carmeli primariam fundationem, intensis zelantes affectibus.* Quamuis enim circa illa plura ad ipsorum explicationem, & corroborationem dici possent, quia tamen ea ad historiam potius, quam ad moralem doctrinam, 294.

doctrinam, & instructionem Religiosorum, quam modo intendimus, spectant, ideo de illis, singulisque ipsorum in nostris Annalibus, Deo dante, latius dicemus. Interim nota ex illis inferri id quod supra *circa* §. 39. dicemus de defensione, & protectione Mendicantium Ordinum à Summis Pontificibus sæpius benignissimè suscepta.

296. Deinde circa illa verba *motu proprio, non ad eorum Christophori Generalis, aut dicti Ordinis Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli professorum, vel alterius pro eis, nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam*, nota clausulam istam non infirmari ex eo, quòd in principio huius procemij Pont. dixerit: *Cum autem sicut dilecti filij Christophori Martignoni Generalis Magistri dicti ordinis relatione intelleximus.* Primò, quia huiusmodi relatio non est petitio, aut instantia facta Papæ, vt præfara priuilegia innouaret, aut confirmaret, sed solum propositio quædam, quod scilicet, *circa litteras, & priuilegia huiusmodi, eorumque vim, & efficaciam nonnulla dubia exorta* essent, ac proinde potuit Pontifex nihilominus ea ex proprio motu innouare, & conformare. Præsertim quia (vt ipse Pontifex ait) *Nosque etiam experientia didicmus in minoribus constituti*, satis declarans, id quod à Martignono ipsi proponebatur, sibi alias compertum esse. Secundò, quia esto talis propositio Generalis Martignoni instantia, aut supplicatio esset Pontifici facta pro innouatione, aut confirmatione priuilegiorum præfatorum, nihilominus hoc non tolleret, quod gratia non diceretur facta ex motu proprio. Etenim quamuis in gratia facta à Papa præcedat petitio aut instantia, si tamen Pontifex non facit illam intuitu talis petitionis, sed ex mera sua voluntate, aut liberalitate dici debet facta ex motu proprio, iuxta dicta *t.3.v.Clausula,n.*41. & ita tenet Decius *in cap.*2.*num.*23. *de rescript. & consil.*51. *num.*3.*vol.*1.*& consl.*602.*num.*2.*vol.*5. Rebuff. *in concord. inform. mandat. Apostol. in verb. Motu proprio* §. *notandum, & in prax. benefic. tit. de mandat. Apostolic. in clausul. mandator. num.*21. & Menochius *de arbitr. cas.*210. *num.*79. Propterea Motus proprius concessus ad instantiam partis operatur idem, quod motus proprius ex mera liberalitate concessus. Vt sæpè firmauit Rota apud Seraphin. *decis.*365.*num.*1. *&* 2. & in vna Astensi *pensionis* coram Coccino *p.*2.*dec. recent. decis.*656.*num.*1. Diciturque hoc esse quotidianam practicam Curiæ Rom. vt contra aliquos scribit Barbosa *in tract. de clausul.*79.*num.*7. Maximè etiam tertio id conuincitur, quia quoties Pontifex dicit se ex motu proprio concedere aliquam gratiam provt hoc loco dicit, etiamsi ea ab aliquo postulata sit, dici debet ex motu proprio concessa; quia illis verbis declarat Pontifex, se non ex tali postulatione, sed ex sua liberalitate motum fuisse ad illam concedendam. Tum quia ita habetur *cap. si motu proprio, de præben. in* 6. Tum quia oppositum esset Ponrificem mendacij redarguere. Sanchez *lib.*8.*de matr. disp.*1. *num.*6. post Baldum, Decium, Rebuffum, & alios.

297. Pro effectibus quos hæc clausula *Motu proprio* producit, dicta *tom.*3.*verbo clausula, num.*41. & supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §.38. Minorum *circa* §.38. Eremitarum sancti Augustini *circa* §.33. ac Authores iis locis relatos.

298. Circa clausulam illam *Ex certa scientia*, qua vtitur Pontifex in confirmatione dictorum priuilegiorum, vide etiam dicta eo *verbo clausula, numero* 29. & supra in Mari magno Prædicatorum §. 38. & Eremitarum sancti Augustini §.33. cum Authoribus ibi relatis. Vbi etiam de effectibus, quos hæc clausula producit. De quibus etiam latè infra in Mari magno Seruitarum circa § 28. Quia tamen plura ex iis, quæ iis locis, & ab iis Authoribus dicuntur, firmata sunt à sacra Rota in vna Leodiensi *Collectarum* 7. Aprilis 1628. coram Coccino, ideo placuit ipsius Rotæ verba ad vnguem hic ponere. Quæ sunt talia.

Quod autem confirmatio fuerit ex certa scientia, satis deprehenditur ex verbis ipsarum Constitutionum. In eis enim narrantur singulariter priuilegia concessa Religioni, videlicet Leonis X. Clementis VII. Pauli III. Pij IV. Pij V. & narrantur exemptiones in eis contentæ, scilicet *à solutione, & exactione decimarum, censuum, iurium, & synodalium, & Canonicarum portionum, seu charitatiui subsidij, ac ineundi aduentus, seu quartæ, aut aliàs quomodolibet, aut aliorum quorumcunque onerum*, sub certis modis, & forma, *exemerint, & liberauerint*, scilicet Pontifices prænominati, prout in diuersis *Prædecessorum desuper confectis litteris pleniùs continetur, &c.* Tandem subditur *Motu proprio, Non ad Magistri, &c. sed ex certa scientia, & mera nostra liberalitate, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula priuilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & alias gratias eidem Magistro, & conuentui quomodolibet concessas Apostolica authoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam iuris, quàm facti defectus, si qui forsan interuenerint; supplemus*, &c. vnde attento tenore non potest ambigi, quod confirmatio priuilegiorum fuerit facta ex certa scientia. Nam licet aliqui velint quod ad hunc effectum debeat narrare totum factum, vel inseri totus tenor priuilegij. Abbas *in capit. quia diuersitatem, num.*9. *in fin. de concess. præbend.* Cardinalis *consil.*43. *numero* 6. attamen tutior est opinio Gloss. *in cap.*1. *versic. de quæstione, de confirmatione vtili, vel inutili*, quod confirmatio ex certa scientia tunc dicitur, quando est facta cum causæ cognitione; in forma verò communi dicitur facta, quando non adest causæ cognitio, & idem dicit Affl. *in titul. de iure sua curiæ obseru. num.*5.*R.*4. *lib.*3. Barbat. *inter consil.* Alexand. *consil.*123.*num.*18.*volum.*4. & idem Alexan. *consil.*15.*n.*2.*in fin. & num.*3.*lib.*5. vbi quod quando ex præcedentibus, & sequentibus constat Papam fuisse informatum, si dicatur postmodum, *ex certa scientia*, prout in casu nostro confirmatio præsumitur ex certa scientia, in prædictis autem confirmationibus fuit inserta substantia priuilegiorum confirmatorum, quæ ostendit causæ cognitionem. Gloss. *in cap. Pastoralis*, §. *Præterea, in versic. ex certa scientia de offic. deleg.* Felin. *in cap. cùm inter col.*1.*&* 2. *de except.* Decius *in cap. porrecta, num.*15.*de confirmatione vtili, vel inutili.* Roman. *consil.*327.*num.*7. Gabriel *consil.*183.*num.*14.*lib.*2.& fuit dictum in causa Abulens. *Iurisdictionis* 25. Ianuarij 1588. coram Orano, & in similibus terminis fuit resolutum in causa Toletana *Admissionis* 17. Iunij coram Reuerendissimo Domino meo Patriarcha Antiocheno. Ita Rota relata ad intentum nostrum vtilia. Vide dicta supra in Mari magno Eremitarum sancti Augustini *circa* § 33.

Circa

Circa §. 45.

300. IN hoc §. supplet Pontifex ex *certa scientia*, & *motu proprio* defectus, si qui interuenerunt in priuilegiorum præfatorum concessione,& pro potiori cautela illa *vim,vigorem*, & *efficaciam* habere debere concedit,& indulget.

301. Circa quod notanda sunt, quæ dixi *tom.3. verb. clausula, num.70.* circa clausulam illam *supplentes defectus*,illam scilicet, supplere defectus iuris positiui,saltem accidentales, & qui solum pertinent ad iuris solemnitatem, & aliquando etiam substantiales,vt ibi dictum est. Pro quo, præter Authores ibi relatos lege Martam *in tract. de clausul. part. 1. clausul.73.num.14.& clausul.181.per tot.* Nota tamen quod quamuis hic Author referens Abbatem teneat, quod hæc clausula non operetur expressa obreptione, & falsitate (quod etiam sequitur Barbosa *in tract.de claus. claus.177. n.17.* nihilominus ex Rota decis. apud Mantic. *inter decis. ipsius num. 222.§.non obstant*, quod etiam videtur sequi ex alia Rotæ decis.coram Orano in vna Abulensi *Iurisdictionis* colligi videtur etiam tollere vitium subreptionis. De quo alibi.

Circa §. 46.

302. HOc loco,conformiter ad priuilegia Innocentij IV. Clementis IV. Innocentij VI. & Alexandri IV.quæ Sixtus IV. confirmat,concedit Fratribus nostris exemptionem à solutione collectarum,exactionum, decimarum, & quarumcunque quotarum, declarans, & decernens, quod etiamsi decimæ, seu onera huiusmodi imposita essent quibuscunque exemptis, etiam Mendicantibus, nihilominus ad ea non teneri Fratres nostros.

303. Pro quibus primò notanda clausula illa, *sicut accepimus*, qua vtitur Pontifex in principio huius §.ad denotandum se accepisse nonnulla dubia exorta fuisse circa priuilegia relata. Ea namque iuxta dicta *tom.3.verbo Clausula,num 66.* & supra in Mari magno Min. *circa* §.39. non eget iustificatione, seu probatione eo quòd ponitur in gratia motu proprio concessa,prout est ista,de qua in præsenti etiamsi requireretur talis iustificatio, si gratia hæc solum esset ad instantiam partis;sicuti docent Put. *dec.100. lib.3. in correct.* Seraph.*decis.1371 .num.4*, Rota *decis.447.num.1.& 2.p.1. Diuers. & dec.656, n.3 parte 2. Recent.*

304. Pro exemptione autem à solutione collectarum, seu exactionum quarumlibet nota,quod si ea sint imposita à potestate sæculari imponentes ea sunt excommunicati *cap.non minus, & cap.aduersus de immun.Eccles.*& aliis iuribus relatis *3. tom.verbo Gabella quoad Regulares, num.5. & 23.* Filiucius *tract.14. num.43.* Barbosa *de offic.& potest. Episcop. Allegat.50.num.127.* Estque hæc excommunicatio Papæ reseruata in Bulla Cœnæ *cas.* 18. iuxta dicta eo *3. tom.verb. Bulla Cœnæ, n.46.* & tractant Filiucius, Vgolinus, Duardus, Alterius, Bonac. & alij Bullæ Cœnæ Expositores. Est autem *collecta* idem quod tallia, vel præstatio, quod soluitur à ciuibus pro rebus. Filiucius *tract. 16. cap.5. num. 103.* Exactionum autem nomine veniunt generaliter omnia illa onera, quæ exiguntur, vt sunt gabella, tributum,pedagium,guidagium, & similia,de quibus dixi eo *verbo Bulla Cœnæ,n.17.46.& 47.*& tractat Filiucius *supra*. Ab iis ergo omnibus oneribus eximuntur Religiosi nostri ex vi huius priuilegij, etiamsi imponantur non solum à secularibus Principibus, vel dominis,sed etiam à Sedis Apostolicæ legatis. Pro quo,præter dicta locis relatis, & supra circa similia priuilegia in Mari magno Prædicatorum §.17.& 35.Minorum §.15. 16.17.& 36. Vide Ferrerum *tract.de Gabell.& vectigalib.n.564.* Suarez *de legib.lib.5.cap.13.& de cens.disp.21. sect.2.à num. 99.* Comitelum *lib. 1. responsion.moral.q.95.* Portell. *in dub. Regular. verbo Tributum*, ac Hieronymum Rodriguez *in Compend. Resolut.63. à n.29.*

Pro charitatiuo subsidio, à quo specificè eximuntur Religiosi nostri in hoc priuilegio, præter dicta supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 305.
35.nota, quod quamuis propter hoc, & alia priuilegia, præsertim Gregorij XI.Eugenij IV. Sixti V. & Gregorij XIII.exempti sint nostri, & plures alij Religiosi ab ipsius solutione,nihilominus in Regnis Hispaniarum propter reuocationem dictorum priuilegiorum factam à Pio V. & Gregorio XIII. debet solui Rodriguez *in Add. Sum.t.4.c.142.n.4.* Portellus *in dub. Regularium, verbo Tributum, n.3.* alter Rodriguez *in compen. Resolut..n.63.33. & Resolut.137.n.2.*&Scholiastes huius Maris magni *hic.* 306.

Pro exemptione autem à decimis de noualibus propriis manibus, aut sumptibus laboratis, & de hortis, virgultis, piscationibus, &c.nota quæ dixi *tomo 1.cap.3.num.14.& 15.& tom.2.cap.1.num.32. & tomo 3.verbo Decimæ quoad Regulares, num.2.3. & 4. & supra* in Mari magno Prædicatorum *circa* §.26. Minorum *circa* §.28. Eremitarum sancti Augustini *circa* §.13. Nota etiam decimam Papalem appellari tam in hoc, quàm in aliis similibus priuilegiis, decimam partem fructuum de beneficiis Ecclesiasticis, quam Summi Pontifices reseruare solebant ad necessitates Ecclesiæ subleuandas, & ad expeditionem belli contra infideles, ad instar doni solui soliti à Leuitis summo Sacerdoti, Numerorum *cap.18.*& 2. Esdræ *cap.10.*& refertur *cap. 1. de decimis.* Rebuffus *de decimis, quæstione 13.* Hieronymus Rodriguez loco relato *ex resolut. 137.*

Circa §. 47.

COntinetur sub hoc §. amplissimum priuilegium Sixti concessum Ordini nostro pro Pinzocheris, seu Terriariis nostris, communicando videlicet illis omnia, & singula indulta, priuilegia, & indulgentias Ordinum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum sancti Augustini; conformiter etiam ad concessionem Nicolai V. de qua supra §.33.& Eugenij IV. Martini V. & Bonifacij IX.pro Ordine Eremitarum sancti Augustini, quæ habetur *suprà* §.34. Circa quam materiam, quia plura dicta sunt *tomo 2.cap.14.& tomo 4.verb. Tertiarij, & Tertiariæ*, & in Mari magno Eremitarum sancti Augustini *circa* §. 8. alia quoque dicemus infra *circa* §.84. huius Maris magni, & §. *sequenti*, ideo ad alia properandum, solum animaduertendo huiusmodi priuilegia Pinzocheris, & Tertiariis concessa limitanda esse iuxta limitationem traditam à Leone X.in Concilio X. in Concilio Lateranensi, de qua dixi eo *cap.14. num. 27.* ita scilicet vt solum *viri collegialiter viuentes, seu cum claustralibus habitantes,ac mulieres virginalem, seu cœlibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu* (scilicet Ordinis) *vitam ducentes, priuilegiis, quibus Fratres Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum gestant,gaudere debeant.* Et iuxta explicationem sacræ Congregationis, quàm ibidem, *numero 28.*retuli. Vbi etiam *numero 29.*de aliis con- 307.

ditionibus pro eisdem à S. Congregatione requisitis. Ex quibus etiam colligi potest quid sentiendum de iis, quæ ex variis Doctoribus afferunt Carrillo *lib.3. Tertiariorum*, & Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resolut.* 136. Reducenda enim ad prædictas limitationes Concilij, & S. Congregationis.

Circa §. 48.

308. Conceditur hoc loco à Sixto IV. facultas Fratribus nostris ad ministrandum Sacramenta Pinzocheris, seu Tertiariis, & eorum cadauera post mortem sepeliendum, & ad proprias Ecclesias portandum, etiam sine Parochorum licentia.

309. Hæc porrò omnia limitanda sunt iuxta dicta *tom. 2. cap.* 14. relato. Etenim; iuxta dicta *ibidem num.* 34. quoad Sacramentorum administrationem, licet *viri collegialiter viuentes, aut cum Claustralibus habitantes, & fœminæ virginalem, cœlibem, aut castam vidualem vitam ex voto ducentes, possint vti priuilegiis suorum Ordinum*, tamen viri separatim viuentes, aut fœminæ prædictam vitam non gerentes, quales sunt maritatæ, aut aliæ, quæ non habent prædictum votum, Eucharistiam in die Paschatis, Extremam Vnctionem, & alia Ecclesiastica Sacramenta (Sacramento Pœnitentiæ dumtaxat excepto) in proprio Sacerdote suscipere tenentur. Ita enim habetur ex Bullis Leonis X. & declarationibus Sacræ Congregationis, quas retuli, *eo cap.* 14. *num.* 27. *& seqq.* & ex Cassarubio, Rodriguez, & Gauanto *eo num.* 34. relatis. Ex quo, vt ibidem dixi, sequitur, quod Eucharistiam vltra diem Paschatis, & Sacramentum Pœnitentiæ semper, possint recipere ab alio, quam à proprio Sacerdote, iuxta sua priuilegia. An verò ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ tam viris, quam fœminis Tertiariis requiratur approbatio Ordinariorum, ita vt quo ad hoc etiam sit limitatum hoc priuilegium Sixti IV. dixi quid sentiendum *eo num.* 34.

310. Circa sepulturam quoque, & cadauerum portationem ad Ecclesias, etiam licentia parochorum non requisita, vide limitationem ex Bulla Leonis X. & S. Congregationis declarationibus adductis *eo cap.* 14. *num.* 33. *&* 4. *tom. verbo Tertiarij, & Tertiariæ num.* 2. 3. *&* 4. præsertim iuxta vltimam editionem Venetam anni 1645.

311. Ex eo autem, quod in hoc priuilegio Sixti IV. dicatur: *Dum eos, vel eas decedere contigerit*, constat id quod diximus *eo cap.* 14. *num.* 10. *&* 11. Pontificem scilicet loqui de Tertiariis vtriusque sexus tam viris, quam fœminis, eosque in nostro Ordine admitti, prout clarius, & expressius constabit ex §. 84. huius Maris magni, vbi idem Pontifex vtitur illis verbis *Vtriusque sexus personas*, quæ etiam retulimus *eo num.* 11.

Circa §. 49.

312. Hoc loco Pontifex extendit priuilegia concessa pinzochetis, seu Tertiariis, imò etiam Fratribus, & sororibus Ordinis, ad oblatos, seu oblatas, commissos, seu commissas ipsius, ac si pro illis essent concessa. De illis autem latè egi *tom.* 2. *cap.* 8. *& tom.* 4. *Verbo Oblati, seu Commissi*, & supra in Mari magno Eremitarum Sancti Augustini *circa* §. 36.

313. Notat præterea Scholiastes huius Maris magni Donatos, seu Oblatos nostrorum Patrum Discalceatorum, qui solum trium votorum simplicium professione sunt astricti, esse personas Ecclesiasticas, & gaudere priuilegio fori, & Canonis. De quo etiam nos *eo cap.* 8. *d. num.* 5. *&* 4. *tom. eo verbo Oblati, seu Commissi à num.* 4. Nota præterea, quòd etiam personæ oblatæ, seu commissæ Monasteriis Monialium Ordinum Prædicatorum, & Minorum, seu aliorum, qui communicant in priuilegiis cum ipsis, gaudent priuilegiis concessis, & concedendis suis Ordinibus, ex concessione huiusmet Pontificis Sixti IV. in Bulla aurea *circa* §. 4.

Circa §. 50.

Ampliat, & extendit Pontifex Sixtus Priuilegia à suis prædecessoribus Innocentio IV. 314.
Alexandro IV. & Gregorio XI. nostris Fratribus concessa circa celebrationẽ tempore interdicti; ita scilicet, vt liceat illis eo tempore habere altare portatile, & super illo in locis conuenientibus Missas, & diuina officia coram quibuscunque celebrare, admittendo etiam secum Tertiarias, & Oblatas personas ac Procuratores, & Aduocatos Monasteriorum. De qua materia non solùm dixi *supra* §. 3. *&* 4. *ac* 36. sed etiam sæpius. Etenim quod attinet ad altare portatile, & cum eo celebrandum in quouis loco congruenti, dixi *tom.* 1. *cap.* 21. *n.* 14. *&* 15. *& tom.* 3. *verbo Altare num.* 13. 14. *&* 15. *ac* 16. vbi plura de huiusmodi Altaribus, *ac tom.* 4 *verbo Oratoria quoad Regulares*, præsertim *num.* 6. sub quo verbo plura etiam pertinentia ad huiusmodi Oratoria. Quod attinet autem ad tempus interdicti, de eo dixi *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 19. *&* 20. *& tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 21. *& tom.* 3. *verbo Interdictum quoad Regulares num.* 28. *& sequent.* Similiter, quod attinet ad Tertiarias personas dixi *tom.* 2. *cap.* 14. *& tom.* 4. *verbo Tertiarij, & Tertiariæ*, & quod spectat ad personas Oblatas, plura etiam dixi ad intentum *tom.* 2. *cap.* 8. *& tom.* 4. *verbo Oblati seu Commissi.* Præterea de Procuratoribus, & negotia gerentibus Religionum dixi *tom.* 2. *cap.* 17. Alia etiam habes in similibus priuilegiis Prædicatorum, in ipsorum Mari magno *circa* §. 39. *&* 40. Minorum §. 39. Eremitarum S. Augustini §. 37.

Notat vlterius noster Scholiastes priuilegium 315.
hoc admittendi istas personas tempore interdicti ad officia diuina dubium esse an sit derogatum per Concil. Tridentinum, & Nauarrum id affirmare, esse tamen communem fermè sententiam contrariam. Sed de hoc iam dixi locis relatis, quid sentiendum. Notat etiam hæc priuilegia suspendi in Hispania per Bullam Cruciatæ. Sed, cum iuxta dicta *tom.* 3. *verbo Bulla Cruciatæ num.* 38. ac præcipuè *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 59. per Bullam Cruciatæ solum suspendantur priuilegia concessa Monasteriis, Ecclesiis, Hospitalibus, Confraternitatibus, Vniuersitatibus, piis locis, & singularibus personis; hoc autem priuilegium, & similia concessa sint Ordinibus, & Religionibus ipsis, ideo videtur dicendum non suspendi per illam. Præsertim cum sint concessa in ordine ad sæculares, quos non comprehendi in dicta suspensione eis locis dixi. Vide Sanchez, Dianam, Ludouicum à Cruce, & Cardinal Lugo eis locis relatos.

Extat etiam specialis quædam concessio pro 316.
Fratribus Ordinis SS. Trinitatis ex Clem. VII. in Bulla recitata à Rodriguez *in Bullario in Clem. VII. Bulla* 6. vbi Pontifex hæc habet: *Volumus insuper ac præcipimus, quod cum dicti Fratres procuratores, vel*

vel eorum nuntij ad aliquas Ecclesias aduenerint interdictas, in eorum iucundo aduentu Ecclesiæ aperiantur, ac campanæ pulsentur, ac quod ibidem campanis pulsatis, & ianuis apertis diuina officia celebrentur, ac corpora mortuorum ibidem Ecclesiasticæ tradantur sepulturæ, nisi excommunicati nominatim fuerint, aut publici vsurarij. Notant hoc priuilegium Portellus *in dub. Regul. verbo interdictum in Addit. num.* 4. & Hieronymus Rodriguez *in Compend. verbo Interdictum Resolut.* 80. *num.* 33. Notare etiam oportet circa illud, simile priuilegium concessisse Innocentium IV. Ordini B. Mariæ de Mercede, vt patet ex Bullario huius Ordinis in hoc Pontifice Bulla 2. Vbi Notat eius scholiastes Seraphinus etiam Freiras hoc etiam priuilegium concessum fuisse Templariis, esseque reuocatum per *cap. Alma mater*, provt tenent Glossa, Rodriguez, & Collector, licet postea idem Scholiastes in Bullam 2. Bonifacij VIII. dicat esse reualidatum, & de hoc iterum se acturum, quamuis non videam hanc reualidationem. Priuilegium autem Clem. VII. pro Trinitariis non patitur hanc exceptionem.

Circa §. 51.

317. CONceditur hoc loco facultas nostris Religiosis administrandum Sacramenta iis, qui in nostris immorantur obsequiis, & eos sepeliendum in cœmeteriis nostris, cum decesserint, in confirmationem priuilegij Alexandri IV. de quo in §. 13.

318. Circa quod notat Scholiastes huius Maris magni per istos famulos, seu familiares, qui nostris immorantur obsequiis, intelligi illos, qui sub gubernatione Prælati in nostris Conuentibus assistunt, etiamsi aliquando extra Monasteria sint in eorum negotiis occupati. Quod latè probaui *tom. 2. cap. 16. num. 1. &* 14. maximè propter decretum Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 11. De quo etiam Ludouicus à S. Ioanne *in Summa tom.* 1. *quæst.* 8. *art. 9. de Eucharistia dub.* 3. Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resolut.* 63. Villalobos *in Summ. tract. 10. de Extrema Vnction. dub. 6. num.* 3. & Quintana Dueñas *in singul. tract. 5. singul. 3. &* 4. Notat etiam idem Scholiastes dubium esse an hoc priuilegium suspendatur in Regnis Hispaniæ per Bullam Cruciatæ, & dicit cum Rodriguez *in Additionibus ad Bullam §. 5. in fin.* vtendum esse cum moderatione. Sed quamuis moderatio, & modestia maximè consulenda sit Religiosis, nihilominus, iuxta dicta *circa §. præcedentem* videtur dicendum non suspendi hoc priuilegium per Bullam Cruciatæ.

319. Dubitari autem potest, an cum in hoc priuilegio solùm concedatur facultas Fratribus nostris ad sepeliendum dictos familiares in cœmeteriis nostris, possimus eos sepelire etiam in Ecclesiis. Et videtur dicendum, quod ex vi huius priuilegij non possint sepeliri nisi in cœmeteriis. Ratio est, quia aliud est cœmeterium, de quo in hoc priuilegio, aliud vero Ecclesia, aut Oratorium, de quibus hîc nulla fit mentio; & Ecclesia seu Oratorium nobiliora loca sunt quam cœmeteria quæ sunt veluti accessoria illis, *de consecrat. Eccles. in 6. cap. vnic.* Vnde antiquitus solùm Episcopi sepeliebantur in Ecclesiis, reliquus vero populus fidelium in cœmeteriis, licet postea consuetudine introductum sit vt fideles omnes possent in Ecclesiis sepeliri. Stephanus Durant. *de ritib. Eccles. lib. 1. cap.* 23. Villalobos *in Summ. p. 2. tract.* 31. & alij apud Barbosam *de iure Ecclesiastic. lib. 2. c. 10. n. 6. 7. &* 8. Ad intentum ergo cum Pontifex solùm concedat facultatem sepeliendi dictos familiares in cœmeteriis, videtur voluisse limitare locum sepulturæ, & quod non esset Ecclesia. Dixi autem *ex vi huius priuilegij*, nam ex vi alterius Alexand. IV. de quo in §. 13. cum in illo indefinitè, & indeterminatè concedatur facultas tradendi dictos familiares *Ecclesiasticæ Sepulturæ*, non determinando sepulturæ locum; possumus illos etiam in Ecclesiis sepelire; siquidem Ecclesia ex vsu fidelium est locus sepulturæ pro omnibus *c. nullus* 13. *quæst. 2. cap. Ecclesiam de consecrat. d. 1. cap. ex parte, cap. cum liberum de sepult.*

De aliis porro quæ spectant ad admistrationem Sacramentorum pro istis familiaribus vide dicta *eo cap.* 14. relato, & supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 11. & Minorum *circa* §. 9. & obserua, quod dictum istis locis, scilicet, quod ad ministrandum familiaribus (intelligere iuxta Concilium Tridentinum *sess. 24. cap.* 11. si actu seruiunt Monasteriis, & intra eorum septa, & obedientia viuunt) Sacramentum Pœnitentiæ non requiri approbationem ab Ordinario, sed tantum à Prælato Religionis, declaratum esse à S. Congregatione nouissimè etiam approbat Barbosa *in Summ. Apostoliç. verbo Familiares num.* 18. ex Armendariz. 320.

Circa § 52.

PRiuilegium, de quo in hoc §. agitur, concessum etiam est Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 12. & Minoribus in eorum etiam Mari magno §. 10. Consistit autem in hoc, quòd familiares, Procuratores, & operarij nostri non sint obnoxij censuris, quæ generaliter promulgantur in terris in quibus resident Fratres nostri. Sed quod possint diuina audire sicut iidem Fratres, nisi specialiter excommunicati, vel interdicti fuerint. 321.

Circa quod priuilegium, præter dicta locis citatis, in Mari magno Prædicatorum, & Minorum, & locis ibi relatis, vlterius notandum, priuilegium istud (provt notat etiam Scholiastes huius Maris magni) limitatum esse à Concilio Trident. *sess. 24. cap.* 11. ita vt prædicti familiares, Procuratores, & operarij nostri non possint potiri ipso, nisi actu seruiant Monasteriis, & inter eorum septa, & sub eorum obedientia viuant. Quod intellige, probabiliter, iuxta dicta *tom. 2. cap. 16. n.* 14. (quod etiam deseruit pro his, quæ superius diximus de familiaribus) quatenus istud priuilegium *perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere* cognoscetur, vt idem Concilium in principio illius capitis dicit, & nos eo loco ex Rodriguez notauimus. Notat etiam alter Rodriguez *in Compend. verbo Excommunicatio Resol. 62. num.* 9. requiri etiam ad hoc quod dicti familiares fruantur dicto priuilegio, quòd sub Regula Religionis viuant, quia Concilium hoc requirit. Sed nec hoc est verum, nec Concilium id requirit; loquitur etiam sub disiunctione, scilicet dicen. *Exceptis iis qui prædictis locis (* Monasteriis *) actu seruiunt & intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt.* Subdit postea sub disiunctione. *Siue iis, qui legitimè, & secundum Regulam earundem militiarum professionem fecerint.* Vbi de veris professis est sermo, & de quibus etiam intel- 322.

ligo id quod subdit Concilium *De qua Ordinario constare debeat.* Nota etiam moderatum esse hoc priuilegium ante Concilium Tridentinum à Concilio Lateranensi, & Leone X. iuxta dicta *eo cap.16. num. 13.* ita scilicet, quòd operarij nostris seruitiis insistentes sententiis excommunicationis promulgatis illaqueati essent, & esse censerentur, si illis causam dedissent, aut dantibus consilium, auxilium, vel fauorem præstitissent.

323. Notandum etiam, ex eo Pontificem in proprio huius §. dixisse: *Si quando autem in terris, in quibus residetis, vel in eorum personas excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari*, de indefinitè, & indeterminatè, quia scilicet, ea debent intelligi secundum distributionem accommodam vt dicitur. Etenim, iuxta dicta *tom. 3. verbo Interdictum quoad Regulares num. 8.* licet excommunicari nequeant Vniuersitates, Collegia, Ecclesiæ, & similia, sed solùm personæ; interdici tamen possunt tam personæ, quam prædictæ Vniuersitates, Collegia, &c. prout Nauarrus, & Toletus eo loco relati, & communiter Doctores tenent. Propterea ergo Pontifex indeterminatè, & indistinctè loquitur de huiusmodi censuris. Nō verò nominat suspensionem, quia hac censura non afficiuntur sæculares, sed solùm Ecclesiasticæ personæ, iuxta dicta *tom.4. verbo suspensio quoad Regulares n.1. & 3.* dicti autem familiares, seu operarij Fratrum personæ sæculares, saltem regulariter loquendo, solent esse.

Circa §. 53.

324. Conceditur hoc loco vt in excommunicatorum terris liberè commorari possint Fratres nostri, & ab eis tunc, & etiam quando per ipsos transierint, necessaria vitæ deposcere, ac recipere.

325. Circa quam concessionem notat Scholiastes noster ferè nihil habere præter ius commune. Sed, vt dixi in simili priuilegio Prædicatoribus cōcesso in eorum Mari magno *circa* §. 13. dici potest hanc, & similes concessiones, seu priuilegia continere aliquam gratiam supra ius commune, deseruire posse Regularibus prædictis ad communicandum cum præfatis excommunicatis non toleratis, seu vitandis, quando in eorum terris commorantur, non solùm in eis, quæ pertinent ad ipsorum excommunicatorum conuersionem; aut salutem spiritualem, neque in proximè illa concernentibus, qualia sunt salutationes & allocutiones, quæ inter ea admisceri solent, iuxta dicta *tom. 3. verbo Excommunicatio quoad Regulares num. 45.* ex Syluestro, Nauarro, Rodriguez, & Bonacina, sed etiam in aliis, quæ solum remotè, & mediatè conducunt ad prædicta. Similiter, iuxta dicta ibidem, concessio ista de postulando, ac recipiendo necessaria vitæ ab excommunicatis, extendi etiam debet, ne inutilis reddatur, etiam pro casu quo tales excommunicati essent vitandi, aut non tolerati. Vide alia eo §. 13. & in Mari magno Minorum *circa* §. 11. præcipuè, quod attinet ad causam huius concessionis, quam exprimit Papa illis verbis: *quia vos voluntariam patientes paupertatem*, &c. an scilicet quando cessat causa finalis priuilegij, cesset ipsum priuilegium, quæ est difficultas communis tam pro isto quam pro multis aliis priuilegiis.

326. Quia verò contigere potest, quod isti excommunicati sint hæretici, ideo quæri potest, an liceat Religiosis apud illos existentes prædicare pro ipsorum conuersione ad fidem. Et dicendum, quod licet, iuxta dicta *tom.3. verbo Concionari, & Concionator Regularis num.3.* concionandi munus solùm conueniat Prælatis Ecclesiarum, & Religiosis non nisi ex priuilegio, nihilominus existentes in terris hæreticorum possunt id munus exercere ex voluntate præsumpta Papæ, & Pastorum Ecclesiæ, si expressa illorum licentia haberi non possit. Sic colligo ex Cardinali Lugo *de fide disp. 19. sect. 1. num. 46.* Et ex eo, quod cum Mendicantes sint cooperatores, seu coadiutores Episcoporum, prout sæpius dixi, & colligitur ex Clementina *Dudum, de sepult.* proculdubio debent præsumere pro tali casu necessitatis, seu vtilitatis Ecclesiæ, posita ipsorum capacitate ad id munus exercendum se habere licentiam ad id faciendum à præfatis Ecclesiæ Pastoribus. An verò id fieri possit etiam cum custodia armatorum, ne impediatur ab hæreticis talis prædicatio, tractant Castrus Palaus *p.1. tract.4. disp.2. punct.5. num.9.* Diana *6.p. tract.4. Resolut.15. &* Lugo *supra sect. num.52. & 53.* & aliis. De quo etiam Rodriguez *tom.3 quæst.32. art.4.*

Circa §. 54.

Conceditur hoc loco Papa Sixtus Generalis, & Prouincialibus facultatem ad absoluendum Fratres, & dispensandum cum illis, in quibuscunque casibus in quibus in censuras, vel irregularitates incurrerint, nisi in casibus (inquit Pontifex) *in præsentibus litteris exceptis.* 327.

De qua facultate multa diximus non solùm in præsenti opere in Mari magno Prædicatorū *circa* §.14.15.41. & 42. & in Mari magno Minorum §. 12. 40. & 49. Eremitarum Sancti Augustini §. 43. & 44. sed etiam in multis aliis locis ibi relatis, quæ quidem sufficere possent ad intentum; alia tamen pro maiori notitia rei valde necessariæ addenda. 328.

Et primò quidem casus excepti à Pontifice in hoc priuilegio, & in quibus declarat se nōn concedere facultatem ad absoluendum seu dispensandum, sunt, iuxta dicenda infra *circa* §. 62. quoad absoluendum, hæresis cum relapsu, schisma, falsificatio litterarum Apostolicarum, & delatio prohibitorum ad infideles, sicut etiam in Mari magno Prædicatorum §.41. Minorum §.40. & Eremitarū Sancti Augustini §.43. Quoad dispensandum verò, iuxta dicenda infra *circa* §.63. sunt, irregularitas propter homicidium voluntarium, bigamiam, seu mutilationem membrorum, quæ etiam irregularitates exceptæ sunt in Mari magno Prædicatorum §.42. Minorum §.49. Eremitarum S. Augustini §. 44. 329.

Pro vsu autem horum priuilegiorum nota absolutionem datam à Prælatis, quibus conceduntur, valere, etiam si ipsi ignorent illa. Iuxta iuris regulam, *Si non valet, quod ago vt ago, valet vt valere potest.* Quæ interpretanda est, quod semper quis vult valere actum omnimodo quo valere potest. Imò, & in dubio hoc præsumendum est de intentione absoluentis. Panormitanus *in cap. licet de offic. ord. & in cap. cum super de offic. deleg. num. 12.* Portellus *in dub. Regularium verbo Prælatus num.34.* Hieronymus Rodriguez *in Compend. resol.3. num.13.* post alterum Rodriguez. Deseruiet autem hæc regula, præsertim pro absolutione, & dispensatione, quæ concedi solent à Prælatis Regularibus tempore visitationum, de qua dixi supra in 330.

Mari

Mari magno Eremitar. §. 44. Valebunt namque, etiamsi Prælati ignorent hæc, vel alia priuilegia.

330. Pro quo vlterius notandum huiusmodi absolutionem seu dispensationem in Ordine nostro dari debere non solùm in visitationibus, & capitulis, sed etiam in magnis solemnitatibus. Ita enim habetur in Breuiariis nostris etiam à Sede Apostolica, & Gregorio XIII. approbatis, in quibus talis forma assignatur. Dicto *Confiteor Deo & Misereatur*, Prælatus dicit: *Si tenemini aliquo vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum se extendunt gratiæ, & priuilegia Ordini nostro indulta, mihi commissa, & vobis concessa: ego absoluo vos, & restituo vos Sacrosanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & vnitati fidelium, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Eadem authoritate ego dispenso vobiscum super omni irregularitate, si quam contraxistis; & habilito vos executioni Ordinum, & officiorum vestrorum. Item eadem auctoritate facultatem vobis damus, vt possitis absolui à Confessoribus per nos, vel alios superiores vestros approbatis, pro hac vice eligendis, ab omnibus casibus nobis reseruatis, & ab omni trasgressione Regulæ, & Constitutionum, & admonitionum maiorum vestrorum, & ab omni pœnitentia oblita, & neglecta. Item remittimus vobis pœnas quascunque vobis debitas propter transgressionem Regulæ, fractionem silentij in Choro, Sacristia, Capitulo, Claustro, Refectorio, & Dormitorio.* Additur etiam pro Prouinciali, vel eius Vicario. *Et quæcunque alia de quibus consueuit fieri remissio in consimilibus solemnitatibus, vel capitulis; & precamur vt sitis absoluti bis, & ante Tribunal Domini nostri Iesu Christi: habeatis vitam æternam, & viuatis in sæculo sæculorum. Amen.* Subiungitur postea debere iniungi pœnitentiam ad libitū Prælati. Quia id est omnimodè necessarium, saltem propter vsum, & praxim Curiæ in similibus absolutionibus, & dispensationibus, iuxta dicta *tom. 3. verbo Irregularitas num. 86.*

331. Præterea notandum, huiusmodi absolutiones, & dispensationes valdè, magníque habendas, & æstimandas esse. Primò quidem, quia, iuxta dicta *tomo 1. cap. 18. num. 93.* illæ deseruiunt non solùm pro cēsuris, & irregularitatibus dubiis, oblitis, seu ignoranter incursis, sed etiam pro censuris, & irregularitatibus certis, & manifestis, saltē pro foro conscientiæ, iuxta ibidem dicta. Secundò, quia adeò vtiles sunt, vt Religiosi per illas absoluti, aut dispensati, si postea recordentur de illis, non tenentur amplius absolutionem, aut dispensationem quærere, sed satisfaciant confitendo peccata, ob quæ illas incurrerunt. Nauarrus *in Manu. cap. 26. num. 13.* Peirinis *tomo 1. priuilegiorum Minimorum const. 1. dub. 2. num. 42.* Candidus *tom. 1. disquisit. moralium disquisit. 3. art. 40. num. 3.* Tamburinus *de iure Abbatum disp. 4. quæst. 12. n. 12.* Tertiò, quia, si casus esset, quod illæ censuræ, à quibus Religiosi tunc absoluuntur, & peccata propter quæ illas incurrerunt, essent reseruaræ, cum censuræ ipsæ tunc sunt ablatæ, peccata illa iam reseruata non manent, sed potest illa confiteri Confessario non habenti authoritatem absoluendi à reseruatis. Ita etiam habent Nauarrus, & Peirinis relati, & sequitur ex communi doctrina, quam attuli *tom. 3. verbo casus reseruati Regularium n. 17. & verbo Bulla Cruciatæ num. 21.* quod scilicet, ablatis censuris casuum reseruatorum, iam peccata non manent amplius reseruata, ita vt postea possint à quocunque Confessario absolui. Quartò, quia non solùm deseruiunt pro tollendis censuris, & irregularitatibus, sed etiā pro tollendis pœnis, quæ impedire possent executionem officiorum Ordinis, prout colligitur ex illis verbis formæ relatæ: *Et habilito vos executioni Ordinum, & Officiorum vestrorum.* Et ita supponunt Sigismundus de Bononia *de electione Prælatorum dub. 99. num. 3* & Samuellius *de Canonica Elect. tract. 2. controu. 10. concl. 3.* post Syluestrum, Nauarrum, Sayrum, & Coriolanum. Quintò, quia huiusmodi facultas extendi potest etiam ad absentes, ita vt Prælati ex vi suorum priuilegiorum absoluentes, & dispensante suos subditos in prædictis Capitulis, visitationibus, aut festiuitatibus, possunt etiam illam extendere ad subditos absentes, iuxta dicta *tomo 3. verbo Absolutio, num. 16.* ex Auila, & Laymano ibi relatis. Suffragatur etiam Tamburinus *supra num. 15.* id quoque extendens etiam respectu subditorum inuitorum, & non petentium talem absolutionem, seu dispensationem. Semper tamen præsupponendum est Prælatum illum, qui dispensat, & absoluit, habere facultatem, vel iure communi, vel ex priuilegio aliquo ad tales censuras, irregularitates, vel pœnas tollendas.

Cum autem non sit determinatum, quænam sint illæ magnæ solemnitates, in quibus talis absolutio, & dispensatio dari potest, ideò standum est vsui Religionis, qui est quod feria quinta Maioris hebdomadæ id fiat. Quia etiam Commemoratio solemnis Beatissimæ Virginis est præcipuum festum Religionis, ideo tali die etiam dari potest. Imò etiam in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Annunciatione, & Assumptione B. Virginis, festo Apostolorum Petri, & Pauli, omnium Sanctorum, quia istæ festiuitates censentur solemniores, iuxta dicta ex declaratione etiam S. Congreg. *tom. 1. cap. 21. num. 3. & tom. 4. verbo Oratoria quoad Regul. num. 3.* 332.

Vlterius etiam pro praxi Regularium circa priuilegia relata, nota quod si Prælatus iustè, vel iniustè non vult vti hac authoritate ad absoluendum, vel dispensandum subditum, non propterea ipse subditus potest absolui à quocunque confessario ex licentia præsumpta Prælati, siquidem talis licentia cum sit expresse negata, non potest vllo modo dici præsumpta. Rodriguez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 20 art. 30. & quæst. 21. art. 5.* alter Rodriguez *in Compen. resol. 3. num. 16.* Quomodo autem regulariter loquendo Superiores potius se faciles, quam difficiles exhibere debeant in auctoritate ista concedenda, vel vtenda, dixi 3. *tom. verbo Casus reseruati Regularium num. 7.* ex Cardinali Lugo, & Patre Candido. Vbi etiam alia ad intentum. Quid etiam facere debeat subditus cui authoritas absolutionis à casibus reseruatis denegata est, & ipse non possit cessare à celebratione, vel communicatione sine scandalo, aut infamia, habes ex dictis eo verbo *Casus reseruati Regularium num. 24.* De quo etiam vtrunque Rodriguez supra, ac Villalobos *1. p. Summæ tract. 9. diffic. 40.* 333.

An hæc priuilegia suffragari possint illis, qui in hos casus inciderunt in contemptum clauium, vel ex confidentia ipsorum, dicetur infra *circa* §. 62. Vide etiam dicenda *circa* §. 55. sequentem. 334.

***

Circa §. 55.

335. CONcedit vlterius hoc loco Pontifex, vt Prælati ipsi, videlicet Generales, & Prouinciales, ipsorumque vices gerentes possint absolui, & dispensari; iuxta formam priuilegij, de quo *in* §. *præcedenti.* Habetur etiam hoc priuilegium in Mari magno Prædicatorum §. 15. & Minor. §. 13.

336. Nota tamen circa illud, videri concessum ex vi priuilegij §. *præcedenti* relati, non solum quia iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 52. *& t.* 4. *verb. Prælatus Regul. num.* 19. eas facultates, quas Prælati habent erga suos subditos, habent etiam circa seipsos, ne sint peioris conditionis Prælati, quàm subditi (iuxta limitationem tamen traditam eo *num.* 19. ex Cardinali Lugo) sed etiam, quia iuxta dicta etiam eo 4. *tom. verbo Priuilegia Regularium, num.* 5. ex Rodriguez, & Tamburino, priuilegia, siue realia, siue personalia concessa Religiosis extenduntur etiam ad Prælatos, etiam si in illis non exprimantur. Eò etiam præsertim, quod priuilegia conceduntur Religiosis ob labores, quos patiuntur pro Ecclesia Catholica, & propter eorum merita, in quibus Prælati non sunt inferiores suis subditis. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 2. *art.* 8. post Caietanum, & Syluestrum, Coriolanus *part.* 1. *de casibus, sect.* 1. *art.* 22. Miranda 2. *tomo Man. quæst.* 34. *art.* 14. Bossius *sect.* 1. *de Iubilæo, casu* 10. *num.* 188. Freitas *in Scholio ad Bullarium Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede in Benedicto VIII. Bulla* 5. & Bordonus *Resolut.* 3. *num.* 23. Addens bene id intelligi de illis facultatibus, quæ conceduntur Prælatis indistinctè in ordine ad subditos: non verò de facultate speciali pro casu, & persona particulari, quia tunc censetur electa personæ industria, ac proinde non potest alteri communicare nec pro se, nec pro alio.

337. Maximè nota, quod quamuis in hoc priuilegio, sicut neque in alio, quod §. *præcedenti* relatum est, non fiat mentio immediatorum Prælatorum, ac per consequens nostri Priores non habeant ex vi illius hanc authoritatem absoluendi, & dispensandi erga subditos, nec ipsorum confessarij erga ipsos Priores; nihilominus tamen, quia in Mari magno Prædicatorum §. 14. *&* 15. conceditur hæc facultas Prioribus Conuentualibus, ideo per communicationem priuilegiorum, qua fruuntur Mendicantes possunt etiam vti hac facultate Priores locales nostri Ordinis. Idem dico propter communicationem priuilegij Iulij II. pro Minimis in eorū Mari magno §. 9. ibi enim conceditur similis facultas Correctoribus huius Ordinis, qui correspondent nostris Prioribus localibus. Adde etiam, quod ex priuilegio Eugenij IV. de quo supra §. 15. confirmato, & ampliato à Sixto IV. infra §. 62. videtur quod etiam Priores locales habeant eandem facultatem.

Circa §. 56.

338. PRiuilegium sub hoc §. contentum simile est aliis concessis Prædicator. Ordini in ipsorum Mari magno §. 16. & Minorum §. 14. Per illud autem conceditur Generali, & Prouincialibus, ac eorum vices gerentibus, vt volentes ingredi Religionem possint absoluere à censuris à iure, vel à Iudice generaliter promulgatis, & dispensare cum illis in irregularitatibus contractis ab ipsis propter celebrationem vel Ordinum susceptionem cum talibus censuris, vel quia in locis interdictis celebrauerint. Quod etiam priuilegium extendit Pontifex erga eos, qui post assumptum habitum, & professionem emissam recoluerint se in sæculo talibus sententiis innodatos fuisse.

Circa quod priuilegium nota cum Scholiaste huius Maris magni, quoad præbendum, vel dandum huiusmodi absolutionem, seu dispensationem Nouitiis non sit necessarium, quod habitum Ordinis antea susceperint, sed sufficere, vt eum postea recipiant. Id enim manifestè colligitur ex verbis illis *Volentibus vestræ aggregari Religioni*, ea enim denotant loqui etiam de illis ante habitus susceptionem. Clarius Colligitur ex illis, quæ subiunxit Pontifex scilicet: *Volumus autem nihilominus, quod postquam fuerint absoluti huiusmodi volentes aggregari prædictæ Religioni, nisi mox Ordinem vestrum intrauerint, quacunque etiam eiusdem Ordinis Prædicatorum licentia non obstante, eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos taliter absolui contigerit relabantur.* Pro quo vide dicta *tom.* 4. *verbo Nouitij, & Nouitiæ Religionum. num.* 43. 339.

Nota etiam, quod quamuis in hoc priuilegio nulla fiat mentio de Prioribus localibus, sed solum de Generali, Prouincialibus, & eorum vicem gerentibus, nihilominus, quia in Mari magno Prædicatorum §. 16. relato id conceditur etiam Prioribus localibus, & in Mari magno Minimorum §. 9. id quoque conceditur Correctoribus, qui sunt Prælati locales, ideo saltem per communicationem priuilegiorum possunt nostri Priores locales hac facultate vti, iuxta dicta supra, *num.* 337. 340.

Quomodo intelligenda clausula illa. *Ita tamen, vt si aliqui ex huiusmodi sententiis propter debitum sunt astricti, satisfaciant vt tenentur*, vide quæ dixi in Mari magno Predicatorum *circa* §. 16. Vbi etiam quid dicendum de illis, qui habitum suscipiunt in fraudem censuræ aut pœnæ, & an hoc priuilegium extendatur ad vtrumque forum, & quomodo intelligēda clausula illa *seruata forma canonica.* Pariter etiam an Nouitij possint etiam absolui à sententiis, seu censuris specialiter contra ipsos promulgatis, & à casibus in Bulla Cœnæ Domini contentis, dixi in Mari magno Minorum *cir.* §. 14. vbi etiam alia ad intentum. 341.

Circa clausulam etiam de illis sic absolutis, & postea Ordinem non ingredientibus, scilicet. *Eo ipso incidant in pristinas sententias*, consule dicta *tomo* 4. *varbo Nouitij, & Nouitiæ Religionum n.* 36. & dicenda infra in Mari magno Minimorum *circa* §. 9. in simili priuilegio ipsi concesso. Quid etiam importet clausula illa. *Quacunque etiam eiusdem Ordinis Prælatorum licentia non obstante*, dixi in Mari magno Minorum *circa* §. 14. Quid verò illa, *Cæterum vestra discretio cautè prouideat, &c. vt scandalum euitetur*, dicam in Mari magno Minimorum *circa* §. 9. relatum. 342.

Circa §. 57.

COntenta in hoc §. habentur etiam etsi non tam expressa in Mari magno Prædicator. §. 28. & 43. Minor. §. 30. 31. & 41. Eremitarum sancti Augustini §. 2. 3. & 24. Continent autem priuilegia Ioann XXII. Eugenij IV. & Callisti III. ampliata à Sixto IV. quantum ad libertatem sepulturæ in Ecclesiis & cœmeteriis nostris, respectu omnium, qui illic sepeliri voluerint, exceptis excommunicatis, interdictis, aut publicis vsurariis. Etiam quoad hoc, vt Fratres nostri possint intrare parochias 343.

chias

chias cum Cruce processionaliter, nullius super hoc petita licentia, & cadauera defunctorum leuare, & ad proprias Ecclesias deferre, nec cogi possint ad alias deferre, aut ibi celebrare officia diuina. De quibus priuilegiis, & materiis, quas concernunt, quamuis multa dicta sint circa loca relata ex Mari magno Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum, & aliis locis, quæ ibi retuli. Vbi etiam qualiter, aut quomodo his temporibus subsistant, qualiterve sint modificata, aut moderata; alia nihilominus in præsenti addenda *circa* huiusmodi Sepulturæ libertatem in Ecclesiis nostris.

344. Et primo quidem, illam esse talem, ac tantam, vt nulla Synodali, aut Episcopali Constitutione illi contraueniri possit, ita vt etiam si tali Constitutione caueatur, quod nulli detur sepultura in quacunque Ecclesia sine Episcopi licentia, tali Constitutioni non tenentur obedire nostri Religiosi, aut alij habentes similia priuilegia; eo quod ex vi illorum, cum sint priuilegia Apostolica, habent liberam facultatem admittemdi ad sepulturam in suis Ecclesiis quoscunque fideles sine alicuius contradictione, nec Synodus, aut Episcopus possunt facere leges præiudicantes priuilegiis Apostolicis Regularium, cum isti sint exempti ab ipsorum iurisdictione, & veluti extra ipsorum territorium. *cap. vt animarum de constitut. in 6. leg. fin. de iurisd. omnium iudic.* Rodriguez *t.* 3. *Quæstionum Regular. q.* 58. *ar.* 9. *in Addit. ad sum. c.* 130. *n.* 14. & eius Compendiator alter Rodriguez *in Compend. Resolut.* 128. *num.* 11. ex aliis.

345. Secundò nota, quod quamuis in huiusmodi priuilegiis, aut similibus solum videatur concessa libertas sepulturæ *in Ecclesiis & cœmeteriis* nostris, tamen id etiam extenditur ad loca alia illis annexa, vt sunt Sacristia, Capitulum, Claustrum, &c. tum quia sunt veluti partes, aut accessoria Ecclesiæ, tum quia ita habetur vsu, & consuetudine, tum præcipuè, quia ita videtur concessum non solum in aliquibus priuilegiis, de quibus infra in Mari magno Minimorum § 21. sed etiam iure communi *cap. cùm quis de sepult. in* 6. § *si quis*, vbi dicitur: *Si quis antiqua dimissa nouam etiam in loco minus religioso elegerit sepulturam, electionem huiusmodi licet iura super hoc videantur diuersa, nequaquam volumus impugnari.* Sic expendunt verba illa *loco minus religioso* ad intentum hoc Hieronymus dico Venero *in exam. Episcop. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 2. Pasqualigus *dec.* 381. *num.* 2. Multo magis hoc procedit de capellis siue in Ecclesiis, siue iuxta illas positis, de quibus *tomo* 4. *verbo Sepultura quoad Regulares, numero* 15. Nota tamen, quod id quod dicto de sepultura in claustris, non videtur procedere in Monasteriis Monialium; propter declarationem Gregorij XIII. apud Marzillam *lib.* 1. *cap.* 10. declarantis, quòd corpora volentium sepeliri in Monasterio Monialium debent sepeliri in Ecclesia exteriori, & non intra claustra. Portellus *in dub. Regul. verbo Sepultura, num.* 14.

346. Notat autem Scholiastes huius Maris magni ex nostris Patribus Discalceatis, quod quamuis ex vi horum priuilegiorum libera sit Sepultura in nostris Ecclesiis, non tamen licere Religiosis nostris persuadere alicui, vt pacto, vel promissione, aut iuramento se astringat ad eligendam ibi sepulturam ex *cap. animarum de sepult. in* 6. Sed de hoc puncto latè egi *tomo* 1. *cap.* 9. *num.* 25. *ex Clement. cupientes de pœnis, & tomo* 4. *verbo Sepultura quoad Regulares, num.* 6. 7. *&* 8. ac supra in Mari magno Minorum *circa* §. 41. Obseruat deinde non esse vtendum his priuilegiis, quatenus in illis conceditur, quod quando Parochus requisitus non vult deferre corpora defunctorum ad nostras Ecclesias, possimus Cruce erecta intrare in parochiam, & illa efferte, quia hoc est, inquit, contra Constitutiones Ordinis. Sed prætermissis Ordinis Constitutionibus, stando in iure communi his temporibus post Concilium Lateranense, & decretum sacræ Congregationis super hac re editum, *non possunt Regulares Parochias cum Cruce processionaliter, aut alias ad efferenda corpora defunctorum intrare, vel illa leuare, aut efferre, nisi vocato, aut expectato proprio defuncti parocho, eoque ibidem præsente, si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat, vel nisi requisitus venire omnino expressè recuset.* De quo latè etiam dixi *tomo* 2. *cap.* 1. *num.* 31. *&* 46. *& tomo* 3. *verbo Defunctus, num.* 2. *& tomo* 4. *verbo Sepultura quoad Regulares, num.* 4. & supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 28. Notat præterea ex Constitutione Pij V. quod defunctorum corpora non debent poni supra terram, sed infra ipsam in tumbis profundis, & ex declaratione sacræ Congregationis, quod nullus debeat sepeliri prope altaria, seu sub bradellis. De quo dixi *tomo* 4. *verbo Sepultura quoad Regulares, numero* 20. *& tomo* 3. *verbo Altare, numero* 17. Demum obseruat quod ex concessione Leonis X. possunt Prælati in suis Monasteriis exhumare corpora defunctorum, & illa transferre ad aliam sepulturam in suis Ecclesiis sine Ordinarij licentia. Cæterum obseruari debet hanc concessionem solo vocis oraculo fuisse factam, ac proinde his temporibus nihil valere, nisi de nouo fuerit confirmata, iuxta dicta *tomo* 4. *verbo Sepultura quoad Regulares, numero* 21. Adde, in hoc viuæ vocis oraculo, quod refert Rodriguez inter oracula Leonis X. in Bullario vlterius adiunctum esse, quod talis translatio fiat de consensu illorum quorum interest, scilicet consanguineorum, vel illius cui funeris cura demandata est. De quo Nauarrus *lib.* 3. *consil.* 5. *de Sepult. in* 2. *edit.* Villalobos *in Sum. tract.* 21. *diff.* 6. *num.* 4. & Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resolut.* 128. *num.* 25.

Nota præterea hoc priuilegium de libertate Sepulturæ in domibus nostris confirmatum esse à Sixto IV. in hoc Mari magno §. 80. vt ibi notabimus. Vide dicenda infra in Mari magno Seruitarum §. 2. 4. *&* 29. & Minimorum §. 21. 347.

Circa §. 58.

TOtum, quod in hoc §. & priuilegiis in ipso recitatis continetur, spectat ad solutionem iustitiæ Ecclesiarum, canonicæ portionis, seu quartæ funeralis, conformiter etiam ad alia priuilegia Mendicantium, videlicet Prædicatorum §. 43. *&* 44. Minorum §. 41. 42. Eremitarum sancti Augustini 9. 38. 39. *&* 40. Quibus in locis, & aliis ibi relatis ex quatuor tomis Summæ plura de hac materia dicta manent, quæ, quamuis sufficere possent, ampliari tamen debent sequentibus notabilibus. 348.

Primum est, quod quamuis huiusmodi quarta funeralis debita sit his temporibus à quibuscunque Monasteriis, quæ quadraginta annis ante Concilium Tridentinum solita erant soluere illam, non ab aliis, siue fundatis post Concilium, siue ante illud circa quadringinta annos, aut quæ illam soluere solita non erant, iuxta dicta locis relatis tam ex decreto Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 13. quam ex diuersis Bullis Summorum Pontificum, declarationibus 349.

bus S. Congregationis, & Rotæ decisionibus eis locis adductis, nihilominus quando Nouitius alicuius Monasterij in ipsius Ecclesia sepelitur, nullam debent dare Religiosi talis Monasterij Parochiali Ecclesiæ portionem, etiamsi casus esset, quod talis Nouitius de licentia sui Prælati curaretur in domo sua, & ibi moreretur. Ratio est; quia per Nouitiatum mutauit domicilium suæ parochiæ, & effectus est veluti parochianus Monasterij. Azor *tomo 2. instit. moral. lib. 9. cap. 13. quæst. 4.* Miranda *tomo 2. Man. quæst. 48. art. 9. conclus. 3.* Villalobos 2. *parte Summ. tract. 31. diff. 7. num. 10.* Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resolut. 18. num. 5. & 15.* Idem dico si quis ingrediatur Monasterium animo mutandi vitam, & ibi moretur per aliquod tempus, & ante susceptionem habitus moriatur durante tali animo. Quia per illum etiam animum censetur mutasse domicilium, & effici parochianus Monasterij Azor *supra*; Portellus *in dub. regular. verbo Canonica portio in addit. num. 3.* ex aliis.

350. Secundum est circa illa verba huius priuilegij: *Conuentiones si quæ sunt inter Fratres prædictos, & locorum Ordinarios, & Ecclesiarum Rectores initæ laudabiles, & honestæ, in posterum obseruentur.* Circa illa enim notandum, quod quamuis iuxta dicta supra in Mari magno Prædicatorum *circa §. 44.* huiusmodi conuentiones etiam in iure naturæ stando debeant obseruari, nihilominus, vt in isto priuilegio dicitur, debent illæ esse *laudabiles, & honestæ*, non verò si sint irrationabiles, & iniustæ. Obseruari autem debent etiamsi sint contrariæ, aut repugnantes. *Clement. Dudum de sepult. §. Verum*; quia licet ibi reuocentur similes conuentiones in hac materia, id intelligitur de præteritis non de futuris. Azor *supra cap. 12. quæst. 4.* Portellus *dicto verbo Canonica portio, num. 10.* Barbosa *de Iure Ecclesiastico, lib. 3. num. 3. 4.* ex vtroque Rodriguez; maximè ex Leone X. in Concilio Lateranensi approbante huiusmodi pacta, & conuentiones factas inter Fratres, & Prælatos, nisi postea per subsequens Capitulum generale, vel prouinciale fuerint refutata. Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo conuentiones, num. 3* Rodriguez *tomo 1. quæst. regular. quæst. 39. art. 8.* Renunciatio autem canonicæ portionis in damnum Ecclesiæ Cathedralis, vel Parochialis facta, nullius est valoris, nisi fiat cum protestatione, quod per hoc non fiat præiudicium iuri Ecclesiæ. Portellus *supra, num. 9.* Barbosa *supra* post alios.

351. Tertium, quod è contra, quamuis Regulares contra sua priuilegia, decretum Concilij, Bullas Pontificias, & declarationes sacræ Congregationis, aliquando soluerint huiusmodi quartam, non ex eo perdunt ius ad illam non soluendam. Quia renunciatio priuilegij non valet nisi fiat ab habente facultatem ad id faciendum, quales non sunt priuatæ personæ Religiosorum, iuxta vulgatum iuris, *delictum personæ, &c. lib. 6.* & quæ notantur *in cap. vlt. de confessis*, atque ita tradunt Abbas *in cap. cùm accessissent de Constitut. num. 6. & 8.* Felin. *num. 28.* & in terminis Rodriguez *tomo 3. quæst. Regul. quæst. 46. art. 2.* & alter Rodriguez *resolut. 18. num. 20.* Et casu quo id facere possent, nisi hoc fieret per spatium quadraginta annorum, iuxta dispositionem iuris *in cap. accedentibus, cap. si terra de priuilegiis.* Item etiamsi per dictum spatium quadraginta annorum soluta sit quarta, adhuc præscriptio non tenet; quia contra bona, & iura Regularium non nisi sexagenaria valet præscriptio, propter priuilegium Eugenij IV. pro Benedictinis, quod retuli *tom. 2. cap. 19.* Imo non nisi centenaria currit præscriptio ad instar Ecclesiæ Romanæ, ex quodam singulari priuilegio eiusdem Eugenij IV. pro Conuentu sancti Pauli extra muros Vrbis, quod habetur in Bullario Rodriguez *in Eugenio IV. Bulla 17. num. 15.* quo gaudere posse Mendicantes tenent ipse Rodriguez *tomo 3. Quæst. Regul. quæst. 35. art. 2.* Portellus *in dub. Regular. verbo Præscriptio, num. 2.* & alter Rodriguez *in Compend. Resolut. 115. num. 2.* & Barbosa *suprà num. 35.* Maximè vide, quæ dico ad hoc intentum 4. *tomo, verbo Priuilegia Regularium, num. 16. & 17.* & nota id præcipuè procedere in casu, quo Religiosi etiam per plures vices dictam quartam soluerint, per vim, & violentiam ad id compulsi, facientes semper de eo iuridicam protestationem. Tunc enim nec possessio, nec quasi possessio huius solutionis acquiri potuit, ex his quæ in materia pensionis per vim extortæ cum protestatione non solutæ, resoluit adductis pluribus Rotæ decisionibus Garzia *de beneficiis 1. parte 5. à numero 451.* Gratianus 1. *tomo discept. forens. cap. 13. num. 10. & 2. tomo, cap. 310. num. 38. & sequentibus.* Hercules Mascarotus *lib. 2. variarum, cap. 22. à numero 22.* Hieronymus Rodriguez *supra num. 20. Resol. 18.* Vide alia ad intentum *in §. sequenti* pro casu, quo ex ignorantia, aut inaduertentia Fratres soluerent dictam quartam funeralem.

Quia tandem in hac materia de exemptione à quarta funerali extat Breue Pauli V. specialiter pro Fratribus nostris ab illa eximendis in 5. *tom. Bullarij Laertij in Paulo V. num. 4.* ideo pro ipsorum commoditate in hoc loco illud apponere libuit. Quod est talis tenoris. 352.

Decet Romanum Pontificem, quæ Sacris Ordinibus à Sede Apostolica dudum concessa sunt, 353.
sarta, tectaque tueri. Inter quos adest Ordo Beatæ, & Gloriosæ, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo, cui inter alia, sicut accepimus, diuersi Romani Pontifices concesserunt illius Domos, seu Monasteria ante annos quadraginta ædificata non teneri ad solutionem Quartæ funeralium, idque etiam à Concilio Tridentino de prædicto, & aliis sacris Ordinibus decretum fuit. Cùm autem quæreretur, an eadem postea à quadraginta annis ædificata deberent dictam Quartam soluere, venerabiles Fratres nostri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Decretorum dicti Concilij interpretes censuerunt, Monasteria ædificata à quadraginta annis citra non teneri ad solutionem Quartæ funeralium huiusmodi, si modò sint eius Religionis, cui à dicta Sede ante quadraginta annos indultum sit, vt eandem quartam non teneantur soluere Episcopo. Quare ne dicti Ordinis Carmelitani Monasteria, seu Domus in diuersis mundi partibus à quadraginta annis ædificata indebitè cogantur soluere dictam quartam funeralium, eorumque indemnitati prospicere cupientes, ac tenores litterarum concessionum huiusmodi forsan confectarum præsentibus pro expressis habentes, dilecti filij Procuratoris Generalis dicti Ordinis Carmelitani illius nomine nobis porrectis supplicationibus adducti, volumus, mandamus, decernimus, & declaramus, omnia, & singula huius Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo Monasteria, seu Domos in quibuscunque mundi partibus à quadraginta annis ædificata, illorumque Conuentus, & Fratres nullo modo, nullave ratione teneri ad solutionem dictæ Quartæ funeralium, & ob non solutionem huiusmodi aliquas sententias, censuras, & pœnas incurrere posse

posse. Inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ac aliis quos id concernit, ne ab ipsis Fratribus Monasteriorum, seu domorum, à quadraginta annis ædificatorum dicti Ordinis Carmelitani Quartam funeralium huiusmodi quoquomodo exigere aut eos desuper molestare audeant, seu præsumant. Quod si quis contradicere præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius nouerit se incursurum. Sicque per quoscunq; Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, ac diffiniri debere, necnon irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, & nunc, & pro tempore existentibus, nostris, ac dictæ Sedis Nunciis in Regnis, seu locis, aut Terris, vbi dictæ Domus ædificatæ fuerint, existentibus mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit solemniter publicantes, ac Fratribus prædictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant præmissa omnia obseruari, nec permittant eos desuper à quoquam molestari, Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus quibusuis Constitutionibus Apostolicis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habantes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret easdem præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ac si præsentes forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Marcum suo anulo Piscatoris die 20. Augusti millesimo, sexcentesimo quinto Pontificatus nostri anno primo.

Circa §. 59.

Agitur in hoc priuilegio de piis legatis nostris Religiosis relictis, & statuit Pontifex quod de illis nulla portio, seu pars detrahatur ex quacunque causa, etiam à Sede Apostolica determinanda, nisi de prædictis Religiosis, & præsenti decreto vera, & specifica mentio fiat. De qua materia in simili priuilegio Mendicantium dixi in Mari magno Prædicatorum *circa* §.45. Minorum *circa* §.43. & Eremitarum S. Augustini *circa* §.41. & aliis locis ibi citatis. 354

Addendum tamen in præsenti, priuilegium hoc ampliatiuum, & confirmatorium esse illorum, quæ concesserant Clemen. IV. & Nicolaus V. iuxta dicta supra §. 16. & 17. Obseruat etiam Scholiastes huius Maris magni, quod si contra illud fuerit factum per plures etiam actus, nihil propterea ipsi derogari, propter concessionem Eugenij IV. quam refert Rodriguez pro Cistercensibus. Sed ego affero aliam eiusdem Eugenij IV. pro Benedictinis, quam retuli *tomo* 4. *verbo Priuilegia Regularium*, *num*.17. ibi enim habetur, quod nullum præiudicium priuilegiis illius Religionis generetur, etiam si contra illa per vnum, aut plures actus ex ignorantia, vel negligentia fiat. 355

Præterea nota, in hoc & similibus priuilgiis supponi id quod certum est, & de quo dixi *tomo* 4. *verbo Legata Regularibus relicta*. *præsertim num*. 5. & 9. scilicet Regularibus legari posse. Vt ergo prædicta legata integra maneant his Regularibus, propterea Summi Pontifices hoc, & alia similia ipsis concedunt priuilegia. Imo aliquando iubent, vt impedientes talia legata etiam excommunicationis sententia cogantur ad desistendum. Pro quo notabile extat priuilegium Alexandri IV. & Bonifacij VIII. pro Fratribus Ordinis Beatissimæ Mariæ de Mercede, quod habetur *in Bullario huius Ordinis Bulla* 4. *in Alexandro IV.* & *Bulla* 1. *in Bonifacio* VIII. vbi Pontifex cum Ordinariis loquens sic habet. *Peruenit præterea ad audientiam nostram, quod si quando Parochiani vestri præfatis Fratribus de rebus suis quicquam in testamento relinquunt, hæredes eorum, vel illi, qui res illas penes se habent ipsum legatum eis soluere, contradicunt, qui grauem culpæ maculam contrahunt, & non mediocriter oculos diuinæ Maiestatis offendunt, quia ea quæ Sanctis Dei Ecclesiis, & viris Religioni, & honestati deditis rationabiliter in testamento leguntur detinere præsumunt. Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si quando prædicti Fratres apud vos querimoniam exinde deposuerint, illos, quos vobis nominauerint (si vobis ita esse constiterit) moneatis ardentius, & districtius compellatis, vt ea quæ prædictis Fratribus sunt in testamento legata, remoto appellationis obstaculo; sine malitiosa dilatione, absque diminutione persoluantur, vel in præsentia vestra appellatione remota exhibeant institiæ complementum. Quod si monitis vestris parere contempserint, eos (appellatione cessante) vsque ad condignam satisfactionem, excommunicationis vinculo adstringatis.* Circa quod priuilegium nota, illud, vt credo, communicabile esse aliis Religionibus, Mendicantibus videlicet; propter communicationem vniuersalem, quam habent priuilegiorum aliarum Religionum. Norat etiam Seraphinus Freitas Scholiastes huius Bullæ ex variis iuribus, & DD. quod legata Religiosis relicta censeatur relicta Monasterio, ita vt consuetudo in contrariū nihil valeat, & quod legatū relictum 356

Mona

Monacho, eo inuito, acceptari possit per Prælatum, nec Monachus possit adire hæreditatem sine licentia Prælati. De quibus, & similibus diximus eo verbo *Legata Regularibus relicta, numero* 9. specialiter iuxta editionem Venetam nouissimam. Notat præterea idem Freitas in *Scholis ad Bullam primam Bonifac.* VIII. ex Gomezio, Couarruuia, Valasco, & Tiraquello, quod legata ad piam causam, (qualia sunt regulariter ea, quæ Religiosis relinquuntur) habent hypothecariam, dominiumque ipso iure in Ecclesiam transferant. De quo alias dicetur.

357. Nota etiam quod legata relicta Religiosis particularibus ad sua studia, & ad alias necessitates titulo pietatis inter opera pia connumerari debent, etiam pro casu quo Fratres ipsi illa procurassent. Ac per consequens in similibus legatis procedere possunt tum ea, quæ diximus eo verbo *Legata Regularibus relicta*, tum etiam priuilegia, de quibus in præsenti. De quo Hieronymus Rodriguez *in Compend. resolut.* 88. *numero* 8. *&* 9. Semper tamen animaduertendum, quod illa omnia adquiruntur Monasterio. Quia vt habet Rota in vna Roma *fideicommissi* coram Litta anno 1604. Monasterium habet fundatam intentionem in omnibus, quæ ad Monachum deferuntur. *leg. Deo nobis* §. *hoc autem Cod. de Episcop. & Clericor. & Authentic. ingressi, Cod. de Sacrosanct. Eccl. & in cap. in præsentia de probat.*

358 Notandum quoque, quod legata Religiosis relicta pro redemptione captiuorum sunt maximè priuilegiata, itaut in illis maxime procedãt tam dicta eo loco, quàm priuilegia adducta. Etenim, vt constat ex Bullis Ioannis XX. *in Bullario Ordinis beatæ Mariæ de Mercede, Bulla* 2. *&* 3. talis redemptio captiuorum præfertur recuperationi Terræ Sanctæ. Vnde vocatur *ornatus Sacramentorum* à diuo Ambrosio, & refertur *cap. aurum* 12. *quæst.* 2. Et pro ipsa permittitur alienatio bonorum Ecclesiæ, *leg. sancimus* 17. *cap. de Sacrosancta Ecclesia, cap. & sacrorum, cap. sacrorum, cap. sicut omnino, & dicto cap. aurum*, ac aliis iuribus. Adeo vt Tiraquellus *ad leges connub. gloss.* 6. *numero* 277. eam vocet *Summam pietatem, Reipublicæ Christianæ maxime vtilem, & praclarum munus iustitiæ.* De quo etiam Mascardus *de probation. conclus.* 277. *numero* 5. Menochius *de præsumptionibus, lib.* 4. *præsumpt.* 115. *numero* 13. Stephanus Gratianus *discept. forens. capitulo* 108. Couarruuias 2. *variar. capite* 16. *numero* 8. & Molina 2. *de Iustitia, disputat.* 468. *conclus.* 2. Quod intellige, etiamsi tales captiui effecti fuerint propria culpa. Prout ex Glossa, Couarruuia, & aliis tuetur Seraphinus Freitas *in Bullario relato in Scholiis circa* 1. *Bullam Alexandri IV.*

359. Alia ad intentum habes infra *circa* §. 99. & in Mari magno Seruitarum *circa* §. 31. vbi specialiter agam de legatis relictis alicui Religioso, qui omnia bona, & iura sua tam præsentia, quàm futura renuntiauerat in fauorem alicuius extra suam Religionem: an scilicet illa acquirantur Religioni, vel illi in cuius fauorem facta fuit talis renunciatio.

Circa §. 60.

360. Continetur sub hoc priuilegio amplissima exemptio Ordinis à Iurisdictione Ordinariorum, quorumcunque quoad Fratres, domos, loca, & personas oblatas, & Mantellatas, confirmando ea quæ Innocentius IV. Alexander IV. Innocentius VI. Gregorius XI. Ioannes XXII. & Clemens VI. in superioribus concesserant. De cuius priuilegij materia sæpissimè actum est, præsertim *t.* 1. *c.* 11. ferè per totum, *& t.* 3. *v. Causa iudicialis Regularium*, verbo *delinquens Regularis*, verbo *Episcopus quoad Regulares*, verbo *Exemptio Regularium*, & verbo *Immunitas Ecclesiastica Regularium.* In hoc etiam opere, vbi de Mari magno Mendicantium est sermo, sæpe etiam de eadem materia actum, scilicet in Mari magno Prædicatorum *circa* § 36. *&* 46. & in Mari magno Minorum *circa* §. 37. *&* 44. & in Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* §. 42. & in hoc Mari magno *circa* §. 5. 6. 7. *&* 38.

Pro maiori tamen ipsius enucleatione nota, quod quamuis iuxta dicta eo verbo *Exemptio Regularium, numero* 2. exemptio nostra sit duplex, alia ab Ordinariorum, seu Prælatorum Ecclesiasticorum iurisdictione, alia à ciuili, seu sæculari potestate, in præsenti tamen præsertim est sermo de illa priori, vt patet ex verbis istius priuilegij. Est autem hæc exemptio, iuxta ibidem dicta, idem quod liberatio à potestate Ordinarij inferioris, stante subiectione immediata ad Romanum Pontificem. Socinus *in cap. ecepimus, num.* 12. *priuileg.* Rodriguez *tomo* 1. *Quæst. Regular. quæst.* 62. *art.* 2. Cùm etiam hæc exemptio sit duplex, alia personalis, alia localis, seu realis; rursus alia vniuersalis, alia particularis, præterea alia quoad principalia, alia etiam quoad accessoria: hæc exemptio à Põtificib. nostro Ordini concessa hæc omnia cõprehendit. Est enim personalis, vt patet ex illis verbis *Fratrum, Fratres.* Est etiam personalis, seu realis, vt patet ex illis *domorum, bonorum, domos, loca.* Item est vniuersalis, vt etiã patet ex illis verbis *quaslibet sententias, & quoslibet processus, quasuis pœnas, &c.* Est quoque non solum quoad principalia, sed etiam quoad accessoria, vt constat ex illis *Fratres, domos, loca, personas Oblatas, & Mantellatas.* 361.

Ex istis autem priuilegiis infertur quod sententiæ quæcunque contra nostros Religiosos ab Ordinariis datæ in quacunque causa, & inde secuta sunt ipso iure nulla ex defectu Iurisdictionis, vt constat ex tenore priuilegiorum supra relatorum, & colligitur *ex cap. dilecto.* vbi Glossa *verb. clausul. de præben.* quæ irritatio tenet, etiam data ignorantia ipsorum in iudice. *cap. at si Clerici de iudiciis l. priuatorum de iurisdictione omnium iudicum.* Vnde talis sententia nec transit in rem iudicatam, nec debet executioni mandari. De quo Federicus *consil.* 14. *num.* 4. *q.* 2. Calderin. *consi.* 13. *de iudiciis.* Castrens. *consi.* 342. *num.* 2. *lib.* 1. Couar. *pract. cap.* 6. *&* 7. Nauar. *cap.* 23. *num.* 13. Villalobos 2. *par. summæ tract.* 35. *difficul.* 4. Hieronymus Rodriguez *in Compend. resol.* 63. *n.* 17. & nos *tomo* 3. *dicto verbo Exemptio Regularium nu.* 8. 362.

Vnde consequenter ad dicta eo verbo *Exemptio Regularium, num.* 14. casu quo Religiosi nostri ab Ordinariis citentur, possunt suam exemptionem defendere respondendo se illos audire, vel se ab illorum iurisdictione exemptos esse, ac proinde illa declinare, & recurrere ad Conseruatores, vt dictos Ordinarios inhibeant, prout ex Sanchez, & Tamburino eo loco dictum manet. Vbi etiam quod nullo modo tenentur coram ipsis priuilegium exemptionis exhibere; prout colligitur ex verbis huius priuilegij videlicet *Exemptionem, approbationem, & extensionem, vtpote notorias allegatione, & probatione non indigere.* Casu autem quod Ordinarij priuilegia nostra non admiserint, 363.

vel

vel explicare voluerint, iuxta dicta etiam *eo numero* 14. ex Tamburino, agere possunt contra illos ex aliis priuilegiis, videlicet Clementis IV. Pauli III. & aliorum, de quibus egi *tomo* 4. *verbo Priuilegia Regularium*, *num*. 12. & refert Hieronymus Rodriguez *supra num*. 18. in his enim priuilegiis prohibentur Ordinarij priuilegia Regularium interpretari. Quod si adhuc præfati Ordinarij vellent hæc priuilegia interpretari, agendum est contra ipsos ex iure communi, vbi interpretatio priuilegiorum Sedis Apostolicæ committitur soli illi qui ea concessit, scilicet Papæ. *cap. cum venissent de iudic. & cap. inter alia de sententia excommunicationis, & lege si imperialis maiestas, leg. leges sacratissimæ, Cod. de legibus, leg. non ambigitur, ff. eodem.* iuxta dicta eo verbo *Priuilegia Regularium, numero* 11. ex Syluestro, Barbosa, & Tamburino. De quo plura idem Barbosa *in cap. cùm venissent relato*.

365. Generaliter etiam loquendo nullo pacto, neque ratione contractus, vel delicti, seu rei de qua ageretur, tenentur nostri Religiosi comparere, prout colligitur ex verbis huius priuilegij, & notat Scholiastes huius Maris magni ex nostris Patribus Discalceatis, nisi tantum ad proponendum declinatoriam fori, prout dictum est. De quo Couarruuias *Regula possessor*. 2. *parte*, §. 5. *num*. 1. *&* §. 10. *num*. 9. Sanchez *de Matrim. lib*. 7. *disput*. 33. *num*. 23. Henriquez *lib*. 7. *de Indulgentiis*, *cap*. 25. *num*. 7. *& litt. F. & litt. I.* Nisi fortè in citatione exprimerent Ordinarij causam, quæ fundat iurisdictionem ipsorum, videlicet speciale rescriptum Papæ, vel authoritatem ab ipso delegatam tanquam Papæ delegatis. Clementina *Quia contingit de Religiosis domibus*. Rodriguez *tomo* 2. *quæst. Regul. quæst*. 63. *art*. 7. alter Rodriguez *supra*. Vide dicenda infra *circa* §. 98.

366. Neque contra dicta obstat declaratio quædam sacræ Congregationis in vna Placentina, quam refert Aldana *in Compend. canon. resolut. lib*. 3. *tit*. 1. *num*. 25. & ex ipso Barbosa *in Summa Apostolicarum decis. verbo exemptio*, *num*. 3. quod scilicet exemptio Ecclesiæ debet probari per scripturas, & instrumenta legitima. Nam id intelligitur, quando non est notoria exemptio, prout contingit in proposito, & declarant Pontifices in priuilegiis relatis, ac habetur ex dictis in locis adductis.

367. Obseruat præterea Scholiastes noster ex iis quæ continentur in his priuilegiis reuocata esse per Concilium Tridentinum alia verò non. Quæ autem sint ista, quæ per Concilium reuocantur, quæ verò maneant in sua vi, collige ex dictis locis relatis, præsertim ex 3. *tom*. & specialiter etiam, quod sint reuocata huiusmodi priuilegia casu quo Religiosi nostri extra Monasteria degant, in causis ciuilibus mercedum, & miserabilium personarum, constat ex dictis *tomo* 1. *capite* 11. *numero* 10. *& supra* in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 36. vbi etiam, & locis ibi relatis alia ad intentum.

368. Quomodo autem exemptio Regularium subsistere debeat etiam pro casu quo Episcopi prætenderent esse in possessione iudicandi de illis, dicam infra *circa* §. 75. interim consule Barbosam *de offic. & potestate Episcopi*, *allegat*. 105. *num*. 76. Rotæ decisionem allegantem, & Dianam 3. *part. tract*. 2. *de dub. regular. resolut*. 134. ac Bordonum *resolut*. 7. *num*. 100. post alios quos referunt. Vide & dicenda infra circa § 98. pro casu quo Domini Ordinarij prætēdant se ex speciali Papæ priuilegio procedere posse contra Religiosos.

Circa §. 61.

Declarat hoc loco Pontifex Sixtus concessionem factam nostris ab Vrbano IV. & de qua supra *in* § 14. scilicet ad absoluendum confratres, & familiares, ac alios ad ipsos recurrentes de licentia suorum Prælatorum, intelligi debere de ea licentia, quam Ordinarij præsentatis ad confessiones audiendas tenentur dare, iuxta Constitutionem Concilij Viennensis. De vtroque autem priuilegio dixi eo §. 14. Vbi etiam an, & quomodo sit hoc priuilegium moderatum per Concilium Tridentinum, prout notat Scholiastes huius Maris magni hoc loco. 369.

Circa §. 62.

Hoc etiam priuilegium declaratiuum est alterius concessi ab Eug. IV. de quo supra §. 15. Cum enim Eugenius per illud concessisset Generalibus nostris, eorum Vicariis, Prouincialibus, & Prioribus, ac Fratribus, vt circa confessiones Fratrum audiendas, aliaque salutem animarum ipsorum concernentia haberent eandem facultatem, quam habebant Pœnitentiarij in Curia præsentes, nunc Sixtus declarat hanc authoritatem extendi ad omnes casus, & delinquentes, exceptis hæreticis relapsis, schismaticis, litterarum Apostolicarum falsariis, & qui ad infideles prohibita detulissent, istos enim ad Sedem Apostolicam destinandos statuit, non alios quoscunque etiam Simoniæ prauitate irretitos. Extendit etiam Eugenij concessionem non solùm ad Fratres, prout Eugenius fecerat, sed *ad omnes vtriusque sexus Ordinis professores*. De materia huius priuilegij plura dicta sunt in præcedentibus, scilicet in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 14. *&* 41. Minorum *circa* § 12. 13. *&* 14. & in hoc eodem Mari magno *circa* §. 15. 54 & 55. alia nihilominus addenda. 370.

Ex primò quidem inquiri potest, an huiusmodi priuilegia suffragentur etiam illis, qui in tales casus inciderunt in contemptum clauium, vel ex confidentia horum priuilegiorum. Et dicendum, conformiter ad dicta *tom*. 1. *cap*. 18. *num*. 41. etiam suffragari ipsis. Ratio est, quia in talibus priuilegiis non apponitur hæc limitatio; sicut ponitur in aliis Bonifacij IX. Eugenij IV. quæ refert Rodriguez inferius referendus, & Suarez 4. *tom. de Relig. tract*. 8. *lib*. 2. *cap*. 21. *num*. 10. *ex Monument. Minor.* ergo signum est Pontifices velle valere dicta priuilegia etiam eo modo delinquentibus, alias si oppositum vellent, apponerent eam limitationem. Et confirmatur, quia intentio Pontificum in iis priuilegiis est succurrere spirituali necessitati Religiosorum, & tollere illis occasionem diuagandi ad quærendum beneficium absolutionis à Sede Apostolica, quæ ratio etiam procedit, quando talia crimina commissa sunt, in contemptum clauium, aut sub spe horum priuilegiorum. Syluester *in Summa verbo Indulgentia quæst*. 10. *punct*. 5. Suarez *supra num*. 11. *&* 12. Rodriguez *tom*. 1. *quæst. Regul. quæst*. 20. *art*. 15. Portellus *in dub. Regul. verbo Prælatus num*. 31. & alter Rodriguez *in Compend. Resol*. 3. *num*. 9. *&* 10. etsi cum aliqua limitatione, prout etiam loquitur Bordonus *Resolut*. 3. *num*. 32. *&* 33. Nota tamen quod si peccans in contemptum clauium dicatur ille, qui peccat iudicans non esse in Ecclesia hanc potestatem clauium ad ligandum, absoluendum, iste talis est hæreticus, 371.

cum

cum dissensum præbeat propositioni, quæ est de fide; & si hunc errorem externè manifestet, non potest absolui, neque ex vi horum priuilegiorum, neque aliorum quorumcunque, propter annuam reseruationem huius casus in Bulla Cœnæ, reuocatis omnibus priuilegiis, iuxta dicta supra in Mari magno Prædicarorum circa §. 41. & locis ibi relatis. Si autem peccans in contemptum clauium ille dicatur, qui sine vllo errore, aut hæresi, non vult subiicere se potestati Ecclesiæ ex ira, odio, passione, &c. vel ex eo, quod putet imponentem talem censuram, vel ralem præceptum imprudenter, & indiscreté id fecisse, iste est, de quo dicimus posse absolui ex vi horum, vel similium priuilegiorum. Et iuxta hanc doctrinam moderandi sunt Corduba *lib.5. de Indulgentiis q.37.* Bordon. *supra*, & alij.

371. Circa extensionem illam factam à Sixto priuilegij Eugenij IV. scilicet *ad omnes vtriusque sexus professores*, nora, ex ea haberi, posse Prælaros illos, quibus conceditur vti illo etiam cum Monialibus Ordinis, siquidem ipsæ comprehenduntur verbis relatis. Est tamen animaduertendum, quod licet stando in iure communi ad audiendum confessiones Monialium, ac per consequens ad vtendum cum ipsis facultate concessa in huiusmodi priuilegiis, vel similibus non requiratur in Confessario approbatio Ordinarij, sed sufficiat licenria, & approbatio Prælatorum Religionis, cui subditæ sunt Moniales, prout declarauit S. Congregatio, apud Armendariz *in Addit. ad recopilat. leg. Nauar. lib. 4. tit. 28. l. 1. §. 1.* Sorbum *in Annotat. ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo Moniales §. quod præter.* & Barbosam *in Collectan. ad Concil. Tridentinum, sess. 25. de Regularibus, cap. 10. num. 4.* de quo etiam Azor *tomo 1. Institut. moral. lib. 13. cap. 9. quæst. 2.* & Campanile *in Diuers. iur. Can. Rubric. 12. cap. 16. num. 5.* hodie tamen post Constitutionem Gregorij XV. *de Exemptorum priuilegiis*, quam refero *tomo 1. cap. 19. num. 35. & cap. 25. num. 45.* aliter res se habet. Etenim vt in hac Constitutione habetur: *Confessores, siue Regulares, siue sæculares quomodocunque exempti tam Ordinarij, quàm extraordinarij ad confessiones Monialium etiam Regularibus subiectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.* Quod adeo obseruari vult sacta Congregatio Concilij, vt cùm ab ipsa quæreretur, an Superiores Regulares indigeant etiam dicta approbatione pro confessionibus Sanctimonialium sibi subiectarum audiendis, responderit, iuxta relata *eo cap. 25. num. 46.* in hunc modum: *Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi confessiones Monialium sibi subiectarum posse, durante eorum officio, pergere, sine alia Episcopi approbatione, in confessionibus audiendis, illarum tantum, quæ sponte, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquomodo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, seu dignitatibus, expleto iam tempore à Constitutionibus cuiuscunque Ordinis, vel alias legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse Sanctimonialium confessiones audire, nisi prius à Diœcesano Episcopo idonei iudicati, atque approbati fuerint.* Ex quibus patet, qualiter hoc tempore requiratur approbatio Ordinarij pro Confessariis Monialium Regularibus subiectarum, etiam si sint Superiores illarum Religionum, quibus Moniales sunt subiectæ. Quod adeo etiam rigorosè obseruari vult eadem sacra Congregatio, vt referentibus Sellio *in Select. canon. cap. 30. num. 18.* & Barbosa *suprà num. 17.* declarauerit, non licere Generali Religionis confessiones Monialium sui Ordinis audire absque Episcopi speciali deputatione. Notat autem Bordonus *Resolut. 5. num. 1.* non deberi exponi examini Generalem Ordinis, tum quia idoneus præsumitur ratione eminentiæ sui officij, tum quia deferendum est supremæ ipsius dignitati, ne vilescat, & primarius Magister Ordinis cogatur fieri discipulus. Hæc ille, & satis rationabiliter. Hæc verò dicta sunt, supposito, quod dicta declaratio S. Congregationis à Sellio, & Barbosa relata vera, & authentica sit, illa enim seclusa, posset probabiliter dici Generalem Ordinis non debere approbationem obtinere ab Ordinario, vt Monialium sibi subiectarum confessiones audire possit, quia sicut iuxta dicta *t. 3. v. Abbas n. 6.* & admittit Bord. *supra* nomine monachi non venit Abbas, ita etiam nomine Superiorum Religionis non venit supremus Prælatus ipsius, scilicet Generalis, propter dicta. Quod intellige, iuxta dicta *eo nu. 6.* nisi aliud constet ex verbis imponentis legem. Nota tamen valde, quod iuxta dicta locis relatis *ex 1. tom.* Constitutio illa Gregor. XV. propter quam est mota huiusmodi difficultas in Regnis Hispaniarum suspēsa est. Addit nouissimè Quintana Duenas *in singularib. tract. 3. singul. 25. n. 7.* non esse improbabile Prælatos Regulares habentes approbationem generalem pro tota Diœcesi non indigere noua alia ad audiendas cōfessiones Monialium sibi subditarum, cum id non prohibeatur expressè, & consuetudine firmetur.

An verò saltem tempore Iubilei, aut ex priuilegio Bullæ Cruciatæ possint Moniales Regularibus subiectæ confiteri peccata sua confessario solum approbato à suo Superiori Regulari, an necesse sit, quod sit approbatus ab Ordinario. Respondeo debere esse approbatum ab Ordinario, tum generaliter ex dicta Constitutione Gregorij XV. quæ declarat nullum posse confessiones Sanctimonialium audire, nisi prius à Diœcesano Episcopo idoneus iudicatus, & approbatus fuerit; tum specialiter de priuilegio Bullæ Cruciatæ ex declaratione sacræ Congregationis quàm ex Nicolao Garzia refert Barbosa *supra num. 24.* Alphonsus Leo *de Iubileo p. 2. q. 19. num. 130.* Molfesius *tom. 2. Summ. tract. 7. cap. 6. num. 28. & 29.* Peirini *tom. 3. cap. 4. num.* Bordonus *resolut. 4. 34. num. 52.* 372.

Circa id verò quod tangitur in his priuilegiis illis verbis *Etiam simoniæ prauitate qualitercunque irretitis*, an scilicet iis temporibus possint dicti Prælati absoluere simoniacos, consule dicta *tom. 1. cap. 18. num. 39. & tom. 4. verbo Simonia quoad Regulares, num. 30.* in nouissima editione Veneta, & infra in Mari magno Minimorum *circa §. 29.* 373.

Circa §. 63.

Concedit hoc loco Papa Sixtus IV. Generali nostro facultatem dispensandi cum nostris Fratribus in illegitimitate, & quibuscunque aliis irregularitatibus, exceptis illis, quæ proueniunt ex homicidio voluntario, bigamia, aut mutilatione membrorum. Quod priuilegium etiam habetur pro Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 42. pro Minoribus §. 49. pro Eremitis sancti Augustini §. 44. Quibus in locis multa dicta sunt circa huiusmodi priuilegium. 374.

Nunc addendum, quod cùm irregularitares, de qui 375.

quibus agitur in hoc priuilegio, non tollantur per absolutionem sed per dispensationem, iuxta dicta in Mari magno Eremitarum S. Aug. *circa* §. 43 & 44. Ideo ad vtendum illo, maximè in foro externo (prout probabile est fieri posse, cum illud non limitetur à Pontifice solum pro foro interno) obseruanda est conditio requisita ad legitimam dispensationem, scilicet, quod detur ex legitima causa, iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 18. *n.*42. Quæ autem causa censeri debeat legitima, dixi *tomo* 3. *verbo Dispensare, & dispensatio num.*2. vbi plura ad intentum necessaria.

376. Notat etiam Scholiastes noster non requiri hanc dispensationem pro illegitimis recipiendis ad habitum Ordinis, & quod etiam si ea requiratur pro prædictis illegitimis admittendis ad officia Ordinis, nec possit dari ex vi horum priuilegiorum, eo quod ea reuocata sint à Sixto V. licet moderata à Greg XIV. propter priuilegium tamen eiusdem Greg XIV. pro Clericis ministrantibus infirmis eam posse dari à Generalibus etiam extra Capitulum. Sed quid sentiendum sit de primo istorum quoad receptionem illegitimorum ad habitum Ordinis, dixi *tomo* 1. *cap.*24. *num.*21. *& tomo* 3. *verbo Illegitimi Regulares num.*10. *& tom.*4. *verbo Nouitij & Nouitiæ Religionum numer.*10. De secundo autem, scilicet an Generalis possit modo dispensare cum illegitimis ad officia Ordinis, dixi *tomo* 1. *cap.*18 *à num.*60. *& tomo* 2. *cap.*12. *num.*21. *& cap.*13. *num.*50. *& tomo* 3. *eo verbo illegitimi Regulares, num.* 17. Quibus in locis alia etiam pro hoc intento necessaria.

377. Maximè nota, quod quamuis hoc priuilegium ad dispensandum cum irregularibus, non sit concessum Prouincialibus aut Prioribus localibus nostri Ordinis, sed tantummodo *Generali pro tempore existenti*, vt dicitur in Bulla; quia tamen in simili priuilego pro Prædicatoribus in ipsorum Mari magno §.42. id conceditur Generali, *& Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, ac illorum Vicariis*, & in Mari magno Minorum §.49. Generali, *& Prouincialibus Ministris dicti Ordinis pro tempore existentibus, & illorum Vicariis* (quod etiam habetur in Mari magno Eremitarum S. Augustini §. 44.) in Mari magno etiam Minimor. §. 29. id conceditur *Omnibus Superioribus, & eorum Vicariis*, ideo non solum Generalis noster, sed etiam Prouinciales, locales Priores, & ipsorum Vicarij possunt per communicationem generalem qua fruuntur in priuilegiis aliarum Religionum, Mendicantium præsertim, vti hac facultate. Quod etiam dicam infra in Mari magno Seruitarum *circa* §.36. vbi simile priuilegium ipsi conceditur cum dicta restrictione ad Generalem. Cœterum pro his, qui possunt cum illegitimis dispensare, specialiter consulenda sunt dicta locis relatis.

Circa § 64.

378. CONceditur hoc loco facultas Religiosis nostris administrandum Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis personis eisdem confessis, quibus Rectores Ecclesiarum *siue rationabili causa denegauerint, siue malitiosè distulerint* ea ministrare; & quod in hoc *eorumdem confessorum assertione stari debeat.* De quo priuilegio dixi in superioribus, dũ de simili alio sermonem agerem, in Mari magno Prædicatorum *circa* §.47. Minorum *circa* §.45. & Eremitarum S. Augustini *circa* §. 45.

379. Præter quæ vlterius notat Scholiastes noster hac cõcessione cautè esse vtendum, præcipuè cum infirmis, eo quod sit odiosa, nisi tamen casus vrgeat necessitatis. Sed, vt credo, sufficiens cautio adhibetur in vsu illius à Leone X in Concilio Lateranensi, & Bulla *Dum intra*, vbi, iuxta dicta supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §.47. præscribitur, ad hoc quod Religiosi isti priuilegiati vti possint hac gratia administrandi Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis sæcularibus sibi confessis, non quomodolibet constare ipsis debere, quod Parochus sine causa rationabili id negat, aut malitiosè differt facere: sed requiri etiam quod *talis negatio sine legitima causa vicinorum testimonio comprobata, aut requisitio coram publico notario facta* doceatur. Hæc enim videtur cautio sufficiens positis etiam iis, quæ eo loco, & *tomo* 3. *verbo Eucharistia quoad Regulares num.* 5. *& verbo Extrema Vnctio num.*1. dictum manet.

Nota præterea, quod ex eo quod in hoc priuilegio specialiter concedatur facultas ad administrandum Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis confessis sua peccata nostris Religiosis pro casu quo id malitiosè nolint facere Parochi, colligitur rectè quod facultas ministrandi hæc Sacramenta non includatur in facultate ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ, nec valere in hoc Regulam illam, *qui potest ad maius potest ad minus*, cum illa solum intelligatur quando vnum continetur in alio, non quando sunt diuersa, prout contingit in præsenti. Vt bene Candidus *tom.*3. *disquisit.*2. *de Eucharistia art.*20. *dubit.*35. 380.

Animaduertendum præterea, quod attinet ad Sacramentum Extremæ Vnctionis, esse valde probabile administrari posse à Religiosis, secluso hoc, & aliis quibuscunque priuilegiis, pro casu quo infirmus esset in periculo mortis, & parochus ex malitia nollet id facere, dum tamen certo constaret de parochi nequitia. Ratio est, quia licet iuxta dicta *tomo* 1. *cap.*9. *num.*31. *& c.*21. *num.* 10. in Clementina *Religiosi de priuilegiis*, imposita sit excommunicatio contra Religiosos administrantes hoc Sacramentum sine licentia parochi, & illud non sit Sacramentum necessitatis, quia tamen Clementina illa solum videtur edita contra Religiosos, qui hoc Sacramentum administrant audacter, & temerè, ac sine magna causa, & illud possit aliquando homini faciendo illum de attrito contritum esse causam salutis æternæ, ideo pro illo casu id fieri potest. Sotus *in* 4. *dist.*23. *qu.* 2. *art.* 1. §. *vtrum verò* & P. Candidus *supra d. tomo* 3. *disquis.* 3. *de Extrema Vnctione art.*4. *dubit.* 13. Fauet etiam Naldus *in Summa verbo extrema Vnctio num.* 10. & Summa Diana *verbo Extrema Vnctio n.* 25. ex Fernandez *p.*3. *cap.*10. §.1. *n.*8. contra Gauantum *verbo Extrema Vnctio.* 381.

An autem Parochi possint petere schedulas de confessione facta Regularibus, vt sic confessis dent communionem, habes ex dictis in Mari magno Prædicatorum *circa* §.47.

Circa §. 65.

ETiam hoc priuilegium de bonis Monasteriorum Monialium Monialibus destitutorum applicandis Monasteriis Fratrum eisdem Monasteriis destitutis proximioribus habetur in Mari magno Prædicatorum §.48. Minorum §.46. & Eremitarum S. Aug. §.46. Quibus in locis nonnulla circa illud dixi, & *tomo* 2. *cap.*19. *num.* 50. ac supra *cir* §. 33. Quibus etiam alia addenda circa exemptionem, & subiectionem Monialium. 382.

Prius supponendo, quod quemadmodum Mona- 383.

Monasteria omnia virorum antiquitus, & ex vi iuris communis Episcopis, & Ordinariis subiecta erant, vt habetur *cap. qui verè 16. quæst. 1. cap. omnes Basilicæ, & cap. domus 16. quæst 7. capit. viduitatis 27. quæst. 1. cap. venerabilis de Religiosis domibus*, & aliis iuribus apud Rodriguez *tomo 2. Quæst. Regular. quæst. 63. art. 1.* Campanile *in Diuersor. iur. canon. Rubric. 12. c. 13. num. 1.* Tamburinum *de Iure Abbatum, tomo 3. disput. 5. quæsit. 11. num. 1.* sic quoque Monasteria fœminarum, seu Monialium antiquitus, & ex vi iuris communis Episcopis, & Ordinariis subiecta erant, iuxta tradita in Concilio Arelatensi 5. sub anno 554. ex Iacobo Sirmondo *tomo 1. Concil. antiq. Galliæ cap. 5. sub his verbis: Episcopi de puellarum Monasteriis, quæ in sua ciuitate constituta sunt, curam gerant.* Tambur. *de Iure Abbatissar. disp. 14. q. 1. num. 9.*

384. Nihilominus propter specialia priuilegia Sedis Apostolicæ Moniales subiici solent Prælatis eiusdem Religionis & eximi à subiectione Episcoporum, vt constat de Monialibus Benedictinis ex Gregorij XIII Bulla, quæ incipit, *Ex nostri*, & ex Rotæ decisione in Matsicana *Iurisdictionis* coram Comitolo ann. 1589. inter decisiones ipsius *num.* 83. vbi expressè deciditur illas esse sub gubernio Abbatis priuatiuè quoad Episcopum. Item de Cisterciensibus ex Bulla Pij V. quæ incipit *In eminenti*, Fulliensibus reformatis ex Bulla Pauli V. quæ incipit. *Quæ Regulares*, referente Tamburino *d. disp. 14. quæsit. 1. à num. 1.* Vbi etiam *num. 8.* Idem asserit de Monialibus Vallisvmbrosanis ex multis Pontificum Constitutionibus. De Monialibus autem Mendicantium præter alia priuilegia id constat ex priuilegio siquidem in illo dicitur: *Cum aliquando contingat Monasteria Monialium d. Ordinis, &c.* & postea: *Illorum sic destitutorum bona ad ipsos Fratres deueniant, quorum erant curæ commissa.* Deinde de Monialibus Prædicatorum ex eorũ Mari magno §. 52. Minorum §. 51. & de vtrisque ex Bulla *Aurea* dicta §. 4. Eremitarum Sancti August. §. 52. & Carmelitarum §. 33. Specialissimè etiam de subiectione Monialium Ordinis Minor. Prælatis ipsius, & exemptione ab Ordinariis ex diuersis priuilegiis Summorum Pontificum apud Confettium *in Collectanea priuilegiorum in Eugenio IV. Bulla 1. & 2.* Rodriguez *tomo 2. Quæst. Regular. quæst. 17. art. 8.* Lucam Vvadingum *tomo 1. Annal. in fin. in registr. Pontificat. constit. 35. Innoc. IV.* & Tamburinum *d. quæsit. 1. num. 4. 5. 6. & 7.* Maximè verò ex S. Rotæ decisione in vna Vlysbonen. *Monasterij* coram Coccino 19. Nouembr. 1635. vbi expresè habetur Moniales S. Claræ esse exẽptas à iurisdictione Ordinarij, Sedi Apostolicæ immediatè subiectas, & sub gubernio Prælatorum Ordinis.

385. Ex hac autem subiectione Monialium ad Prælatos sui Ordinis, & exemptione ab Episcopis, & Ordinariis duo inferuntur, alterum fauorabile, alterum verò odiosum pro ipsis Monialibus. Primum quidem est, gaudere priuilegiis Religionum suarum, prout non solum colligitur ex locis relatis ex Mari magno Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, sed ex iis, quæ diximus in Bulla *Aurea cir.* §. 4 ex variis Doctoribus. Quibus iunge Mirandam *in tract. de Monialibus quæst. 9. art. 4 & 5. quæst. 10. art. 2.* Portellum *in dub. Regular. verbo Moniales num. 11.* Hieron Rodriguez *in Comp. Resol. 98. num. 1. & 2.* & Freitas *in Bullar. Ordinis beatæ Mariæ de Mercede in Bulla 2. Clem. IV.* referentem Nauarr. Adde, id non solum competere Monialibus subiectis Prælatis suorum Ordinum, sed etiam illis, quæ subiiciuntur Ordinariis, ita vt etiam istæ gaudeant priuilegiis suorum Ordinum, cùm de similibus, & connexis idem sit iudicium *c. inter cætera de rescript. c. translato de constit. c. in causa de re iudic.* & vbicunque est eadem ratio, ibi debet esse eadem iuris dispositio *l. illud ff. ad l. Aquil. l. à Titio, ff. de verbo obligat.* Tamb. *de iure Abb. t. 1. disp. 17. quæs. 1. in fin. & de iure Abb. disp. 18. q. 2.* Quod maximè procedit, quando Moniales alicuius Monasterij prius erant sub obedientia Religionis, & postea subiiciuntur Episcopis. Cùm propter ablationem priuilegij exemptionis non auferantur alia priuilegia Religionis, quia vno priuilegio ablato non auferrur aliud, Tambur. *eo quæst. 2.* referens Syluestrum, Sanchez, & Bartholomæum à S. Fausto.

Alterum est odiosum, scilicet subiici legibus, 386. Constitutionibus, & statutis suorum Ordinum, Capitulorum ipsius, in iis, & in quibus sexus non repugnat, iuxta dicta *t. 1. c. 25. n. 1.* & tenent Suarez ibi relatus. Miranda *sup. q. 5. art. 3.* Hier. Rodrig. *sup. n. 13. & resol. 90. n. 4.* Bordonus *resol. 38. n. 6.* & Tambur *sup. disp. 12. q. 2. n. 3. & disp. 13. quæs. 4. præsertim, n. 9.* Aduertens bene *n. 6.* necessariũ esse, vt tales leges, & Constitutiones specialiter eis intimentur, quia alias supponi debet eas ignorare. Hinc etiam infert Bordonus supra, teneri casibus reseruatis in sua Religione, quod etiam intelligi debet, si illis specialiter talis reseruatio intimetur.

Merito ergo propter hanc connexionem quæ 387. intercedit, inter moniales, & ipsarum Ordines decernunt Pontifices, in hoc, & similibus priuilegiis, vt bona Monasteriorum ipsarum, si Monialibus destituantur, applicari debeant Religiosis viris suorum Ordinum. Vbi obiter nota, quod si talia Monasteria suppressa postea ad pristinam formam reducantur, recuperant iura, ac priuilegia, quæ primitus habebant, prout firmat Rota in vna sanctæ Agathæ Gothorum *præcedentiæ*, coram Motmanno 29. Ianuarij 1629. Ex quo colligitur talia bona restitui debere præfatis Monasteriis, si ad pristinam formam reducantur.

Nota etiam dicenda infra in Mari magno Ser- 388. uitarum *circa* §. 37. Ibi enim habetur simile priuilegium, imo magis amplum, non solum videlicet pro Manasteriis Monialium Monialibus destitutorum, sed etiam pro Monasteriis pinzochetarum, seu Mantellatarum, & pro omnibus domibus, & locis ipsarum, ac proinde ex vi communicationis priuilegiorum, quæ est inter Mendicantes, posse nostros, & alios Mendicantes vti dicto priuilegio Seruitarum cum ea amplitudine, quam ipsi.

Circa §. 66.

Concedit hoc loco Pontifex Sixtus Fratribus 389. nostris, vt volentes sepeliri cum habitu nostro, apud ipsos Fratres sepeliri debeant, *etiamsi alibi suam sepulturam elegissent*, nec posse alicubi sepeliri sine Fratrum licentia, & assensu, contradictores excommunicando.

Pro quo nota simile priuilegium haberi in Ma- 390. ri magno Prædicatorum §. 49. Minorum §. 47. & Eremitarum sancti Augustini §. 47. eo excepto, quod istarum Religionum priuilegia non continent excommunicationem contra contradictores, sicut ponitur in isto priuilegio nostro. Cùm autem excommunicatio ponatur per verba directa, & de præsenti, quæ non requirunt opem, seu factum

alte

alterius scilicet *excommunicamus*, ideo talis excommunicatio est latæ sententiæ, & non ferendæ, aut comminatoria, iuxta communem doctrinam Doctorum, specialiter D. Antonini *3. parte, tit. 24. cap. 74.* Syluestri, *verbo excommunicatio 1. num. 15.* Tabienæ *verbo excommunicatio 2.* Armillæ *ibidem num. 27.* Nauarri *in Man. cap. 27. num. 12.* Henriquez *lib. 13. de excommunicat. cap. 20. §. 2.* Sayri *de censuris lib. 1. cap. 11. num. 6.* Nota etiam aliam similem excommunicationem, imò Papæ reseruatam impositam esse à Sixto IV. cõtra impedientes sepeliri volentes cum habitu Religioso. De qua agit Rodriguez *tomo 2. Quæst. Regular. quæst. 47. artic. 8.* & alter Rodrig. *in Compendio Resolut. 71. num. 8.* & nos *tomo 3. verbo habitus Regularis num. 5.*

391. Obseruat etiam Scholiastes noster hanc concessionem derogatam esse in Concilio Lateranensi in Bulla *Dum intra.* Quod est verum, iuxta dicta *tomo 3. eo verbo Habitus Regularis num 6.* & supra *circa* §. 49. Maris magni Prædicatorum, vbi diximus Leonem X. in Concilio Lateranensi, & dicta Bulla decreuisse, sepeliri volentes cum habitu Fratrum Mendicantium posse eligere sepulturam in quacunque Ecclesia, & ibi sepeliri. Quomodo autem non sint reuocata alia priuilegia circa volentes sepeliri cum habitu nostro, vel circa illos, à quibus dari debet, aliasve circumstantias illius dixi locis relatis, & per totum illud verbum *Habitus Regularis.*

392. Obseruat vlterius idem Scholiastes, quod dantes eleemosynam pro consequenda indulgentia, quæ obtinetur ab illis, qui sepeliuntur cum habitu Regulari, non consequuntur illam, si talis eleemosyna datur pro ipsa. Sed de hoc iam dixi eo *verbo Habitus Regularis, num. 10.* & circa id est notandum, quod licet Pius V. reuocauerit omnes indulgentias, propter quas consequendas tribuitur aliqua eleemosyna, nihilominus Gregorius XIII. in Bulla *Vt Laudes*, Indulgentias concessas ordini nostro reualidauit, commutando dictam eleemosynam in alia opera, quæ retuli *tom. 2. cap. 15. num. 39.* qui ergo talia opera egerit consequi poterit dictas indulgentias, Reuerendissimus Theodorus Stratius *in instruct. pro Carmelit. cap. 17. & nos tomo 3. verbo indulgentia quoad Regulares, num. 14.* vbi etiam diximus hac gratia potiri posse eas Religiones, quæ cum nostra communicant in priuilegiis.

Circa §. 67.

933. STatuit hoc loco Pontifex Sixtus, vt in Ecclesiis Parochialibus Fratribus nostris concessis, aut in posterum concedendis possint illam curam per Capellanum aliquem pro eorum nutu ponẽdum, & amouendum, exercere: & quod dictus Capellanus durante tali munere fruatur libertate, & exemptione Religiosorum; & Ecclesiæ ipsæ, illarumque bona Ordinis prærogatiua lætentur.

394. Omnino simile priuilegium habetur in Mari magno Prædicatorum §. 50. Minorum §. 48. & Eremitarum sancti Augustini §. 48. quibus in locis, & aliis ibi relatis plura concernentia hanc materiam dicta sunt. Quia tamen Scholiastes nostri Maris magni dum de hoc priuilegio ageret, dixit illud esse reuocatum per Conc. Trident. *sess. 7. de reformatione, cap. 8. & sess. 24 cap. 11.* ideo notandum quod *cap illo 8. sess. 7.* solum præcipit Concilium, quod Ordinarij teneantur visitare singulis annis Ecclesias quascunque quomodolibet exemptas. Cæterum ibi solum loquitur Concilium de Ecclesiis sæcularibus exemptis, non de Regularibus, seu Regularibus annexis. Sicut etiam *sess. 24. de reform. c. 9.* Ita enim habetur ex declaratione sacræ Congregationis, quam refert Marzilla *lib. 4. tit. 1. pag. 539.* iis verbis: *Beneficia sæcularia tantum, non autem Regularia in vim huius decreti ab Ordinariis visitari possunt.* Rodriguez *tom. 1. quæst. regul. q. 36. art. 3.* & alter Rodriguez ipsius Compendiator *in Compend. Resol. 15. n. 15.* Casu autem, quod Concilium debeat intelligi de Ecclesiis etiam Curatis Regularibus, seu Regularibus annexis, prout colligi videtur ex aliquibus declarationibus sacræ Congregationis, quas referunt Armendariz *in Addit. ad recopilat. l. Nauarræ, lib. 1. tit. 6. n. 85. 86. 87. 88. & 89.* & Barbosa *in Collect. ad d. locum Concilij, & de offic. & potest. Episc. alleg. 74. n. 12. & 14.* id solum esset verum quantum ad hoc quod posset Episcopus visitare dictas Ecclesias curatas, siue regulares, siue regularibus annexas solum *in iis quæ ad curam, & Sacramentorum administrationem pertinent*, iuxta dicta ex Concil. Tridentino *sess. 25. cap. 11.* sæpius præsertim supra circa §. 50. Maris magni Prædicatorum, & §. 58. Maris magni Minorum. Similiter *cap. illo 11. sess. 24. de reform.* solum præcipitur, vt seruientes Monasteriis non fruantur priuilegiis sibi concessis, nisi actu seruiant, & intra eorum septa resideant, ac sub eorum obedientia viuant, quæ possunt verificari de Capellanis, de quibus est sermo in præsenti priuilegio. Et casu quod ea de ipsis non verificentur, satis probabile est, iuxta dicta *tom. 7. c. 16. n. 14.* ex Rodriguez ibidem relato, solum loqui Concilium, prout colligi videtur ex principio illius capitis, de illis tantum priuilegiis, quæ *perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare, & occasionem laxioris vitæ præbere* possunt, non de aliis priuilegiis. Non ergo, vt ad intentum redeamus, priuilegia, de quibus in præsenti, sunt simpliciter, & totaliter reuocata à Concilio, prout Scholiastes noster putat.

Clausula quoque illa istorum priuilegiorum *Capellanum per eos* (scilicet Fratres) *pro eorum nutu ponendum, & amouendum* non est reuocata per Concilium. Etsi enim admitteremus veram, & authenticam esse declarationem quandam sacræ Congregationis, quam referunt Armendariz *supra num. 85.* & Barbosa *etiam supra num. 14.* & in qua dicitur Episcopum visitantem dict. Ecclesias posse ponere in eis Vicarios perpetuos, siue temporarios, prout ipsi videbitur expedire, adhuc tamen datur locus huic priuilegio, & similiter Fratres id possint facere, saltem consentiente Episcopo, iuxta decretum Conc. Trid *sess. 25. c. 11.* relatum; vel pro casu, quo Episcopus id negligat facere. Vide tamen dicta in Mari magno Minorum *circa* §. 48. *num. 149.* ex eiusdem sacræ Congregationis, & Rotæ decisionibus. 395.

Præterea clausula illa horum priuilegiorum: *Ecclesiæ verò prædictæ, & illarum bona, illa, quæ domus Fratrum dicti Ordinis prærogatiua lætentur,* non video quomodo derogata, aut reuocata sit, nisi solum quoad ea, quæ retulimus. Pro congruo autẽ salario tribuendo huiusmodi capellano, & quantum debeat esse, consulenda sacræ Rotæ decisio in vna Ianuensi *Parochialis* coram Coccino die primo Iulij 1633. Vide etiam dicta *tom. 2. cap. 18 n. 27.* 396.

Circa §. 68.

DVo præcipuè priuilegia continentur sub hoc §. Alterum est circa electionem Generalis, de 397.

de qua Pontifex declarat, quod postquam illius decretum Generali præsentatum fuerit, ipseque consenserit electioni, intelligatur eo ipso confirmatus authoritate Apostolica, & possit suum officium exercere, reiecta quacunque appellatione. Alterum verò circa Prouinciales, & alios officiales aliter quam per electionem à Generali institutos, quos etiam declarat, post institutionem, & prouisionem de ipsis factam, posse curam animarum suorum subditorum exercere, ipsosque ligare, ac soluere, iuxta Ordinis statuta.

398. Et quidem primum priuilegium conforme est aliis, quæ concessa sunt Prædicatoribus in eorum Mari magno §.1. Minoribus etiam §.1. & clarius, ac expressius, imo eisdem verbis Eremitarum sancti Augustini §.49. circa quæ loco, & aliis ibi relatis, plura dicta sunt ipsum concernentia. Secundum verò (cùm per illud declaretur, quod Prouinciales, & Priores locales, ac alij Officiales secundum statuta Ordinis aliter quàm per electionem à Generali prouisi possint post dictam prouisionem suum officium exercere) videtur esse confirmatorium nostrarum Constitutionum, earum scilicet, quæ tunc temporis erant, scilicet Sorerhanæ (quas etiam imitantur aliæ posteriores) in quibus, quoad Prouincialium electionem spectat, concedi videatur Generali posse instituere Prouinciales, pro casu, quo non posset fieri electio. Dicitur enim in *cap. de officio Prioris Generalis* sic: (*Committimus eidem* scilicet Generali) *quod possit omnia facere, quæ nos Diffinitores* (videlicet Capituli Generalis) *facere possumus, absolutionibus Priorum Prouincialium liberè, & sine culpa, & eorum institutionibus pro libito, vbi potest fieri electio*, Expendendo enim hæc vltima verba *vbi potest fieri electio*, colligitur ex illis, quod quando fieri non potest electio, possit illos instituere. Quoad Priores verò locales pro casibus, in quibus eidem Generali conceditur facultas illos instituendi, de quibus supra in hoc eodem Mari magno circa §.7. *in expositione, cap.1. Regulæ.* Pro prædictis autem casibus, in quibus aliqui, siue Prouinciales, siue Priores, siue alij officiales instituuntur à Generali, nota, pro talibus casibus non requiri aliam confirmationem præter ipsam institutionem. Quia quoties ad eligentem, seu instituentem spectat etiam confirmatio, eo ipso quo eligit, seu instituit, censetur etiam confirmare. Rota in vna Nouariensi *Præpositturæ* 28. Iunij 1632. coram Pirouano, & in antiquis *decis.1. de elect.* & in nouis *decis.6. de elect.* Sigismundus de Bononia *de elect. Prælatorum, dub.119. num.6.* & Tamburinus *de Iure Abbatum, tomo 1. disput.6. quæst.1. num.22. & quæst.2. num.4.* post plures alios, quos referunt. Quod quidem necessarium est non solum pro casu huius priuilegij, sed etiam pro Prioribus, & officialibus, qui eliguntur in Capitulis à Diffinitoribus, & Præsidentibus, imo etiam pro casu, quo confirmator esset præsens electioni, & in ea suffragium dedisset pro aliquo.

399. Circa vtrumque verò priuilegium nota, iure, meritoque Pontificem hoc loco declarare dictos Prouinciales, & Priores institutos posse curam animarum suorum subditorum habere, ipsosque ligare, & absoluere, quia, iuxta dicta *tom.1. cap.18. num.1.* Prælati Regulares habent supra suos subditos non solum potestatem dominatiuam, qualem habent Patresfamilias in suos, sed etiam spiritualem iurisdictionem, imo veluti Episcopalem, saltem de iure Ecclesiastico, & à Summis Pontificibus deriuatam. Addunt aliqui, scilicet Rodriguez *tomo 1. Quæst. Regular. quæst.17. art.2. & 6.* Miranda *in Man. tomo 1. quæst.13. art.4. conclus.1.* quod probabile etiam censent Peirinis *tomo 2. de Prælat. quæst.1. cap.5. §.2.* Hieronymus Rodriguez *Resolut. 68. num 9.* referentes etiam Sotum, Victoriam, & alios, iure quoque diuino competere hanc iurisdictionem Prælatis Regularibus, adeo, vt quemadmodum, (inquit Hieronymus Rodriguez) sicut Episcopi si non essent prohibiti, potuissent in sua Diœcesi quidquid potest Papa in tota Ecclesia, ita Prælati Religionum. Sed quia hanc sententiam nouam, & falsam vocat Suarez *tomo 4. de Relig. tract.8. lib.2. cap.1. num.8.* & ideo quid de illa sentiendum, alibi dicetur.

Circa §.69.

Facultatem Ordinariis concessam ab Eugenio IV. procedendi contra asserentes, quod illi, qui confessi sunt Fratribus Mendicantibus teneantur eadem peccata Parocho confiteri, extendit hic Pontifex non solum ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, sed etiam ad Ordinum Protectores, & Auditorem Cameræ. 400.

Hinc collige priuilegium hoc magis amplum esse, quàm alia similia concessa Prædicatoribus in eorum Mari magno §.51. Minorum §.50. & Eremitis sancti Augustini §.50. In eis enim facultas procedendi contra talia asserentes non extenditur ad Protectores Ordinis, & Auditorem Cameræ, sicut in hoc priuilegio conceditur. 401.

Præter dicta autem circa illud in Mari magno Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum sancti Augustini locis relatis, & supra in hoc eodem Mari magno *circa* §.12. nota circa authoritatem Dominorum Cardinalium Protectorum ea, quæ dixi *tomo 2. cap.9.* præsertim *num.13.14. & 19.* Item circa clausulam illam. *Et ad quemlibet prædictorum de per se* proculdubio esse idem ac clausulam, seu dictionem *in solidum*, quæ attribuit totum vnicuique *leg.3. de fideiuss. leg. si non singula, Cod. si cert. pet. leg. si diuisa. Cod. locat.* Bertazolus *de claus. instrument. clausul.39 gloss.7. num.1.* Barbosa *de claus. clausul.72. num.14.* ac proinde per ipsam denotari quemlibet ex prædictis, scilicet non solum Inquisitores, sed etiam vel Dominum Protectorem, vel Auditorem Cameræ etiam separatim, & diuisim posse procedere contra asserentes propositiones illas damnatas de confessione iterum facienda Parocho ab illis, qui Fratribus Mendicantibus sua peccata confessi fuerint. Vide Martam *de clausulis, clausul.188. n.8.* & Thuscum *verbo Clausula, concl.321.* ac Peirinis *tom.1. priuil. Minim. in Constit.7. Iuly II. §.4.* circa similem clausulam *Quatenus ipsi, vel alter eorum.* 402.

Specialiter etiam pro authoritate Dom. Cardin. Protectorum præter dicta *tom.2. cap.9.* relato, & dicenda infra *circa* §.107. huius Maris magni, nota eam veluti moderatam, seu potius declaratam esse his temporibus à SS. D.N. Innocentio X. qui in litteris pro huiusmodi DD. Protectoribus concessis, vt patet ex datis 20. Septembris anno 1645. pro Protectore Ordinis sancti Hieronymi Fesulani hæc habet, diuersa sane ab iis, quæ in litteris similibus sub Paulo V. & Vrbano VIII. concedi dixi eo *capite 9.* relato. *Volumus autem, vt Congregationem prædictam foueas, & protegas, ac tibi in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt Superiorum dictæ Congregationis authoritatem; quantum fieri poterit, conseruare cures, ac propterea ipsis superioribus regimen, & gubernium subditorum penitus relinquas,* 403.

nec

nec in negotiis eorum Fratrum te immisceas, nisi ab ipsis Superioribus requisitus fueris, vt in eisdem negotiis authoritatem tuam interponas, & tunc si omnino necessarium fore cognoueris, vt eandem authoritatem tuam in eisdem negotiis exerceas, tunc id facere possis, sed quoad potueris per te ipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quando opus fuerit, in iisdem negotiis, seu causis, loco Notarij aliquo ex Fratribus dictæ Congregationis.

Circa §. 70.

404. HAbetur in hoc priuilegio, quod quicunque inhibuerint dari eleemosynam Fratribus nostris, *ipso facto excommunicationis incurrat sententiam*, & contra illos sicut contra hæreticos possint procedere Protector Ordinis, Auditor Cameræ, & Inquisitores, etiam quilibet eorum per se.

405. Est autem priuilegium hoc magis amplum quàm alia, quæ ab eodem Pontifice concessa sunt Prædicatoribus, Minoribus, & Eremitis sancti Augustini. Etenim quod idem Sixtus IV. concessit Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla *Aurea* dicta §. 5. est quod impedientes dari ipsis eleemosynas, nisi intra triduum postquam admoniti fuerint, resipuerint, Ordinarij incurrant interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionem à regimine suarum Ecclesiarum; alij verò inferiores excommunicationem. Eremitis autem sancti Augustini in eorum Mari magno §. 51. concessit, vt impedientes ipsis dari eleémosynas ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, & quod contra illos possint Inquisitores, veluti contra hæreticos procedere. Cæterum Carmelitis nostris in hoc priuilegio vltra hoc concedit, quod non solum Inquisitores, sed etiam Protector Ordinis, & Auditor Cameræ contra talia facientes possint priuilegium hoc magis amplum esse quàm aliud Prædicatoribus, Minoribus, & Eremitis sancti Augustini. Etsi propter communicationem priuilegiorum possint etiam vti hoc nostro, & cum eadem ampliatione.

406. Circa, quod præter dicta in Bulla *Aurea* dicta circa §. 5. & in Mari magno Eremitarum sancti Augustini *circa* § 51. ac etiam circa alia priuilegia in Superioribus relata de facultate petendi eleemosynas ab excommunicatis, de quibus supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 13. & in Mari magno Minorum *circa* §. 11. & in nostro *circa* §. 53. notat noster Scholiastes tria, primum, hanc eandem excommunicationem impositam esse contra prohibẽtes dari elemosynas Augustinianis. De quo iam dixi supra, & loco relato ex Mari magno Eremitarum sancti Augustini. Secundum, quod Patres nostri Discalceati impediri non possunt à quæstuationibus eleemosynarum, propter decretum sacræ Congregationis. Hoc tamen decretum relatum est supra in Bulla *Aurea*, *circa* §. 5. *citatum:* Tertium, quod hoc priuilegium non est derogatum per Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 9. De quo etiam egi *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 4 *& tomo* 4. *verbo Quæstuarij Regulares* ex declaratione Pij V. & sacræ Congregationis. Quibus adde Clementem VI. in Bulla quæ est in Bullario Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede *in hoc Pontifice, num.* 6. declarasse Religiosos huius Ordinis non esse *Quæstores* illos damnatos per Clementem V. in Concilio Lateranensi in Constitutione, quæ incipit *Abusionibus*, sed quod *sunt Religiosi, sacrum habitum portantes, &c.* Quæ etiam, vel per communicationem priuilegiorum aptari possunt Mendicantibus eleemosynas petentibus. Vide Barbosam *in Collectan. ad sess.* 21. *cap.* 9. *de reformat. Concilij Tridentini*, & Freitam *super dictam Bullam Clement. VI.* ac Hieronymum Rodriguez *in Compend. Resolut.* 59. *num.* 5. *&* 6. vbi refert alia priuilegia, præsertim Benedicti XII. pro Ordine sanctiss. Trinitatis.

Circa §. 71.

AMpliatur hoc loco, & declaratur magis omnimoda exemptio Ordinis nostri, ipsiusque personarum, locorum, & bonorum à iurisdictione quoruncunque Diæcesanorum, Ordinariorum, seu legatorum, conformiter ad priuilegia Ioannis XXII. & Clementis VI. cum derogatione *cap. volentes*; inhibendo etiam, ne contra dictas personas, domos, loca, aut bona Ordinis, *vtpote prorsus exempta* (vt inquit Pontifex) aliquas censuras promulgare, aut aliquam iurisdictionem exercere aliquis præsumat, ea irrita declarando, etiam *exemptione* (inquit) *vtpote notoria non aliter allegata.* 407.

Circa quæ notandum, derogarionem illam *cap. volentes de priuileg. in* 6. quod est Innocentij IV. haberi etiam in Mari magno Prædicatorum §. 36. *&* 46. Minorum §. 37. *&* 44. & Eremitarum sancti Augustini §. 32. quibus in locis, & aliis ibi citatis late diximus, quæ erant ordinata ab Innocentio IV. *in dicto cap. volentes*, & quæ sunt concessa in istis priuilegiis, & qualiter sint, aut non sint reuocata per Concilium Tridentinum, cum aliis ipsa concernentibus. De priuilegiis etiam Ioannis XXII. & Clementis VI. quorum meminit hoc loco Papa Sixtus, late quoque diximus supra in hoc Mari magno circa §. 5. *&* 6. vbi plura etiam spectantia ad huiusmodi exemptionem. De priuilegio quoque illo, vt nullus possit contra Ordinis nostri personas, loca, domos, aut bona, censuram aliquam promulgare, aut iurisdictionem exercere, dictum etiam est circa simile priuilegium Prædicatorum in eorum Mari magno §. 46. Minorum §. 37. *&* 44. & Eremitarum sancti Augustini §. 31. Quomodo autem id debeat intelligi etiam pro casibus, in quibus facultas conceditur Ordinariis ad procedendum contra Religiosos, nisi simul declaretur posse id facere etiam per censuras, dixi *tomo* 1. *capite* 11. *numero* 14. *&* 15. *ac* 3. *tomo, verbo Exemptio Regularium, num.* 11. De illa similiter parte priuilegij huius, *exemptione vtpote notoria non allegata*, & quomodo se gerere debeant Religiosi, cùm ab Ordinariis citarentur ad comparendum coram ipsis in causis, in quibus sunt exempti, diximus *tomo* 3. *verbo Exemptio Regularium, num.* 14. & supra in hoc Mari magno *circa* §. 60. vbi alia etiam spectantia ad huiusmodi exemptionem. Notandæ tamen sunt, quoad hæc, & similia exemptionis priuilegia, aliquæ exceptiones, seu aliqui casus, in quibus non suffragantur, propter decreta Concilij Tridentini, de quibus egi *tomo* 1. *cap.* 11. *& tomo* 3. *verbo Causa Iudicialis*, & verbo *Delinquens Regularis*, & verbo *Episcopus quoad Regulares*, & verbo *Exẽptio Regulariũ.* 408.

Solum videtur notandum, plures Religiones habere fere similia priuilegia, vt de Iesuitis ex Paulo III. dixi eo *verbo Exemptio Regularium, num.* 8. & de Fratribus sanctæ Mariæ de Mercede *in Bullario Ordinis in Alexand. IV. Bulla* 3. constat, ac ex Compendiis aliarum Religionum, præsertim ex Cassarubio, & Sorbo *in Comp. priuil. Mendicant. verbo Eexemptio.* Lege etiam priuilegium Vrbani VI. pro Seruitis in eorũ Mari magno §. 15. & aliud Innoc. 409.

Innoc. VIII. pro eisdem in ipsorum etiam Mari magno §. 32.

Circa §. 72.

410. Amplissimis his priuilegiis *sub hoc §.* contentis similia ex parte sunt alia, quibus in superioribus dictum manet. Etenim quoad exemptionem à decimis de hortis, virgultis, noualibus, & aliis ad vsum Fratrum pertinentibus simile habent priuilegium Prædicatores ex eorum Mari magno §. 26. Minores §. 28. & Eremitæ S. Augustini §. 13. ac pro Carmelitis consonant alia, quæ habentur in hoc Mari magno §. 18. & 19. ac 46. De susceptione etiam Ordinis, & eorum quæ ad ipsum spectant sub B. Petri, & Summorum Pontificum protectione, simile etiam priuilegium habent Eremitæ Sancti Augustini in eorum Mari magno §. 10. & 31. Cui etiam consonat aliud pro nostris Fratribus concessum à Clem. IV. §. 19. De confirmatione bonorum adeptorum concessione Pontificum, largitione Regum, &c. simile quoque priuilegium habent iidem Eremitæ S. Augustini §. 5. *&* 28. & Carmelitæ nostri ex Nicolao IV. & Bonifacio VIII. in hoc Mari magno §. 1. Circa quæ loca de iis, quæ concernunt huiusmodi priuilegia, dictum est.

411. Illud specialiter animaduertendum, in hac extensione exemptionis bonorum nostri Ordinis ab hoc Pontifice facta nominaliter, & expresse contineri vnum illis verbis: *Siue hæreditaria successione, quam in sæculo existentes tam de iure, quam de consuetudine ad succedendum fuissent habiles*, quibus non solùm exemptionem talium bonorum concedit sed etiam approbat talem adquisitionis modum per hæreditariam successionem. Consonat etiam priuilegium Clem. IV. pro Prædicatoribus, quod etsi non habeatur in eorum Mari magno; refertur tamen in Bullario Rodriguez *in Clem. IV. Bulla* 2. & de eo dixi supra in ipsorum Mari magno *circa* §. 26. Item aliud Sixti IV. Leon. X. & Pauli III. pro Minoribus Conuentualibus, quod refert Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resolut. 89. num.* 1. Et iis autem, & aliis priuilegiis colligitur, id quod dixi *tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 45. *&* *tom.* 2. *cap.* 19 fere per totum, *&* *tom.* 3. *verbo hæreditas quoad Regulares num.* 1. posse nostros, & alios Religiosos (aliquibus exceptis) succedere vt hæredes in bonis temporalibus, quæ ad illos spectant, vel ipsis legantur. De quo latè Seraphinus Freitas *in Scholiis ad Bullam quandam Vrbani IV.* qua similiter conceditur Fratribus Ordinis S. Mariæ de Mercede facultas succedendi in bonis, in quibus si in sæculo extitissent, successissent, *in Bullario huius Ordinis in Vrban. IV. Bulla* 2. Vnde iuxta dicta etiam eo verbo *hæreditas quoad Regulares* in vltima editione Veneta, sunt capaces dicti Religiosi successionis hæreditariæ, siue ab intestato, siue ex testamento, siue bonorum mobilium, siue immobilium, provt specialiter colligitur ex verbis huius priuilegij relatis. Illis enim supponitur tam capaces esse successionis hæreditariæ, quam si essent in sæculo. Quod intellige, non quidem quod ipsi Religiosi in particulari ea bona sibi adquirant, sed quod pertineant ad Monasteria, ipsorum nomine, iuxta dicta alibi ex communi illa Regula, *Quidquid monachus adquirit, Conuentui adquirit.* quæ habetur ex *Authent. nunc autē Cod. de Episc. & Cleric. Auth. si qua mulier & Auth. ingressi Cod. de sacrosan. Eccles. cap. si qua mulier, & c. ingredientibus* 19. *quæst.* 3. Quare probabilior sententia tenet hæreditatem competentem monacho adeo immediatè Monasterio adquiri, vt ipsius monachi aditio necessaria non sit, cum omnia iura ipsius translata sint in Monasteriorum, & ipso inscio, & inuito possint illam adire, etiam si, dato casu, ipse moriatur; quamuis cum consensu Abbatis id possit facere. De quibus, & aliis concernentibus Molina *tom.* 1. *de iustitia disp.* 140. Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 77. *art.* 1. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 12. *à n.* 36. Cardinal. Lugo *de Iust. & iure tom.* 1. *disp.* 3. *sect.* 5. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 11. *sect.* 4. & Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resolut.* 72. *num.* 1.

Obseruat præterea noster Scholiastes videndam esse circa hoc priuilegium de exemptione à decimis concessionem Gregorij XIII. pro Societate Iesu vbi expresse derogatur *capitulo nuper de decim.* De quo, & qualiter erat necessarium, siquidem *d. cap. nuper* est dispositio Concilij Generalis Lateranensis, dixi in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 26. Quia vero hoc, & alia priuilegia, quæ ibi retuli, non possunt suffragari aliis Religionibus, nisi propter communicationem priuilegiorum, & hæc priuilegiorum communicatio non procedat, vt plures existimant, in hac materia de exemptione à decimis, ideo videnda, quæ dixi *tom.* 3. *verbo Decima quoad Regulares num.* 8. 412.

Pro hac etiam materia hæreditatis, seu legatorum Regularibus relictorum congruè deseruire potest breue quoddam consultum à me factum in fauorem cuiusdam Monasterij. Quod est huius tenoris. Pietas, æquitas, & rigor iustitiæ causæ, quæ vertitur inter Monasterium N. & Dom. N. veluti funiculus triplex, qui Eccles. 4. *difficile rumpitur*, pietatem, & æquitatem, & iustitiam illustrissimorum iudicum implorant. Est *pietas* in causa, quia agitur de bonis piæ cuiusdam Virginis, Pyzochoræ, Deo deuotæ, & ordin. N. Tertiariæ, & de Ecclesia sanctissimæ Deiparæ, cui ea bona relicta sunt, & quæ est creditrix talium bonorum; ac de bono animarum, tum defunctæ, tum aliorū, pro quorum æterna salute, sunt Deo, & eius ministris oblata. Causa etenim *pia* est, quæ pro animarum, & remissione peccatorum est instituta. Abbas *cons.* 11. *colum.* 2. Alexand. *cons.* 209. *num.* 5. *vol.* 2. Est & in ea *æquitas* summa; siquidem certo cōstat partē aduersā imposuisse censū 700. scutorū, ad fauorem d. Pyzochoræ, quæ ipsa soluit, & cui titulo hæredis succedit d. Ecclesia: eamque pecuniam acceptam, solutam, & realiter versam fuisse, in meliorationem, & vtilitatem quarundam domorum partis aduersæ, in quibus habitabat, & in quibus consequi debebat suam dotem; provt de facto illam consecuta est. Nulla autem maior æquitas esse potest, quam quod res restituatur Domino suo, & quod nemo cum alterius iactura locupletetur, *l. nam hoc natura, ff. de condict. indeb. l. iure naturæ ff. de regul. iur.* Guido Pap. *decis.* 362. Est præterea in causa *rigor iustitiæ*, qui est strictus ordo iuris, *cap. si clericus laicum de foro compet.* & ibi Abbas *in* 2. *col.* & *cap. in litter. de restitut. spoliat.* Etenim impositio census facta à parte contraria celebrata fuit, iuxta constitutionem felic. recordat. Pij V. super præfatis domibus melioratis, coram iudice, notario, & testibus, aliisque conditionibus, & solemnitatibus iure gentium, & communi requisitis: & propterea in possessionē dictarū domorū censitarū vigore instrumēti executiui, & obligationis cameralis immissi fuerūt fratres

tres eius Ecclesiæ. Si autem in hac causa *pietas* reperitur, dotis priuilegiis gaudere debet. Euerardus *in topic.legalibus loco à dote ad piam caus.* Priuilegiis quoq; fisci temporalis; vt per *l.fin.de sacros. Eccles.* docent Tiraquell. *de priuileg.piæ causæ priuileg.*143. & Genuensis *in practicabilibus. Eccles. tricenario* 9. *q.* 252. Iure etiam Minoris in restitutione consequenda. *Menochius cons.* 1199. *num.* 5. Priuilegiis etiam, & iure imperij. Gloss. *verb. iure minor. in cap. auditis de integrum restit.* Et licet possessio sine traditione non transferatur, tamen fauore causæ piæ dominium transfertur in Ecclesiam absque traditione *l. vlt.c. de sacros. Eccles.* Ac denique in dubio pro ipsa est iudicandum, vt per textũ *in l. sunt personæ in fin.ff.de Relig. & sumptibus funer.cap. vlt. de re iudicat.* Alexander *cons.* 121.*in fin. lib.* 2. & *cons.* 71.*num.*4. *lib.*6. Ancharan. *cons.*46. *num.*2. Adeo quod in diuersis opinionibus illa præualere debeat, quæ fauet piæ causæ Ecclesiæ; & communis opinio DD. non sit attendenda, quando contraria fauet piæ causæ. Romanus *in Auth. similiter C.ad l.falc.* Alexander *consil.* 204. *num.*12. *lib.*6. Boërius *consil.* 40.*num.* 89. & merito quidem quia pro pia causa semper præsumitur, provt ex iuribus, & DD. affert. Mascard. *de probationibus volum.*3.*conclus.*1171.*num.*1. dicens hoc esse maximè generale & insigne priuilegium piæ causæ. Quæ vtinam illustrissimi Iudices ruminare vellent. Si etiam in causa præsenti æquitas summa relucet, omnis ergo interpretatio secundum ipsam fieri debet, iuxta Socinum, *consil.* 159. *num.* 28. *lib.* 2. Et illa quæ fuerit iusta, ac naturali consona æquitati sumenda, iuxta Romanum. *consil.* 16. *num.* 3. Barbosa *in axiomat. axiom.*15. *num.*2. Et verisimilitudo ex ea interpretatione desumenda, quæ æquitatem sapit. Tuschus *Tom.* 4. *l.* 1. *concl.* 330. *num.* 35. post Baldum *consil.* 486. *circa fin. lib.* 2. Quoniam æquitas est mater exceptionis, & parit illam *l. qui æquitate,* & Gloss. *ff. de doli mali exceptione,* Bartol. *in l.si vnus §.pactus ne peteret num.* 6. *ante finem ff.de pactis.*

Maximè vero si rigor iustitiæ, seu iuris in hac causa pro parte dicti Monasterij conspicitur, quid aliud desideratur, cum rigor propriè sit quidam excessus iuris, & quædam austeritas facta ad terrorẽ? Bertachin. *in repertorio verb. rigoris.* Nec sit necessarius in iudiciis aut Iudicibus, quin potius vitandus. Specul. *de sentent.* §. *vt autem in* 22. *colum.* Bertachin .*supra.*

At pars aduersa in huiusmodi census impositione non adfuerit solemnitas iuxta statuta Vrbis necessaria; scilicet, interuentus consanguineorum, qui requiritur *cap.* 151. *talium statutor.* Plurima enim sunt, quæ huiusmodi obiectum elidunt. Et primo prudentissimi Iudices expendant, quod quantum est ex vi istius statuti solum prohibentur sine dicta solemnitate contractus gratuiti, non verò onerosi, & lucratini, qualis est iste. Dicitur enim in eo statuto. *Statuimus, vt pacta de non petendo refutationes, quietationes, & donationes, quæ à quibuscunque mulieribus,* &c. En quomodo solum gratuiti contractus prohibentur, non onerosi, & lucratiui. Expendantur etiam prima verba huius statuti, scilicet, *volentes etiam fraudibus obuiare.* Quibus manifeste denotatur solum illos contractus prohiberi, qui suspecti esse possunt de fraude, aut dolo: quæ non adfuisse in huiusmodi contractu luce meridiana clarius est. Quis enim prudens, vel imaginati poterit, Tertiariam illam, Virginem, mulierculam, miserabilem personã, & peregrinam voluisse decipere feminas illas, cum quibus contraxit; Romanas videlicet sagacissimas, & ditissimas? Cum potius ab ipsis fuisse circumuentam iure, meritoque credi debeat. Deinde, hoc statutum non procedere, quando mulier seu minor vtiliter contraxerunt, habet Galganet. eius glossator *vers.Item sextò* ex variis Iuribus & Doctoribus. Atqui hunc contractũ vtilem fuisse fœminis illis, qui censum imposuerunt, siquidem propter pecuniam illius domos suas ampliarunt, pro comperto esse debet. Præterea nec procedere in casu quo mulier cum muliere contraxerit, provt contigit in præsenti, probat idem Galganet. *vers. Item decimo* ex iuribus, Doctoribus, & S. Rotæ decisionibus, & in aliis scriptis pro hac causa ostentum est à procuratore, & Aduocato ipsius.

Ad hæc cum hic cõtractus celebratus fuerit per Ysabellã tamquam Tutricem, & pro tempore Curatricem Cyriaci, & Angelæ filiorum ipsius, vtique etiam sustineri debet, provt idem Galganet. *vers. Item trigesimo* ex DD. comprobat. Emitto, quod nec procedit in donatione remuneratoria, iuxta Rotam in Romana *Vineæ, & bonorum* coram Robusterio 21. Iunij, 1568. quam affert, idem Galganet. *supra. vers. Item* 35.

Ad hæc: necessitas impediit, quominus talis solemnitas adhiberetur. Celebratus enim est contractus à dicta Tertiaria fœmina simplicissima, & talis statuti ignara: hæc autem ignorantia, cum sit omnino excusabilis facit, quod necessario excuset. Quando verò necessitas impedit quominus forma tradita præcisè seruetur, omitti potest. Provt Fenzonius alter Glossator eiusdem statuti *n.*17. *&* 18. latè confirmat. Vbi etiam ex variis Rotæ decisionibus cumprobat *num.* 30. quod in obligationibus mulierum sufficiat, quod causa obligationis fuerit cognita, & vera.

Demum nullitatem istam considerabilem non esse, patet ex eo quod, vt ex dictis constat, pecunia in ipso actu Instumenti soluta fuit in fauorem fœminarum partis contrariæ. Quoties enim constat de versione sustinetur contractus, etiam sine solemnitatibus celebratus, provt nostri Aduocatus, & Procurator probant ex simoncello *de decret. lib.*9.*tit.*7.*num.*20. Rota recent. *part.* 5. *decis.* 309. *num.* 8.9. *&* 10.. Qui etiam thecnis, & cauillosis responsionibus partis contrariæ., vt effugiant talem versionem, se opponunt.

Duo præterea sapientissimis Iudicib. proponam. Alterum quidem, quod iuxta pluriũ, grauissimorũque DD. sententiam, si in humanis contractibus, vel actionibus, puta testamenti, alienationibus, electionibus, & similibus seruantur ea quæ iure naturali, & iure gentium seruari debent, & si aliqua solemnitas à lege humana introducta, non seruetur, ipsi sustinentur; non solùm in foro poli, sed & in foro fori: quia hæc duo fora mutuò cõueniunt, nisi quando forum fori iudicat ex præsumptione, quod non aptatur casui præsenti, propter dicta. Eo quod, vt dixi, æquitas est mater exceptionis, & per ipsã sicut per legem naturalem infringitur, & limitatur qualiliber lex generalis. Abbas *cap. vt debitus honor. num.*36. *de appellat.* Et quia omnia verba legis, vel statuti, quamuis sint generalia, & præcisa, respiciunt modificationem, & limitationem ab æquitate, vel causa iuxta suadente, *l.licet autem is. ff. de arbitr.l. Diuus ff. de integ. rest.* Gloss. *verb. continuo in l.stipulatus sum.* vbi post Bart.Ang. & alios plene tradit Iason *num.* 2. *&* 3. Gloss. *verb. cogam in l. si filius familias §.fin. ff. de*

procur. Gloss. *in cap. licet 6. vers. absque vlla exceptione de elect.* & ibi omnes, Ripa *in l. admonendi num.*50 *ff. de Iureiur.* Rota *decis.* 475 *num.* 5. *p.* 1. *diuers.* vbi plura Gonzalez *in Reg.* 8. *Cancell. glos.* 45. *n.* 73. & 74. Vbi concludit hæc omnia esse notanda pro interpretatione statutorũ, & regularum Cancellariæ. Alterum, quod etiam si omnino gratis admittatur hoc statutum rigidissimè, & nulla limitatione adimpleri debere, nihilominus pecuniam illam versam in vtilitatem partis contrariæ restituendam esse parti d. Pyzocheræ, & d. Monasterio clarissimè elicitur ex *l. si me & Titium ff. de reb. cred.* vbi Glossa *verb. peruenit* ex aliis Iuribus, & iuxta communem DD. ac supponit Galganet. *supra vers. Item &* 18. ex aliis.

Circa §. 73.

413 CONceditur hoc loco facultas nostris Religiosis ad recipiendum Clericos, siue Laicos, liberos, & absolutos in Religione, & *eos absque contradictione aliqua retinere.* Quod etiam, & eisdem verbis concessum video ab Innocentio IV. Eremitis S. Augustini, & Fratribus S. Mariæ de Mercede, iuxta dicta in Mari magno eorundem Eremitarum *circa* §. 14. quo loco, & aliis ibi relatis plura ad intentum. Habetur etiam fere similis concessio pro Generalibus, & Prouincialibus Minorum ex Nicolao IV. *in cap. exiit de Paradis. de verb. signific. in* 6. Rodriguez *tom.* 3. *q. Regul. quæst.* 9. *art.* 1.

414. Expendendo tamen illa verba, *Et eos absque contradictione aliqua retinere*, notandum est esse aliquos casus, in quibus licitum est contradicere, ne aliqui in Religionibus recepti in eis detineantur. Primus est, cum quis ingreditur Religionem ante annos pubertatis (qui in viris sunt quatuordecim; & in fœminis duodecim) possunt enim parentes infra annum reclamare *c. si quis de Regul. & cap. puella* 20. *quæst.* 2. vbi id dicitur posse fieri intra annum, & diem, & extenditur etiam ad tutores & *cap. si in qualibet* 20. *q.* 2. vbi id dicitur, fieri debere *mox.* Intelligitur tamen hoc, quando impubes ingressus est absque parentum, vel tutorum consensu, & talis annus incipit à die scientiæ ingressus impuberis. Rodriguez *tom.* 3. *quæst. Regul. quæst.* 12. *art.* 1. Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 18. *num.* 10. Barbosa *in d. cap. si quis* post alios quos referunt. Apud quos etiam alia de isto casu. Secundus est, cum maritus ingreditur Religionem sine vxoris licentia; potest enim ab ipsa reuocari, nisi ipse obiiciat, & probet adulterum *cap. constitutus de conuersat. coniugat.* Imò etiam, si talis licentia fuit metu graui extorta. Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. disp.* 11. & *lib.* 7. *disp.* 35. Barbosa *in Collectan. DD. ad d. capita*, Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resolut.* 101. *num.* 26. post alios, quos referunt. Vide dicta *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 31. Tertius est, cum seruus ingreditur Religionem sine sui domini licentia; potest enim intra triennium repeti ab illo *cap. si quis incognitus* 17. *q.* 2. De quo etiam dixi *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 21. & *cap.* 24 *n.* 20. ex D. Antonino, Syluestro, Sanchez & Miranda, quibus iunge Azorium, Vechium, & Tamburinum, quos retuli *tom.* 4. *verbo Professio Regularis num.* 15.

Circa §. 74.

415. PRæcipit hoc loco Pontifex Sixtus, vt nullus nostri Ordinis professus possit sine sui Prælati licentia de nostris Conuentibus discedere, alias licitum sit tam contra discedentem, quam contra retinentes regularem sententiam promulgare.

Notat Scholiastes ex nostris PP. Discalceatis, quod Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Apostata num.* 7. hanc concessionem lauder, eo quod ex illa sequitur nostros Prælatos posse excommunicare retinentes nostros apostatas. Addit etiam idem Cassarubius: *Et credo, quod alibi non inueniatur similis.* Sed notandum est duas concessiones haberi de hac eadem materia in nostro Mari magno à Sixto IV. factas. Aliam in hoc §. 74. aliam verò in §. 91. In priori, de qua in præsenti, solùm videtur esse sermo de profugis Fratribus, qui à Conuentibus discedunt sine licentia sui Prælati, contra quos, & ipsos retinentes Pontifex concedit Prælatis nostris posse promulgare *regularem sententiam*, id est, excommunicationem, prout explicauimus similia verba in simili priuilegio Eremitar. Sancti Augustini *circa* §. 15. In posteriori autem priuilegio, de quo infra *circa* §. 91. non est sermo de discedentibus à Conuentibus, seu de profugis; sed de discedentibus ab Ordine, qui sunt veri apostatæ; imò non de omnibus istis, sed de illis, qui discedunt ab Ordin. *prætextu alicuius priuilegij Apostolicæ Sedis*, vt ibi dicitur, vel prætextu transeundi ad alium Ordinem, vt ex contextu colligitur. Et contra tales discedentes conceditur facultas Generali, & Prouincialibus excommunicationem promulgandi, quæ non conceditur contra retinentes. 416.

Quid denotent in priuilegio, de quo in præsenti, verba illa. *Absque communi litterarum cautione*, habes ex dictis in Mari magno Minorum in simili priuilegio ipsorum *circa* §. 1. Maximè verò ex dictis in Mari magno Eremit. S. Augustini in simili priuilegio *circa* §. 15. Similiter verba illa *Regularem sententiam* denotare excommunicationis sententiam dixi loco relato ex Mari magno Eremitarum S. August. Dubitari autem potest, an etiam denotent aliam censuram, suspensionem videlicet, vel interdictum. Et sanè responderi potest affirmatiuè, & cum verbum illud *sententiam* non restringatur ad excommunicationem, sed commune sit omni censuræ. Præsertim; cum censura, iuxta multorum sententiam, originem trahat à verbo *censeo*, quod significat ferre sententiam, teste Cicerone *in Catilinam*; & omnis sententia correctiua Iudicis Ecclesiastici vocetur censura, vt notat Sairus *de censuris lib.* 1. *cap.* 1 *num.* 3. & fauet Cornexo *tract.* 5. *de censuris quæst.* 1. *disp.* 1. Alia verò, quæ ad hoc priuilegium spectant, dicta sunt in simili priuilegio Prædicatorum in eorum Mari magno *circa* §. 20. & alia dicentur in Mari magno Seruitarum *circa* §. 47. & Minorum *circa* §. 13. Specialiter etiam, qualiter discessus iste à Conuentibus sine Prælatorum licentia prohibitus sit etiam pro casu Iubilæi anni Sancti, & pro illo Romæ lucrando, dixi *tom.* 5. *verbo Iubilæum num.* 4. & maximè supra in Mari magno Minorum *circa* §. 21. 417.

Circa §. 75.

PRohibet hoc loco Pontifex Sixtus ne aliquis Episcopus, vel quælibet alia persona cogere possit Religiosos nostros ire ad Synodos, vel conuentus forenses, aut in iudicio sæculari subiacere; vel ad domos nostras causa Ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos Conuentus conuocandi, 418.

candi, venire præsumant, aut electionem Generalis impedire, vel in hoc se aliquatenus intromittere.

419. De horum priuilegiorum materia plura dicta sunt in præcedentibus in similibus aliorum Mendicantium priuilegiis, videlicet in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 30. *&* 31.& in Mari magno Minorum *circa* §. 33. & Eremitarum S. Augustini *circa* §. 16. Ex quibus & ex dictis *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 20. & in Mari magno Prædicatorum loco relato, colligitur Regulares, compelli non posse venire ad Synodos Episcoporum, nisi quando curam animarum in Parochiis exercent. Vbi etiam, quid dicendum de Abbate, qui Ecclesiæ Curatæ seruit per Vicarium. Adde etiam, quod etsi curam animarum exercentes debent interesse Synodo Diœcesanæ; id verò intelligitur, *Dum tamen sint intra Diœcesim Episcopi,* & non debent tali Synodo interesse illi Regulares, qui, & si curam habeant Parochialium Ecclesiarum, in illis tamen *vtramque iurisdictionem spiritualem, & temporalē in Parochos, & Parochianos* exercent. Ita enim habetur ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas ex Sellio *in Selectis canonicis c.* 25. *n.*8. *&* 12. refert Barbosa *in Summa Apostolicarum decisionem verbo Synodus num.*2.*&* 3. vbi etiam ex aliis Sacræ Congregationis declarationibus habetur, an solus Episcopus, vel eius Vicarius, sine consensu, aut consilio capituli possit Synodum Diœcesanam indicere, aut celebrare.

420. Quid intelligatur per *Conuentus Forenses,*& cur tales appellentur in priuilegio, dum Pontifex prohibet, ne Episcopi, aut aliqui alij ad illos cogere possint Religiosos nostros, consule dicta in Mari magno Eremit. *loco relato.* Vbi etiam, quid importent illa verba *vel in iudicio sæculari de propria substantia, vel de possessionibus vestris subiacere.* Adde, quod id quod tangitur in hoc priuilegio, & habetur in multis aliis, scilicet, de exemptione personarum, & rerum Ordinis ab Episcoporum iurisdictione, subsistere debere etiam pro casu, quo ipsi essent in possessione iudicandi de illis, eo quod tunc viderentur Regulares renunciasse iuri suo. Nam cum illi non possint renunciare expresse sine Papæ licentia suæ exemptioni, iuxta dicta in superioribus, præsertim in hoc Mari magno *circa* §. 33. quia hoc etiam esset contra ius Papæ, cui interest, habere plures immediatè sibi subiectos, neque etiam id poterunt facere simpliciter Barbosa *de offic. & potest. Episcop.*3.*p. Allegat.* 105.*num.*76. ex Rotæ decisione, quam affert, Diana 3.*p.tract.*2. *de dub. Regular. Resol.*134. Bordonus *Resol.*7.*n.*100. post alios.

421. Dixi etiam loco relato ex Mari magno Eremitarum Sancti Augustini, an priuilegium illud, de quo in præsenti, scilicet, quod Episcopus non possit ad domos nostras venire causa Ordines celebrandi, sit reuocatum, an verò maneat in suo vigore. Quomodo etiam intelligatur illud *causas tractandi, vel aliquos Conuentus publicos congregandi* de iurisdictione contentiosa, & qualiter id etiam iure communi prohibitum sit, eodem quoque loco dictum manet.

422. Porrò illud priuilegium, quod Episcopus non possit impedire *Regularem Generalis electionem*, constat esse cōforme vniuersali exemptioni nostri Ordinis, & Prælatorum ipsius; sicut & aliud etiam de Episcopis non se intromittendis in destituendo, vel remouendo Prælatos Ordinis nostro contra ipsius statuta. Ad quod etiam iuuat priuilegium Prædicatorum in eorum Mari magno §. 5. relatum.

Si autem quæras an possit Episcopus conuocare processiones ad Ecclesias Regularium. Respondeo affirmatiuè contra Portellum *in dub. Regular. verb. Processiones n.*10.& Tambur.*t.*1.*de Iure Abb. d.*15.*q.*15.*n.*12. Ratio est, quia hoc videtur ius Episcopale, iuxta dicta *tom.*4.*verb. Processio quoad Reg. num.*4 & priuilegium, de quo in præsenti, & alia similia, quibus prohibentur Episcopi *Conuentus publicos* in Regularium domibus conuocare, intelligi debent de Conuentibus odiosis, contentiosis, aut præiudicialibus, non de illis, qui cedunt in honorem, & æstimationem Religionum, quales sunt processiones. Bordonus *d. resolut.*7. *num.*132. licet ratio ipsius, scilicet, quod Episcopus Pontificalia exercere possit in dictis domibus Religiosorum, sit inefficax, iuxta dicta in mari magno Eremit. S. August. circa §.16. 423.

Circa §.76

STatuit hoc loco Pontifex, vt Priores Ordinis, Episcopis, saluo Ordine suo, obedire debeant; contra statuta autem sui Ordinis authoritate Apostolica confirmata nullam obedientiam facere compellantur. 424.

Huius porrò priuilegij mens est, vt Prælati nostri obediant Episcopis in iis, quæ ad Episcopalia iura, & dignitatem spectant, non verò in aliis. De quo plura dicta sunt, non solum *tomo* 1.*c.*11. *& tom.*3. *verbo Episcopus quoad Regulares,* & verbo *Exemptio Regularium*, ac aliis locis ibi relatis. Quia tamen eo *cap.*11. *num.*3. dixi non obstante priuilegio exemptionis Regularium teneri reuereri, & honorare Episcopos, eo quod exemptus à iurisdictione non est exemptus à reuerentiali iure, ideo notandum primò, hanc regulam solum intelligi à pluribus doctoribus de iis, qui sunt exempti ex priuilegio ipsorum Episcoporum, non verò de iis, qui sunt exempti ex priuilegio Papæ, quales sunt Regulares. Flaminius *de resignat. lib.*3.*q.*11. *numero* 4. Felinus post Abbatem *in cap. cum inter num.*3.*de re iudicata.* Mandosius *de signatura gratiæ tit. de exempt. ab Episc. part.*2. Hier. Rodrig. *in Conpend. Resolut.*63.*num.*22. post alterum Rodriguez. Sed de omnibus credo intelligendum tum propter dignitatem Episcopalem, tum propter humilitatem, quam Regulares profiteri debent. Et ita tenent plures alij quos refert Barbosa *de offic. & potest. Episcop. Allegat.* 105. *num.* 75. Nota tamen secundò, non propterea teneri Regulares obedire Episcopis in iis, quæ spectant ad proprias Religiones, & statuta illarum. Tum propter generalem exemptionem ab ipsis, tum propter hoc & similia priuilegia; præsertim quia aliud reuereri, aliud est obedire, cum illud primum debeatur omnibus in dignitate constitutis, hoc secundum verò, non nisi Prælatis. Adde cum Vilalob. 2. *part. Summæ Tract.* 35. *diff.* 3. quem sequitur Hieronymus Rodriguez *sup.* quod in casu quo Regulares non reuereantur Episcopos, debere puniri non ab ipsis Episcopis, sed à propriis Prælatis. Hoc enim est consequens ad exemptionem, qua fruuntur. 425.

Circa §.77.

PLura inculcantur in hoc §. quæ Pontifex Sixtus nostris Fratribus concedit. Primum est, prohibe 426.

prohibere ne quis pro consecrationibus allatium, seu Ecclesiarum, Oleo Sancto, aut Sacramentis aliquid ab ipsis exposcat, alioquin liceat illis adire quoscunque alios Antistites Catholicos, qui ea impendant. Secundum, quod vacante Sede Episcopali, possint Ecclesiastica Sacramenta à vicinis Episcopis accipere. Tertium, quod quando non habeant copiam propriorum Episcoporum, & per ipsos trãseant alij Episcopi Catholici, & bene noti, possint ab ipsis benedictionem vasorum & vestium, & consecrationem altarium suscipere. Quartum, quod Chrisma, Oleum sanctum, consecrationem altarium, seu Ecclesiarum, & Ordines suscipiant à Dioecesanis Episcopis, si gratiam, & communionem S. R. Sedis habuerint, & ea sine prauitate aliqua exhibere voluerint. Circa quæ generaliter notat Scholiastes noster partim esse derogata per Concilium Tridentinum *sess. 6. de reformat. cap. 5.* Sed quia non explicat quomodo aut in quibus derogata sint, ideo incumbit nobis id ostendere.

427. Et quod attinet ad primum ex dictis supra in Mari magno Eremitarum sancti Augustini circa §. 17. vbi simile priuilegium pro ipsis habetur, constat posse dici reuocatum non esse per Concilium Tridentinum, dum loco relato prohibet ne Episcopi exerceant Pontificalia in aliena dioecesi, quia Concilium videtur loqui generaliter, non pro casu præsenti, maximè iuxta limitationem factam à Leone X. eo loco relatam. Vide etiam dicta supra *circa* §. 24. huius Maris magni.

428. De secundo autem, & tertio, quid sentiendum sit, habes ex dictis circa similia priuilegia Eremitarum sancti Augustini in ipsorum Mari magno *circa* §. 18. *&* 19 & aliis locis ibi relatis. De quarto etiam videtur idem sentiendum, ac de primo. Pro illis autem vide dicenda infra in Mari magno Seruitarum circa §. 64. vbi aliquo modo similia priuilegia reperies.

Circa §. 78.

429. DEclarat hoc loco Pontifex Sixtus concessionem, nostris Religiosis factam à Ioanne XXII. & de qua actum est supra circa §. 24. ita scilicet, vt possint Ordinés suscipere à quibuscunque voluerint Catholicis Episcopis, sine aliquo examine ab eis faciendo, & absque aliqua promissione, seu obligatione. Circa quod priuilegium notat noster Scholiastes derogatum esse per Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 12.* dum conceditur Episcopis, quod possint Regulares examinare. Sed quamuis derogatum sit circa hoc, imo circa illud de suscipiendis sacris Ordinibus à quibuscunque Episcopis, non tamen est derogatum, sed potius conforme iuri communi, quantum ad aliud quod in eo dicitur, scilicet, de ordinandis Regularibus ab Episcopis absque vlla obligatione, seu promissione. Pro quibus vide dicta non solum *circa* §. 24 relatum, sed etiam in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 8. & Minorum *circa* §. 6. & locis ibi relatis.

Circa §. 79.

430. EXtendit hoc loco Pontifex Sixtus concessionem Clementis Papæ V. (de qua supra *circa* §. 25.) Fratribus nostris factam de professoribus aliorum Mendicantium non recepturis, aut inhabitaturis Conuentus prope domos nostras infra spatium centum quadraginta cannarum, ad omnes alios Religiosos tam Mendicantium, quàm non Mendicantium vtriusque sexus, & quascunque alias personas Ecclesiasticas; excommunicationem ipso facto incurrendam contra transgressores, eorumque fautores, seu auxiliatores promulgans.

De hoc priuilegio, & aliquibus, quæ circa illud obseruat noster Scholiastes, aliqua dixi supra circa §. 25. De multis aliis etiam similibus aliarum Religionum priuilegiis, ipsorumque intelligentia egi *tomo 4. verbo Monasteria Regularium, num. 19. & 20.* Quæ omnia ad intentum præsentis priuilegij deseruiunt. 431.

Dubitari tamen circa illud potest, an ipsum, & similia priuilegia Religionum suffragentur ipsis non solum quoad nouam receptionem, aut constructionem Monasteriorum, seu Ecclesiarum, in vna ciuitate, vel oppido, sed etiam quoad illorum, seu illarum translationem, seu mutationem, intra eandem ciuitatem, vel oppidum, ita scilicet, vt nec transferri, aut mutari possint Monasteria, seu Ecclesiæ intra spatium cannarum in dictis priuilegiis contentum. Et consequenter ad dicta *eo tom. 4. verbo Monasteria Regularium num. 33.* dicendum, quod quando ex tali mutatione seu translatione Monasterij, seu Ecclesiæ intra eamdem ciuitattem vel oppidum de vno loco ad aliam, alij Ecclesiæ vel Monasterio fit aliquod præiudicium, seu grauamen, tunc suffragantur dictę Ecclesię, vel Monasteria priuilegia prædicta, ita vt non possit fieri talis mutatio intra spatium cannarum contentum in dictis priuilegiis, secus verò si nullum præiudicium, aut grauamen de nouo illi fit. Colligo id primò, ex intentione Summorum Pontificum concedentium hæc priuilegia, ad quam præcipuè attendi debet in ipsorum explicatione, iuxta dicta ex variis iuribus *tom. 4. verbo Leges Regularium num. 36.* hæc autem intentio Pontificum sine dubio solum est in huiusmodi priuilegiis consulere indemnitati, aut commodo illarum Religionum, quibus conceduntur. Secundò, quia in legum, & priuilegiorum interpretatione attendendum maximè est ad id, quod est verosimile, voluntas enim hominis à verosimili indagatur *l. non est verosimile ff. de eo quod metus causa*, & qui arguit à verosimili, arguit à ratione naturali, cum similitudo sit cognata naturæ, & pro lege habeatur Baldus *cons. 180. num. 3. volum. 3.* Ordeadus *cons. 13.* Atqui verosimile valde est huiusmodi priuilegia concessa solum esse Religionibus ad euitandum damnum, seu nocumentum ipsarum, ergo solùm subsistunt dicta priuilegia subsistente hoc damno, seu nocumento. Tertiò, quia iuxta dicta eo verbo Leges Regularium *num. 37.* ex variis iuribus, & Doctoribus in legis, seu priuilegij explicatione maximè attenditur ad procemium, seu præfationem ipsius, in huiusmodi autem priuilegiis, ipsorumque procemio denotatur concedi intuitu euitandi grauamen, seu præiudicium illorum Religiosorum, quibus conceduntur, vt patet ex illis verbis Clement. VI. in Bulla: *Ad ea libenter intendimus, ex quibus materia submota grauaminis, quietis, & pacis vobis commodum procuretur.* Ergo, Vnde infero, quod cum S. Congregatio Episcoporum, & Regularium de anno 1643 Februarij 16. prohibuit ne Presbyteri sæculares S. Caroli Borromæi, transferrent suam Ecclesiam in Ciuitate Neapolis sitam prope Ecclesias Dominicanorum, Franciscanorum & Theatinorum intra spaciũ 140. cannarum, ideo id fecisse, quia ex præfata translatione 432.

latione detrimentum aliquod sequeretur dictis Religiosis.

433. Circa clausulam illam, *Et quicunque alias Ecclesiasticas personas*, ad quas extendit Pontifex prohibitionem fundandi, seu habendi Monasteria, seu Ecclesias intra spatium 140. cannarum prope domos nostras, non solùm denotare Religiosos quoscunque *vtriusque sexus*, vt Pontifex declarat, & Presbyteros, siue Regulares, siue sæculares, vt per se patet, sed etiam eos, qui solum clericali charactere sunt insigniti *cap. cum contingat de ætat. & qualitat.* & ibi Doctores. Rota in vna Veronensi *pensionis* 23. Februar. 1600. coram Lancellotto, & in Ferrariensi *pensionis* 14. Iunij 1624. coram Remboldo Barbosa *de Appellat. verb. Iur. signific. appellat.* 198. *num.* 13. Denotat autem præcipuè collegium communitatem, seu vniuersitatem dictarum personarum, quæ etiam in simili materia veniunt nomine personarum, provt ex iuribus, & Doctoribus affert Barbosa *supra num.* 9. 10. *&* 11.

434. Notandum præterea, quod seclusis his, & aliis priuilegiis stando in iure communi Ecclesia non debet fundari in loco, qui præiudicet aliis iam primo constructis. *Can. quæcunque Canon. Ecclesiæ* 17. *quæst.* 1. *cap.* 2. *de Eccles. ædifi. Card. conf.* 8. *num.* 13. Rota in vna Ciuitatensi coram Seraphino *Constructionis Cappellæ*, anno 1588. Quare hæc priuilegia in iure communi fundantur, & ipsius sunt explicatiua.

Circa §. 80.

435. TRia indulget Pontifex hoc loco Fratribus nostris, Primum est, exemptio ab exactionibus nouis, & indebitis factis à quibuscunque personis. Secundum est, libertas sepulturæ in Ecclesiis nostris. Tertium verò, quod bona temporalia nostrarum Ecclesiarum, hortos videlicet, & syluas, quæ à laicis detinentur, authoritate Apostolica redimere, & ad Ecclesias reuocare possint.

436. Et quidem de primo satis dictum videtur in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 35. Minorum *circa* §. 36. Eremitarum S. August. *circa* §. 23. *&* 34. & nostro *circa* §. 46. & locis aliis ibi relatis. De secundo etiam plura dicta sunt in superioribus, & præsertim in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 28. *&* 43. Minorum *circa* §. 30. *&* 31. Eremitarum S. Augustini *circa* §. 2. 3. *&* 24. & in hoc eodem Mari magno *circa* §. 46. *&* 57. aliisque locis ibi relatis. De tertio quoque dixi in Mari magno Eremitarum Sancti Augustini circa simile priuilegium ipsorum in §. 25. vbi nonnulla spectantia ad alienationem bonorum Regularium ipsis prohibitam dicta sunt.

437. Nunc verò specialiter addendum concessionem hanc, in qua Pontifex statuit, vt Fratres nostri possint hortos, & syluas ad eorum Ecclesias spectantes redimere de manu laicorum, à quibus detinentur, & ad Ecclesias reuocare; cui similis alia habetur ex Innocent. IV. pro Fratribus S. Mariæ de Mercede *in Bullar. huius Ordinis in Innocent. IV. Bulla* 1. videri esse ius commune. Si enim laici vsurparunt talia bona, vtique ad restitutionem tenentur, & possunt ipsis spoliari. Provt colligitur *ex cap. nulli liceat in fin. c. prædia, cap. hæc huius in fin. cap. in legibus, cap. quicunque militum cum sequentibus c. de reb. c. cum deuotissimam* 12. *q.* 2. *cap. qui oblationes* 2. *in fin.* 13. *q.* 2. *cap. si quis Ecclesiam* 17. *quæst.* 4. Decianus *in tract. crim. lib.* 6. *cap.* 30. *&* 33. Petrus Gregorius *Syntagm. iur. lib.* 33. *c.* 18. Tuschus *tom.* 7. *litter. S. conf.* 6. Barbosa *de iure Ecclesiastic. lib.* 3. *cap.* 29. *num.* 6. *& sequent.* Si autem talia bona detinebantur à laicis, sub prætextu venditionis, aut alterius contractus alienationis, cum id sit iure communi vetitum 10. *quæst.* 2. *per tot. cap. res in Episcopatu cap. diaconi cum multis sequentibus* 12. *quæst.* 2. & per totum titul. *de rebus Ecclesiæ non alienand.* & iure ciuili *l. alienat. verb. ff. de verbor. significat. l. fin. C. de reb. alien. l.* 1. *C. de fun. dotal.* adeo quod talis contractus fit ipso iure irritus, & inualidus, si fiat sine debita solemnitate iuxta plurium præsertim opionem, quos refert, & sequitur Bonacina *de contractibus disp.* 3. *quæst.* 8. *punct.* 4. *num.* 10. *&* 20. fauet Bordonus *Resol.* 27. *num.* 33. *&* 35. ideo stando in ipso iure communi talis contractus rescindi posset, & prædicta bona Ecclesiæ redimi. Nihilominus, vt sæpè diximus, solent Pontifices concedere ea, quæ iure communi sunt concessa, ad maiorem securitatem, & firmitatem.

Circa §. 81.

DVo prouidet Pontifex in hoc loco. Primum, ne obeunte Generali aliquis substituatur, nisi electus à Fratribus, vel saltem à maiori ipsorum parte, secundum Regulam, & Constitutiones Ordinis. Secundum, ne aliquis intra clausuram nostrorum locorum rapinam, furtum, seu incendium facere, sanguinem fundere hominem temerè capere, vel interficere, seu violentiam aliquam exercere audeat. 438.

Ex quibus primum habetur ad verbum in Mari magno Eremitarum S. Augustini §. 26. ac in §. 7. huius Maris magni *cap.* 1. *Regul. Carmel.* quibus locis, & aliis ibi relatis sufficienter de hoc puncto actum esse. De secundo verò etiam ad sufficientiam dixi *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 51. *& tom.* 4. *verbo Monasteria Regularium num.* 24. & quod attinet ad immunitatem reorum confugientium ad Ecclesias nostras *tom.* 3. *verbo immunitas Ecclesiarum, & tom.* 4. *eo verbo Monasteria Regularium num.* 25. *&* 26. ac supra in simili priuilegio Eremitarum S. August. in ipsorum Mari magno *circa* §. 27. *&* 29. 439.

Aduertit vlterius circa secundum horum priuilegiorum noster Scholiastes, quod ex priuilegiis Prædicatorum, & Minorum, qui præsumpserit Ecclesias, vel loca nostra infringere, vel in eis violentiam damnabilem exercere, Papalem excommunicationem incurrit Papæ reseruata. Sed de hoc puncto latè dixi. *tom.* 4. *verbo Monasteria Regularium num.* 14. hæc, & alia priuilegia ad intentum referens. Quod etiam facit Ioannes de Cruce *in Epitome de stat. relig. lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 7. §. *si obiicias.* 440.

Vide alia infra *circa* § 83. & nota vtrumque priuilegium adductum haberi etiam pro Fratribus S. Mariæ de Mercede ex Innocentio IV. *in Bullario huius Ordin. in Innocen. IV. Bulla* 1. imò illud de non exercenda rapina, furto, &c. intra clausuram locorum nostrorum est magis extensum seu declaratum, siquidem additur, *seu grangiarum vestrarum*. De quo *circa* §. 83. 441.

Circa §. 82.

COnfirmantur hoc loco à Papa Sixto conformiter ad concessiones suorum prædessorum Nicolai IV. Bonifacij VIII. & Clem. IV. omnes 442.

libertates,

libertates, indulgentiæ, peccatorum remissiones, & immunitates à suis prædecessoribus concessæ, ac libertates, exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, vel Principibus indultæ, resque omnes Fratribus nostris rationabiliter concessæ.

443. Simile priuilegium habetur in Mari magno Eremitarum S. August. §. 28. & pro Fratribus S. Mariæ de Mercede *in Bullario huius Ord. in Innocent. IV. Bulla* 1. *& in Innocent. VI. Bulla* 1. De quo plura dixi *eo* §. 28. Maris magni Eremitarum, vbi quid intelligatur per dictionem illam *rationabiliter*, & alia ad intentum.

444. Notat præterea noster Scholiastes sæpius relatus huic concessioni de Confirmatione indulgentiarum non derogari per Bullam Pauli V. quæ incipit *Romanus Pontifex*, vbi reuocantur omnes indulgentiæ Religionibus concessæ, quia solum reuocantur illæ, quæ Religiosis ipsis concessæ fuerunt, vt declarauit S. Congregatio apud Naldum *in Summ. verbo Indulgentia num.* 16. Vult dicere iste Author per reuocationem illam à Paulo V. factam non reuocari Indulgentias locales concessas Ecclesiis nostris, aut illas visitantibus, sed tantum personales Fratribus concessas. De quo latè dixi *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. *& tom.* 3. *verbo Indulgentia quoad Regulares num.* 8.

445. Quid nomine *actionum* intelligatur, habes ex dictis in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 35. & in Mari magno Eremitarum Sancti Augustini *circa* §. 34. Quomodo etiam Principes sæculares possint priuilegia, & immunitates Religiosis concedere, & in qua materia, dixi in eodem Mari magno Eremitarum *circa* §. 5.

Circa §. 83.

446. Est hoc priuilegium ampliatiuum alterius, de quo in §. 81. Quia etenim ibi statuit hic Pontifex, vt infra clausuras nostrorum locorum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, aut violentiam aliquam exercere auderet, ideo in hoc loco ampliando, quod dixerat, statuit, vt nulli omnino hominum liceat perturbare prædictas domos, possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu vexationibus fatigari, ita vt omnia integrè conseruentur pro vsibus eorum, quibus concessa sunt, salua (inquit Pontifex) *Sedis Apostolicæ authoritate, & Diœcesanorum Episcoporum Canonica iustitia in præsentibus litteris declarata.*

447. Circa quæ nota simile prorsus priuilegium haberi in Mari magno Eremitarum Sancti Augustini §. 29. & pro Fratribus S. Mariæ de Mercede ex Innocentio IV. *in Bullario huius Ordinis in hoc Pontifice Bulla* 1. Nota etiam, quod iuxta dicta *eo* §. 29. quibus etiam consonant dicta *circa* §. 80. priuilegium hoc est conforme iuri communi, siquidem in eo pluribus pœnis impositis prohibetur inuasio, seu vsurpatio bonorum Ecclesiasticorum. Est etiam conforme aliis priuilegiis Sommorum Pontificum, de quibus in superioribus dictum est, quibus se constituunt Protectores bonorum nostri Ordinis, & aliorum, dum ea sub sua protectione suscipiunt, propterea enim ea tuetur, & defendit, vt subindicat Seraphinus Freitas *in Scholiis ad dictam Bullam Innocen. IV. pro Fratribus S. Mariæ de Mercede §. hæc autem exemptio.* Quare autem Pontifex addiderit clausulam illam *Salua Sedis Apostolicæ authoritate*, dictum est loco relato ex Mari magno Eremitarum S. Augustini.

448. Notat præterea relatus Freitas loco adducto ex Bullario Fratrum Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede §. *quascunque possessiones* ex hoc priuilegio sequi præfatas domos, eorumque bona sic confirmari, vt habeant causam præscribendi tempus legitimum. Ex Rebuff. *de decimis quæst.* 13. *n.* 90. *cum sequentibus.* Quod est, quid minimum, & planius respectu Religiosorum, qui bona fide, & illo titulo possident. Mascardus *concl.* 225. *num.* 12. Sed de hoc alibi.

Maximè nota, quod quamuis in hoc nostro priuilegio, sicut neque in alio relato pro Eremitis Sancti Augustini fiat mentio de grangiis Fratrum, ea tamen fit, vt dixi *circa* §. 81. in concessione Innocentij Quarti facta Fratribus S. Mariæ de Mercede, itavt ex vi huius priuilegij grangiæ dictorum Fratrum, & nostrorum ac aliorum, qui cum illis communicationem priuilegiorum habent, liberæ esse debeant à rapina, furto, ignis appositione, sanguinis effusione, hominis captione, vel interfectione, seu violentia. Quod notandum est pro iis, quæ dixi *tom.* 4. *verbo Monasteria Regularium num.* 25. circa immunitatem, quam Peregrinus, Portellus, & Bordonus tribuunt huiusmodi grangiis Religiosorum. Est etiam ad intentum priuilegium aliud Eugenij Quarti, quod ex Compendio Cistercienfium *titulo gratiæ* §. 2. refert Ioannes de Cruce *in Epitome lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 7. §. *si obiicias*, vbi Pontifex statuit Cisterciensium grangias, sicut Ecclesiarum atria à prauorum hominum incursu, & violentia debere esse liberas, & quietas, itavt in eis nemo possit hominem capere, spolium, aut rapinam exercere, quod statuit Pontifex in virtute Spiritus sancti. Notat tamen idem Ioannes à Cruce supra dictas grangias inter loca Religiosorum computari. Ex quo magis confirmantur ea, quæ diximus, & ex eo colligitur nomine *locorum nostrorum*, quibus vtitur Pontifex in priuilegio relato §. 81. & nomine domorum, seu possessionum, quibus vtitur in hoc priuilegio comprehendi dictas grangias. 449.

Circa præceptum verò de non perturbando, auferendo, aut retinendo possessiones nostras nota, quod quamuis in hoc loco nulla pœna contra id facientes ab hoc Pontifice statuatur: nihilominus, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 51. *& tom.* 3. *verbo bona Regularium num.* 9. constat contra sic facientes impositam esse excommunicationem Papalem. De quo etiam Hieronymus Rodriguez *in Compendio resol.* 17. *num.* 8. Notat etiam inferius §. *quoad tria*, sic facientes incurrere posse excommunicationem in Bulla in Cœna Domini latam contra surripientes bona Ecclesiæ. Quod etiam animaduertit Portellus *in dubiis Regularium verbo bona in additionibus num.* 2. 450.

Circa §. 84.

Continetur hoc loco amplissimum priuilegium circa receptionem personarum, vtriusque sexus ad habitum Regularem, ac Regulam Ordinis ad instar Tertiariorum, seu Tertiariarum Ordinum Minorum, Prædicatorum, & Eremitarum Sancti August. cum amplissima etiam communicatione priuilegiorum Ordinis. De qua materia, quia latissimè dictum est *tom.* 2. *cap.* 14. *& tom.* 4. *verbo Tertiarij, & Tertiariæ*, & in Mari magno Eremitarum Sancti Augustini *circa* §. 8. ac in hoc eodem Mari magno *circa* §. 47. *&* 48. ideo in præsenti solum notanda, quæ Reuerendissimus Theodorus Stratius nostri Ordinis Generalis in opusculo 451.

culo *de Tertiariis nostri Ordinis* circa habitum, & Regulam Ordinis illis concedenda, iuxta hoc priuilegium, scripsit, ea in hoc loco de verbo ad verbum referendo.

Forma habitus Tertiariarum.

452. HAbebunt igitur Sorores nostri Tertij Ordinis tunicam ex humili lana coloris grisei, vel ad nigredinem tendentis ad talos vsque descendentem, sine filis de serico, tum in manicis, tum in collo, vel alibi, eiusdem formæ cuius est tunica ipsorum Fratrum, vel Monialium in clausura degentium, esseque debent accinctæ super tunica zona de corio nigro ad latitudinem duorum digitorum per transuersum, & non artificiali colore colorata, nec munita, vel ferrata osse quocunque, aut fulgenti metallo, præterquam in extremitatibus, vbi parum poterit esse de osse nigro.

Quoad scapulare seu patientiam in Decreto Congregationis Episcoporũ, & Regularium præcipitur omnibus Tertiarij cuiuscunque Ordinis; vt se abstineant à patientia. Cæterum, quia est sententia nostra Regularis habitus non solùm tunica, sed etiam scapulare, vt obseruetur dictum Decretum, & simul nostræ Sorores Tertiariæ habitum nostrum Regularem integrum gestent quoad essentialia, habebunt scapulare sub tunica, vt regulariter deferunt Consorores Sodalitatis scapularis, vel etiã super tunica, modo apparenter sit dissimile illi, quod gestant Moniales claustrales, istud enim solum censemus fuisse Tertiariis à S. Congregatione prohibitum; non tamen ob id nostra intentio est reprobare consuetudinem, si in aliquibus locis permissu, & tolerãtia Ordinariorum post dictum Decretum Congregationis sit legitimè introducta, quod mulieres Tertiariæ deferant scapure sicut prius.

Interdicit etiam illis prædictum Decretum, ne vtantur velo super caput, quod *Supertotum* vocant, & pectorale, quod vulgo *Sottogolla* nuncupatur. Cœterum non est credendum, quod Sacra Congregatio illis prohibeat velum, quod gestare solent in capite aliæ mulieres honestæ, cum eas Apostolus hortetur ingredi Ecclesias capite velato propter Angelos. Existimandum igitur est Sacram Congregationem Sororibus Tertiariis prohibere vsum illius veli, quod est proprium Monialium clausarum. Deferre igitur poterunt Tertiariæ nostræ velum album, quod gestant aliæ mulieres honestæ ex simplici tela, nullo artificio laboratum, quod totum caput vsque ad frontem, aures, & spatulas cooperiat.

Quoad cappam autem, siue chlamydem, licet nos censeamus eam non esse de essentia nostri Regularis habitus, alioquin sicut nos tenemur semper deferre totum nostrum habitum integrum, etiam teneremur semper deferre cappam, & nihilominus nostræ Constitutiones nos non obligant deferre cappam, nisi extra Conuentum, & in choro, atque in Ecclesia in nonnullis diebus festis; Est nihilominus de eius ornamento, & de integritate; quare nostræ Tertiariæ extra suas domos in Ciuitatibus, Castris, & locis habitatis, & præsertim in Ecclesiis deferent chlamydem albi coloris ad formam non cappæ Fratrum, sed mantelli aliarum mulierum, qua caput, & corpus totum decenter cooperiant. Et qua in nonnullis locis vsus obtinuit, quod nostræ Sorores Tertiariæ vtantur chlamyde coloris nigri, talem vsum non reprobamus; subuculas lineas habere poterunt, collum tamen earum non habebunt apparens, & reuolutum ad collum tunicæ, nisi fuerit laneum. Denique in bursis, calceamentis, & cæteris omnem humanam vanitatem secabunt.

Pro Regula autem ipsarum hæc habet idem Reuerendissimus Stratius *in d. Opusculo cap. 6.* 453.

Regula, & modus viuendi Sororum Tertij Ordinis Carmelitarum, seu de earum obligationibus à Reuerendiss. Thodoro Stratio Generali edita.

QVia Superior Religionis, sicut ex indulto Sixti Quarti paret, potest Sororibus nostris Tertiariis præscribere habitum Regularem, potest etiam eisdem tradere Regulam Ordinis, secundum quod earum statui, conditioni, & saluti conueniens, & expediens visum fuerit, in præsenti capite assignabimus illis infrascriptam Regulam, & modum viuendi.

In primis studeant promissam obedientiam, & castitatem operis veritate seruare, & continuò habitum Regularem deferant, etiam noctis tempore, saltem ipsũ scapulare, seu patientiam. Quotidie accedant ad Ecclesiam ad audiendam Missam, & etiã si commodè poterunt, ad audienda Diuina Officia, & dum Missa celebratur, & Diuinum Officium cantatur, silentium seruare studeant, Missæque, ac diuino Officio intendant, nisi ex aliqua speciali occurente necessitate silenter loquantur. Et quia *in multiloquio non deest peccatum, & qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala*, vt dicit Scriptura, & Dominus in Euangelio, *De omni verbo otioso quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*; faciat vnaquæque Soror stateram verbis suis; & frœna rectas ori suo, ne fortè labatur, & cadat in lingua, & insanabilis casus eius sit ad mortem.

Dicant quotidiè ad honorem Beatæ Mariæ semper Virginis omnes horas canonicas, nisi infirmitate impediantur, videlicet in Vigiliis, seu Matutinis vigintiquinque vicibus *Pater noster*, & *Aue Maria*, exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quibus dictum numerum multiplicare debent, dicendo quinquaginta vicibus *Pater noster*, & *Aue Maria*, & septies easdem Orationes dicant in Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, & Nona, & in Completorio; & in Vesperis quindecies. Pro benedictione mensæ dicant vnum *Pater noster*, & vnum *Aue Maria*; & cum surgunt à mensa, dicant similiter vnum *Pater noster*, & vnum *Aue Maria*, pro gratiarum actione.

Omnes in singulis festis Beatæ Virginis, necnon in festis Natiuitatis Domini, Resurrectionis ipsius, Pentecostes, Corporis Christi, & Omnium Sanctorum peccata sua confiteantur diligenter, & Eucharistiæ Sacramentum studeant deuotè recipere; nisi forsan ex aliqua rationabili causa alicui ex ipsis à suis Confessoribus sit interdictum. Quæ autem ex deuotione sua sæpius voluerint communicare infra annum petita, & obtenta à Prælato licentia deuotionem suam cum Dei benedictione poterunt executioni mandare.

Ieiunabunt non solùm ieiunia ab Ecclesia instituta, & præcepta; sed etiam per totum Aduentũ in omnibus Virginis B. Virginis, & ab Exaltatione Sanctæ Crucis vsque ad Pascha Resurrectionis, Feria

Feria quarta, Sexta, Sabbato, & octaua Resurrectionis, vsque ad Exaltationem Sanctæ Crucis in omni Feria sexta; & abstinebunt ab esu carnium in omni Feria quarta, & Sabbato, & si voluerint amplius ieiunare, seu austeritatem aliam facere, poterunt, habita licentia à suo Prælato, vel de consilio Confessoris discreti.

Quia honestati mulierum est valde oppositum, quod per vrbes, & plateas, locaque publica vagentur, non exeant Sorores è suis domibus, nisi rarò, & si iuniores, nunquam solæ, sed cum aliqua muliere graui sociatæ: vagos, curiososque discursus per loca publica fugiant, ad nuptias, & choræas, siue ad dissoluta, & mundana conuiuia, siue ad vana spectacula non accedant. De Ciuitate, Castro, aut Terra, vbi habitant, causa peregrinationis non exeant, absque speciali licentia Prælati. Omnes in Domino se mutuò dirigant, & corde; seque vicissim adiuuent in attinentibus ad animæ salutem, quare si vna animaduerterit alteram esse negligentem, & deficere in mandatis Dei, & obseruantia Regulæ, & præsertim, si in ea die deprehenderit actionem aliquam, quæ puritatem castitatis commaculare possit, eam corripiat media charitate, & si expediens iudicauerit, Prælatum, seu Priorissam admonebit, quo ab eis de opportuno remedio prouideatur.

Si aliqua conuincatur (quod absit) vel publicè diffametur de peccato contra votum castitatis, vel ita licentiosè viuat, quod volenter suspecta reddatur, statim per Superiorem habitu Regulari priuabitur, & extra fraternitatem ponetur. Quando continget aliquam ex Sororibus ex hac vita emigrare, cæteris in eadem Ciuitate, vel Terra existentibus nuncietur per Superiorem, vel Priorissam, vt singulæ curent interesse defunctæ exequiis, à quibus non recedant, donec corpus Sepulturæ traditum sit, & pro illius anima omnes dicant semel officium vnius diei festi, videlicet centum septem *Pater noster*, & totidem *Aue Maria*, addendo in fine cuiuslibet *Requiem æternam*, &c. similiter in octaua immediatè diem Sepulturæ sequenti iterum dicant centum septem *Pater noster*, & totidem *Aue Maria*, cum *Requiem æternam* in fine cuiuslibet, & denique semel in anno celebrate faciant tres Missas pro omnibus Sororibus tam viuis, quam defunctis. Et licet per sua priuilegia sint exemptæ à iurisdictione Ordinarij loci, vt infra videbimus; nihilominus Ecclesias, quarum Parochianæ existunt, iuxta Canonicas sanctiones, & bonos mores, & cum omni deuotione studeant visitare, & Ecclesiarum suarum Prælatos, videlicet Episcopos; & inferiores summè reuereantur, ipsorumque iura absque omni diminutione, & fideliter eis soluant, & hoc tam in decimis, quam in oblationibus alias quomodolibet consuetis.

Facere debent Sorores semper aliquid operis imitando Pauli Apostoli magisterium pariter, & exemplum, qui positus, & datus à Deo Prædicator, & Doctor gentium in fide, & veritate, quem sequendo non possumus errare die, ac nocte operabatur, & laborabat manibus: suis quo Diabolus eas semper inueniat occupatas, & ne ex otiositate valeat inuenire aliquem aditum intrandi ad earum animas.

Debitum exhibeant honorem suo Superiori, & Priorissæ, illisque humiliter obediant, in Priore Christum, & in Priorissam Beatam Virginem cogitantes, ita vt cum Superiorem, & Priorissam audiunt, se audire existiment ipsum Christum Dominum, & B. Virginem, qui non veniant in iudicium de cõtemptu, sed de obedientia in vitæ æternæ mercedem. Ex quæ instituta fuerit Priorissa, illud semper habeat in mente, & seruet in opere, quod Dominus ait in Euangelio: *Quicunque voluerit inter vos primus esse erit minister vester.*

Omnia, & singula in præsenti Regula sunt consilia ad facilius saluandas animas viatorum, & nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale, nisi Ecclesiastico, vel Diuino iure aliqua, alias esset obligata, tenentur tamen sub mortali ad obseruandum votum castitatis, siue Virginalis, siue Vidualis, & & ad obediendum suo Prælato illis præcipienti in virtute S. Obedientiæ de attinentibus ad Regulã.

Hæc breuiter scripsimus Tertiariis nostris conuersationis earum formulam statuentes secundum quam viuere debeant, si qua autem supererogauerit, ipse Dominus cum redierit reddet ei, vtetur tamen discretione, quæ est virtutum moderatrix.

Finis Regulæ Tertiariarum.

Pro Tertiariis autem viris hæc statuit idem Reuerendissimus Stratius *in d. Opusculo cap.* 11. 454.

De Fratribus Tertij Ordinis Carmelitarum.

Licet Sacra Episcoporum, & Regularium Congregatio mulieribus admittendis ad habitum Tertij Ordinis præscripserit ætatem, vestitum, & nonnullas alias conditiones, de viris nihilominus nihil statuit. Quare ipsi ad habitum nostri Tertij Ordinis, nulla requisita Ordinarij loci licentia, admitti possunt in quacunque ætate sint constituti, non conuenit tamen, vt admittantur iuniores quatuordecim annis, debent etiam esse probæ, & laudabilis vitæ & ex parentibus honestis, & bonæ famæ procreari, de hæresi nullatenus suspecti, quinimo veritatis Catholicæ fidei iuxta suum modulum æmulantes, & zelatores, habereque debent de proprio, vnde viuant, vel saltem aliquam exercere artem pro victu, & vestitu sibi comparando, non vilem, & abiectam secundum patriæ existimationem.

Gestare debent habitum nostrum Regularem, secundum tamen, quod decet eorum statum, & conditionem, & iam vsus obtinuit, vestimenta, & mantelium sint quoad formam, quibus vtuntur aliæ personæ sæculares, & quoad colorem, vt Fratres nostri, & quoad materiam, eorum indumenta non debent in valore pretiositatem prætendere, quapropter erunt ex lana, simpliciterque consuta, absque omni ornamento serico, vel alio prophanitatem redolente, nisi cum aliquo ob magnam eius nobilitatem pretiositate per Superiorẽ fuerit dispensatum. Tenentur etiam continuò deferre scapulare, vel supra, vt Fratres, vel subtus vestes, sicut eis placuerit, & vsus fuerit in locis, nec illud tempore noctis dimittere, & tandem deponere debent, iuxta Diui Petri Apostolorum Principis salubre consiliũ, omnia vana huius sæculi ornamenta.

Quoad Regulam Fratres nostri Tertiarij tenentur seruare Regulam à nobis traditam pro Sororibus, exceptis iis, quæ propriè spectant ad statum mulierum, & sine obligatione similiter ad vllam culpam, nisi ipsi veniant contra votum Castitatis, vel Obedientiæ, vt etiam dictum est de Sororibus. 455.

Adiungit præterea idem Reuerendissimus alia, quæ spectant ad priuilegia tam Tertiariarum, quam Tertiariorum, quæ nos omittimus, quia de ipsis sufficienter

sufficienter dictum est locis relatis ex 2. 4. *tom.* Alia etiam habes infra in Mari magno Seruitarum *circa* §.25. & 26. dum est sermo de Regula Tertiariorum,& Tertiatiarum huius Religionis à Martino V. approbata. Et specialiter quod ius conferendi habitum huiusmodi Tertiariis non pertineat ad ipsos, sed ad Prælatos Ordinis, decisum est à Rota in duplici decisione Vlysbonensi *Iuris conferendi habitum* coram Pirouano 25.Maij,& 17. Septembris 1635. in causa Tertiariorum Ordinis S.Fransci. Maximè verò ex alia eiusdem tituli coram Merlino 23. Iunij 1636. vbi non solùm idem deciditur, sed etiam Dominicanos, Carmelitas, Augustinianos,& Minimos posse recipere,& conferre habitum Tertiariis, conformiter etiam ad decretum,seu declarationem S.Congreg.Concilij.

Circa §.85.

456. Decernit hoc loco Pontifex,vt Prior Generalis per se solum,Prouinciales verò in Capitulis Prouincialibus cum Diffinitoribus possint Fratribus idoneis,prædicandi, & audiendi confessiones officia authoritate Apostolica committere. Item quod Lectores secundum Ordinis Constitutiones in domibus nostris constituti legere possint in facultate Theologia, aliis locis exceptis, in quibus studia generalia vigent.

457. Quod priuilegium,quod attinet ad concionatores, ex dictis in Mari magno Minorum *circa* §. 5. vbi simile priuilegium habetur, constat esse moderatum à Concil. Trid.*sess.25.cap.2.& sess.24.c.4.* ita vt his temporibus non possint Religiosi prædicare extra suas Ecclesias sine licentia Episcoporum: neque in suis Ecclesiis sine benedictione ab eis petita,aut ipsis cōtradicentibus.De qua materia latè dixi sæpius,scilicet *tom.1.c.20.& tom.2.c.2.n.17. & tom.3.verbo Concionari,& Concionator Regularis*, ac supra in Mari magno Minorum *circa* §. 5. relatum. Notat autem circa illud Scholiastes noster, quod quamuis in hoc priuilegio solum concedatur facultas approbandi pro Cōcionēdi munereSacerdotes,nihilominus ex priuilegio cōcesso Societati Iesu possunt Regulares prædicare etiamsi non sint Ordinis Sacri, & prædicatores itinerantes semel approbati possunt vbique prædicare non contradicente parocho. Sed de primo dixi *tom.3.verbo Concionatori, & Concionator Regularis n.5.* & de secun- *tom.1.cap.10.num.4.*

458. Modo autem specialiter notanda illa clausula *Authoritate Apostolica*, quæ habetur in hoc priuilegio, & in alio simili Eremitarum S.Augustini in ipsorum Mari magno §.1. ex ea enim colligitur Concionatores à Religione designatos exercere posse hoc munus ex Papæ authoritate, ac per consequens illud esse firmius, & solidius; ita vt illud exercere in propriis Ecclesiis possint etiam contradicenteEpiscopo;si sine rationabili causa contra dicat, secus autem si cum rationali causa id faciat, puta,quia ipse vult prædicare,aut quod coram ipso solemniter prædicetur, iuxta dicta non solum *circa* §. 5. Maris magni Minorum, sed etiam *tom. 3. verbo Concionator Regularis num.6.*ex Rodriguez, Miranda, Tamburino, & Nouário, quos sequitur Barbosa *in Collectaneis Doctorum in Concil.Trident. sess.5. de reformat. c.2.* & imitatur alter Rodriguez *in Compend. Resol.112.n.2.* pluribus aliis relatis,dicensque ita declaratū esse in quodā Capitulo Generali sui Ordinis. Quo etiam sensu,& iuxta eandem explicationem intelligi debet Constitutio Greg.XV. quam retuli *tom.1.cap.20.n.3.* vbi Pontifex statuit, quod Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus habeat auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscunque exemptos tam sæculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. Intelligi namque debet, quantum attinet ad contradictionem Episcopi,modo dicto, scilicet propter rationabilē causam, verbi gratia,illam assignatam, Bordonus *Resol.7. num.18.* & 21. Ad quod consonat declaratio Vrbani VIII.per suas litteras in forma Breuis directas ad Eminentissimum Cardinalem Sandoual Episcopum Giennensē sub datis 30.Ianuarij 1629. quas refert Barbosa *supra in Concil. Trident sess.24. de reformat. cap.4. num.* 23. & quæ sic habent. *Ad hæc,quod in eisdem præinsertis litteris dicitur,Regulares non posse verbum Dei prædicare sine Episcopi licentia, id locum sibi vendicare in iis tantum Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt, cum in aliis Ecclesiis sui Ordinis sufficiat Episcopi benedictio petita, licet non obtenta,ita tamen, vt si Episcopus non modo benedictionem simpliciter non concesserit,verum etiam Regularibus prohibuerit quominus prædicent, tunc illo contradicente, in sui quidem Ordinis Ecclesiis liceat illis prædicare,quemadmodum S.Trid.Concil. decretis salubriter est cautum. Quod si Regulares siue in Confessionibus audiendis, siue in prædicando aduersus ea, quæ superius declarauimus, quoquomodo deliquerint, in vim earundem præinsertarum litterarum ab Episcopo Giennen.coerceri,& puniri possunt etiam censuris Ecclesiasticis,&c.*

Quod attinet etiam ad confessarios, id est limitatum à Concil. Trident.*sess.23.cap.15.* vbi cum reuocatione priuilegiorum,& consuetudinum immemorabilium statuitur, illum etiam Regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut per Episcopos, per examen,si illis videbitur esse necessarium,idoneus iudicetur. De qua materia latè egi *tom.1. cap.19.& tom.3.verb.Confessarius Regularium*,ac supra in Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* §. 1. Vbi & specialiter an in casu raro quo Episcopi sine iusta causa negauerint Religiosis facultatem ad audiendum confessiones sæcularium, possint id facere sine ipsorum approbatione,prout tenent plures authores ibi relati, quibus maximè fauet clausula illa *Authoritate Apostolica*,qua vtitur Pontifex in hoc priuilegio, iuxta dicta *sup.* Pro quo nota, quod quamuis hoc, & similia priuilegia reuocata sint,vt dixi, à Concil. Trid. est tamen magna controuersia an etiam reuocata sit per idem Concil. Clem. *Dudum de Sepultur.* quam retuli supra loco relato ex Mari magno Eremit.S.August.vbi etiam Authores id affirmantes, & negantes adduxi. Etsi autem in d. Clementina solum sit sermo de Prædicatoribus, & Minoribus,nihilominus illa extensa est ad August. à Bonifacio VIII. & ad Carmelitas à Ioanne XXII. imò ad vtrosque ab ipso Ioanne XXII. in Extrauaganti *Frequentes de iudiciis*,ita vt sicut priuilegia d. Clemetinæ competunt iure communi Prædicatoribus & Minoribus, sic etiam iure communi competant Augustinianis, & Carmelitis, iuxta dicta *circa* §.11. huius Maris magni ex Ioanne de Cruce, & Scholiaste nostro contra Nauarrum, & vtrumque Rodriguez, quo in hac re non bene loquuntur. 459.

460. De alio etiam priuilegio, scilicet facultate instituendi lectores, qui in Conuentibus Sacram Theologiam legere possint, dictum est supra circa simile priuilegium Prædicatorum, & Minorum in ipsorum Mari magno §. 4. Vide etiam dicta *tom. 3. verbo Gradus, & graduati & tom. 4. verbo Lectio quoad Regulares*, & Bullam Callisti III. de qua supra in hoc Mari magno §. 12. & quæ circa illam diximus. Maximè etiam quandam sacræ Rotæ decisionem in vna Cracouiensi *Iuris legendi* coram Ghislerio 3 Decembris 1629. vbi conformiter ad alias sententias Rotales pronunciatum est Rectori, ac Patribus, & Præceptoribus, seu Professoribus Societatis Iesu, licuisse, & licere in eorum Collegio Cracouiensi vltra humaniores litteras publicè, ac liberè legere etiam liberales artes, Theologiam, & alias facultates, quibus addictum Collegium accedentibus iuxta formam priuilegiorum eidem Societati concessorum; ac Vniuersitati studij generalis eiusdem ciuitatis non licuisse, neque licere impedire illos in hoc munere. Vbi etiam plura ad hoc, & similia priuilegia pertinentia.

Circa §. 86.

461. HOc priuilegium declaratiuum est præcedentis, quod enim in præcedenti dictum est circa facultatem concessam Prouincialibus in Capitulis Prouincialibus simul cum Definitoribus, ad instituendum Concionatores, in hoc priuilegio declaratur id etiam concedi non obstante, quod in Constitutionibus nostris hæc facultas solùm sit concessa Generali. Simile priuilegium extat in Mari magno Minorum §. 5. vbi, & locis ibi relatis, ac *circa* §. præcedentem de eo dixi.

462. Nunc specialiter notandum non constare, quænam Ordinis Constitutiones sint istæ, de quibus Pontifex dicit, quod ex illis habeatur, quod non liceat alicui Fratri nostro prædicare nisi à Generali examinatus, & approbatus fuerit. Nam in Constitutionibus Sorethanis, quæ tempore huius Pontificis erant in vsu Religionis, non erat talis limitatio so'um pro Generali. In ipsis enim *p. 1. c. 9. num. 7.* sic dicebat. *Nullus Frater prædicare præsumat nisi à Priore Generali, vel Capitulo Prouinciali examinatus fuerit, & licentiatus, sub Pœna carceris infligenda.* Sed credo dicendum in prædictis Constitutionibus Sorethanis, vt à Generali Soretho editæ fuerunt, non fuisse illam clausulam, *vel Cap. Prouinciali*, sed ipsam additam fuisse in Capit. Generali Venetiarum anno 1524. sub Generali Nicolao Audet conformiter ad Breue Clementis VII. In isto enim capit. præfatæ constitutiones Sorethanæ correctæ, & emendatæ fuerunt, prout patet ex Constitutionibus Audet in titulo ipsarum, & Epistola ipsius in principio illarum posita. Quid autē in Ordine nostro in aliis Constitutionibus posterioribus circa Concionatores habeatur, sic damus. In Constitutionibus Cafardi *parte prima cap. 10. num. 7.* hæc sunt. *Item nullus Frater prædicare præsumat, nisi à Priore Generali, vel Prouinciali, rigorosè de vita, moribus, & scientia examinatus fuerit, approbatus, & licentiatus, & nisi à Reuerendissimo Ordinario benedictionem personaliter, siue licentiam (secundum Decreta Sacri Concilij Tridentini) petierit, vel obtinuerit, sub pœnas carceris infligenda.* In Constitutionibus autem nouissimis Gregorij Canalis *p. 1. c. 10. n. 7.* sic habetur declarando præcedentes. *Item nullus Frater prædicare præsumat, nisi à Priore Generali, vel Prouinciali, rigorosè de vita, moribus, & scientia examinatus fuerit, approbatus, & licentiatus: & nisi à Reuerendissimo Ordinario benedictionem personaliter in Ecclesiis nostri Ordinis, in aliis vero, nisi eiusdem Reuerendissimi Ordinarij licentiam (secundum Decreta Sacri Concilij Tridentini) petierit, & obtinuerit, sub pœna carceris infligenda.*

Circa §. 87.

AMpliat hoc loco Pontifex Sixtus concessiones Ordini nostro factas à Clemente IV. & Vrbano IV. de quibus supra §. 36. & 37. ita scilicet, vt possint Fratres, tam in locis, & Oratoriis suis, quam in aliis decentibus, non solùm coram Prælatis Principibus, & Magnatibus, sed etiam coram quibuscunque personis cum altari portatili Missas, & diuina officia celebrare, & in locis publicis populo prædicare, absque Ecclesiæ Parochialis præiudicio, quod Pontifex declarat solum consistere in decimis, & primitiis, quæ à laicis solent clericis exhiberi. 463.

Circa quam concessionem, præter notata superius circa alia priuilegia de eadem materia, scilicet in Mari magno Prædicatorum *circa* § 9. & 39. & in Mari magno Minorum *circa* §. 7. & 39. ac supra in hoc eodem Mari magno *circa* §. 36. & 37. ac aliis locis ibi relatis, notandum etiam est id quod Pontifex declarat in hoc priuilegio circa iura parochialium Ecclesiarum, etsi enim Clemens IV. in priuilegio hic relato, quod habetur sub §. 36. dixerit ea consistere in oblationibus, decimis, & primitiis, nihilominus Sixtus in hoc priuilegio dicit duntaxat consistere in decimis, & primitiis nulla facta mentione de oblationibus. Et ita praxi, & consuetudine obseruatur. Omnes enim oblationes datæ Regularibus inter Missarum solemnia, vbicunque illa celebrant, ipsis cedunt, non parochis. De quo latè dixi *tom. 4. verbo Oblatio facta Regularibus*, præsertim *num. 2.* tum ex iure communi *c. 1. de stat. Monachor. cap. nimis iniqua de excessibus Prælat.* tum ex priuilegio Bonifac. VIII. pro Cistercienisbus, tum etiam ex declarationibus Sacræ Congregationis. De quo nouissimè Barb. *in Summa Apostolicarum decis. verbo Oblatio num. 3.* Adde etiam Bonifacium IX. concessisse Fratribus Prædicatoribus, quod nullus illis prohibeat oblationes in Missis recipere sub pœna excommunicationis Papæ reseruata Corduba *in Annotationibus ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo Eleemosyna* §. *quoad* §. 9. Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resolut. 59. in fin.* post alterum Rodriguez, referens etiam Vualdensem nostrum, Castrum, & Sanchez. Vide dicenda *infra n. 503.* 464.

Notat vlterius Scholiastes noster, litem esse inter Doctores an hoc priuilegium de celebrando coram quibuscunque personis cum altari portatili sit reuocatum per Concil. Trid. *sess. 22. in decret. de seruand. & euitand. in Miss.* idque affirmare Azorium, & Mirandam, negare verò Ledesmam, & Ioan. de Cruce cum aliis. Patresque Societatis Iesu habere priuilegium de hac re. Sed de his latè egimus locis relatis, præsertim in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 39. Minorum *circa* §. 39. Notat vlterius maxima moderatione vtendum esse priuilegio, quod fuerit in hac materia, præcipuè in celebratione ad cameras sæculariū vbi ipsi dormiunt. At de hoc etiam dictum est supra in hoc Mari *circa* §. 37. præsertim ex declaratione S. Congregationis sub Paulo V. 465.

Animaduertere etiam oportet Pontificem in priuilegiō, 466.

priuilegio, de quo in præsenti, concedere etiam Fratribus nostris posse *in locis publicis prædicare*, id est, extra Ecclesias, & loca sacra, viis scilicet, & plateis. De quo, & similibus priuilegiis dixi *tom. 1. cap. 20. num. 5.* ac de eorum intelligentia his temporibus post Concil. Trident. tam *eo num. 5. quam 3. tom. verbo Concionari, & Concionator Regularis n. 6. & supra circa* § 85. Specialiter autem id non fieri posse contradicente Episcopo dixi *eo num. 5.* & tenet Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resol.* 112. *num.* 9. Merito etiam dicens *num.* 7. non debere verbi Dei prædicatores in cubilibus secretis, aut in occulto sermocinari, sed palam, & in publico, Christi, & Apostolorum exemplum imitari. Modus autem iste prædicandi in locis publicis maximè videtur habere posse locum, quando Religiosi prædicant in terris infidelium, iuxta dicta *supra num.* 325. quia inter illos non tam facilè erit locus alicui, in quo id fieri possit. Imo etiam tunc licebit quandoque in cubilibus secretis, & occultis sermocinari ad confirmandum fideles in fide Catholica, & etiam conuertendos ad illam aliquos ex infidelibus, qui forsan alio modo audient verbum Dei.

Circa §. 88.

467. PLura concedit Pontifex sub hoc priuilegio, spectantia sanè ad exemptionem nostrorum Fratrum à Prælatis Ecclesiarum, seu Ordinariis, aut legatis Apostolicis. Eximuntur enim à cognitionibus causarum, collectionibus pecuniarum, citationibus, denuntiationibus, executionibus, visitationibus Monasteriorum Monialium alterius Ordinis, & similibus negotiis, sine licentia Sedis Apostolicæ, & speciali expressione huius concessionis. De quo priuilegio plura dicta sunt in præcedentibus, videlicet in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 17. & Minorum *circa* §. 15. 16. & 17. ac etiam hoc nostro §. 35. & 46.

468. His addit Scholiastes nostri Ordinis ex Fratribus nostris Discalceatis huic concessioni aliquantulum derogatum esse per Concilium Tridentinum *sess. 25. de Regul. cap.* 12. quatenus ibi præcipitur Regularibus omnibus non solùm seruare, sed etiam publicare in suis Ecclesiis censuras, & interdicta omnia etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo. Cæterum licet hoc sit verum, dubium tamen quæstionis est, an pro illis diebus, in quibus iuxta sua priuilegia non reuocata per Concilium secundum plurium sententiam, quam retuli *tom. 1. cap. 21. num. 19. & tom. 2. cap. 1. num. 21. & tom. 3. verbo Interdictum quoad Regulares num.* 28. non tenentur seruare interdicta, v. g. pro festis sanctorum sui Ordinis, adhuc teneantur illa publicare. De quo alibi. Probabile etiam est posse cogi Regulares ab Episcopo, non obstantibus ius, & similibus priuilegiis, iuxta dicta *tom. 3. verbo Festi dies quoad Regulares num.* 5. ad annunciandum in suis Ecclesiis festiuitates in hebdomada occurrentes, ne propter ignorantiam harum festiuitatum fideles transgrediantur Ecclesiæ præceptum circa illas obseruandas. Rodrig. & Barbosa eo loco relati. Portellus *in dub. Regul. verbo Episcopus n.* 7. alter Rodriguez *in Compend. Resolut. 25. num. 5. & Resol. 60. num.* 10. Idem dico de ieiuniis Ecclesiasticis, propter eandem rationem, prout tenent iidem Authores.

469. Notat præterea plura ex iis, quæ in hoc priuilegio continentur, licita esse, & permissa Religiosis, puta curam gerere Monialium, ipsarum confessiones audire, & similia: imo etiam assessorum munus exercere, iuxta dicta *tom. 1. cap. 9. num.* 14. ex Sanchez ibi relato: non autem omnia, quia non possunt Religiosi esse iudices, saltem cum auctoritate Ordinaria, in causa Laicali, iuxta dicta *tom. 3. verbo Iudex, & Iudicium Regularium num.* 22. Pontifex ergo in hoc priuilegio non derogat facultati, quam habent Religiosi ad faciendum ea, de quibus est mentio, sed solùm vult, ne cogantur ad illa, præsertim sine consensu suorum Prælatorum.

Circa §. 89.

COnceditur in hoc priuilegio Generali, & Prouincialibus, ac ipsorum Vicariis, vt Fratres prouisos authoritate Sedis Apostolicæ ad assistendum quibuscunq; Archiepiscopis, Episcopis, aut personis possint corrigere, & ad Ordinem reuocare, non obstante aliqua contradictione. Item quod per litteras eiusdem Sedis non facientes specialẽ mentionẽ de hoc indulto non teneantur aliquos Fratres prædictis in locis deputare. Præterea quod nullus Legatus etiã à latere virtute litterarũ Apostolicarum non facientium de huiusmodi indulto specialem mentionem, nullusque Prælatus, aut quæcunque alia persona possit assumere aliquos ex Fratribus ad sua, vel Ecclesiæ negotia procuranda, seu secum manendum, nisi quos Generalis, & Prouinciales eis assignauerint, quos etiam subiacere Ordinis disciplinæ pontifex decernit. 470.

Contenta sub isto priuilegio habentur etiam in Mari magno Prædicatorum §. 18. & Minorum §. 18. & 19. hac tamen differentia, quod cum agitur de legato quantum ad facultatem assumendi sibi aliquos ex Fratribus ad sua, vel Ecclesiæ negotia procuranda, excipitur legatus à latere in Mari magno Prædicatorum, & Minorum, non autem in nostro. E contra verò cum dicitur nullum Prælatum posse id facere; exprimitur in Mari magno Prædicatorum Cardinalis S. Rom. Ecclesiæ, quod non sit in Mar. magno Minorum, neque in nostro. 471.

Præter dicta autem eis locis, & *tom. 1. cap. 16. num. 33. & 34.* nota facultatem hic concessam Prælatis ad reuocandum quoscunque sui Ordinis Fratres assignatos, vel prouisos Archiepiscopis, esse etiam conformem iuri communi in Clementina 1. *de statu Monach* §. *ad hæc.* & notandi ibi Doctores. Quibus adde Hieron. Rodrig. *in Compend. resol.* 63. *num.* 25. Notat etiam, casu quo Prælati concedant facultatem suis subditis ad prædicta, debere esse ex magna causa, puta pro auctoritate Monasterij, vel Religionis, iuxta *Can. non pastoris 2. q.* 7. Rod. *tom. 2. quæst. Regul. q. 64. art.* 1. alter Rodriguez *supr.* 472.

Nota præterea Religiosum posse esse cubicularium Episcopi, vel alicuius Prælati Ecclesiastici, etiam stando in iure communi & cum licentia sui Superioris. Habetur ex Synodo Generali *cap.* 2. & refertur *can. cum pastoris 2. q.* 1. & tradit Abbas relato Hostien. *c. cum primo*, eò quod id non sit absque Monasterij vtilitate, cum negotia Monasterij isto modo facilius apud dictum Prælatum promoueri possint. Atque ita docent Abbas *ibi, & cap. quanto num. 1. de Offic. Ordinarij.* Bald. *rubr. de maior. & obedient. n.* 3. Decius *in cap. in præsentia noua editione num. 73. de iudiciis.* Romanus *in antiqua editione singulari* 500. *in noua singulari* 506. Nauarrus *tomo 4 de Regular. numero 25. vers.* 9. Greg. Lopez *lib. 59. fine tit. 5. part.* Sanchez *lib. 6 in* 473.

Decalogum, cap. 13. *num.* 98. Addens cum Abbate, & Decio posse esse etiam cum eadem licētia cubicularium alicuius magni Principis intellige sæcularis quia hoc in magnam Monasterij vtilitatem cedit. Sed quia indecens videtur Religiosum sæculari Principi in corporalibus ministrare, propterea non facile admittendum est id, quod volunt isti Doctores.

474. Non obstantibus etiā præfatis priuilegiis Religiosi quorumuis Ordinum assumi possunt ab Inquisitoribus authoritate Apostolica in notarios, propter priuilegium Pij IV. quod retuli *tomo* 1. *c.* 9. *num.* 13. De quo Peña in *director. Inquisit. p.* 3. *comment.* 67. Hieron. Rodrig. *in Compend. resolut.* 73. *num.* 7. post alterum Rodrig.

Circa §. 90.

475. PRiuilegium hoc §. contentum est extensiuum præcedentis, per ipsum enim conceditur Generali, & Prouincialibus facultas remouendi, & mutandi Fratres ad prædicandum Crucem, seu Cruciatam à Sede Apostolica designatos, vel hæreticæ prauitatis Inquisitores. Simile sanè aliis priuilegiis concessis Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 19. & Minoribus §. 20.

476. Nota Crucē seu Cruciatam appellari in præsenti eam expeditionem, quam olim faciebant Christiani contra Turcas, Mahometanos Cruce rubea insigniti, pro recuperatione Terræ Sanctæ, multis indulgentiis ab Ecclesia incitati. Tiraquellus *lib.* 1. *de bello sacro cap.* 17. Platina *in vita Vrbani II.* Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentiis. cap.* 29. Per illos autem, qui præsenti priuilegio dicuntur *deputati ad inquirendum contra prauitatem hæreticam*, intelliguntur Inquisitores, seu Iudices in causa fidei. Quos omnes quantumuis à Sede Apostolica designatos subiicit Pontifex Prælatis præfatis sui Ordinis, quantum ad remotionem, reuocationem, translationem, & aliorum substitutionem, etiam mediis censuris Ecclesiasticis. Etsi autem hoc priuilegium, quantum attinet ad prædicatores Crucis, seu Cruciatæ maneat modo in sua vi, cum nullatenus de eius derogatione constet; quod attinet tamen ad Inquisitores prædictos, non manet, propter priuilegia, vel saltem consuetudinem sancti officij, iuxta dicta in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 19. Imo etiam quamuis ex priuilegio Prædicatorum, & Minorum in Bulla *Aurea* vocata §. 8. possent Generales istorum Ordinum, & aliorum, qui cum ipsis communicationem habent priuilegiorum contra Fratres Inquisitores suorum Ordinum procedere, eos puniendo, & corrigendo, id tamen nullo modo colligi debet in spectantibus ad Officium Sanctæ Inquisitionis, sed in aliis ad obseruantiam Regularem attinentibus, & iuxta limitationes adhibitas loco relato ex Mari magno Prædicatorum, & *Circa* § 8. Bullæ *Aureæ*. Nec tales Inquisitores tenentur obedire suis Prælatis in iis, quæ ad exercitium sui muneris spectant, & possunt liberè pergere ad Curiam Romanam cum socio sui Ordinis ad libitum assumpto etiam non petita, vel non obtenta suorum Superiorum licentia, prout ex priuilegiis ipsorum dicit Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resol.* 73. *n.* 5.

Circa § 91.

477. INhibet hoc loco Pontifex, ne aliquis in Ordine nostro professus ab ipso discedat sine Generalis, vel Prouincialis licentia, & ne quis talem discedentem prætextu alicuius Apostolici priuilegij, retinere audeat, alias contra ipsum discedentem possit per censuram procedi. Item statuit, quod si aliqui professi post obtentam licentiam à Sede Apostolica, vel Generali ad transeundum ad aliam Religionem, non se contulerint infra duos, vel tres menses ad illam, vt contra illos vti veros apostatas procedatur, quod etiam intelligi vult de illis, qui post susceptionem habitus alterius Riligionis intra tempus probationis nulla facta professione, resilierint.

Loquitur Pontifex in hoc priuilegio de discedentibus ab Ordine, maximè prætextu alicuius 478.
priuilegij Apostolici, seu transitus ad alium Ordinem, vt ex contextu patet, & dixi supra *circa* §. 74. in alio priuilegio quod simile isti apparet. Et contra taliter discedentes sine licentia statuit procedi posse per censuram; ac veluti contra Apostatas, si postquam licentiam habuerint ad aliam Religionem transeundi, infra duos, aut tres menses non id fecerint, aut habitum ante professionem factam dimiserint. Quibus similia fermè habentur in Mari magno Prædicatorum §. 20. 21. *&* 22. Minorum §. 21. & 22. & Eremitarum sancti Augustini §. 15. quibus in locis de hac materia dictum est consequenter etiam ad alia dicta locis relatis. Aliqualiter etiam simile priuilegium pro Monachis Benedictinis Congregationis sanctæ Iustinæ ab Eugenio IV. illis concessum habetur in Bullario Rodrig. *in hoc Pontifice Bulla* 9.

Specialiter circa id quod dixi *circa* § 21. *&* 22. 479.
Maris magni Prædicatorum, scilicet, quod ea, quæ in his priuilegiis continentur, iure ordinario competunt dictis Prælatis, nota id confirmari ex eo, quod præfati Prælati habent in subditos tantam potestatem (quod iurisdictionem intellige) quantam habent Episcopi in suas oues. Prout etiam colligitur ex Bulla relata Eugenij IV. pro Benedictinis, in qua illis concedit, quòd in omnibus casibus, in quibus illis esset necessaria auctoritas Ordinarij si exempti non essent, possint ea vti. Per hæc verba, *Quin etiam ne prædictæ Congregationis Monachi ab eorum quiete distracti Romanam Curiam pro crebris obtinendis licentiis frequentare cogantur, quod in omnibus casibus, in quibus de iure communi Prælatis, & Monachis dictæ Congregationis authoritas sine licentia, seu dispensatio Ordinarij esset necessaria, si ab eisdem exempti non essent, Prælatis, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus huiusmodi, qui pro tempore fuerint vna cum eorum Conuentibus authoritate Apostolica, absque eo, quod ad Sedem Apostolicam habeant recursum, huiusmodi licentiam, & authoritatem tenore præsentium indulgemus.* Ex quo colligitur, quod ea, quæ in iure communi de nouo conceduntur Episcopis, consequenter censentur concessa dictis Prælatis pro sibi subditis, nisi oppositum exprimatur. Panormit. *in cap. at si Clerici* §. *de adult. n.* 18. *de iudiciis*, sequendo Benedictum, & Federicum. Alias subditis istorum Prælatorum non esset ita, ac sæcularibus prouisum. Cùm aliàs ne cogantur egredi extra septa monasterij, debeant esse melioris conditionis. Ioannes de Cruce *in Epitome lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 7. *concl.* 1.

Nota prætereà facultatem istam Prælatorum 480.
Regularium ad impediendum suorum subditorum discessum ab Ordine sine ipsorum licentia, extendi etiam ad eos, qui ad Episcopatum assumuntur; ita vt, nisi adsit præceptum Papæ, non possint sine Prælatorum suorum licentia, ad id munus assumi.

mi. Ita enim concessit Alexander IV. Ministro Generali Ordinis Minorum in Bullario Rodriguez *in hoc Papa Bulla* 4. his verbis. *Authoritate præsentium de speciali gratia inhibemus, vt nulli præfati Ordinis Fratres, si eos in Episcopos eligi, aut postulari contigerit, electioni, seu postulationi de se factæ audeant consentire, nec alius Archiepiscopus, seu quicunque alius Prælatus, vel etiam legatus sedis ipsius, nisi fuerit Cardinalis, dictos Fratres, nisi tua, vel ipsorum Fratrum Prouincialium Ministrorum, qui pro tempore fuerint, licentia, & assensu, aut Sedis Apostolicæ eiusdem speciali mandato ad Episcopatus, vel alias dignitates extra dictum Ordinem assumere, vel ordinare præsumant. Nos autem decernimus irritum, & inane, quidquid contra inhibitionem huiusmodi à quibuscunque contigerit attentari.* in Constitutionibus etiam Ordinis Prædicarorum habetur tres Summos Pontifices concessisse, ne quis Religiosus eius Ordinis sine licentia Generalis, vel Prouincialis, vel mandato Sedis Apostolicæ electioni, vel postulationi ad quamuis dignitatem extra Ordinem de se factæ audeant consentire, aliter factum sit irritum, Ioannes de Cruce *supra dub. 7. conclus. 5.* Hæc porrò priuilegia Minorum, & Prædicatorum nostro Ordini, & aliis cum ipsis communicationem priuilegiorum habentibus communia sunt.

Circa § 92.

481. Conceditur hoc loco Prælatis nostris authoritas amplissima contra Apostatas, in quocunque habitu, & loco, etiam in Romana Curia inuentos; deputanturque à Pontifice Ordinarij supra similes, & alios subditos Ordinis. De qua concessione multa dicta sunt circa alias, etsi non tam amplas, in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 23. Minorum §. 23. & in hoc nostri Ordinis Mari magno *circa* §. 28. 31. & 74. Dixi *non tam amplas*, quia non video in illis expressionem illam de Curia Romana, quæ in hoc priuilegio habetur, & in alio Seruitarum in ipsorum Mari magno § 48.

482. Cùm autem in hoc priuilegio habeantur illa verba: *in qua* (scilicet Curia Romana) *sicut extra nos, super vestros subditos ratione professionis tam tacitæ, quàm expressæ emissæ Ordinarios, &c. deputamus,* non solum colligitur, id quod supra §. *præcedenti* dicebamus, scilicet, quod nostri Prælati habent tantam potestatem in suos subditos, quantam habent Episcopi in suas oues; sed etiam, prout colligitur ex verbis illis *extra nos*, quod dicti Prælati subsunt Pontifici Romano immediatè, seu *absque vllo medio*, vt habetur in priuilegio Ioannis vigesimisecundi pro nostro Ordine, quod habes in hoc Mari magno §. 5. & ex alio priuilegio concesso Eremitis sancti Augustini in ipsorum Mari magno §. 31. Est etiam hæc cōcessio conformis iuri communi *cap. fin. de Regularibus*, vbi præcipitur præsidentibus Capitulorum, seu Abbatibus, vt fugitiuos suos annuatim quærant, & recipiant, iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 16. *num.* 16. vbi plura ad intentum, maximè *num.* 17. qualiter Episcopi teneantur etiam illos incarcerare, & ipsorum Superioribus puniendos tradere. Vide Tamburinum de *Iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 8. *quæst.* 3.

483. Alia pertinentia ad hoc priuilegium habes ex dictis in Mari magno Prædicatorum, Minorum, & nostro locis relatis, & aliis, quæ ibi citauimus, ac in Mari magno Seruitarum *circa* §. 48.

Circa §. 93.

Prohibet hoc loco Pontifex, ne expulsis ab Ordine nostro, aut qui sponte ab illo egressi fuerint, possint prædicare, confessiones audire, seu docere, nisi ad alios Ordines transierint, vbi hæc licitè gerere queant, alias excommunicari possint. 484.

Et hoc priuilegium simile aliis, quæ extant in Mari magno Prædicatorum §. 24. & Minorum etiam § 24. Quibus locis, & aliis ibi relatis de hac materia dixi. Nunc addendum, immerito Hieronymum Rodriguez *in Compend. Resolut.* 57. *num.* 7. dicere, quod cùm huiusmodi eiecti, seu expulsi ab Ordine sint infames, non possunt cogere Religionem, vt illos admittat, additque ex Miranda *tom.* 1. *Man. quæst.* 52. *art.* 7. casu, quo eos recipere conueniat, id debere esse cum Sedis Apostolicæ dispensatione. Oppositum namque colligitur tum ex *cap. fin. de Regularibus*; vbi expressè habetur Prælatos teneri quærere *sollicitè annuatim* huiusmodi eiectos, & eos recipere, *salua Ordinis disciplina*, ac eos excommunicare, & vt excommunicatos denunciari facere, *donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur.* Tum etiam ex decretis sacræ Congregationis Concilij *de Apostatis, & Eiectis* sub Vrbano VIII. vbi innouarut prædictum *cap. fin. de Regularibus*, & declaratur illud habere locum etiam in iis, qui legitimè expulsi fuerunt, *dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis, &c.* Quando ergo talis spes subsit, tenentur eos reducere ad Religionem, ac propterea eiecti ipsi sic emendati possunt eam cogere, vt admittantur. Neque ad hoc requiritur Sedis Apostolicæ licentia, cùm hoc sit de iure communi innouato in dictis sacræ Congregationis. Nec obstat quod eiecti sint infames, quia non sunt infames, nisi dum manent in sæculo non emendati, & solum sunt infames infamia facti, quæ iuxta dicta *tomo* 3. *verbo infamia, num.* 16. tollitur per pœnitentiam, seu emendationem vitæ. Vide dicta *tom.* 1. *cap.* 23. *num.* 7. & 9. & *tomo* 3. *verbo Eiecti Regulares ab Ordine præsertim, n.* 2. Et nota decretum quoddam cuiusdam Capituli Generalis Minorum, quod refert relatus Rodriguez *num.* 8. & ante ipsum Portellus *in dub. Regular. verbo Eiicere ab Ordine, num.* 6. quo ordinatum fuit, vt eiecti non possint iterum recipi ad Ordinem, etiamsi id petant, moderandum esse, iuxta dicta solum pro casu, quo illi eiecti non sint emendati, aut non sit spes emendationis. 485.

Nota quoque, quod quamuis ex hoc priuilegio, alioque referendo § *sequenti*, aliisque pluribus constet posse incorrigibiles eiici ab Ordine, iuxta modum tamen, & limitationes traditas à Sacra Congregatione in decretis adductis, de quibus latè egi *tomo* 1. *cap.* 23. & *tomo* 2. *verbo Eiecti Regulares*; nihilominus, quia experientia comprobatum est plures ex industria fieri inobedientes, & incorrigibiles, vt eam ob causam à Religionibus expellantur, & liberius viuant, ideo tales perpetuo carceri potius damnandi, vel ad triremes mittendi, prout Paulus V. concessit Canonicis Regularibus S. Crucis Conimbricæ anno 1613. testantibus Portello supra *num.* 4. & Hieronymo Rodriguez *supra num.* 9. Quo priuilegio dicunt potiri alias Religiones. Addo ego, maximè, quia iure communi est etiam concessum. 486.

Circa §. 94.

487. STatuit Pontifex in hoc priuilegio, vt eiecti, vel egressi ab Ordine, & alij quicunque Fratres possint à Generali, vel eius Vicario licentiari ad quoscumque alios Ordines præterquam B. Augustini, Templariorum, Hospitaliorum, & aliorum arma portantium; inhibens etiam ne ad alium Ordinem transeant, aut ibi recipiantur, aut retineantur sine licentia Sedis Apostolicæ.

488. Extat simile priuilegium pro Prædicatoribus in Mari magno ipsorum §.24 & pro Minoribus §.25. & 26. Quibus locis, & aliis ibi relatis plura ad materiam huius priuilegij spectentia dixi. Nunc addendum, ex illis verbis Papæ: *Eiectos autem de Ordine vestro, vel egressos, quia receptione in eodem Ordine, suis culpis exigentibus, reddiderint se indignos*, expendendo hæc posteriora, colligitur id quod *circa §. præcedentem* dicebamus, videlicet, quod quando tales eiecti *reddiderint se* dignos receptione, eo quod emendati fuerint, debent recipi ad Religionem.

489. Quod verò tales eiecti non possint propria authoritate ad alios Ordines transire, constat ex dictis *tom.1.c.23.n.* 10. propter rationem ibi adductam, scilicet, quia adhuc tempore eiectionis perseuerant subiecti Religioni, à qua fuerunt expulsi; nec censentur omnino, aut perpetuo derelicti à Religione, nisi solum pro tempore, quo non se emendauerint, aut correxerint, iuxta dicta *tomo 3.verbo Eiecti Regulares num.3.* Cuius signum est, quod S. Congregatio Concilij *§ præcedenti*, relata innouando *cap.fin. de Regularib.* præceperit, vt Prælati *solicitè annuatim* requirãt eiectos quoscunque, & illos recipiant, si subsit *spes emendationis.* Quia ergo talis spes potest esse de quocunque quamtumuis ptoteruo peccatore, ideo nunquam censeri debet istorum expulsio perpetua absolutè; sed solum conditionatè, id est si non se emendauerint. Quod dico contra Sanchez, & alios ab ipso relatos *lib.6. in Decalog. cap.9. num.36.* qui non viderunt dictam innouationem *cap. fin. de Regularibus*, à sacra Congregatione factam.

490. Circa verba autem illa huius priuilegij, *Cum suis testimonialibus litteris*, quibus dicitur Generalem, vel eius Vicarium posse concedere licentiam dictis expulsis ad transeundum ad alios Ordines, præter illos relatos cum litteris ipsius, dubitat Rodriguez, an si transeant sine dictis litteris, professio illorum sit valida, & respondet *tomo 1. Quæst. Regular. quæst.* 30. *art.*21. quem sequitur alter Rodriguez *in Compend. Resolut.* 57. *num.*10. esse irritam, & inualidam, eo quòd talis licentia requiratur, vt forma talis transitus, deficiente autem forma deficit valor actus. Consequenter tamen ad dicta supra in Mari magno Minorum circa §.25.& 26. dicendum, quod si illi transeant ad Religionem strictiorem, valida erit translatio, seu professio, quia iuxta dicta *tomo 1.cap.22. num.7.* defectus licentiæ non irritat transitum ad strictiorem, seu perfectiorem Religionem, licet illum illicitum reddere possit, nec Pontifex in hoc casu irritat talem professionem, aut transitum, nec petit illas litteras testimoniales tanquam formam, sed tanquam rem præceptam, vt constet de legitimitate actus. Sanchez *supra num.39.* Castrus Palaus *part.3. tract.16. disp.4. punct. 22. num.4.* Si verò illi transeant ad minus strictam, aut æquè strictam Religionem, cùm id sit omni iure irritum, & prohibitum, iuxta dicta *cap. 22. num.7.* relato proculdubio transitus, & professio in illa Religione irrita erunt. Quid porrò dicendum si transirent ad Ordines Prædicatorum, Minorum, aut Eremitarum sancti Augustini consule dicta supra *circa* §. 20. huius Maris magni, propter priuilegium Ioannis XXII ibi relatum.

Nota præterea, quod ex priuilegio Iulij II. pro Minoribus, quod habetur in Bullario Rodriguez *in hoc Pontifice Bulla* 12. possunt Ordinarij litteras testimoniales, etiam à Sede Apostolica concessas, quas habere solent ij, qui ex Religione exierunt sub variis prætextibus, instante Religione, examinare & de illis iudicare, & si non sunt veræ, reuocandi, & annullandi; ac etiam si fuerint de incedendo in habitu sæculari, quod id non sit locis, vbi sunt Monasteria Religionis, inhibendi. Quod est notabile priuilegium, communicabile aliis Religionibus propter communionem priuilegiorum, & vtile valde ipsis pro hoc, & multis aliis casibus. 491.

Circa §. 95.

HIc statuit Pontifex, vt nullus habitum nostri Ordinis, aut ipsi similem deferre debeat, alioquin ad illum deponendum per Diœcesanos locorum per censuram Ecclesiasticam compelli possit. De quo etiam priuilegio in simili alio Prædicatorum in eorum Mari magno §.25. & Minorum in eorum etiam Mari magno §.27. aliisque locis ibi relatis dictum manet. 492.

Notat præterea huius Maris magni Scholiastes idem priuilegium per duplicem concessionem Apostolicam indultum esse nostris Patribus Discalceatis. Circa vtramque tamen concessionem notat Reuerendus Pater Ioannes à Matre Dei *in Scholiis ad illas* prohibitionem in ipsis contentam comprehendere etiam Fratres nostros de Obseruantia, etiamsi calceati incedant, habitum tamen similem eisdem Patribus Discalceatis gestant. Hoc tamen cum duplici moderatione accipiendum. Prima, vt non sit in alia differentia, nisi solum in calceamentis; si enim præter eam fuerit notabilis aliqua differentia in habitu, tunica videlicet, scapulari, & caputio, ac etiam cappa alba, & caputio albo, proculdubio saluabitur distinctio Religionum, quam Pontifices intendunt in dictis concessionibus. Secunda, vt talis habitus, quam Fratres de Obseruantia deferunt, non sit conformis suis Constitutionibus, sed supra, aut contra illas; si enim conformis suis Constitutionibus fuerit; nullo pacto credi debet, quod Pontifices prohibeant ipsum deferre. Præsertim Vrbanus VIII. in Bulla, vbi continetur vna ex dictis concessionibus, Fratribus de Obseruantia præcipit, vt habitum gestent iuxta Ordinis Constitutiones. 493.

Qualis autem sit noster habitus, sic habetur ex Constitutionibus Ioannis Soreth. *par.1. capitul.11.* approbatis à Clement. VII. *Vestimenta Fratrum lanea sint eiusdem formæ, vt habeant tunicas amplas griseas, nigras, vel saltem ad nigredinem tendentes, rotundas vsque ad talos descendentes. Et habeant ipsas satis latas, non nucleatas, & sine filis de serico, tam in manicis, quàm in collo, & alibi. Habeant etiam scapularia breuiora tunica vno palmo, eiusdem coloris cum ea, sine filis de serico; aut alterius coloris à panno. Sint etiam accincti super tunicam zonis satis latis de corio nigro, scilicet, ad latitudinem duorum digitorum per transuersum, & non artificiali coloratis, non munitis, nec ferratis osse quocunque, vel* 494.

vel fulgenti metallo, præterquam in extremitatibus, vbi poterit esse parum de osse. Nullus Frater portet vestes de alio panno, vel lana, alio quam dictum est, colore, tinctis sub pœna priuationis vsus illius, & grauis culpæ rigidè infligenda. Exceptis conuersis, & laicis, qui vbique vtantur griseis sui natiui coloris, vbi haberi poterunt, ad nigredinem tendentibus. Quoad cappam autem sic habetur! *Quilibet autem Frater habeat cappam albam talis longitudinis, vt breuior sit superiori tunica vno palmo.* Parum differunt, quæ in Constitutionibus Caffardi *p.1. cap.12.* habentur. *Vestimenta Fratrum lanea sint eiusdem formæ, vt habeant tunicas amplas, griseas, nigras, vel saltem ad nigredinem tendentes, rotundas, vsque ad talos descendentes. Habeant ipsas satis latas, non nucleatas, & non apertas à parte anteriori, nisi vno palmo cum dimidio, & sine filis de serico, tam in manicis, quàm in collo, & alibi. Habeant etiam scapularia breuiora tunica eiusdem coloris cum ea sine filis de serico, aut alterius coloris à panno. Sint etiam accincti super tunicam zonis de corio nigro ad latitudinem duorum digitorum per transuersum, & non artificiali colore coloratis, non munitis, nec ferratis osse quocunque vel fulgenti metallo, præterquam in extremitatibus, vbi poterit esse parum de osse. Nullus Frater portet vestes de aliquo panno, vel lana, alio quam dictum est colore, tinctis, sub pœna priuationis loci, & vocis, & grauis culpæ rigidè infligenda. Exceptis conuersis, & laicis, qui vbique vtantur griseis sui natiui coloris, vbi haberi poterunt, ad nigredinem tendentibus.* Quoad cappam verò sic ibi habetur: *Quilibet autem Frater habeat cappam albam consutam à parte anteriori, talis longitudinis, vt breuior sit superiori tunica.* Parum quoque diuersa sunt, quæ in nouissimis Constitutionibus Concilij, *part.1. cap.12. num.1.* de eadem re dicuntur, videlicet; *Vestimenta Fratrum lanea sint, eiusdem formæ, vt habeant tunicas amplas, griseas, nigras, vel saltem ad nigredinem tendentes, rotundas, vsque ad talos descendentes. Habeant ipsas satis latas, non nucleatas, & non apertas à parte anteriori, nisi vno palmo cum dimidio, & sine filis de serico tam in manicis, quàm in collo, & alibi. Habeant etiam scapularia breuiora tunica, eiusdem coloris cum ea sine filis de serico, aut alterius coloris à panno. Sint etiam accincti super tunicam zonis de corio nigro, ad latitudinem duorum digitorum per transuersum, & non artificiali colore coloratis, non munitis, nec ferratis osse quocunque, vel fulgenti metallo, præterquam in extremitatibus, vbi poterit esse parum de osse. Nullus Frater portet vestes de alio panno, vel lana, alio quam dictum est colore, tinctis, sub pœna priuationis loci, & vocis, & grauis culpæ rigidè infligenda. Exceptis conuersis, & Laicis, qui vbicunque vtantur griseis sui natiui coloris, vbi haberi poterunt ad nigredinem tendentibus.* De cappa autem alba sic habetur ibidem: *Quilibet autem Frater habeat cappam albam consutam à parte anteriori, talis longitudinis, vt breuior sit superiori tunica quatuor digitis per transuersum.* Ex quibus omnibus, & aliis, quæ in specialibus Statutis pro Reformatis nostri Ordinis editis extant, constat quis sit proprius habitus Ordinis à Religiosis nostris gestandus, & in
495. quo à nemine molestari possint.

Nota præterea hoc priuilegium de non portando habitu Ordinis à quocunq; extraneo haberi in Mari magno Seruitarum §.50. cum maiori amplitudine ita vt non solum prohibeatur gestatio habitus Religiosorum, sed etiam, & Pinzochetarum, seu Tertiariarũ cum facultate etiam concessa Generali, & Prouincialibus Ordinis ad procedendum contra aliter facientes. Quod priuilegium quatenus competit dictis Seruitis, competere etiam poterit aliis Mendicantibus cum eisdem communicationem priuilgiorum habentibus.

Circa §.96.

INdulget Pontifex in hoc priuilegio, quod 496.
quando habitum Religionis nostræ assumentes aliqua restituere tenentur incertis personis, possint Prælati bona ipsa in pios vsus conuertere, *prout secundum Deum viderint expedire.* De quo etiam priuilegio in simili alio Prædicatorum in ipsorum Mari magno *circa* §. 27. & Minorum, in ipsorum etiam Mari magno *circa* §.29. aliisque locis ibi relatis sufficienter dictum est.

Præter quæ hic etiam addendum, hoc priuilegium etiam quatenus priuilegium est, & concedens aliquid supra ius commune, de quo in locis relatis posse extendi ad personas Terriarias nostri Ordinis, tum quia illæ dicuntur pertinere ad Ordinem nostrum, iuxta dicta *tomo 2. cap.14. num.7.* & assumere *Religionis habitum*, prout loquitur Pontifex in hoc priuilegio, tum quia illæ gaudent amplissima communicatione priuilegiorum Religionis, illis concessa ab hoc eodẽ Pontifice in hoc Mari magno §.84. illis verbis: *Quæ sic receptæ* (scilicet personæ tertiariæ vtriusq; sexus) *& in posterum recipiendæ auctoritate præfata gaudeant, & gaudere possint, & debeant, tam exemptionis priuilegio, quam omnibus immunitatibus, libertatibus, indulgentiis, & aliis priuilegiis, quibuscunque præfati Ordinis Beatæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli, eiusque Fratribus, ac personis per Sedem Apostolicam iam concessis, & quæ in posterum concedentur, quatenus huiusmodi exemptionis priuilegium, immunitates, libertates, indulgentiæ, ac quæcunque alia priuilegia ipsis Prioribus, & Fratribus Ordinis de Monte Carmeli competunt, vel competere possint, seu poterunt, & Priores, & Fratres, ac loca ipsa esse capacia.* 497.

Circa §. 97.

INhibet hoc loco Pontifex Fratribus nostris, ne 498.
aliquis eorum, nisi necessitate, vrgente, aliis quam suis Prælatis peccata sua confiteatur, vel aliis Ordinis Sacerdotibus secundum Ordinis instituta. Quæ etiam inhibitio facta est Prædicatoribus in eorum Mari magno §.29. & Minoribus § 32. quibus locis, & aliis ibi relatis de illa satis dictum est. Video tamen differentiam in inhibitione facta Prædicatoribus, & Minoribus ac in ea, quæ fit nostris Fratribus, quod in illa dicitur *nisi necessitatis vrgente articulo*, in hac verò nostra, *nisi necessitate vrgente*, quo denotatur non solum necessitate articuli mortis, sed in alia necessitate vrgente, vt puta, iuxta dicta *circa* §.32. relatum, in itinere, posse Religiosos confiteri sua peccata aliis, quam suis Prælatis, aut Fratribus sui Ordinis. Nota tamen in tali necessitate, nisi sit articuli mortis (seu periculi mortis, iuxta dicta *tomo 3. verbo Bulla Cœnæ, num. 53. & verbo Bulla Cruciatæ, num.23.*) non posse absolui Religiosos extra Ordinem à casibus in Ordine reseruatis, nisi forsan à Prælatis suis, quibus incumbebat absolutio à talibus casibus reseruatis, habuerint ad hoc expressam facultatem. Portellus *in dub. regular. verbo Confessor erga Fratres num.12.* Villalobus *1. part. Summ. tract.9. difficul.64. num.7.* Hieronymus Rodriguez *in compend. Resol.31. n.22. & 23.*

& 23. Quintana Dueñas *in singularibus*, *tract.* 3. *singul.* 9.

499. Nota præterea, quod quamuis hoc loco Pontifex non loquatur expresse de Monialibus, sed solum de Fratribus, eadem tamen est ratio de vtrisque, ac proinde quemadmodum Fratres non possunt confiteri sua peccata nisi solum suis Prælatis, aut designatis ab illis, sic neque Moniales. Addit Hieronym. Rodriguez *supra n.* 21. ex alio Rodriguez, & aliis authoribus, quod Confessarij pro Fratribus, à suis Prælatis non censentur approbati pro Monialibus. Addo ergo, quod his temporibus, propter Constitutionem Gregorij XV. & declarationes S. Congregationis relatas supra *super*. §. 62. confessarij Monialium, etiamsi sint ipsarum Prælati, non possunt illarum confessiones audire nisi sint ab Episcopis approbati. Quamuis dicta Constitutio, vt ibi dixi, in Hispania sit suspensa. Quod non animaduertit Quintana Dueñas author nouissimus *in singularibus*, *tract.* 3. *singular.* 25. *num.* 7. Supponens dictam Constitutionem Gregorij in Hispania habere vim.

Circa §. 98.

500. PRiuilegium hoc §. contentum est veluti summarium quoddam, aut recapitulatio plurium aliorum, quæ in præcedentibus concessa sunt tam nostris, quam aliis Mendicantibus, quantum ad exemptionem illorum. Etenim illa, quæ hic continentur, quod non possint cogere Prælati Ecclesiarum Fratres, vt ipsis confiteantur peccata sua, aut quod assistant ipsorum Synodis, vel conuocationibus, aut illos comitentur extra Ciuitatem, vel intra, aut, quod obediant ipsorum Constitutionibus, vel ipsis obedientiam præstent; aut se intromittere in statutis, & Prælatorum institutionibus, seu destitutionibus, vel impedire mansionem in aliqua ciuitate, vel villa, habentur etiam in Mari magno Prædicatorum, §. 30. & 31. & Minorum §. 33. ac Eremitarum Sancti Augustini §. 16. imò & in hoc nostro Mari magno §. 75. Aliqua verò ipsorum sparsim, & diuisim habentur etiam in similibus priuilegiis, vel quatenus omnimodam exemptionem Religiosis tribuunt, vel quatenus specialiter loquuntur de eisdem materiis.

501. Quamuis autem in locis relatis & aliis ibi citatis, de prædictis sufficienter dictum videatur, adductis quoque limitationibus à Concilio Tridentino designatis, quoad assistentiam ad Synodos Episcopales, & ad processiones indictas, & quoad constructionem Monasteriorum; nihilominus pro praxi Regularium, quando casus esset, quod Prælati Ecclesiarum, Episcopi v.g. vellent aliquid facere contra formam horum, & similium priuilegiorum, notanda sunt, quæ dixi *tomo.* 3. *verbo Exemptio Regularium*, *num.* 14. & supra in hoc Mari magno circa § 60. scilicet non tenere obedire illis, sed debere dicere se esse exemptos ab eorum iurisdictione, ac proinde declinare ab illa, & recurrere ad Conseruatores, nec posse ipsos interpretari ipsorum priuilegia, aut petere, quod ipsis ostendantur; de quo similiter supra in Mari magno Minorum *circa* §. 36. Casu etiam quod Domini Episcopi, aut alij Ordinarij dicerét id facere posse propter speciale rescriptum Papæ, vel authoritatem ab ipso delegatam, si hoc declaretur in citatione, possunt comparere coram ipsis, & petere rescriptum. Si autem illud non ostenderint, non est illis obediendum, prout colligitur claré ex *cap. cum in iure de offic. & potest. iudic. delegat.* vbi expressè habetur neminem cogi exequi ea, quæ precipiuntur à delegato, nisi constet, aut probetur delegatio. Vnde consequenter excommunicatio, lata à delegato, qui copiam suæ delegationis petenti non dedit, est nulla, etiamsi alias ipse verè delegatus sit. De iis communiter Doctores *in d. capit. cum in iure*, quorum plures refert Barbosa *ibi*, Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. disput.* 17. *numero* 17. & 18. id extendens etiam pro casu, quo talis delegatus Cardinalis esset, Molina *de iustit. tomo* 6. *tract.* 5. *d.* 25. *n.* 1. Riccius *in praxi aurea resolut.* 414. Graffius *tomo* 2. *consil. lib.* 1. *de effic. delegat. consil.* 3. Peirinis *tomo* 1. *de subdito quæst.* 1. *cap.* 18 §. 2. *conclus.* 7. Loquens pro casu quo Episcopus vellet visitare aliquod Monasterium exemptum. Addit idem Graffius non posse Prælatum Regularem Episopo volenti Monasterium Regulare visitare, nec ostendenti litteras suæ commissionis, resistere non solum verbis, sed facto. Quod non consulo, propter scandalum, & reuerentiam debitam dignitati Episcopali, & modestiam Religiosam. An verò sint aliqui casus, in quibus Ordinarij visitare possint Monasteria Regularium, consule dicenda infra in Mari magno Seruitarum *circa* §. 15. *num.* 47.

Circa §. 99.

COncedit hoc loco Pontifex, vt de iis, quæ nobis legantur, dummodo ea non conuertantur in vsus alios, sed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur, aut in illos, qui in Nicolai IV. concessione, de qua supra §. 17. continentur, nulli canonicam portionem exhibere teneamur, neque aliquid exigi, vel extorqueri de præmissis à nobis; vel ab executoribus testamentorum, aut hæredibus decedentium possit. Conformiter, sanè ad alia priuilegia Prædicatorũ in ipsorum Mari magno §. 32. & 43. Minorum §. 34. & 42. Eremitarum Sancti August. §. 38. 39. 40. & 41. & nostrorum Carmelitarum *supra* §. 16. 17. & 59. Quibus in locis, & quatuor tomis Summæ, ibi relatis de hac materia plura dicta sunt. 502.

Nunc addendum primo, concessionem hanc de non soluenda aliqua portione de iis, quæ nobis legata sunt, maximè procedere in oblationibus, quæ fiunt nostris Ecclesiis, aut Religiosis pro ipsorum necessitatibus, de illis enim nihilominus exigi potest ab Episcopo, vel parocho, iuxta dicta *tomo* 4. *verbo Oblatio facta Regularibus num.* 2. ex *cap.* 1. *de statut. Monach. & c. nimis de excessibus Prælator.* ac Riccio, Ioanne de Cruce, & Nouario ibi relatis, quibus iungitur Seraphinus Freitas *in Bullar. Ordin. B. Mariæ de Mercede in scholiis ad Bullam* 2. *Clement. IV.* afferens etiam concessionem Bonifacij VIII. pro Cistercien sibus, quam eo loco retuli, & quæ deseruit etiam pro casu, quo Episcopi celebrarent in nostris Ecclesiis, adhuc enim tunc oblationes factæ cedunt Religiosis. Pro quo etiam, vide dicta *supra num.* 464. 503.

Circa illud verò, quod tangitur in hoc, & similibus priuilegiis de piis legatis non conuertendis in alios vsus, sed, in illos dumtaxat pro quibus relinquuntur, præter dicta de hoc puncto *tomo* 1. *cap.* 18. *num.* 94. & *tomo* 2. *cap.* 19. *num.* 47. & *tom.* 4. *verbo Legata Regularibus relicta*, *num.* 35. & 36. Nota etiam, Leonem X. in Bulla *Dum grata* in Bullario Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede, 504.

Bulla

Bulla 3. statuisse, vt oblata pro redemptione alicuius captiui in particulari Fratribus huius Ordinis solum in redemptionem eiusdem personæ expendenda esse; erogata verò pro redemptione captiuorum in genere, in opus ipsius redemptionis dumtaxat exponi fideliter debere, & in nulla alia pia opera commutari posse, sed conseruanda in arca quatuor clauium. Concedit tamen Generali Ordinis facultatem disponendi de tertia solum parte istorum, quæ pro redemptione in genere conferuntur, in subsidium necessitatum domorum pauperum, & aliorum, qui in hoc opere versabuntur. Cui concessioni, vt audio renunciauit hæc Religio in Comitiis Generalibus anno 1630. celebratis, & meritò sanè, quia occasio inde accipi posset minuendi valde eleemosynas pro tam pio opere redemptionis captiuorum in posterum conferendas. Vnde cessant, quæ Freitas *in huius Bullæ Scholiis* pro istius concessionis explicatione dicit.

505. Notandum præterea, quod si legata aliqua fuerint facta Regularibus præcisè pro victu, & vestitu, & aliarum necessitatum, comprehendatur etiam sub illis necessitatibus habitatio ipsorum, & alia, quæ non concernunt immediatè illorum personas *leg. victus de verborum signif.* Rebuff. *in leg. cætera* 44. *de verb. signif.* Rota in Zamorensi *Emptionis decimarum* coram Seraphino anno 1592.

Circa §. 100.

506. PLura quoque sub *hoc* §. priuilegia Fratribus nostris concessa continentur. Videlicet circa facultatem transferendi secum bona sua ex vno Conuentu ad alium, absque eo, quod aliqui Ecclesiatum Prælati loca, & bona prædicta occupare possint. Item circa exemptionem à procurationibus, exactionibus, collectis, subsidiis, vel prouisionibus, &c. Quæ omnia habentur etiam in Mari magno Prædicatorum §. 33. 34. *&* 35. & Minorum §. 35. *&* 36. ac aliqua ipsorum in Mari magno Eremitarum sancti Augustini §. 34. In quibus locis, & aliis ibi citatis de hac materia locuti sumus.

507. Circa quæ notanda clausula illa: *Cum ipsa priora, & alia loca Fratrum ad Apostolicam Sedem, & ad prædictum Ordinem beatæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli specialiter, & immediatè pertinere noscantur.* Sicut eam notaui in Mari magno Minorum circa §. 35. Ex ea namque colligitur, id quod sæpius dictum est, videlicet, Ordinem nostrum, illiusque bona immediatè esse sub Ecclesiæ protectione, & iurisdictione independenter à quibuscunque Ordinariis. Expendenda etiam dictio illa *specialiter*, quia vtitur Pontifex, cùm enim plus sit aliquid specialiter fieri quàm generaliter, *cap. 2. de offic. Ordinis, & cap. quamquam, distinct.* 30. ac notant Glossa *in dicto cap.* 2. Octauianus Vulpella *de præpos. & aduerb. signif. sub dict. simul vers. specialiter*, & Barbosam *in tract. de dictionibus dict.* 381. *num.* 2. ideo per illam denotatur, non generali, aut communi ratione, sicut alia bona Ecclesiastica spectant ad Papam, sed specialiori, scilicet titulo protectionis, & immediatæ iurisdictionis bona Ordinis nostri ad eundem spectare.

508. Notat vlterius nostrorum Patrum Discalceatorum Scholiastes ex priuilegio Leonis X. & Rodriguez, posse Prælatos Religionis quando transferunt sua Monasteira, vel Ecclesias de vno ad alium locum vendere locum priorem, etiam ad vsus humanos. Cœterum, iuxta dicta *tomo.* 4. *verbo Monasteria Regularium*, *numero* 38. cum maximè iis temporibus, propter decretum S. Congregationis Concilij, quod ibi retuli, omnis alienatio bonorum immobilium, imò & mobilium pretiosorum sit prohibita Regularibus cum reuocatione omnium priuilegiorum ipsis alias concessorum, & venditio talium locorum, maximè ad vsus humanos, sit quædam alienatio, ideo nequit fieri, inconsulta Sede Apostolica, prout in dicto decreto decernitur, & tale priuilegium Leonis X. & alia similia vacabunt, etiamsi id fiat per *personas à Sede Apostolica ad hoc deputatas*, prout loquitur Pontifex in hoc priuilegio. Siue enim tales personæ sint Syndici, vt Cassarubius putat, vel Conseruatores Ordinis, vt Peitiriis existimat, quos eo loco retuli, cùm decretum relatum abroget omnia priuilegia Regularibus quoad huiusmodi alienationes faciendas concessa, etiam istud abrogasse censendum est.

Circa §. 101.

DErogat hoc loco Pontifex *cap. volentes de priuil. in 6.* ab Innocentio IV. edito, vbi statuebatur exemptos omnes posse conueniri coram Ordinariis ratione delicti, seu contractus, aut rei, de qua agitur contra illos; ac vult Constitutionem istam in Fratribus nostris locum non habere, irritans, & cassans quidquid in contrarium effectum fuerit. Habent simile priuilegium Prædicatores in ipsorum Mari magno §. 46. Minores § 44. Eremitæ sancti Augustini §. 32. *&* 42. & nostri Carmelitæ ex Clement. VI. in hoc Mari magno §. 6. Quibus in locis, & aliis ibi notatis, de hoc priuilegio, & ipsum concernentibus, maxime quoad limitationes ipsius à Concilio Tridentino factas, sufficienter dictum est. 509.

Solum ergo expendenda sunt, quæ nostri Ordinis Scholiastes super hoc priuilegio notat. Primò quidem, quod quamuis non obstante hoc, & similibus priuilegiis, iuxta decretum Concilij Tridentini *sess.* 25. *cap.* 14. *de Regularibus*, Regularis non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterij degens, si extra illa notoriè, & scandalosè deliquerit, sit denunciandus suo Superiori ab Epis. vt puniatur, imo Superior non illũ puniens multis pœnis subiaceat propter Bullam *Suscepti muneris* Clement. VIII. quam retuli *tomo* 1. *cap.* 16. *num.* 26. nihilominus, vt inquit dictus Scholiastes, non est detinendus in carcere Episcopi, sed remittendus Superiori, ita declarante etiam sacra Congregatione. Quia verò alij Doctores, quorum aliquos retuli *tomo* 3. *verbo Delinquens Regularium*, *num.* 2. oppositum sentiunt, scilicet posse talem Regularem in carcere ab Episcopo detineri, ideo, iuxta dicta eo loco, media via incedendum est dicendo, id posse facere Episcopum in casu, quo timeret fugam dicti Religiosi, non verò quando non esset talis timor. Aduertit etiam idem Scholiastes Episcopum incarcerantem dictum Regularem, pro casu scilicet, quod non timeretur eius fuga esse excommunicatum iuxta *cap. si Clericos de sententia excommunicationis in 6.* quod facile admitti potest, quia exercet iurisdictionem iniuriosam, quam non habet in Religiosum contra *cap. si quis suadente 17. quæst.* 4. 510.

Circa §. 102.

511. APprobat, & confirmat hoc loco Pontifex Sixtus Regulam nostram ab Alberto Patriarcha traditam, & cofirmationes illius ab Innoc. IV. Alexand. IV. & Nicolao IV. factas, simulque moderationes ab Eugenio IV. & Pio II. etiam factas, & insuper facultatem concedit Generalibus, vt possint dispensare in ieiunio, & esu carnium in Regula contentis, tres dies in qualibet hebdomada plures, vel pauciores ad ieiunium faciendum nominando, & remittendo; ac singulis vtriusque sexus eiusdem Regulæ professoribus vt semel in vita, & in morte plenariam omnium suorum peccatorum remissionem, & indulgentiam à confessore idoneo ab ipsis de suorum Superiorum consensu eligendo obtinendam.

512. De Regulæ nostræ confirmationibus, quas Papa in hoc priuilegio commemorat, innouat, & confirmat, dixi supra *circa* §. 7. huius Maris magni, cum de eadem Regula sermo esset, latiusque dicam, Deo dante, in Annalibus Ordinis. De moderationibus etiam eiusdem Regulæ ab Eugenio IV. & à Pio II. factis, quas, etiam hic Pontifex refert, actum est supra circa §. 8. *&* 9. vbi etiam alia ad intentum. Nunc addendum, quod cum Pont. Sixtus in hac concessione indulsisset Generalib. Ordinis, vt *personarum, locorum, & tẽporum qualitate pensata cum vtriusque sexus Ordinis professorib. super præmissis tam ieiunio, quàm carniũ esu dispẽsare* valerent, *ac tres dies, plures, vel pauciores ad ieiunium faciendum nominare, & remittere,* ideo virtute huius priuilegij Generalis Pontius Raimundi, re maturè cum Capitulo Generali discussa (licet ipse se solo id facere posset, prout Sixtus concesserat) anno 1488. in Conuentu Rupeculæ Prouinciæ vocatæ *Prouinciæ* hoc decretum cum Capitulo Generali circa esum carnium feria secunda fecit. *Ordinamus insuper, & concedimus Prioribus Prouincialibus, vel eorum Vicariis, vt cum Fratribus Prouinciarum eis commissarum possint mitè agere super esu carnium feria secunda. Feria autem quarta omnibus præcipimus Prioribus Prouincialibus, localibus, seu eorum Vicariis, ne permittant priuatè, vel publicè esum carnium.* Ex eo autem, quod hoc decretum editum sit duodecim annis post concessionem Sixti, quæ fuit facta cum hoc Mari magno anno 1476. & ex verbo illo *mitè agere*, quo vtitur Capitulum Generale relatum, quod solum denotat permissionem quandam, inferri potest, quanta cum circumspectione, & modestia, prout Pontifex dixit *conscientiæ tuæ arbitrium*, Religio, & Generalis vsi fuerint huiusmodi priuilegio. Quomodo autem nec tota Religio hac concessione de vsu carnium feria secunda vsa tunc fuerit, nec hoc tempore vtatur, ex dicendis in Annalibus nostris manifestum erit. Vide dicta *circa* §. 8. *&* 9.

513. Quibus adde, quod cum totum ferme corpus Religionis hanc Regulam sic mitigatam obseruet, Patres autem nostri Discalceati, & Patres *primi instituti* vocati eandem Regulam secundum declarationem, & mitigationem iussu Innoc. IV. iuxta dicta locis relatis; ne primœua, & omnino primitiua B. Alberti Regula nullo modo mitigata veluti sepulta maneret, Dei prouidentia, & speciali Virginis beatissimæ eiusdem Matris Ordinis Patronæ actum est, vt, à paucis annis, anno videlicet 1639. currente, curantibus Henrico Episcopo Vasatensi, & Henrico de Gouanai Comite de Marcheuille (qui eam ob causam è Galliis ad Almam Vrbem magno impendio, & labore venit) annuente etiam Reuerendissimo Theodoro Stratio Ordinis Generali; ac confirmante Vrbano VIII. fel. rec. per litteras datas Romæ 4. Maij eius anni 1639. de consensu etiam S. Congregat. Episcoporum, & Regularium erecta, & fundata est in quodam secessu, solitario loco seu eremo, quædam domus Regularis Ordinis nostri, in qua præfata Regula prorsus primitiua sine aliqua moderatione, aut mitigatione Innoncentij, Eugenij, aut alterius Summi Pontificis obseruaretur, prout vsque ad hoc tempus perseuerat, & cum Dei gratia in futurum credimus. Extat hoc Eremitorium, Monasterium seu domus nostri Ordinis in Galliis in Prouinciæ Vasconiæ loco Grataulla Diœcesf. Vasatensis.

Circa §. 103.

PRiuilegium de quo in præsenti, declaratiuum, & ampliatiuum est alterius concessi ab Vrbano IV. de quo supra. §. 10. Cum enim Vrbanus nostris Fratribus concessisset facultatem recipiendi quæcunque loca, quæ feudalia, seu censualia non essent, de licentia Diœcesanorum, & in eis Ecclesias vel Oratoria construere, cum postea Bonifacius VIII. prohibuisset ne Mendicantes reciperent noua loca, aut occupata mutarent sine Sedis Apostolicæ licentia, ideo hic Pontifex concessionem Vrbani ad quæcunque loca, domos, & Ecclesias etiam parochiales extendit, ac derogat Constitutioni dicti Bonifacij. Adiungens præterea, quod si contingeret, quod locorum Ordinarij vellent habere aliquam iurisdictionem, seu superеminentiam in domibus nostris, possint Fratres in eis capellanum instituere, & amouere, prout prius concesserat in hoc eodem Mari magno §. 67. 514.

Ex hoc porrò priuilegio colligi potest primò posse Fratres nostros recipere etiam loca feudalia, seu censualia. Cùm enim Pontifex Vrbanus IV. concessisset facultatem recipiendi quæcunque loca, exceptis feudalibus, seu censualibus, Pontifex Sixtus dicens concessionem prædictam non plenè videri satisfacere *deuotioni, & petitioni eorum*, subiungit *concessionem prædictam ad alia quæcunque loca, &c. extendimus.* Ergo etiam ad loca feudalia, seu censualia, quæ comprehenduntur sub illa clausula *alia quæcunque loca*, & exclusa erant ab Vrbano IV. fauent ea, quæ dixi *tomo* 2. *c.* 19. *num.* 4. & 14. vbi ostendi Regulares esse capaces feudi, quando seruitium per illud postulatum est tale, vt à Monasteriis exhiberi possit; fauent etiam aliqua priuilegia, quæ ibi retuli, & alia, quæ affert Hieron. Rodriguez *in Compend. Resolut.* 17. *num.* 2. *&* 3. 515.

Colligi etiam potest secundò ex hoc priuilegio posse Fratres nostros ex vi illius recipere etiam Ecclesias parochiales, propter illa verba *Quæcunque loca, domos, & Ecclesias etiam Parochiales.* Quod est magnum priuilegium, iuxta dicta *tomo* 4. *verbo Monasteria Regularium*, *num.* 21. in simili alio priuilegio Iulij II. pro Augustinianis. An verò illud sit reuocatum his temporibus post Concilium Tridentinum, consule dicta eo loco, & supra in Mari magno Prædicatorum circa §. 50. Similiter qualiter in casu quo tales Ecclesiæ parochiales à Fratribus nostris reciperentur, illi, qui curam animarum sæcularium gererent in iis, quæ ad dictam curam spectant, subiici debere Episcopis, constat ex Concilio Trident. *sess.* 25. *capit.* 11. & ex dictis supra in Mari magno Minorum circa §. 48. & aliis locis ibi relatis. 516.

Circa

516. Circa id quod tangitur in hoc priuilegio de capellano instituendo in dictis domibus nostris, consule dicta supra circa §. 67. ad quod priuilegium Pontifex se remittit hoc loco, & in Mari magno Prædicatorum *d.* §.50. Minorum circa §.48. & Eremitarum S. August. circa § 48.

517. Notat præterea Scholiastes noster non obstante hoc priuilegio requiri iis temporibus ad receptionem nouarum domorum, seu monasteriorum licentiam Papæ, pro quo refert declarationem Sacræ Congregationis, & dicit RR. PP. Discalceatorum Congregationem habere priuilegium circa hoc Sixti V. & Gregorij XIII. Sed quod attinet ad primum de Papæ licentia an requiratur his temporibus post Tridentinum, sufficienter discussum manet 4. *tom. verbo Monasteria Regularium, num* 4. vbi etiam, *& tom.* 1. *cap* 9. *num.* 34 35. *&* 36. aliqua dixi de secundo.

518. Maximè hic notandum, quod de Ecclesiis dedicatis Regularium, etiamsi consecratæ non sint, potest fieri quotannis officium cum Missa. Ita enim colligitur ex Conc. Oxoniensi anno 1261. *can. de fest.* Coloniens. 3 anno 1594. *cap.* 11. Moguntino anno 813. *cap.* 36. & Toletan. 3 Item ex *cap. solemnitates de consecr. d.* 1. & ex eo, quod nec Missalis, nec Breuiarij Rubricæ contradicunt, quinimo plurium consuetudo fauet. Quintana Dueñas *in singularibus, tract.* 7. *singular.* 8. & insinuat Gauantus *in Rubric. Breuiar. sect.* 8. *capit.* 5. *num.* 5. apud quos alia ad intentum. Maximè apud Peirinis *in Reg. Minim. cap.* 4. §. 14. *quæst. vnica* vbi, hanc nostram sententiam tuetur.

Circa §. 104.

519. AMpliat, & extendit hoc loco Pontifex Sixtus priuilegium concessum Ordini nostro à Callisto III. vt scilicet Religiosi nostri beneficia secularia, vel Regularia obtinentes, aut qui illa obtinuerunt, non possint admitti in Capitulis, vel officiis Ordinis, sine licentia Generalis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ incurrenda ab admissis, & admittentibus. Quod extendit Sixtus ad eos, qui in Archiepiscopali, aut Episcopali dignitate constituti sunt, vel aliqua Monasteria, aut Prouinciam in Commendam obtinent.

520. De quo priuilegio iam dixi supra *circa* §. 32. & *tomo* 2. *cap.* 18. *num.* 35. *&* 36. Quibus adde, illud satis conforme esse rationi, & iuri communi, cum æquum sit, quod qui à iugo monasticæ disciplinæ, se subtrahunt, non potiantur illis priuilegiis suæ Religionis, quæ non tam salutem animæ, quam societatem externam Religiosorum concernunt. Mandosius *de priuileg. ad instar. Gloss.* 3. *num.* 11. Rodrig. *tom.* 2. *q. regul. q.* 58. *art.* 4. Sanchez *lib.* 6. *in decal. c.* 6. *n.* 33. alter Rodrig. *in Comp. resol.* 15. *n.* 18.

521. Quod Pontifex addit in hoc priuilegio, præcipiens sub magnis pœnis, ne prædicti beneficia aut dignitates obtinentes vllo modo de administratione bonorum Religionis se impediant, satis confirmat, id quod diximus *tom.* 3. *verbo administratio, & administrator* per totum, *& tomo* 1. *cap.* 18. *num.* 13. *& tomo* 2. *cap.* 19. *num.* 52. scilicet, administrationem bonorum Ordinis spectare ad Prælatos ipsius, ipsorumque Monasteria. Quod satis indicat Pontifex illis verbis; *Vt singula bona Ordinis, videlicet Prouinciæ, Ecclesiæ, domus, & supposita, & vtriusque sexus professi, vt tenentur; sub integra Magistri Generalis existant obedientia.* Alia habes infra in Mari magno Seruitarum *circa* §. 66. in alio priuilegio similis materiæ.

Summa Lezan. Tom. III.

Circa §. 105.

COnceditur hoc loco amplissima Ord. nostro communicatio Priuilegiorum, fauorum, indulgentiarum, ac indultorum concessorum Ordinibus Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini, præcipitque Pontifex, vt quandocunque litteræ originales, vel transumpta authentica dictorum priuilegiorum, indultorum, &c. tam in iudicio, quam extra illud ostendantur, vel exhibeantur, eadem fides ipsis adhibeatur, ac si in fauorem nostri Ordinis emanassent, aut ei fuissent immediatè concessa. De qua materia in simili priuilegio Prædicatorum in ipsorum Mari magno *circa* §. 52. & Minorum *circa* § 51. & eiusdem Sixti IV. in Bulla *Aurea* pro vtroque Ordine *circa* §. 9. ac Eremitarum sancti Augustini *circa* §. 52. aliisque locis ibi relatis plura dicta sunt. 522.

Præter quæ specialiter hic occurrit animaduertendum, primò, quod iuxta dicta *tom.* 4. *verbo Mendicantes Regulares, num.* 3. plures etiam Religiones sunt tam Canonicorum, quàm Monachorum, Fratrum, & Clericorum, qui nostris, & aliorum Mendicantium priuilegiis vti possunt, ac propterea, quæ in hoc Opere de priuilegiis Mendicantium in Mari magno Prædicatorum, Minorum, Eremitarum sancti Augustini, Carmelitarum, Seruitarum, & Minimorum dicta sunt, & dicentur, præfatis etiam Religionibus, quæ Mendicantium priuilegiis fruuntur, vtilia, & communia sunt. Quæ porro sint dictæ Religiones habes ex dictis *eo num* 3. *&* 4. Nota etiam secundò, quod quamuis in hac communicatione priuilegiorum nostro Ordini facta non fiat mentio expressa priuilegiorum concedendorum aliis Mendicantibus, ac per consequens priuilegia futura non censeantur concessa in hoc priuilegio, quia in generali priuilegiorum communicatione non censentur futura aut concedenda priuilegia, vt habent Mandosius *de priuileg. ad instar. gloss.* 4. Rodriguez *tomo* 3. *Quæst. Regular. quæst.* 51. *art.* 2. Miranda *tomo* 2. *Man. quæst.* 46. *art.* 5. Suarez *de legibus lib.* 8. *capit.* 17. *numer.* 16. Nihilominus, iuxta dicta supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 52. Mendicantes habemus istam communicationem priuilegiorum concessorum, & concedendorum nostris Ordinibus ex Leone X. in Bulla ibi relata. Specialiter Carmelitæ, iuxta dicta etiam eo loco habent ex Clem. VII. in Bulla *Ex Clementi in tom. Bullar. numero* 31. communicationem omnium priuilegiorum concessorum, & concedendorum quibuscunque Ordinibus siue Mendicantibus, siue non Mendicantibus, illis verbis. *Ipsosque Fratres, Moniales, Sorores, Personas, Monasteria, domos, & Ecclesias, & alia loca huiusmodi omnibus, & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, Indulgentijs (circa tamen plenarias) peccatorum remissionibus, & gratijs quibuscunque Congregationibus dicti, & aliorum Ordinum, etiam Mendicantium, Fratribus, & personis ac confraternitatibus, suæ professioni non contrariis, aliisque Ordinibus etiam non Mendicantium, quomodolibet concessis, & concedendis in genere vti, frui, & gaudere posse, atque debere in omnibus, & per omnia, perinde, ac si eis concessa fuissent, decernimus; necnon pro potiori cautela ea omnia de nouo concedimus.* 523.

Obseruat præterea noster Scholiastes nostros RR. PP. Discalceatos habere aliam commun[ica]tionem priuilegiorum Mendicantium, & non Mendicantium ex Clem. VIII. cuius verba *in Bullario* 524.

A a *eorum*

eorundem PP. num.2. talia sunt. *Nec non prædicta, & omnia videlicet priuilegia, indulta, immunitates, exemptiones, indulgentias, & gratias, & alia quæcumque dicta, & aliorum Ordinum etiam Mendicantium Fratribus, personis, bonis, confraternitatibus, & aliis piis locis vel alias quomodolibet præfatis Ordinibus, domibus, & eorum bonis concessa, & concedenda dummodo Sacrosancto Conc. Trident. Regulæ primitiuæ, & eorum Constitutionibus non aduersentur prædictis Fratribus Discalceatis Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, Domibus, & eorum bonis, eadem omnino, similique modo competere verè, & propriè, ac si eisdem specialiter concessa essent &c. decernimus, & statuimus.*

525. Quæ proro sint eiusmodi priuilegia Prædicatorum, & Minorum, quæ Carmelitis communicantur, habes ex dictis in Mari magno Prædicatorum *circa* §.52. & Minorum *circa* §.51. Quæ autem sint priuilegia Eremitarum sancti Augustini quæ etiam communicantur Carmelitis, collige ex Mari magno ipsorum, Compendiis eius Ordinis, ex Ambrosio Coriolano *in Chronic.2.part.cap.3.* Compendio Cessarubij, & Bullario Rodriguez.

Circa §. 106.

526. HIc apponit Pontifex Sixtus pœnas multas contra inquietantes, seu molestantes, aut impedientes executionem priuilegiorum in hoc Mari magno tam ab ipso, quam ab aliis suis prædecessoribus concessorum. Quod etiam habetur in Mari magno Prædicatorum §.53. Minorum §.52. Bulla *Aurea* §.10. & Mari magno Eremitarum S. August. §.53. Quibus locis, & aliis ibi deductis de hac materia egi.

527. Addendum tamen, quod licet hoc loco contra inquietantes, seu molestantes Ordinem nostrum in executione suorum priuilegiorum pœnæ grauissimæ imponantur, & è contra nihil dicatur de iis, qui illos protegunt, & defendunt in ipsorum priuilegiorum executione, nihilominus sæpius id facere solent Pontifices, vt patet in Innoc IV. qui in Bulla pro Ordine sanctæ Mariæ de Mercede *in Bullario huius Ordinis in hoc Papa Bulla* 1. *seruantibus iura huius Religionis* (ait Summus Pontifex) *sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.* Quæ gratia, & benedictio Papæ, vel per communicationem priuilegiorum, & gratiarum competit nostri Ordinis iura, & priuilegia defendentibus. Vide quæ dixi supra *circa* §.2. & 39. huius Maris magni, maximè ex Clem.V. in Concilio Viennensi, & *cap. dudum de sepultur.* ibi relato. Et Bullam pro Dom. Protectoribus Ordinum, in quibus, iuxta exemplar editum à SS. D. N. Innoc.X. in litteris datis ann.1645. pro 20. Septembris, vbi sic. *Cœterum te in Domino hortamur, vt huiusmodi Protectoris munus ita obire studeas, vt apud Deum bonorum operum retributorem æternum præmium, & à Nobis condignam laudem valeas promereri.*

Circa §. 107.

528. COnstituit hoc loco Pontifex Iudices Conseruatores pro priuilegiis in hoc Mari magno concessis executioni mandandis contra omnes, quoscunque contradictores grauissimis pœnis coercendos. Prout etiam facit idem Pontifex in Mari magno Prædicatorum §.54. Minorum §.53. & Eremitarum Sancti Augustini §.54. etsi cum hac differentia, quod in hoc nostro Mari magno constituitur Iudex conseruator pro prædictis etiam protector Ordinis, quod non fit in Mari magno Prædicatorum, Minorum, aut Eremitarum S. Augustini, licet prout notaui *tomo 2. c.9. n.14.* propter communicationem priuilegiorum, quæ est inter Mendicantes, possint aliorum Mendicantium Protectores hac gratia vti. Vbi etiam quomodo sint tales Protectores iudices Conseruatores pro omnibus causis, quæ Ordini contingere possunt, & qualiter probabile sit, quod facultas hoc loco Protectoribus concessa non sit limitata, aut coarctata his temporibus propter decretum Sacræ Congregat. Concillij sub Gregorio XIII. & Constitutiones Clem. VIII. & Greg. XV. eo *cap.9. num.10.* relata: etsi per ea auctoritas aliorum Conseruatorum, qui non sunt in tam suprema dignitate sicut Cardinales Protectores constituti, & quorum authoritas pendet ex designatione, seu deputatione Religiosorum, valde moderata, & limitata sit. Addendum etiam, quod licet Conseruatores communes, & ordinarij non possint exercere suam iurisdictionem nisi pro manifestis iniuriis, seu molestiis stando in iure communi *cap.1. & vlt. de offic. delegat. in 6.* iuxta dicta *tomo 2. cap. 10. numero 22.* nihilominus id procedit in nudis conseruatoribus, non autem in aliis, quibus maior à Papa tributa est potestas, vt habet Rota in Oscensi *Iurisdictionis* coram Vbaldo ann.1614. ex variis iuribus, & Doctoribus. Quia ergo potestas hoc loco concessa amplissima est, prout patet illis verbis, *In quibuscunque causis per eos mouendis quacunque ratione, vel causa, quæ excogitari possit*, ideo Dom. Protectores etiam extra manifestas iniurias, aut molestias exercere poterunt suam authoritatem. Vide dicta supra *circa* §. 69. *num.* 403.

Hic quæritur, an Dom. Cardinal. Protectores Religionum possint in causis Religiosorum earum procedere per censuras, in causis videlicet illis, in quibus se ingerere, aut intromittere possunt. Et respondendum affirmatiuè. Primo quidem quia licet, iuxta dicta *tomo 2. cap.9. num.4. & 5.* ipsi non sint Prælati dictarum Religionum stricto modo loquendo de Prælatis, cum non sint Generales, Prouinciales, Priores &c. sunt tamen Prælati earum largo modo, quatenus sunt commissarij Apostolici, Vicarij, & delegati Papæ pro talibus causis: quemadmodum ergo commissarij Apostolici, Vicarij, & delegati Papæ possunt in causis sibi commissis per censuras procedere, pro vt colligitur ex communi Doctorum cum Glossa *in c. licet de offic. Vicar. capit.2. de consuetud. in 6. & cap. Romana de appellat. in 6. & capit. P. & G. & cap. significasti, & capit. sane de offic. & potest. Iudic. delegati*, specialiter *Couarruu. in capit. Alma Mater p.2. §.2. num.7. de sentent. excommunic. lib.6.* Nauar. *in Man.c.27. prope fin.* Miranda *in Man. Prælator. tom.2. q.35. art.8. conclus.1.* dum agunt de Papæ delegatis; ita idem dicendum de præfatis Dom. Protectoribus. Secundò, quia quibus iurisdictio, seu authoritas conceditur, ea quoque concessa videntur, sine quibus talis iurisdictio, seu authoritas executioni mandari non potest *l.2. ff. de iurisdict. omn. iudic. cap. Pastoralis, cap. Præterea offic. delegat.* quod maximè procedit, quando talis autoritas, seu iurisdictio est ad cogendum in foro externo, vt Doctores communiter *in tract. de Excommunicat.* Cum ergo authoritas, seu iurisdictio Protectorum sæpius executioni mandari non possit sine præfata facultate 529.

impo

imponendi censuras, dicendum habere illam. Alias inanis, & frustanea esset talis authoritas, cum non possent vti armis, quibus Ecclesiastici Iudices vti possunt, vt in simili dicit Glossa *cap. super quæstionem verbo executorem*, & *capit. ex Litteris verbo si Subdelegatus &c. fin. verb. Commissum de offic. iudic. delegat.* Accedit quod cum Cardinales, iuxta dicta *tomo 3. verbo Cardin.* propter eminentiam suæ dignitatis, quæ est prima post Papatum, sint veluti membra, & pars ipsius, cum Papa vnum mysticum corpus constituentes, adeo quod inter Papam, & Cardinales, quædam veluti identitas intercedat; sintque collaterales, coadiutores, & cooperatores ipsius, & inuiscerati Papæ, vt loquuntur Hostiensis *in cap. Antiqua numer. 5. verb. sed qua de priuileg. & Præpos. in cap quamquam numero 13. ver. 3. patet. 2. quæst. 7.* sunt priuilegiatissimi, iuxta dicta eo loco, etiam loquendo de iis, qui aliquo modo præsunt Ecclesiis Ragularium, quales sunt Cardinales Titulares. Ex hoc enim infertur Papam in litteris Commissionalibus, quibus ipsis munus Protectorum concedit, non nudum, aut merum ministerium illis tribuere, sed facultatem etiam ad procedendum censuras in casibus necessariis. Quod maximè confirmatur ex eo quod, iuxta dicta *tom. 1. capitul. 9. numero 4. & tomo 2. capit. 9. numero 15.* ex decretis Summorum Pontificum, & S. Congregationum, possunt Regulares à suis Superioribus grauati recurrere via appellationis ad Dom. Protectores, & ipsi possunt talem recursum, & appellationem admittere. Ex hoc enim colligitur posse dictos protectores procedere in tali casu etiam per censuras, cum saltem in illis sint superiores Superioribus Religionum, eo quod appellatio est à minori ad maiorem prouocatio *2. quæst. 9. capitulo omnis oppressus*, & *cap. si quis*, & *cap. placuit*, & absurdum videatur, vt inferior, à quo appellatur, possit per censuras procedere, non autem Superior, ad quem appellatur. Item quia hic est vsus plurium ipsorum, cui fauet declaratio Sacræ Congregar. Episcop. & Regular. 22. Februarij 1636. in qua præcipitur Religiosis Siluestrinis, vt Ordinationes D. Protectoris proponant in Capitulo Generali, & eas executioni mandent. Hæc autem maximè intelligi debent in eo quod spectat ad præcipuum Protectorum munus, quod est conseruare authoritatem Superiorum Ordinis, iuxta dicta *tom. 2. c. 9. n. 8.* ex litteris Protectionis eorum antiquis, quæ etiam habentur in modernis emanatis à SS. D.N. Innocentio X. Præcipue etiã hæc procedunt in iis, quæ spectant ad defensionem Religiosorum & eorum priuilegiorum, contra molestantes, vel contradictores, respectu Protectoris Carmelitarum, & aliarum Religionum communicantium cum illis in priuilegiis. Eo quod talis Protector est simul iudex Conseruator Religionis, iuxta dicta *eo c. 9. n. 13. & 14.*

529. Obseruat etiam noster Scholiastes extare circa hanc concessionem amplissimum priuilegium Gregorij XIII. in Bulla *Æquum reputamus* in Bullario Rodriguez pro Societatis Iesu Conseruatoribus designandis tam in causis ciuilibus, quam criminalibus, siue Religiosi sint rei, siue actores, causa incœpta, vel non incœpta. Sed de hac Bulla, ipsiusque intelligentia, ac materia ista de Iudicum Conseruatorum authoritate maximè his temporibus post Clem. VIII. & Gregorium XV. latè dixi *tomo 2. capitulo 10.* præsertim *à num 5.* solum aduertendum Scriptores aliquos ex Hispania, videlicet Ioannem de Cruce *in Epitome stat. Relig. lib. 2. capit. 10.* Portellum *in dub. Regular. verbo Concionatores*, & Hieronymum Rodriguez *in Compend. Resolut. 33.* etsi de hac materia scripserint, nullam tamen mentionem fecisse Constitutionum prædictarum Clem. VIII. & Gregorij XV. Quibus, vt dixi, authoritas Conseruatorum propter Religionum priuilegia concessa valde limitata est, & moderata. Nec video causam cur id fecerint, cum vix potuerint illas ignorare. Cœterum Saraphinus Fraitas Scholiastes Bullarij Ordinis S. Mariæ de Mercede *in Gregor. XI. Bulla 2.* solum agnouisse videtur Constitutionem præfatam Clementis VIII quam dicit solum fuisse regulam Cãcellariæ, quæ per mortem Papæ expirat, & non fuisse receptam. Verumtamen ex ipsa Cõstitutione Clementis, & ex alia Gregorij XV. vsu, & praxi Romanæ Curiæ, & authoribus, qui de hac re postea scripserunt, constat contrarium, omnes, ac singulas Iudicum conseruatorum electiones seu nominationes, quæ factæ non sunt iuxta dictarum Constitutionũ formã pro irritis, nullis, & cassis haberi.

Ea quæ pertinent ad Syndicos, seu potius Procuratores, de quibus est sermo in hoc, & similibus priuilegiis, tractata sunt supra in Mari magno Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum Sancti Augustini locis relatis, de iis etiam redibit sermo infra in Mari magno Seruitarum *circa* §. 69. 530.

Circa § 108.

DVo præcipue sub hoc §. vltimo continentur. Alterum est, vniuersalissimæ non obstantiæ positæ à Pont. omniũ eorum, quæ contentis in hoc Mari magno repugnant, Alerum est, decretum Pontificis, quo statuit, vt transumptis huius Maris magni tanta fides adhibeatur, quanta adhiberetur litteris orignalibus ipsius. 531.

Et quidem de primo, scilicet illis non obstantiis, sufficienter, dictum est supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 35. Minorum *circa* §. 54. & Eremitarum Sancti Augustini *circa* §. 55. maximè vero loco relato ex Mari magno Prædicatorum, vbi etiam de causa, propter quam Pontifex specialiter derogat Concilio Viennensi, nempe quia Generali Concil. nunquam censetur derogari nisi per expressam mentionem. Quod secus accidit, vt ibidem dixi, in Concilij Tridentini derogatione, illud enim non indiget speciali derogatione, propter rationem ibi assignatam, & authores ibi relatos. Quibus iunguntur ferè omnes Doctores Romanæ Curiæ sectatores, prout testatur Bonacina *de censuris disput. 2. quæst. 5. punct. 2. num. 7.* referens etiam plures Sacræ Rotæ decisiones, & stylum Curiæ. Et ita magis ipsis standum, quam auctoribus aliis, qui extra Curiam scripserunt, & oppositum tenent, prout sunt Sanchez, & alij quos refert, & sequitur *lib. 3. de matrim. disput. 26. num. 7.* Et sanè ratio id suadet, quia Summus Pontifex non præsumitur ignorare decreta Concil. Trident. quod singuli Prælati præ manibus semper habere debent, prout testatur Bonacina *supra*, & quorum vnum est *sess. 25. cap. 21.* pærseruatio, & exceptio auctoritatis Summi Pontificis circa decreta ipsius Concilij. Video bene Reuerendum Patrem Ionnem à Matre Dei oppositũ tenuisse *in Annotationib. ad viuæ vocis oracula*, propter quoddam viuæ vocis oraculum Clement. VIII. quod refert. Sed, vt dixi tenendum hoc nostrum asserrum, vel propter stylum Curiæ, & consensum DD. qui in ea scribunt, accedentibus præsertim plurimis S. Rotæ deci- 532.

decisionibus disertè asserentibus, quod Concilio Tridentino derogetur sine speciali ipsius mentione facta à Papa aliquid statuente, aut decernente.

533. Notat præterea Scholiastes noster, quod vt concessiones aliquæ reuocentur, non est necessaria indiuidualis mentio ipsarum, sed sufficit, quod constet de mente Pontificis volentis contrarium statuere, alias diminueretur potestas Papæ successoris; nam cum priuilegia consistant in facto, & Papa non habeat omnium memoriam, dicta indiuidualis mentio esset illi impossibilis. Sed de hoc latius dixi supra in Mari magno Minorum *circa* §. 15.16.*&* 17.& dicam inferius in Mari magno Seruitarum *circa* §.70.

534. De secundo, videlicet de fide adhibenda transumptis authenticis huius Maris magni, dictum est supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §.56. & Minorum *circa* §.54.& Eremitarum Sancti Augustini *circa* §.56.in simili priuilegio huiusmodi Ordinibus concesso. Video tamen, quod solum in Mari magno Eremitarum Sancti Augustini, & nostro nominetur Ordinis Protector, ad hoc quod huiusmodi litteræ ipsius manu, & sigillo munitæ habeant præfatam auctoritatem, ac haberent litteræ originales. Hoc etiam conceditur Generalibus Prædicatorum, Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum in his Bullis, quod non video concedi Generali Minorum in ipsorum Mari magno. In Mari magno autem Seruitarum hæc auctoritas conceditur etiam Protectori, Auditori Cameræ, & Generali Ordinis.

Aliqua viuæ Vocis Oracula Ordini Carmelitarum concessa.

PLacuit etiam, sicut circa alias Bullas Maris magni Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum sancti Augustini fecimus, aliqua viuæ vocis oracula Carmelitis concessa hic adiungere. Notando etiam circa eorum valorem, vel reuocationem iudicandum esse, ex dictis *tom.* 1. *cap.*3. *num.*21. ac maxime, *tom.*4. *verbo Oracula vica vocis*, ac ex dictis sparsim per alia loca meæ summæ de materia ipsorum.

Duo Viuæ vocis Oracula Vrbani VI.

BArtholomeus miseratione diuina tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis dilectis nobis in Christo venerabilibus Religiosis viris Priori Generali cæterisque Fratribus Ordinis beatæ Mariæ genitricis de Monte Carmeli Brugis in capitulo generali congregatis salutem in Domino sempiternam. Tenore præsentium vobis omnibus notum facimus ex parte vestra sanctissimo Domino nostro Domino Vrbano, diuina prouidentia Papæ VI. fuisse duas supplicationes porrectas: quarum tenor talis erat, Sanctissime Pater, quia sancti Romani Pontifices vestræ Sanctitatis prædecessores, pauperes Religiosos mendicantes ab antiquo solebant in ipsorum capitulis generalibus, tam temporaliter, quàm spiritualiter visitare, etiam in festo Pentecostes proximo futuro, capitulum generale Fratrum Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli, pro conseruatione, & augmento religionis, & diuini cultus in villa de Brugis in Flandria celebrabitur domino annuente, pro parte deuoti filij vestri Prioris generalis, & singulorum Fratrum eiusdem Ordinis, supplicat Sanctitati vestræ, Frater Nicolaus de Luca vester humilis, & deuotus Procurator Ordinis supradicti, quatenus omnibus, & singulis, Fratribus eiusdem Ordinis dignemini concedere gratiosè, vt eis,& eorum cuilibet liceat semel confessorem eligere, qui eorum quemlibet, nisi talia commiserint, propter quæ sit sedes Apostolica meritò consulenda de omnibus peccatis suis verè confessis, & contritis auctoritate Apostolica poterit absoluere, & eisdem eadem auctoritate beneficia absolutionis misericorditer impartiri cum clausulis necessariis,& opportunis. Secunda supplicatio talis est. Pater Beatissime, quia idem ordo Fratrum Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli, tam de iure positiuo, quàm per sanctos Romanos Pontifices diuersos,& fuerat ab antiquis temporibus confirmatus,& gloriosæ Virginis Mariæ titulo specialiter insignitus: quidam tamen iniquitatis filij, & alumni, spiritu inuidiæ, & malitiæ agitati, non obstantibus confirmatione, & intitulatione supradictis, eidem ordini detrahere non desistunt, dicentes nec ipsum ordinem nec Fratres eiusdem Ordinis esse, vel fuisse iure positiuo confirmatum, seu confirmatos: nec ipsos esse Fratres B. Genitricis Dei, sed potius cuiusdā Mariæ hæreticæ inhabitantis Montē Carmeli per Angel. conuersæ, & ista, & alia malitiosè confingunt, non solum in disputationibus publicis, sed etiam in determinationibus, & aliis actibus scholasticis,& alibi indifferenter publicè, & priuatim, non solum contra iura canonica, & Sanctorum Patrum summorum Pontificum canonicas sanctiones, sed & in detrimentum finale eiusdem Ordinis,& grauamen Supplicat igitur sanctitati vestræ Frater Nicolaus de Luca Procurator Ordinis supradictus, pro parte deuoti filij vestri Prioris generalis, & omnium singulorum vestræ Sanctitatis deuotorum Fratrum ordinis supradicti, quatenus eadem Sanctitas vestra contra taliter obloquentes, & detrahentes, in fauorem, & honorem ordinis supradicti dignetur de opportuno remedio prouidere, & omnibus Christi Fidelibus, qui ordinem ipsum, & Fratres eiusdem ordinis, ordinem, seu Fratres beatissimæ Mariæ Genitricis Dei de Monte Carmeli vocauerint, seu appellauerint, si in gratia extiterint, indulgentiam trium annorum, & tot quadragenarum concedere dignetur gratiosè, temporibus perpetuis duraturum cum aliis clausulis necessariis, & opportunis, sine alia lectione. Quibus supplicationibus de benignitate Sedis Apostolicæ, paternali affectu annuens, ipsas liberè in eadem forma concessit. Insuper ampliorem gratiam faciens omnibus Fratribus eiusdem Ordinis, qui auctoritate Apostolica confessi fuerint, & absoluti, vt in prima petitione continetur, pro quolibet ipsorum tres annos indulgentiæ concessit. Vos ergo quantum possumus hortamur in Domino, quatenus pro Ecclesia sancta Dei, & felici statu præfati Domini nostri, Domini Vrbani Papæ Sixti, per totum ordinem vestrum faciatis ad Deum suppliciter deprecari, ac pro nobis, qui ad omnia vestra beneplacita prompto animo intendere sumus parati. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum: Data Romæ in Hospitio habitationis nostræ 7. Kalend. Maij, Pontific. Sanctissimi in Christo Patris, ac Domini, Domini Vrbani Papæ VI. anno 2. Extant hæc duo viuæ vocis oracula in speculo Ordinis, fol.84.

Aliud

Aliud Calisti III. *Circa cultum exhibendum S. Alberto.*

GVillielmus miseratione diuina tituli sancti Martini in montibus, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Rothomagens. vniuersis, & singulis Christi fidelibus, præsentes literas inspecturis salutem in eo, qui est vera omnium salus. Dignum, & conueniens iudicamus de his testimonium reddere, quæ pacem conscientiæ multorum, & deuotionis argumentum concernere videntur. Notum igitur omnibus facimus, ac testamur per præsentes, quod sanctissimus in Christo Pater Dominus noster, Dominus Calixtus diuina prouidentia Papa III. nuper viuæ vocis oraculo, nobis præsentibus, & astantibus coram sua sanctitate, concessit, & indulsit reuerendo Patri Magistro Ioanni Soreth, Priori generali Fratrum Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli præsenti, & supplicanti, quod de beato Alberto de Drapano Insulæ Siciliæ dicti Ordinis, dum in humanis ageret professori, in cuius honorem, & reuerentiam plura altaria, & Ecclesiæ, vt idem Prior asseruit ædificatæ fuerunt, ac eius crebrescentibus miraculis publico longo tempore per Christi fideles, tam in eorundem Fratrum, quàm etiam in aliis Ecclesiis, nulla tamen secundum ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, præcedente canonizatione, preces, & suffragia publicè persoluuntur, eadem reuerentia, & deuotio, vt premittitur, sine alicuius peccati labe, & transgressionis nota, ac conscientiæ scrupulo, per eos, atque alios Christi fideles fieri possit, continuari, quousque per Ecclesiam aliud solemnius decernatur. Quæ omnia, cùm, sic, vt præmittitur, verè, & rectè sint acta ad cuiuslibet notitiam deducimus, & deducenda fore censemus. In quorum testimonium præsentes literas per secretarium nostrum infra scriptum fieri iussimus, & nostri sigilli fecimus appensione communiri. Datum Romæ in domibus nostræ residentiæ, apud sanctum Apolinarem die 15. mensis octobris, anno Incarnationis dominicæ millesimo, quadrigentesimo, quinquagesimo septimo, Pontificatus eiusdem Domini nostri anno tertio.

Habetur hoc viuæ vocis oraculum confirmatum etiam per Bullam Sixti IV. in speculo Ordinis, fol. 94.

Alia pro Carmelitis Congregationis Mantuanæ.

GVillelmus Episcopus Ostiensis Cardinalis Rothomagensis, & c. vniuersis, & singulis & c. monet Fratres Congregationis ad obseruantiam Breuis Sixti IV. circa vniformitatem habitus nigri coloris. Coparentibus coram ipso Cardinali Protectore, & coram Sanctissimo adiuncti fuere duo alij Cardinales pro cognitione huius causæ, ac tandem Sanctissimus viuæ vocis oraculo suspendit Breue prædictum, quoad illam partem, in qua habetur mentio de habitu. Romæ 20. Aprilis 1474. Archiuium S. Chrysogoni.

Nicolaus de Frisco Cardinalis Viceprotector testatur quod Iulius II. concesserit viuæ vocis oraculo dictis Patribus Congregationis, vt possent morari, & celebrare in locis interdictis; & visitari à suo Vicario generali Archiuium sancti Chrisogoni pro 24. octobr. 1511.

Cardinalis de Frisco Nicolaus iVceprotector de ann. 1524. pro 28. Martij Romæ, & c. quod Papa Clemen. VII. concessit viuæ vocis oraculo PP. Congregationis Mantuanæ; quod Priores qui per biennium non vacauerint ab officio, possint in Priores eligi, non obstante Constitutione Leonis X. in contrarium. Archiuium sancti Chrisogoni.

Dominicus Cardinalis Pinellus Ordinis Protector anno 1593. Martij 27. viuæ vocis oraculo à Clement. VIII. habito, ordinauit, vt Vicarius generalis Congregationis, qui vocem actiuam, & passiuam habet in Capitulo generali religionis ad illud accederet cum duobus sociis vocalibus, & gremialibus, sicut aliæ Prouinciæ.

MARE MAGNVM SERVITARVM

Per Innoc. VIII. compilatum.

SVMMARIVM.

Commendatur Ordo Seruitarum ab Innocentio VIII. num. 1.

Alexander IV. illis concedit liberam sepulturam in cœmeteriis. n. 2.

Quod Generales possunt sibi subditos corrigere, & suum officium circa illos exercere. n. 3.

Benedictus XI. confirmat Regulam; celebrationem Capituli, in quo electio fiat Generalis, & sepulturam liberam concedens. n. 4.

Clemens VI. reformat Religionem. n. 5.

Generale Capitulum de triennio in triennium celebrandum, ex Generali, Prouincialibus, Prioribus, Lectoribus, Discretis. numero 6.

Prouinciale Capitulum quando, quomodo, & de quibus celebrandum. n. 7.

Generalis in Capitulo amouendus, vel eligendus, & quomodo statim confirmatus. n. 8.

Diffinitores quando, & a quibus eligendi. numero 9.

Prouinciales quando, & qualiter eligendi, & confirmandi. n. 10.

Priores Conuentuales a Fratribus eligendi, & à Prouincialibus confirmandi. n. 11.

Prouinciales Diffinitores Generales, & Prouinciales, ac Priores quomodo vacare debent a b officiis, num. 12.

Iuramentum præstandum à Generali, Prouincialibus, Prioribus, & Diffinitoribus. n. 13.

Largitio seu receptio munerum, siue donariorum prohibita. n. 14.

Vrbanus VI. amplissimam exemptionem ab Ordinariis tribuit. n. 15.

Constitutionem Bonifacij VIII. Super Cathedram *circa confessiones audiendas pro Mendicantibus editam ad Seruitas extendit Vrbanus. numero 16.*

Bonifacius Papa IX. concedit priuilegia domorum Eremitis sancti Augustini, domibus Seruitarum. num. 17.

Nullus assequi valet dignitatem, officium, seu beneficium ordinis absque Generalis licentia. numero 18.

Generalis potest in quolibet Capitulo Generali vnum Magistrum instituere cum priuilegiis Magistrorum Parisiensium.n.19.
Ioan. XXIII. concedit facultatem recipiendi loca quæcunque Diœcesanorum licentia non requisita. num.20.
Exemptio à subsidiorum exhibitione sicut Mendicantes.num.21.
Martinus Papa confirmat literas ab Vrbano datas pro Ordine Seruitarum.n.22.
Facultas petendi,& recipiendi eleemosynas,& suffragia.num.23.
Facultas recipiendi loca, vbique sine consensu Diœcesanorum.num.24.
Confirmatur Regula Fratrum, & Sororum de consortio Seruitarum.n.25.
Regula dictorum Fratrum, seu Sororum de consortio Seruitarum.num.26
Confirmantur pro hoc Ordine priuilegia Ordinis Eremitarum S.Augustini.n.27.
Innouantur, & approbantur ab Innocentio VIII. concessa à suis prædecessoribus.n.28.
Declaratur priuilegium de sepultura cum illa clausula Salua tamen iustitia *&c.n.29.*
De non soluenda portione de legatis istis Religiosis. num.30.
Etiam si per Sedem Apostolicam decima, vel portio aliqua soluenda statuatur.n.31.
Omnimoda exemptio Ordinis confirmatur.n.32.
Etiam ab Iurisdictione Inquisitorum hæreticæ prauitatis.n.33.
Facultas concessa Prælatis ad corrigendum subditos ampliatur.n.34.
Facultas ad absoluendum subditos, & cum eis dispensandi.n.35.
Facultas ad dispensandum cum illegitimis, & irregularibus.n.36.
Bona Monasteriorum Monialium, seu Pinzocherarum destitutorum applicantur Fratribus.37.
Sepeliendi apud Fratres, qui cum habitu ipsorum sepeliri ordinant.38.
Capellanus constitui potest in Ecclesiis Fratrum cum priuilegio exemptionis.n.39.
Generalis electus statim est authoritate Apostolica confirmatus.n.40.
Prouincialium,& Priorum electiones factæ in Capitulis approbantur.n.41.
Quod dicentes quod illi, qui Fratribus confessi sunt iterum teneantur eadem peccata Parocho confiteri, puniantur etiam ab Inquisitoribus. numero 42.
Inhibentes fieri eleemosynas Fratribus excommunicati, & ab Inquisitoribus iudicandi.n.43.
Exemptio à susidiis, collectis, decimis, & oneribus. num.44.
Ordinis priuilegia communicantur pinzocheris, eisque ministrari possunt Sacramenta.n.45.
Oblatorum, seu Commissorum priuilegia. n.46.
Fratres non admittendi in aliis Ordinibus, nec habilitandi ad beneficia.n.47.
Prælati compellunt vagos, & rebelles in quocunque habitu etiam in Curia Romana.n.48.
Apostatæ ab Ordine prohibentur confessiones audire, vel docere.n.49.
Habitum huius Ordinis, vel illi consimilem nullus portare potest.n.50.
Duo Magistri promoueri possunt à Generali in Generali Capitulo.n.51.
Magistri, & Baccalaurei quomodo promouendi, & quibus expensis.n.52.
Plenaria remissio peccatorum semel in vita, & semel in morte Fratribus concessa.n.53.
Altaris portatilis vsus, & in eo celebratio antequam illucescat dies, & tempore generalis interdicti. num.54.
Inerdicti tempore admittere possunt pinzocheras, oblatas, aliasque personas.n.55.
Amplissima communicatio priuilegiorum, & indulgentiarum Ordinis Erem. S.Aug. n.56.
Immunitas Ecclesiastica Ecclesiarum, & domorum huius Ordinis ad quæ loca extenditur. n.57.
Aliæ Ecclesiæ Regularium non fundandæ intra spatium 140.cannarum.n.58.
Monasteria aliis non tradenda, reformanda, vel substituenda, sine generali consensu.n.59.
Compelli Fratres non possunt ad citationes, Commissiones, causas &c.n.60.
Eleemosynas,& suffragia recipere possunt Fratres, sine vlla contributione facienda.n.61.
Communicantur ipsis prærogatiuæ quatuor Mendicantium Ordinum.n.62.
Sermocinantur in Capella Papæ in Epiphania, & Quinta Dominica Quadragesimæ.n.63.
Consecrationes,& Sacramenta recipiūt ab Ordinariis gratis, alias à propinquiori &c. n.64.
Facultas Generali cōcessa ad dispensādum in ieiuniis, donatis, relictis &c.n.65.
Habentes beneficia, pensiones, capellanias, non admittuntur ad officia Ordinis, aut alia.n.66.
Communicatio amplissima priuilegiorum quatuor mēdicantium.n.67.
Pœnæ grauissimæ impositæ contra inquietantes, seu molestantes Fratres in suis priuilegiis.n.68.
Conseruatores Iudices constituuntur pro priuilegiorum executione.n.69.
Non obstantiæ ponuntur. n.70.
Transumptis authenticis harum litterarum fides adhibenda.n.71.

INNOCENTII VIII.

Summi Pontificis Bulla quam magnitudine, & numero Priuilegiorum vocant Mare magnum Fratrum Seruorum beatæ Mariæ Virginis.

INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Apostolicæ Sedis intuitus, & sinceræ deuotionis affectus, quem ad B.Dei Genitricem Mariam semper Virginem gloriosam omnium gratiarum, ac virtutum meritis ornatam gerimus; equidem mentem nostram super gregem dominicum nobis licet immeritis diuina dispensationē commissum, excitant, & inducunt, vt cultores Vineæ Domini Sabbaoth Apostolicis gratiis specialius prosequamur: qui sub præcipuo eiusdem gloriosæ Virginis Mariæ titulo militantes diuino cultu intendunt, ac piæ vitæ studio vacant. Et quoniam Professores Fratrum seruorum B. Mariæ Ordinis S. August. à primæua Ordinis sui constitutione Domino disponente, & quasi diuinitus Ex ore Infantium Serui Mariæ vocati, ob eius quidem reuerentiam hunc deuotum titulum semper coluerunt. Ac etiam ob memoriam Passionis eiusd. in morte, quā Filij sui Domini Iesu Christi sustinuit, nigrū, & mœstitiæ quippe habitum eligētes sibi deputarunt. Sub quibus profecto, 1.

&

& Seruitutis titulo, & mœroris habitu Sacer Ordo præfatus sic à suis primordiis plantatus in agro dominico laudum incrementis (Diuina cooperante clementia) successiuè profecit in Ecclesia Dei, & inter alia plantaria Dominica, puritate conuersationis, exercitio Euangelicæ prædicationis, dono scientiæ, virtutum nitore, & vitæ sanctitate dignoscitur specialiter insignitus, propter quæ ipsos in Agro prædicto cultores idoneos non immerito reputamus, messem ex cultu huiusmodi afferentes gratissimam Creatori. Gloriosissimæ Dominicæ nostræ Virgin. Mariæ deuoto intuitu, & præmissorum obtentu Ord. prædictum à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris approbatum speciali fauore prosequi proponentes, & intendentes, quod idem Sacer Ordo Sedis Apostolicæ gratia continuo irroratus maioribus semper (Deo tribuente, & B. Maria Seruorum suorum Patrona intercedente consurgat, & dilatetur augmentis, vt ea quæ pro diuini cultus, & Religionis eorumdem Fratrum incrementa, animarumque salute à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus proinde facta sunt, sublatis ambiguitatibus, quæ exinde noscuntur emersisse, in sua firmitate persistans, nostri ministerij partes interponimus efficaces. Dudum siquidem à fel. record. Alex. IV. Benedicto XI. Clem. VI. Vrbano VI. Bonifacio IX. Ioanne XXII. & Martino V. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris emanarunt litteræ tenorum subsequentium.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis..... Generali, & cœteris Prioribus, & Fratribus Ser. S. Mariæ Ordinis Sancti Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. Religionis vestræ meretur honestas, vt vos speciali gratia, prosequentes votis vestris fauorabiliter
2. annuamus. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati author. vobis præsentium indulgemus, vt illorum corpora, qui apud loca vestra elegerint sepulturam, in eorum locorum Cœmeteriis sepelire liberè valeatis, salua tamen Iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Anagniæ Kalen. Aprilis Pontificatus nostri anno quinto.

3. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis.... Generali Priori Fratrum Seruorum S. Mariæ Ordinis S. Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. Deuotionis tuæ precibus benignum impertientes assensum, tibi, tuisque successoribus auth. præsentium indulgemus, vt tu, iidemque successores, cæteros Priores, & Fratres Seruorum S. Mariæ Ordinis S. Augustini vobis subiectos iuxta eiusdem Ordinis Instituta corrigere, & alia circa eos, quæ ad vestrum spectant officium exercere, & ea alij vestris Fratribus committere ad hoc idoneis quoties expedierit liberè valeatis. Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem hoc attentare, &c. Datum Anagniæ 3. Idus Maij Pontificatus nostri anno quinto.

Benedictus XI. Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Generali, & vniuersis Prioribus, & Fratribus Seruorum S. Mariæ Ordin. S. Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum leuamus in circuitu oculos nostros, & gregem dominicum nobis, licet immeritis, diuina dispositione commissum; vndique iuxta Pastoralis officij debitum contemplamur, vigilem (quantum nobis ex alio permittitur) curam libenter impendimus, vt Cultores vineæ Domini Dei sabaoth sic cultui salutis intendant, quod eadem vinea palmites diffusos extendens salutarium producat fructuum vbertatem. Et licet 4.
erga singulos cultores huiusmodi, personas videlicet Ecclesiasticas, Apostolica solicitudo versetur, erga tamen viros Religiosos, qui contemplationi cælestium, mundanis relegatis illecebris, piæ vitæ studio sine intermissione desudant, eo propensiorem nos decet diligentiam adhibere, quo ipsi pro Religionis fauore sunt amplius Apostolicæ præsidiis confouendi. Sanè vos, qui Ord. S. Augustini per Sedem Apostolicam approbatum profitemini, & seruatis, & deuotionis affectu, quem geritis ad B. Mariam Virg. Gloriosam, assumitis vobis vocabulum ab eadem, vos Seruos eiusdem Virginis humiliter nominando, dictumque Ordinem S. Augustini nihilominus iuxta pias, & honestas institutiones vestræ Regulæ in honorem ipsius Virginis editas laudabiliter seruastis hactenus, & seruatis, ac vobis per specialia priuilegia dicta Sedes indulsit, quod celebrare possitis Capitulum Generale, ac in eodem Capitulo Priorem vobis Generalem eligere, qui in Fratres vestri Ordinis correctionem, & alia, quæ ad suum spectant officium liberè valeat exercere, quodque ad sepulturam possitis recipere illos, qui apud loca vestra eligerint. Ex quibus clarè inspicientibus satis innuitur d. vestram Regulam per eamdem Sedem existere quodammodo confirmatam. Nos autem qui ad Virginem ipsam Dominam nostram libenter deuotionem, quam possumus, exhibemus, nolentes, quod aliquis contra vos, & regulam ipsam quidquam possit detractionis impingere, quin eadem Regula plenam habeat Apostolici muniminis firmitatem, ad omnem hæsitationis materiam circa hæc de quorumuis animis amouendum, vestris supplicationibus inclinati Regulam, & eius Institutiones prædictas expressè authoritate Apostolica confirmamus, & etiam approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, eamque vobis concedimus, decernentes ipsam per vos fore perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruandam. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, appellationis, constitutionis, & concessionis infrigere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Later. III. Id. Februar. Pontificatus nostri anno primo.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Ad 5.
perpetuam rei memoriam. Regimini vniuersalis Ecclesiæ (quamquam immeriti) disponente Domino præsidentes, curis continuis agimur, & assidua meditatione pulsamur, vt Religiosorum quorumlibet status auctore Domino salubriter dirigatur; & ne loca Religiosorum eorumdem, eorumque personæ propter altercationes, quas inter eos interdum suscitari contingit, subeant spiritualiter, & temporaliter detrimenta, sed potius quorumlibet Ordinum Professores in tranquillitate mentis, & corporis deuotum, & gratum provt ad id se dedicarunt,

dicarunt, impendant Domino famulatum: libenter nostræ prouisionis remedium adhibentes. Dudum siquidem pro parte quorumdam Fratrum Seruorum S. Mariæ Ordinis Sancti Augustini proposito in Concistorio coram felicis recordationis Benedicto Papa XII. Prædecessore nostro, quodque Petrus de Tuderto Prior Generalis Fratrum dictorum Seruorum in regimine, & administratione sua malè,& partialiter se habebat,propter quod status prædictorum Fratrum in spiritualibus, & temporalibus reformatione non modica indigebat. Præfatus Prædecessor volens de his super quibus eorumdem Fratrum Status reformandus existeret, plenius informari, prædictum Petrum, & nonnullos alios Priores, & Fratres eorundem Seruorum, de quibus visum sibi fuit expedire pro reformat. huiusmodi facienda ad Sedem Apostolicam fecit personaliter euocari,eisque venientibus ad Sedem antedictam venerabilibus Fratribus nostris Petro Prænestino,& Bertrãdo Hostiensi Episcopis Card.commisit oraculo viuæ vocis, vt partes ipsas super iis, quæ ad reformationem prædictam spectarent, ad concordiam reducerent, & quæcunque super his fierent, eidem Prædecessori postea fideliter referre curarent. Coram quibus Petro, & Bertrando Episcop. præfatis Petro Generali,& aliis Prioribus,ac Fratribus, vt præmittitur, euocatis personaliter comparentibus, & exhibentibus nonnulla Capitula, secundum quæ statum dd. Fratrum Seruorum Reformatione indigere dicebant super iis, quæ coram ipsis super reformationẽ huiusmodi dicere,& proponere voluerunt, dictoque Prædecessore nostro postea, sicut Domino placuit, sublato de medio, nobisque diuina fauente clementia ad apicem Summi Apostolatus assumptis, & præmissis pro parte dd. Patti Generalis, & aliorum Priorum, & Fratrum propositis coram nobis, nos ad reformationem status dd. Fratrum sollicitis studiis intendentes, præfata Capitula cum eisdem Petro, & Bertrando Episcopis examinauimus diligenter, & tandem nonnulla,quæ pro reformatione salubri status dictorum Fratrum suadente vtilitate, & necessitate vrgente expedire cognouimus, statuenda prouidimus, & inter, ac per eosdem Fratres Seruorum perpetuis futuris temporibus obseruanda.

6. Statuimus igitur, quod per eosdem Fratres, per quos omni anno celebrari consueuit dd. Fratrum Capitulum Generale, ex nunc de triennio in triennium tantum Generale Capitulum celebretur, ad quod teneantur venire Prior Generalis, qui est, & pro tempore fuerit, & omnes Priores Prouinciales, necnon & studiorum generalium Lectores in S.Theologia legentes, & etiam Priores Conuentuales, & Discreti, prout pro commoditate ipsorum Fratrum Generale Capitulum de ipsius Conuentualibus Prioribus, & personis discretis salubriter duxerit ordinandum.

7. Præterea statuimus,quod in qualibet Prouincia eorundem Fratrum Prouinciale Capitulum anno quolibet celebretur, ad quod veniant Prouincialis, & Priores Conuentuales, seu locales, Lectoresque in quacunque facultate legentes, & duo Fratres Discreti de singulis Conuentibus, siue locis illius Prouinciæ electi à maiori parte Conuentus. Qui duodecim Fratres tantum, vel minus habebunt vnum Fratrem Discretum dumtaxat ad ipsa Capitula Prouincialia mittere teneantur. In his autem Prouincialibus Capitulis Prior Generalis interesse, vel suum Generalem Vicarium ad ea mittere valeat, sicut eidem Priori visum fuerit expedire, & eisdem Capitulis assistat idem Prior, vel Vicarius in correctionibus, vel aliis opportunis. In eisdem autem Capitulis Prouincialibus eligantur studentes Parisiis, quoties fuerit opportunum.

Statuimus etiam quod ex nunc Prior General qui erit pro tempore in quolibet Generali Capitulo de triennio in triennium vt præmittitur in posterum celebrando sine requisitione aliqua primo, & ante omnia suo officio renunciare teneatur in manibus Diffinitorum Generalis Capituli, quod si non fecerit, priuatus sit eodem officio ipso facto. Postquam verò renunciauerit possit pro ipsius meritis Diffinitorum ipsius Capituli Generalis arbitrio in eodem Generalis Prioris officio admitti, vel ab eo penitus amouere, & in locum ipsius alius idoneus per d. Capitulum surrogari, & in casu, quo (vt præmittitur) amoueretur, vel renunciare contemneret, per ipsum Capitulum alius in Priorem Generalem sufficiens & idoneus eligatur. Eisdem Fratribus authoritate Apost. de speciali gratia concedendo, quod Priores Generales dd. Fratrum, qui erunt pro tempore, postquam, vt præmissum est, & alias iuxta morem hactenus inter eos obseruatum electi fuerint, & per Generale Capitulum approbati, eo ipso veri Priores Generales dd. Fratrum sint effecti, & administrandi licentiam, curamque animarum habeant, ac in omnibus pro ipsorum Fratrum Prioribus Generalibus perinde habeantur, ac si ab Apost. Sede confirmationis litteras habuissent. Nullus tamen nisi expressè professus fuerit, & qui inter dictos Fratres non steterit ad minus per viginti annos continuos, in Priorem Generalem eorumdem Fratrum eligi valeat,aut assumi. 8.

Ordinamus insuper, vt à modo singularum Prouinciarum prædictarum Fratres eligant vnum Fratrem prouidum, & maturum in Diffinitorem pro Generali Capitulo, & fiat huiusmodi electio in Prouinciali Capitulo, quod immediatè præcedet Capitulum Generale; Diffinitores verò pro Capitulis Prouincialibus eligantur à Fratribus in eisdem Capitulis Prouincialibus congregatis. 9.

Statuimus etiam quod Fratres cuiuslibet Prouinciæ post primum Generale Capitulum per ipsos celebrandum, quam citius poterunt in aliquo loco eiusdem Prouinciæ ad hoc apto, & idoneo suum celebrent Prouinciale Capitulum hac vice congregandum, prout in d. Generali Capitulo fuerit ordinatum, in quo vnum ex dictis Fratribus sufficientem, & idoneum in suum Prouincialem Priorem eligant. Qui sic electus, & constitutus infra mensem à tempore electionis, & constitutionis huiusmodi consentire, & confirmationem dicto Priore Generali, vel eius Generali Vicario petere humiliter non omittat, quam quidem electionem (si canonica fuerit) idem Prior Generalis, vel eius Generalis Vicarius, quem idem Prior Generalis iuxta modum infra dictum deputate habebit, vltra mensem à die, qua petita fuerit, non differat confirmare, quod si ex iusta, & rationabili causa idem Prior Generalis, seu eius Vicarius munus confirmationis denegauerit, causam, seu causas huiusmodi suis publicis, & authenticis litteris teneatur exprimere, & electoribus, qui eum elegerunt, intimare, & de alio sufficiente, & idoneo cum consilio Conuentus loci, vbi d. Prior Generalis, vel eius Generalis Vicarius fuerit, vsque ad tunc immediatè sequens Capitu- 10.

lum vtiliter prouidere. Circa confirmationes autem electionum Priorum Prouincialium impostertum celebrandas modus prædictus per omnia obseruetur. In primis verò Prouincialibus Capitulis dd. Fratrum celebrandis prouidè ordinetur de locis, temporibus, & Diffinitoribus, necnon & aliis opportunis pro subsequentibus Capitulis Prouincialibus celebrandis.

11. Statuimus insuper quod in quolibet loco Conuentuali dd. Fratrum vbi ad minus duodecim Fratres fuerint, ipsi sibi eligant suum Priorem Conuentualem, qui infra quindecim dies post suam electionem immediatè sequentes confirmationem à Priori suo Prouinciali deuotè petere debeat, & ipse Prior Prouincialis infra alios quindecim dies subsequentes electionem eamdem, dum tamen ipsam canonicam repererit, debeat confirmare, vel si ipsam minus canonicam inuenerit, causas propter quas eum confirmare omiserit, exprimat, intimet, & vna cum consilio Discretorum loci, vbi fuerit, prouideat prout supra proximè de Priore Prouinciali extitit ordinatum.

12. Volumus quoque quod Priores Prouinciales postquam tribus annis continuis in Prouincialatus officio præfuerint, absoluantur, seu remoueantur penitus ab eodem, prohibentes, quod ad d. officium saltem in eadem Prouincia quouis modo per alios tres annos immediatè sequentes nullatenus assumantur, vel ad id officium promoueantur. Similiter Diffinitores Generalis Capituli non eligantur ad idem Diffinitionis officium nisi demum elapsis duobus Generalibus Capitulis immediatè sequentibus, possint tamen alias licitè in Diffinitores Prouincialis Capituli eligi pariter, & assumi. Diffinitores etiam Prouincialis Capituli ad idem officium nisi duobus elapsis Capitulis Prouincialibus nullatenus assumantur. Priores etiam Conuentuales anno vel ad longius biennio in suis Prioratibus habeant præsidere.

13. Statuimus etiam quod Prior Generalis dd. Fratrum, qui erit pro tempore in sui nouitate, & antequam suum exequatur officium in præsentia Generalis Capituli corporale ad sancta Dei Euangelia præstare debeat Iuramentum, quod erit fidelis S. Rom. Ecclesiæ, Domino Papæ, suisque successoribus, & quod in prouisionibus, promotionibus, confirmationibus, repulsionibus, destitutionibus, & maioribus correctionibus faciendis sine acceptione personarum secundum Deum, & rectam suam conscientiam, & B. Augustini regulam, nec non & eorumdem Fratrum statuta, & consuetudines laudabiliter, & fideliter se habebit, & suum officium exercebit, Priores quoque Prouinciales in suorum Prouincialiũ Capitulorum, & Priores Conuentualium, necnon & Diffinitores Generaliũ Capitulorum in ipsorum Capitulorum Generalium, & Diffinitores Capitulorum Prouincialium in ipsorum Capitulorum Prouincialium præsentia iurent, quod in prouisionibus, & cæteris superius expressis quantum ad ipsorum officium pertinuerit, fideliter se habebunt.

14. Hortamur insuper, & monemus omnes, & singulos Fratres prædicto, vt nullus eorumdem, munera, seu donaria suis Superioribus per se, vel per alium audeant quomodolibet impertiri, ipsique Superiores illa recipere non præsumant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum, Ordinationum, concessionis, voluntatis, prohibitionis, & hortationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Auenioni 10. Kalen. Aprilis Pont. nostri an. quarto 1346.

Vrbanus Episcopus Seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Andreæ Priori Generali, & vniuersis Fratribus seruorum S. Mariæ Ordinis S. August. præsentibus, & futuris salutem & Apost. benedict. 15. Sacrosancta Rom. Eccl. mater cunctorum Christi fidelium, & Magistra in agro virtutum vestri Ord. cui Altissimus Dominus benedixit, & in decore sacræ Religionis, sub qua eidem Domino, eiusque Genitrici deuotum exhibetis, & sedulum famulatum, exultat, & iubilet, præsertim dum prospicit, quod vos ad alta virtutum gradatim per bonorum operum exercitium, & præclara sanctitatis merita conscendentes trahitis ad diuinæ maiestatis obsequium alios non solùm per doctrinæ verba, sed etiam per exempla vitam ducendo purissimam, & verbi prædicationibus insistendo, ac diuinæ laudis, frequentisque venerationis instantiæ, ex qua gloria Diuinæ Maiestatis attollitur, deuotissimè persistendo. Propter quæ nos, & prædicta Ecclesia vos, & vestrum Ordinem prædictum, quem erga nos, & eandem Ecclesiam deuotione prælucere conspicimus, in claustra nostri pectoris paternis affectibus amplectentes circa bonum statum vestrum totis studiis vigilamus, vt Deo propitio à noxiis protegamini, & suscipiatis semper salubria incrementa. Volentes igitur præmissorum intuitu vos, ac loca vestra præsentia, & futura prærogatiua specialis fauoris, & gratiæ insignite, ac singulari priuilegio decorare, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vos, vestrasque personas, ac omnia loca vestra tam præsentia, quam futura omni Iurisdictione, potestate, dominio, visitatione, charitatiui subsidij subuentionum, & exactionum quorumlibet præstatione, nec non à Synodalis, & alterius cuiusuis Congregationis euocatione omnium, & singulorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & quorumlibet aliorum Iudicum Ordinariorum de speciali dono gratiæ plenariè eximimus, & totaliter liberamus, vosque ac personas, & loca ipsa in I⸗s, & proprietatem Beati Petri, & Sedis Apost. & sub eorum, & nostra protectione speciali, & immediatè suscipientes, decernimus vos, ac personas, & loca prædicta, & immediate Sedi prædictæ subiacere. Volentes quod locorum Diœcesani, vel alia quæuis persona vos, vel loca prædicta, vtpote, prorsus exempta, & d. Sedi immediatè subiecta non possint authoritate ordinaria excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut alias sententias specialiter, vel generaliter, vel alias etiam ratione cuiuslibet delicti, seu contractus, aut rei de qua ageretur, vbicunque committitur delictum, initur contractus, aut res ipsa consistat, potestatem, dominium, aut iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere fel. rec. Innoc. Papæ IV. Prædecessoris nostri circa exemptos, quæ incipit *Volentes*, & aliis Constitutionibus Apostolicis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque. Nos enim quasi bet excommunicationum, suspensionum, interdicti sententias, & quoscunque processus, quasuis pœnas, & sententias generales, vel speciales continentes, quas, seu quos contra vos, seu aliquem vestrum, vel prædicta loca cum tenorem, & formam præsentium quomodolibet promulgari, vel haberi contigerit

contigerit irritas decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, suspensionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum Dat. Romæ apud S. Petrum 7. Id. Aprilis Pontificatus nostri anno secundo.

16. Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Andreæ Priori Generali, & Fratribus vniuersis Seruorum B. M. Ordinis S. August. præsentibus, & futuris salutem, & Apost. Benedict. Sacer Ordo vester in Agro Dominico Diuina dispositione plantatus, & gloriosæ Virg. Mariæ titulo specialiter insignitus, Apost. gratiis dignè meretur attolli, cuius Professores, mundanis à se relegatis illecebris, cælestium contemplationi vacantes insistunt iugiter profectibus animarum. Nos verò ad eumdem Ord. Apost. considerationis diligentes intuitum, libenter eum Apost. priuilegiis, in his maximè, quæ animarum profectum, & salutem conspiciunt, decoramus, vobis Ord. prædicto ea libenter concedendo per quæ Ordo ipse ad Diuini nominis, eiusque gloriosæ Genitricis gloriam, & honorem prosperis semper successibus gratuletur, & votiuis proficiat incrementis. Sanè, sicut fide digna relatione percipimus, in diuersis mundi partibus sunt quamplures ex vobis in sacerdotio constituti,& in sacra pagina magistri,& alias eruditi,& multa etiam discretione vigentes, & alia sufficientes, & vtiles ad irrogandum mentes fidelium rore Verbi Dei non solùm in eruditione sermonis sed etiam in Confessionum auditione, & pœnitentiarum impositione, per quos potest cura animarũ eorundem salutem magna in Dei Ecclesia Deo propitio vtilitas prouenire. Eapropter dilecti in Domino filij vestris in hac parte supplicationibus inclinati, Constitutionem, quæ incipit *Super Cathedram* dudum per fel. record. Bonifacium Papam VIII. editam, & postmodum per piæ mem.Clem.Papam V.Prædecessores nostros in Viennensi Conc.innouatam super confessionibus audiendis, & iniungendis pœnitentiis, & absolutionibus impendendis sicut eadem Constitutio Fratres,Mendicantium Ord. de quibus dumtaxat habetur mentio in eadem comprehendi, ad vos extendimus per præsentes, volentes, & Apost. author. decernentes, quod prædicta Constitutio, & omnia in ea contenta super Confessionibus audiendis, pœnitentiis imponendis, & absolutionibus impendendis dumtaxat, quæ auth. præsentium vobis competere volumus, sicut prædictis Fratribus Mendicantium Ordin. competit inconcussè, ac integraliter obseruetur, ita quod considerata personarum, quas ad id habueris idoneas, ac Clerici, & Populi quantitate eorundem Fratrum, quos ad huiusmodi audiendarum Confessionum officium elegeritis, metiamini numerum congruentem, & minimè in aliquo excedentem, vt sic moderatione seruata, nec alios, quibus hoc per eandem Constitutionem conceditur ad inuidiam, vel scandalum, nec locorum Ordinarios, quibus Fratres Ord. vestri à vobis electos præsentare deberis contra vos aliquatenus prouoceris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ extensionis, voluntatis, & Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apost. eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum 18. Kal. Maij Pont. nostr.an.secundo.

Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei Dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus Seruorum S.Mariæ Ordinis S.August. salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacra vestra Religio sub qua virtutum Domino deuotum impendentis famulatum, dignè nos excitat, & inducit vt illa vos gratia fauorabiliter prosequamur, quam vestris fore conspicimus necessitatibus opportunam. Hinc est quod nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati omnes libertates, immunitates, priuilegia, ac Indulgentias venerandis Domibus Ordinis Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini ab Apost.Sede concessa Domibus vestris concedimus, & vt eis vtamini liberè sicut illi, vobis author præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.Si quis autem hoc attentare prę̄sumpserit,in indignationẽ Omnipotentis Dei Beatorum Petri, & Pauli Apolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum quarto Kal. Decembris Pontificatus nostri anno quarto. 17.

Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis Officij debitum, cui disponente Domino præsidemus, exposcit, vt circa statum personarum Ecclesiarum præsertim Religiosarum salubriter intendamus, & vt eis materiæ vagandi, ac insolentiarum, & inobedientiæ vitia subtrahantur, studeamus solicitè prouidere. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Ioannis Fratrum Seruorum B. Mariæ Ordinis S. August. Prioris Generalis petitio continebat, sæpe cum contingat,quod Fratres d.Ordinis Prælaturas, Dignitates, Officia, & etiam alia beneficia Ecclesiastica, Priore Generali ipsius Ord. pro tempore existente inscio, sibi conferri, vel alias se ad illa promoueri procurent, & propter collationes, vel promotiones huiusmodi Fratres ipsi vt plurimum insolentes, & vagabundi, ac reprobi reddantur, & non paucorum præbeant materiam scandalorum, pro parte d. Prioris nobis fuit humiliter supplicatum, vt super hoc prouidere de opportuno remedio de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati authoritate Apost. tenore præsentium statuimus, & etiam ordinamus, quod de cœtero perpetuis temporibus nullus Fratrum d. Ordinis (quacunque, etiam Apostolica author.) Prælaturam, seu dignitatem, aut Officium, vel quodcunque aliud Ecclesiasticum beneficium per Fratres d. Ordinis gubernari, seu regi consuetam, vel consuetum, absque Prioris Generalis d.Ordinis pro tempore existentis licentia speciali præterquam ex indulgentia Sedis Apostolicæ faciente plenam, & expressam, de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem assequi valeat quoquomodo. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, Ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei,& Beatorum Petri, & Pauli Apost. eius se nouerit incursurum Dat. Romæ apud S.Petrũ 3. Cal. Februarij Pontificatus nostri anno nono. 18.

Bonifacius

19. Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Priori Generali, & Frioribus B. Mariæ Ordinis S. Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. Sinceræ deuotionis affectus, quem ad nos, & ad Romanam geritis Ecclesiam non indignè promeretur vt petitionibus vestris præsertim per quas, vt piè desideratis, in Ecclesia Dei (cui licet immeriti disponente Domino præsidemus) vtilitas poterit prouenire, fauorabiliter annuamus. Hinc est quod nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vt Prior Generalis vestri Ordinis, qui pro tempore fuerit in quolibet Capitulo Generali ipsius Ord. vnum Fratrem eiusdem Ord. quem ad hoc duxerit eligendum, & qui in S. Theologia honorem Magisterij recipere voluerit, quem ipse Prior per suam, vel saltem quatuor aliorum in eadem S. Theologia Magistrorum diligentem examinationem ad hoc sufficientem, ac aptum, & idoneum esse repererit (super quo Prioris, ac Magistrorum huiusmodi conscientias oneramus) ad huiusmodi Magisterij honorem promouere, & sibi docendi licentiam in facultate Theologica concedimus seruatis Constitutionibus Viennensis Concilij, & aliis solemnitatibus in talibus fieri consuetis, liberè, & licitè possit deuotionis vestræ Auctoritate Apostolica tenore præsentium elargimur. Nos enim eidem Fratri sic promoto vt vti, & gaudere debeat quibuscunq, gratiis, & priuilegiis, libertatibus, & indulgentiis, quibus in d. facultate Parisiis Magistrati gaudent, & quomodolibet potiuntur, authoritate prædicta concedimus per præsentes. Ita tamen quod ex hoc præfatus Ordo ad præstandum eidem Fratri (sic promoto) pro suis expensis, vel aliis necessariis ratione d. Magisterij vltra, quam antea minimè teneantur, eadem authoritate concedimus per præsentes, & eadem authoritate indulgemus, quod huiusmodi Frater sit promotus de illa Congreg. sit, in qua promotus fuerit, si ibidem fuerit, studium Generale. Alioquin de illa Congreg. censeatur, in qua huiusmodi existat, vel quæ proximior fuerit loco, in quo, vt præmittitur, Capitulum huiusmodi extiterit celebratum. Non obstant. quibuscunque Priuilegiis, ac statutis, & consuetudinibus studiorum, & Ordinis prædictorum contrariis, Iuramento, confirmatione Apost. vel quacunque firmitate, & alia roboratis, etiamsi de illis totis, & eorum tenoribus specialis, & expressa de verbo ad verbum esset in nostris litteris mentio facienda, quæ alias volumus in suo robore permanere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum 3. Cal. Februarij Pontificatus nostri anno nono.

20. Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Stephano Priori Generali, & Fratribus Seruorum S. Mariæ Ord. S. August. salutem, & Apost. benedict. Sacer Ordo vester in agro Dominico diuina dispositione plantatus, & gloriosæ Virg. Mariæ titulo specialiter insignitus Apost. gratiis dignè meretur attolli, cuius Professores mundanis à se relegatis illecebris, & cœlestium contemplationi vacantes, insistunt iugiter profectibus animarum. Nos autem ad d. Ord. quem in statu firmo, solido, & stabili volumus permanere Apost. considerationis intuitum dirigentes ad ea libenter intendimus; per quæ Ordo ipse, qui, vt asseritur, paucas domos, & loca respectiuè habet, vberius valeat propagari. Vestris igitur in hac parte supplicationibus inclinati vobis, & successoribus vestris, qui erunt pro tempore, quascumque Domos, & loca, ad hoc tamen congrua, & honesta, quæ in quibusuis Regnis, Prouinciis, ac Terris vobis, & eidem successoribus largitione Christi fidelium concedi, aut largiri canonicè contigeri (dote secundum ipsius Ordinis institutionem pro Domibus, & locis ipsis concedendis primitus assignata) recipiendi, nec non apud illa de nouo fundandi, ædificandi, seu construendi Ecclesias, campanilia cum Campanis, Cœmeteriis, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis necessariis officinis, ac loca ipsa cum eisdem domibus, hortis, hortalitiis, Cœmeteriis, Ecclesiis, Campanilibus, Campanis, & officiis pro vsu, & habitatione vestris, ac eorumdem successorum habendi, & perpetuo retinendi. Quacunque Sedis Apost. Constitutione contraria non obstante, ac etiam Diœcesanorum locorum, & quorumlibet aliorum licentia, vel consensu super hoc minimè requisitis, Iure tamen Parochialium Ecclesiarum, & quorumbet aliorum in omnibus semper saluo, plenam, & liberam tenore præsentium largimur licentiam. Volentes nihilominus, & vobis authoritate Apost. concedentes, quod Fratres Ordinis vestri qui pro tempore in eisdem domibus residebunt, vtantur, & gaudeant omnibus priuilegiis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus, quibus vos ex concessionibus Apostolicis vtimini, & gaudetis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum 9. Octobris Pontificatus nostri anno tertio.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam, Super Gregem Dominicum licet immeriti diuina dispositione constituti sub humilitatis, & Religionis habitu Deo dicatas personas, vt liberius perpetuo Domino famulentur, ac earum votum cum maiori valeant animi adimplere quiete, fauoribus Apostolicis prosequentes, libenter ipsas ab oppressionibus releuamus; ac earum quantum possumus commoditatis prouidemus. Sanè pro parte dilectorum filiorum Stephani Generalis, ac aliorum Priorum, & Fratrum domorum, & locorum Seruorum B. Mariæ Or. S. Augustini in Ciuitate, & Diœcesibus, ac dominio Florentino consistentium nuper nobis exhibita petitio continebat. Quod Collectores charitatiui subsidij nuper super personis Ecclesiasticis sæcularibus, ac Regularibus Ordinum quorumcumque (Fratribus Ordinum Mendicantium dumtaxat exceptis) Ciuitatis, & Diœcesis, ac dominij prædictorum impositi certis tunc expressis terminis ab eisdem personis exigendi, leuandi, recipiendi ab eisdem Fratribus Domorum, locorum Ciuitatis, Diœcesis, ac Dominij prædictorum eo prætextu; quod Domus, & loca eorumdem Priorum, & Fratrum Seruorum S. Mariæ ex ipsorum institutione donari possint, exigere, leuare, & recipere nixi fuerint, & nituntur, Episcopisque propterea graues, & diuersas intulerunt molestias, offensas in eorum, & Ordinis sui prędicti magnum prędiudicium, atque damnum. 21.

Et

Et sicut eadem petitio subiungebat, licet Domus, & loca Priorum, & Fratrum Seruorum B. Mariæ prædictorum ex eorum institutione huiusmodi possint dotari, vt præfertur tamen etiam ex institutione prædicta ipsi ad instar huiusmodi Fratrum Ordinum Mendicantium Christianæ Religionis doctrinam & verbum Dei populo prædicant Christiano, & à Christi fidelibus eleemosynas petunt pro suis necessitatibus, & oneribus sustinendis. Quare pro parte Priorum, & Fratrum Seruorum B. Mariæ prædictorum, qui, vt asserebant, ex domorum, & locorum suorum huiusmodi dote onera ipsis incumbentia nequeant supportare, fuit nobis humiliter supplicatum, vt ipsis, suisque successoribus Prioribus, & Fratribus Domorum, & locorum, ac aliorum quorumcunque vbicunque consistentium huiusmodi circa prædicta, & quodcumque aliud similiter imponendum subsidium prouidere de benignitate Apost. dignaremur. Nos igitur attendentes quod licet huiusmodi domus, & loca Fratrum Seruorum B. Mariæ prædictorum dotari possint, tamen ipsi priores, & Fratres ad instar Fratrum Prædicatorum viuunt, ac volentes ipsis, eorumque Ordini super præmissis de opportuno remedio prouidere, authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, & decernimus eosdem Priores & Fratres, qui sunt, & erunt pro tempore domorum, & locorum huiusmodi, & vbicunque consistentium à prædictis, & cuiusuis similis, vel dissimilis per nos, seu author. Apost. quandocunque super personis Ecclesiasticis vbicunque constituerint imponendi subsidij exhibitione sicut eorumdem Ordinum Mendicantium Fratres fore exemptos penitus, & liberos, & ad aliquid ex subsidiis huiusmodi soluendum non teneri, nec ad id per quoscunque quauis author. posse compelli, aut quomodolibet molestari. Non obstan. quod Domus, & loca prædicta donata existant, vt præfertur, nec non Constitutionibus, & Ordinationibus Apost. ac aliis in litteris subsidiorum huiusmodi contentis cœterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum Dat. Bononiæ 7. Kal. April. Pont. nostri an. 4.

22. Martinus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Apost. Sedis prouidentia circumspecta personas sub Religionis obseruantia vacantes assiduè studio piæ vitæ benigno fauore prosequitur, & quæ pro diuini cultus augmento, & personarum ipsarum pace, commodo & quiete prouida deliberatione facta fuere, consueuit Apost. munimine roborare. Dudum siquidem Vrbanus in sua obedientia (de qua plures ex dilectis filiis Priore Generali, & Fratribus Seruor. B. Mariæ Ordin. S. August. tunc erant) VI. nominatus suas concessit litteras tenoris subsequentis. Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, &c.

Cum itaque sicut exhibita nuper nobis (execrabili alias vigentes, tandem cooperante Domino propulsato schismate) ad summi Apostolatus fastigia diuina dispositione vocatis pro parte dd. Magistri, & Fratrum petitio continebat, ipsi post assumptionem eamdem spiritu videlicet, & animo in vnitatis gloria positi, & vnicum Gregis Dominici intuentes Pastorem ab eo pro ipsarum potiori subsistentia litterarũ, illas Apostolicis peramplius fulciri desiderent ministeriis, vt impugnationum eos alias forsitan contingentium subductis materiis ipsi procedente tempore litterarum huiusmodi tenacius commodo, & integritate lætentur. Nos itaque eorumdem Prioris, & Fratrum in hac parte supplicationibus inclinati litteras prædictas, ac omnia inde sequuta rata habentes, & grata illa authoritate Apost. ex certa scientia confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & cõmunionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Gebennis 6. Id. Iulij Pontificatus nostri anno primo.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus Seruorum S. Mariæ Ordinis S. Augustini salutem, & Apostolicam benedict. Sacræ Religionis, sub qua deuotum, & sedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honestas, vt votis vestris, illis præsertim, per quæ vestris commodo, & vtilitati consulitur, quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus. Sanè pro parte vestra nuper nobis exhibita petitio continebat, quod licet vos à tempore, cuius contrarij memoria non existit, ad instar aliorum Fratrum Mendicantium pro vitæ vestræ necessariis eleemosynas, & suffragia Christi fidelibus publicè per Ciuitates, & loca, vbi moram trahitis, & alibi petere, & in eleemosynam recipere consueueritis, tamẽ nonnulli locorum Ordinarij asserentes vos, & vestrum Ordinem Mendicantes non existere, vobis inhibuerunt, & quotidie inhibere non cessant, ne in eorum Ciuitatibus, & Diœcesibus eleemosynas, & suffragia huiusmodi petere, & exigere quoquomodo præsumatis, in non modicum vestrum, & vestri Ord. præiudicium, incommodum, atque damnum. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, fructus, redditus, & prouentus ex possessionibus, & bonis immobilibus, quæ largitione fidelium in nonnullis Ciuitatibus, & Terris tenetis, & possidetis, & in quibus Domos cum Ecclesiis, & aliis necessariis habetis prouenientes pro vita, & sustentatione Fratrum in eisdem pro tempore commemorantium sine eleemosynis, & suffragiis huiusmodi minimè sufficiant, ipsique Fratres rerum inopia, & necessitate causantibus domos, & Ecclesias non sine diuini cultus diminutione, & vestri, & vestræ Religionis opprobrio, & offuscatione propter hoc relinquere cogerentur. Pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis & statui vestro super præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui diuinum cultum nostris temporibus non minui, sed augeri intensis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctor. Apost. decernimus, & declaramus, vobisque quod in quibuscumque Ciuitatibus, Terris, & locis, in quibus Domos cum Ecclesiis, & aliis Officinis (possessiones tamen sufficientes pro victu Fratrum in illis commorantium non habentes) ad præsens habere dignoscimini, ac dante Domino ipsorum largitione fidelium vos habere continget in futurum, & alibi ad instar Fratrum Ordinum Mendicantium eorumdem mendicare, ac à fidelibus ipsis eleemosy-nas,

nas, & suffragia pro victu, & sustentatione vestris perpetuis futuris temporibus publicè petere, & recipere, ac in vsus vestros conuertere liberè, & licitè valeatis eadem author. concedimus per præsentes. Constitutionibus Apostolicis, ac aliis contrariis non obstantibus, quibuscunque. Nullis ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, declarationis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Mantuæ 3. Nonas Nouembris Pontificatus nostri Anno Primo.

24. Martinus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Stephano Priori Generali, & Fratribus Seruorum S. Mariæ Ordinis S. Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacer Ordo vester in agro Dominico diuina dispositione plantatus, & Gloriosæ Virg. Mariæ titulo specialiter insignitus. Apost. gratiis dignè meretur attolli, cuius Professores, mũdanis à se relegatis illecebris cœlestium contemplatione vacantes insistunt iugiter profectibus animarum. Nos autem ad d. Ordinem, quem in statu firmo, solido, & stabili volumus permanere, Apostolicæ considerationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ Ordo ipse, qui, vt asseritur, paucas domos, & loca respectiuè habet, vberius valeat prorogari. Vestris igitur in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, & successoribus vestris, qui erunt pro tempore, quoscunque Domos, & loca, ad hoc tamen congrua, & honesta, quæ in quibusuis Regnis, Prouinciis, & Terris vobis, & eisdem successoribus largitione Christi fidelium concedi, aut largiri canonicè contigerit (dote secundum ipsius Ordinis institutionem pro domibus, & locis ipsis concedendis primitus assignata) recipiendi, necnon apud illa de nouo fundandi, ædificandi, seu construendi Ecclesias, Campanilia cum campanis, cæmeteriis, hortis, domibus, hortaliciis, & aliis necessariis officinis, ac loca ipsa cum eisdem domibus, Ecclesiis, Campanilibus, campanis, cœmeteriis, hortis, hortaliciis, & officinis pro vsu, & habitatione vestri, & eorumdem successorum habendi, & perpetuo retinendi quacunque Sedis Apostolicæ Constitutione contraria non obstante, ac etiam Diœcesanorum locorum, & quorumlibet aliorum licentia, vel consensu super hoc minimè requisita. Iure tamen Parochialium Ecclesiarum, & quorumlibet aliorum in omnibus semper saluo, plenam, & liberam tenore præsentium licentiam elargimur. Volentes nihilominus, & auctoritate Apost. concedentes, quod Fratres Ord. vestri, qui pro tempore in eisdem domibus residebunt, vtantur, & gaudeant omnibus priuilegiis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus, quibus vos ex concessionibus Apost. vtimini & gaudetis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & voluntatis infringere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Perri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem 2. Kal. Iulij Pontificatus nostri anno sexto.

25. Martinus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apost. prouidentia circumspecta personas sub regulari obseruantia vacantes assiduè studio piæ vitæ benigno fauore prosequitur, & ea, quæ pro earum statu salubriter dirigendo prouidè ordinata sunt, vt illibata persistant, Apost. consueuit munimine roborare. Sanè petitio pro parte dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum, ac dilectarum in Christo filiarum Sororum Ordinis Seruorum S. Mariæ secundum regulam, & instituta B. Aug. viuentium, qui quidem Fratres, & Sorores de consortio Seruorum S. Mariæ nuncupantur, nobis nuper exhibita continebat, quod ipsi quamdam Regulam siue Religiosè viuendi formam, in qua nonnulla honesta, & rationabilia, ac Regulari disciplinæ congruentia statuta, & ordinamenta fore noscuntur, hactenus laudabiliter obseruarunt, quandoque licet Fratres, Sorores, & Ordo huiusmodi variis per Sedem Apostolicis sint priuilegiis communiti, tamen pro solidiori eorum subsistentia, & vt clementia Altissimi operante de virtute in virtutem gradientes deuotiorem reddere valeant Domino famulatum, desiderant huiusmodi Regulam, seu viuendi formam per sedem eamdem approbari. Quare pro parte Prioris, & Fratrum, ac Sororum eorumdem nobis fuit humiliter supplicatum, vt regulæ, siue viuendi formæ huiusmodi robur Apostolicæ confirmationis adiicere, illamque per ipsos Fratres, & Sorores in perpetuum obseruari mandare de benignitate Apost. dignaremur. Nos igitur, qui super præmissis omnibus, & singulis relatione plenaria, & fideli fuimus clarius informari, huiusmodi supplicationibus inclinati Regulam, seu viuendi formam, quam per singula eius Capitula clarè, & distinctè, ac de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari, necnon statuta, & Ordinationes prædicta rata habentes, & grata, illa auctoritate Apost. ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, & nihilominus Regulam, siue viuendi formam eandem per ipsos Fratres Sorores præsentes, & posteros volumus, & mandamus perpetuis futuris temporibus inuiolabiter obseruari. Tenor verò regulæ, siue viuendi formæ huiusmodi sequitur, & est talis.

In primis vt hic Ordo continuum, & perpetuum de bono in melius recipere valeat incrementum, quod ex receptione personarum bene dispositarum plurimum noscitur dependere volumus, & ordinamus, quod nullus recipiatur ad Ordin. huius Fraternitatis, nisi de licentia Prioris Generalis eiusdem, vel ipsius Vicarij, seu Correctoris Fraternitatis pro tempore deputati illius loci, præmissa tamen diligenti examinatione, quod sit honestæ vitæ, & bonæ famæ, ac de hæresi nullatenus suspectus, quinimò sit veritatis, & Catholicæ fidei zelator præcipuus, qui etiam antequàm habitum huius Religionis recipiat, de alienis, si qua habuerit, satisfaciat ad plenum, & proximis reconcilietur, necnon paratum siue conditum Testamentum tenere studeat iuxta consilium, & Ordinationem Confessoris discreti, & eadem examinatio fiat de Mulieribus ingressum huius Ord. petentibus; habentibus tamen viros non pateat ingressus ad consortium d. Fraternitatis, nisi de virorum suorum licentia, & consensu, fiat publicũ Instrumentum. Idẽ quoad hoc seruari volentes in viris vxores habentibus, nisi obstaret in ipsis, vel altera ipsorũ aliqua causa, quæ legitima iudicaretur cõsilio Discretorũ. 26.

Omnes autem tam Fratres, quam Sorores d. Fraternitatis induantur panno nigro, qui nec in colore, nec in valore nimiam pretiositatem prætendat, sicut conuenit honestati Seruorum Christi, & B. Mariæ. Tunicæ quoque habeant manicas vsque ad 27.

ad pugnum, & sint strictæ, & clausæ, corrigias de corio tantum habeant, quibus Sorores cingantur. In bursis etiam, calceamentis, & cæteris omnem mundanam resecent vanitatem: vela vero Sororũ, & bindę sint alba de panno lineo, vel canapino.

3. Recipiatur recipiendus in loco Capituli Fraternitatis, vel ante Altare Ecclesiæ Fratrum illius loci, & à Priore Generali, siue Vicario, vel Correctore d. Ordin. Seruorum S. Mariæ prædictis, qui Prior, vel Vicarius, seu Corrector, existente inducendo, & petente humiliter flexis genibus recipi præsentibus aliquibus aliis Fratribus Ordin. eiusdem, quibusdam de Confratria viris discretis, benedicat prius habitum eius, qui debet recipi hoc modo, videlicet. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, Dominus vobiscum, Oremus. Domine Iesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es,* &c. Postea verò tali habitu benedicto, & per receptum seorsum indutum, atque ad gradum Altaris reuerso, & ante Priorem, siue Vicarium, vel Correctorem genuflexo dicit Prior, vel Vicar. seu Corrector, &c. *Veni Creator Spiritus,* & Fratres, qui ei assistent, ipsum prosequantur vsque ad finem. Deinde dicatur *Kyrie eleison, Pater noster,* &c. *Emitte Spiritum tuum,* &c. *Saluum fac seruum,* &c. *Dominus vobiscum.* &c. *Oremus Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti,* &c. & *Prætende Domine famulo tuo,* &c. & responso *Amen,* aspergitur sic indutus à Priore, vel Vicario seu Correctore Aqua benedicta. Deinde omnes Fratres Fraternitatis præsentes ipsum recipiant ad osculum pacis, & eo modo ante Altare recipiantur Mulieres, quemadmodum est de Fratribus supradictum.

4. Completo anno, vel ante, si Priori, vel Vicario, seu Correctori prædictis, aut cui commiserint, & etiam maiori parti Fratrum professorum Fraternitatis visus fuerit idoneus, ad professionem recipiatur. Profitebitur autem hoc modo, videlicet: *Ad honorem Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & B. M. Virg. Ego N. coram vobis Priore, seu Vicario vel Correctore Fratrum Ordin. Seruorum S. Mariæ de Consortio talis loci, profiteor velle me de cætero viuere secundum formam, & regulam Fratrum, & Sororum d. Ord. vsque ad mortem,* Mulieres verò eodem modo profiteantur coram Priore, vel vt supra & Priorissa, vel cui commiserit.

5. Statuimus autem vt nullus Frater, nec Soror huius Fraternitatis, & Ord. post talem supradictam professionem de hoc Ordin. egredi valeat, nec eisdem ad sæculum reuerti liceat, sed bene liberè possint transire ad vnam de approbatis Religionibus tria vota solemnia profitentibus.

6. Fratres, & Sorores dicant quotidie omnes horas canonicas, nisi infirmitate impediantur. Pro matutinis dicant viginti octo *Pater noster,* pro Vesperis quatuordecim, & pro qualibet aliarum horarum septem. Ad honorem vero B. M. semper Virginis pro qualibet hora tot *Aue Maria.* quot Pater noster dicere teneantur. Pro benedictione autem mensæ dicant vnum *Pater noster,* cum verò surgunt de mensa similiter dicant vnum *Pater noster* pro gratiarum actione, vel Psalmum *Miserere mei Deus,* vel *Laudate,* qui sciunt; omnes etiam, qui sciunt symbolum Apostolorum, videlicet *Credo in Deum,* dicant illud semel in principio Matutinarum, & etiam ante Primam, & quando Completorium fuerit terminatum. Qui autem sciunt, & dicunt horas Canonicas quemadmodum faciunt Clerici, prædicta *Pater noster,* & *Aue Maria* dicere minimè teneantur.

Ad Matutinas Dominicis diebus, & festiuis à festo Omnium Sanctorum, vsque ad diem Resurrectionis Dominicæ omnes surgant. In Aduentu autem Domini, & Quadragesima surgant omni nocte. Qui verò occupantur quotidiano opere manuali, horas suas dicere poterunt de mane vsque ad Vesperas exclusiuè, de sero vesperas, & Completorium simul dicant. 7.

Omnes quater in anno ad minus, videlicet in festo Natiuitatis Domini, Resurrectionis ipsius, Pentecostes, & Assumptionis, aut Natiuitatis B. Mariæ Virg. peccata sua confiteantur diligenter, & Eucharistiæ deuotè studeant recipere Sacramentum, nisi forsan ex aliqua causa rationabili alicui ex ipsis esset à suis Confessoribus interdictum. Qui autem ex deuotione sua sæpius voluerint infra annum communicare, petita à suo Prælato licentia, & obtenta deuotionem suam cum Dei benedictione poterit executioni demandare. 8.

In Ecclesia dum celebrantur Missæ, vel decantatur Diuinum officium, seu actualiter proponitur ibidem verbum Dei, omnes silentium seruare studeant, & Orationi, ac diuino officio diligenter intendant, nisi ex aliqua speciali, & occurrenti necessitate aliquid submissè loquantur. 9.

Fratres, & Sorores Ecclesias, quarum Parochiani existunt, iuxta canonicas sanctiones, & bonos mores, & cum omni deuotione studeant visitare, & Ecclesiarum suarum Prælatos, videlicet Episcopos, & inferiores summè reuereantur, ipsorumque iura absque omni diminutione fideliter eis soluant, & hoc tam in decimis, quam in obligationibus alias quomodolibet consuetis. 10.

A Dominica prima Aduentus, vsque ad Natiuitatem Domini quotidie tam Fratres, quam Sorores ieiunent. Et similiter à Dominica in Quadragesima, vsque ad Pascha Resurrectionis Domini idem obseruent. Ferias autem sextas ieiunabunt omni tempore, & ieiunia omnia ab Ecclesia instituta. Qui autem voluerint amplius ieiunare, seu austeritates alias facere, potuerunt, habita licentia à suo Prælato, vel de consensu Confessoris discreti. 11.

Fratres, & Sorores huiusmodi fraternitatis vti poterunt carnibus diebus Dominicis, & tertia, & quinta feria. Cæteris vero diebus se abstineant, nisi sint infirmi, aut multum debiles, vel nisi præcipuum festum fuerit illa die, aut quia essent in itinere constituti. 12.

Vagos, curiososque discursus per Ciuitatem non faciant. Sorores verò solæ non discurrant, maximè Iuniores ad nuptias, & choreas, siue ad dissoluta, & mundana conuiuia, siue ad vana spectacula nullo modo accedant; de Ciuitate verò, seu Castro, vel loco, vbi habitant, non exeant, etiam causa peregrinationis, absque speciali licentia Prioris, Vicarij, vel Correctoris d. Confraternitatis. 13.

Inuasionis, siue impugnationis Arma secum Fratres non deferant, nisi pro defensione fidei Christianæ, aut ex alia rationabili causa, & de suorum Prælatorum licentia. 14.

Deputentur per Correctorem duo ex Fratrib. qui cum quempiam ex eisdem nouerint infirmari, ipsũ quantocius poterunt, charitatiuè studeant visitare, & statim à principio ad recipiendum pęnitentiam, & alia Ecclesiastica Sacramenta eumdẽ efficaciter hortentur, & si necesse fuerit, ministeriũ corporale, 15.

prove

prout commodè poterunt, eidem studeant exhibere, si verò fuerit pauper, necessaria de bonis propriis, vel communibus, prout facultas permiserit sibi ministrare procurent, & idem faciant Sorores circa infirmas ex eis.

16. Quando continget aliquem ex Fratribus ab hac luce migrare, cæteris Confratribus, qui sunt in hac Ciuitate, vel Castro, nuncietur, vt procurent defuncti exequiis, personaliter interesse, à quibus non recedant, donec Corpus traditum fuerit sepulturæ. Hoc idem inter Sorores decedentes volumus obseruari. Præterea infra octo dies post ipsius Defuncti sepulturam immediatè sequentes, quilibet Frater & Soror dicat pro anima eius Sacerdotis vnam Missam, sciens verò Psalterium Psal. 50. Illiterati verò centum *Pater noster* dicant, & in fine cuiuslibet *requiem æternam.* Et præter hæc quilibet infra annum pro Fratrum, & Sororum tam viuorum quam defunctorum salute tres Missas faciat celebrari, qui verò scient Psalterium, illud dicant, & cæteri quinquaginta *Pater noster* dicere teneantur.

17. Correctore Fraternitatis mortuo, vel amoto, Prior, seu Vicarius cum consilio antiquorum de Fraternitate alium instituat Correctorem, singulis autem annis infra octauas Paschæ, vel alio tempore priuatim prædictus Prior, vel Vicarius habeat consilium cum antiquioribus de Fraternitate super amotione, vel confirmatione Correctoris. Sic eumdem confirmare, vel amouere poterit, secundum quod ipse cum præfatis iudicauerit expedire. Consimiliter etiam de consilio d. Prioris, vel Vicarij, & aliquorum de Fraternitate magis antiquorum poterit Corrector ordinare de subcorrectore, vel Vicario Fraternitatis, & etiam postmodum confirmare, & amouere secundum quod eis visum fuerit expedire. Qui subcorrector, vel Vicarius tantam potestatem habeat, quantam Corrector sibi conceder, & eadem forma in institutione, & destitutione Priorissæ seruetur.

18. Correctoris officium erit cum omni diligentia seruare in se quæque in Regula descripta sunt, & solicitam dare operam, vt ab iis Confratribus obseruetur. Si quos verò viderit transgredientes, aut etiam negligentes charitatiuè corripiat, & emendet; vel si magis sibi videatur expediens, Priori, vel Vicario prædictis, vt corrigat, poterit intimare. Priorissæ etiam erit officium solicitè Ecclesiam visitari, cæteras etiam Sorores excitare ad obseruantiam Regularem, diligenter etiam per seipsam, & alias, quibus imponet, obseruare, quod in incessu, statu, & habitu nihil per aliquam Consororem fiat, quod cuiusquam merito turbare possit aspectum, præcipuè tamen attendat, vt Sorores cum quoquam viro cuiuscunque conditionis existat, familiaritatem non contrahant, maximè iuniores, nisi forsan talis vir Sorori illi attingat infra tertium Consanguinitatis gradum ad longius, cum hoc quod sit bonæ vitæ, & famæ.

19. Siquis notatus fuerit de aliqua familiaritate suspecta; & ter admonitus per Prælatum non se emédauerit, excludatur ad tempus à capitulo, & consortio cæterorum Confratrum, consilio discretorum de ipsorum penitus consortio publicè excludatur, nec admittatur de cætero, nisi cum Fratribus omnibus videatur esse correctus. Item si quis Confratri, vel alteri cuicunque opprobrium dixerit, quo sonare infamiã videatur, aut ex ira quempiam percusserit, vel ad locum sibi prohibitum ire præsumpserit, seu inobedientiam quamcunq; commiserit, aut etiam Prælato mendacium ex industria dixisse deprehésus fuerit, abstinétia panis, & aquę, vel exclusione à capitulo, aut etiam consortio aliorum Fratrum plus, vel minus secundum conditionem personæ, & exigentiam delicti grauius, & leuius corrigatur. Item, si quis commiserit peccatum carnale, talis de consortio maioris partis professorũ fraternitatis illius loci secundum exigentiã culpæ, & conditionem personæ grauius, vel leuius puniatur, sic tamen quod sit cæteris in exemplum, quam punitionem si forte recusauerit, de consilio discretorum de Ordine expellatur. Circa Sororum correctionem illud idé volumus in omnib. obseruari.

20. In quolibet autem mense semel certa die, & hora per supradictos Priores, vel Vicarios ad Ecclesiam Fratrum Seruorum S. Mariæ conuocentur Fratres omnes Confratriæ prædictæ, verbum Dei, & etiã Missam, si hora cõpetens fuerit, pariter audituri, & tũc per ipsos Priores, vel Vicarios ipsis legatur Regula ista, & exponatur, ac de agendis Fratres informent, & negligentes corrigant, & emendent, prout secundum Deum, & istam viuendi formam viderint expedire. In quolibet etiam mense prima sexta feria Sorores ad Ecclesiam huiusmodi conueniant similiter verbum Dei, & Missam communiter audituræ, quibus etiam legatur hæc regula, & exponatur, de suisque excessibus corrigantur, vt supra. Volumus quod in qualibet Ciuitate, & Terra, vbi fuerint Fratres, & Sorores Confratriæ huiusmodi, habeant in Correctorem, vel Vicarium aliquem idoneum Fratrem sacerdotem de Ordine prædicto, quem postulauerint à Prioribus præfatis, aut quem ipsi Priores, vel Vicarij per se, vel per alios eis assignare decreuerint. Volentes insuper, & statuentes, vniuersos Fratres, & Sorores huiusmodi Confratriæ vbicunque existant, directioni, & correctioni ipsius Generalis, vel Prioris Prouincialis pro eorumdem ampliori conseruatione, & promotione totaliter subiacere, quantum ad illa videlicet, quæ eorumdem viuendi modi modum, & formulam concernere dignoscuntur.

21. Corrector Fraternitatis cum Fratribus, & Priorissa cum Sororibus cum Vicario eis deputato cum ipsis in abstinentiis, ieiuniis, austeritatibus aliis in supradictis Capitulis contentis ex causa legitima, cum expedire viderint, poterunt dispensare. Demum quemadmodum in Constitutionibus Ordinis S. Augustini continetur.

22. Item volumus, & ordinamus, quod in ista Regula, seu forma viuendi habeatur, videlicet. Quod præter diuina, & Ecclesiastica præcepta atq; statuta in ea contenta, in reliquis Regulæ huiusmodi constitutionibus, siue ordinat. Fratres, & Sorores ad culpam nullanus obligentur, sed solum ad pœnam. Quæ cum à Prælato, vel Generali continget ex quauis transgressione imponi per transgressorem humiliter, & promptè suscipiatur, & etiam opere perficiatur. Cooperante gratia Domini Redemptoris nostri Iesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat per omnia sæcula sæculorũ, amen. Nulli ergo omnino hominũ liceat hãc paginam nostræ cõfirmationis, voluntatis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, Indignationẽ Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apost. eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum 7. Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno 7.

2. Martinus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Iniunctum nobis nuper Apostolicæ seruitutis officium tunc dignè pera-

gere non ambigimus, si ad ea, quæ Religionis ad augmentum, & personarum, quæ mundanis propulsis illecebris Agnum immaculatum cum vero pro comitantur, statum fœliciter; & quiete dirigendum processisse comperimus, vt potioris munimis præsidio gratulentur, fauorem Apostolicum libenter extendamus. Sanè pro parte dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum Seruorum S.Mariæ Ordinis S.Augustini nuper nobis exhibita petitio continebat, quod licet olim Bonifacius in sua obedientia tunc Papa IX. nuncupatus, Priori, & Fratribus eiusdem pro eorum Religionis augmento, ac pace, & quiete vt ipsi, & eorum Domus, ac loca omnibus, & singulis priuilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, & indulgentiis laudabilibus vti, & gaudere possent, & deberent, quibus Ordinis Fratres Eremitarum præfati S.August. quibusuis suis domibus, atque locis commorantes eis Apostolica Sede concessis gaudebant, seu quomodolibet potiebantur, per suas litteras indulserit, Ipsique Prior, & Fratres Seruorum indulto huiusmodi in nonnullis eorum domibus, atque locis vsi fuerint. Tamen quia postea per nos, & Prædecessores nostros, & qui pro Romanis Ponticibus se in eorum obedientiis tunc gerebant, nonnullæ Generales reuocationes de similibus exemptionibus factæ fuerunt, ipsi Prior, & Fratres Seruorum proprerea dubitant indultum huiusmodi illibatum minimè permansisse, aut de præsenti permanere in grauem ipsorum inquietudinem, atque grauamen. Quare pro parte eorumdem Prioris, & Fratrum Seruorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt ad huiusmodi ambiguitatis tollendum dubium pro similibus pace, & quiete eidem indulto robur Apostolicæ confirmationis adiicere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ad commoda, & profectus d. Ordinis Seruorum operosa meditatione respicientes, ac huiusmodi supplicationibus inclinati priuilegia, libertates, immunitates, exemptiones, & indulgentias huiusmodi Priori, & Fratribus Seruorum antedictis, vt præmittitur, concessa, & concessas, rata, & gratas, ac grata, & ratas habentes illa, ac illas authoritat. Apost. tenore præsentium confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Non obstantibus præmissis, nec non Constitutionibus, & Ordin. Apost. ac statutis, & consuetudinibus d. Ord. Fratrum Seruorum cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostol. eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctos Apostolos 8. Kal. Nouemb. Pontificatus nostri anno 8.

18. Nos igitur attendentes, quod dictus Ordo in agro Dominico diuina dispositione plantatus, & Gloriosæ Virg. M. titulo à primæua sua fundatione specialiter insignitus, ac illius aliquot Professores mundanis à se relegatis illecebris cœlestium contemplationi dediti multa refulgent gloria, & redolent gratiæ Sanctitatis, & propterea illius statum prosperum, & tranquillum intensi zelantes affectibus, Alexandri, Benedicti, Clementis, Vrbani, Bonifacij, Ioan. & Martini prædictorum vestigiis inhærentes, motu proprio non ad infra scripti P.Generalis, vel eorumdem Fratrum Seruorum B. M.Ordin.S.August. aut alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera voluntatis deliberatione, ac ex certa nostra scientia Alexandri, Benedicti, Clementis, Vrbani, Bonifacij, Ioannis, & Martini Prædecessorum prædictorum litteras d.Ord. Fratrum Seruorum B. M. & illius domibus, Ecclesiis, locis, & Professoribus in genere, vel in specie sub quacunque verborum forma concessa, quas ac si de verbo ad verbum vna cum litteris Alexandri, Benedicti, Clementis, Vrbani, Bonifacij, Ioannis, Martini Prædecessorum huiusmodi inserræ forent, præsentibus haberi volumus pro expressis, ac omnia, & singula in eis contentæ auth. Apost. tenore præsentium innouamus, & approbamus, ac robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus. Proque potiori cautela omnia, & singula per Alex. Benedictum, Clementem, Vrbanum, Bonifacium, Ioannem, & Martinum, præfatos pro, & in fauorem d.Ord. Fratrum Seruorum B.Mariæ, & illius domorum, & personarum etiam Oblatarum, Commissarum Mantellararum, ac aliarum quarumlibet personarum Ecclesias Domorum prædictorum visitantium, & illis pias eleemosynas erogantium quomodolibet ordinata, statura, decreta, concessa, & indulta vim, vigorem, & efficaciam habere, & fieri, & obseruari debere motu, scientia, & auth. prædictis de nouo ordinamus, statuimus, pariterque decernimus, ac Ord. Domibus, & Professoribus prædictis etiam concedimus, & indulgemus. Et quia sicut ex dilecti filij Antonij Alabantis de Bononia Theologiæ Professoris Prioris Generalis d.Ord. relatione percepimus, nosque ipsi in minoribus constituti experiētia didicimus, circa litteras, & priuilegia huiusmodi nonnulla dubia sunt postmodum exorta, habita super illis matura deliberatione, motu, scientia, & authoritate similibus.

Primò d. Alexandri litteras, per quas Generali, & cæteris Prioribus, ac Fratribus Seruorum prædictis indulgetur, vt Corpora eligentium apud eorum loca sepulturam sepeliri liberè valeant, in ea parte, in qua dicitur, *salua tamen Iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur*, vt litibus, quæ exinde oriuntur, obuiemus, illucidando declaramus indultum huiusmodi intelligi etiam debere, quoad hoc vt Fratres ipsi nullius super hoc petita licentia Parochias, in quibus Corpora prædicta forent, cum Cruce processionaliter ingredi, ac ipsa leuare, & ad eorum Ecclesias sepelienda deferre possint, vbi hoc consuetum foret, vel presbyteri de eleuatione requisiti id facere recusarent. Nec cogantur inuiti etiam prætextu cuiusuis consuetudinis ipsi, vel defunctorum Consanguinei illa ad Parochiales Ecclesias, aut alia loca deferre, & cum, vel sine illis inibi celebrare, vel celebrari facere pro ipsis defunctis Diuina officia ante, vel post sepulturam eorumdem. Iustitiam verò Ecclesiarum à quibus Corpora ipsa sumuntur iuxta eiusdem Alexandri prædecessoris nostri voluntatē saluam esse debere decernimus eo casu, quo dumtaxar apud loca ipsorū Fratrum prædicta Corpora sepeliuntur. Si verò non apud eos, vel alios etiam Mendicantium Ordin. Professores corpora ipsa cōtingeret sepeliri. Ex iis, quæ ad Fratres prædictos, apud quos tunc Corpora ipsa non sepelirentur, & bonis defunctorum quomodolibet obuenirent quouis particulari, vel vniuersali titulo directè, vel per obliquū nullā canonicā, aut Parochialē portionē dare teneātur. Nec similiter aliqua portio debeatur de iis, quæ ad certos determinatos vsus eisdem Fratribus, vel eorum domibus in genere, vel in specie etiam de bonis eorum, quorum 19.

Cadauera

Cadauera apud eos contingeret sepeliri, relicta, & legata forent, nec etiam in casibus, in quibus per eiusdem Alexandri, ac aliorum Prædecessorum nostrorum specialia priuilegia Fratres ipsi à solutione quarta sunt exempti. Nec alio casu de candelis, quæ dantur ad manus Fratrum quarta aliqua quomodolibet detrahatur. In aliis verò quam in præmissis casibus, quibus quarta ipsa soluenda venirent. Conuentiones, si quæ sint inter Fratres
31. prædictos, & locorum Ordinarios ac Ecclesiarum Rectores initæ laudabiles, & honestæ, ac illis cessantibus ius commune seruetur imposterum. Et si forte per nos, vel Sedem Apost. de piè legatis, & relictis in genere, vel in specie decima, vel alia portio, seu quarta alteri piæ, vel non piæ causæ quæuis ratione hactenus concessa foret, aut imposterum concedi, solui, aut dari, vel mandari contingeret, Fratres prædictos, & illorum domos, eisque legata, & relicta, seu alias in eorum fauorem disposita in concessione, & mandatis huiusmodi decernimus, & volumus non includi.
32. Exemptionem quoque Ord. Domibus, Fratribus B. M. Seruorum & bonis eorumdem per Vrbani, & Ioan. Prædecessorum huiusmodi litteras prædictas, ac illius, & inde sequutorum quorumcunque confirmationem, & stabilitionem in Martini etiam Prædecessoris nostri præfati litteris prædictis contentas, vtpote notorias allegatione, & probatione non indigere, ac quaslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, quoscunque processus, quasuis pœnas, & sententias generales, vel speciales continentes, quos, & quas promulgari, vel haberi, ac alia omnia contra Ord. Domos, Fratres, locaque prædicta, necnon personas Oblatas, & Mantellatas eiusdem Ord. & ipsorum omnium bona quæcunque in ipsorum exemptionibus huiusmodi quomodolibet cōprehensa etiam ratione cuiuscunque contractus, vel delicti, seu rei de qua ageretur, vbicunque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat ferri, vel haberi contigerit etiam exemptione huiusmodi aliter non allegata, vtpote notoria, nullius roboris, vel momenti, ac pro infectis haberi debere, ac Domos, Fratres, locaque necnon personas Oblatas, & Mantellatas d. Ord. ipsorumque omnium bona prędicta sub nostra, ac B. Petri, & Apost. Sedis pro-
33. tectione suscepta etiam ab Inquisitore hæreticæ prauitatis pro tempore existenti, eiusque omnimoda iurisdictione penitus exiuimus exemptaque perpetuo fore, & esse pari motu, scientia, & auct. decernimus.

Litteras verò præfati Alexand. per quas tunc existenti, & successoribus suis Fratrum Seruor. B. M. prædictorum Generalibus indulsit, vt cæteros Priores, & Fratres d. Ord. eis subiectos iuxta ipsius Ord. instituta corrigere ac alia circa eos, quæ ad ipsorum officia spectarent, quoties expediret exercere valerent, cum sæpe reuocetur in dubium
34 pro quibus excessibus corrigi, & pœnis puniri debeant declarantes, ampliantes, & extendentes, vt Fratres prædicti ab eiusmodi excessibus abstineant ac de illis correctionem, & punitionē meritas facilius habeant & patiantur, ac viuant iuxta ipsorum Ord. Regularia Instituta, quod Generalis, & quib. ipse id specialiter commiserit, Prouinciales d. Ord. Priores pro tempore existentes cæteros Priores, & Fratres eiusdem Ord. etiam de obseruantia tanquā eidem Generali subiectos corrigere, & contra illos pro commissis per eos excessibus, & delictis quibuscunque procedere, illosque propterea iuxta excessuum, ac delictorum commissorum huiusmodi exigentiam etiam per Carceris intrusionem, & torturam, aliaque iuris opportuna remedia, ac inuocationem brachij sæcularis, quoties oportuerit quacunque appellatione non obstante punire, vel puniri facere per se, vel alios.

Quodque Prior Generalis eiusdem Ord. pro tempore existens tam corrigendos, & puniendos, quam reliquos Priores, & Fratres prædicti Ord. Professores ab huiusmodi, aliisque excessibus, & delictis per eos commissis, etiam simoniæ prauitate qualitercunque irretitos, ad Sedem prædictam propterea destinandos, dummodo Priores, Fratres, professores prædicti hæretici relapsi, schimatici, litterar. Apost. falsificatores, aut prohibitorum ad partes Infidelium delatores non fuerint, ac à pœnis, quas illorum occasione incurrissent absoluere, ac cum illis super irregularitate ob præmissa contracta dispensare, & Prioribus Prouincialibus d. Ord. absoluendi, & dispensandi, vt præfertur, facultatem communicare. 35.

Et nihilominus, vt d. Ord. Professoribus omnis vagandi tollatur occasio, & ad prædictam Sedem recurrendi subtrahatur pro posse necessitas, Generali pro tempore existenti dispensandi cum eiusdem Ord. B. M. Seruor. Professoribus ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio nefando, & illicito coitu prouenientem defectum patientibus, necnon cum iis, qui ex quauis causa, prærerquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum irregulares forent, postquam Ordin. ipsum professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstantibus irregularitates ipsi ad quoscunque etiam Sacros Ord. promoueri, ac in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, & & tam ipsi irregulares, quam defectum natalium patientes prædicti ad quascunque administrationes, & officia d. Ord. eligi, deputari, & assumi, illaque gerere, & exercere liberè, & licitè valeant, motu, scientia, & auctoritate prædictis facultatem concedimus pariter, & indulgemus. 36.

Et cum aliquando contingat Monasteria, Domos, & loca Monialium, Sororum, Mantellatarum, & Pinzocherarum d. Ord. Monialibus ita destitui, vt de illorum reformatione spes nulla supersit, conuenientiusque sit quod illorum sic destitutorum bona ad ipsos Fratres deueniant quorum erant curæ commissa, quam ad alios, idcirca quæ sic destituta existunt, & destitui continget in futurum Monasteria, Domos, & loca prædicta cum eorum omnibus, & singulis bonis, & pertinentiis perpetuis vsibus Fratrum domus d. Ord. Monasterij destitutis huiusmodi propinquioris ex nunc prout ex tunc applicamus, ita quod Fratres ipsi de illis eorumdem Monasteriorum structuris, & ædificiis possint pro eorum voluntate disponere, prouiso quod illorum Ecclesiæ, & Oratoria ad profanos vsus non redigantur, sed in illis celebrentur diuina officia consueta, ac tam domorum, & locorum destitutorum huiusmodi, quam omnes aliæ, & singulæ Sorores Mantellatæ Pinzocheræ prædictæ ad aliquem alium Ordin. transire nequeant prout d. Ord. Fratrum Seruorum Professores sunt adstricti. 37.

Insuper cum nonnulli ad prædictum Fratrum Seruor. B. M Ord. gerentes præcipuum deuotionis affectum ordinent eorum cadauera cum habitu Fratrum prædicti Ordin. aut Sororum, seu Mantellatarum eiusdem sepeliri, ne ex illorum corporum ad alia loca declaratione Ordin. & Fratrum 38.

prædictorum iuri, & Ordinationi eorumdem irrogetur iniuria, decernimus talium Cadauera cum tali habitu nisi apud Fratres ipsos in eorum Cœmeteriis, nec alibi posse absque Fratrum Domus loci, in quo tales decesserint, expressa licentia, & assensu sepeliri.

39. Cæterum vt si ratione Parochialium Ecclesiarum, apud quas Domus Fratrum eorumdem constructæ fuere, vel construentur in futurum, locorum Ordinarij in eosdem Fratres aliquam superioritatem vendicare tentarent, ne eorumdem Fratrum quies in aliquo perturbetur, ipsi Fratribus concedimus, vt in sic concessis, & quas eis concedi contigerit in futurum Curatis, Ecclesiis possint per Capellanum à Generali, vel de illius commissione à Prouincialibus, seu aliis Prioribus d. Ord. pro eorum nutu eligendum, ponendum, & amouendum curam dd. Ecclesiarum exercere. Qui quandiu Cappellanatus huiusmodi fungetur officio ac si d. Ordinis Fratrum Seruorum professor existeret, eorumdem Fratrum libertate, & exemptione fruatur, Ecclesiæque prædictæ, & illarum bona eadem qua Domus Fratrum d. Ord. prærogatiua lætentur.

40. Illi præterea particulæ litter. Clement. Prædecessoris prædictis in qua Fratribus d. Ord. quod Priorem Generalem d. Ord. certo modo eligere possit, conceditur motu, scientia, & auctor. prædictis adiicimus, quod idem Generalis Prior sit elector, postquam electionis sibi præsentato decreto consenserit, intelligatur auctorit. Apost. confirmatus, ac eo ipse liberè exerceat, & administret, quæ ad suum Generalatus pertinent officium. Reiecta quauis Professorum d. Ord. & aliorum sibi ratione d. Officij subdictorum appellatione, quam ab eius præceptis, monitionibus, Ordinationibus, mandatis, & decretis Regularis disciplinæ eorumdem quomodolibet interponi contingeret.

41. Attendentes insuper quod Prouincialium, & Conuentualium Priorum electiones eo firmiores erunt, quo solemnius celebrabuntur, volumus, ac motu scientia, & auctor. sæpe dictis statuimus quod Prouincialium, & Conuentualium quorumlibet Priorum d. Ord. electiones in Generali, vel Prouinciali Capitulis per Fratres d. Ord. fieri consuetis perpetuis futuris temporibus fieri debeant, & Fratres prædictos ad electiones huiusmodi sic, & non aliter faciendas teneri, & obligatos esse declarantes, ac quidquid secus attentari contingeret, seu fieret, irritum, & mane decernentes.

42. Rursus quia intelleximus quod etsi piæ mem. Ioan. Papa XXII. etiam Prædecessor noster illorum opinionem, qui asserebant, quod confessis à prædictis, & aliis quorumcunque Mendicantium Ord. Fratribus, ad audiendas confessiones iuxta Iuris dispositionem deputatis pro tempore tenebatur eadem peccata Rectori eorum Parochialis Ecclesiæ iterum confiteri, reprobauerit, & deinde rec. mem. Eugenius Papa IV. similiter Prædecessor noster reprobationem huiusmodi approbando contra talia asserentes tanquam de hæresi suspectos per locorum Ordinarios inquiri, ac procedi mandauerit, ac successiuè Nicolaus Prædecessor præfatus à Ioan. & Eugenio Prædecessoribus huiusmodi gesta in præmissis robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreuerit, nihilominus nonnulli adhuc eorumdem inhærentes proteruiæ opinionem prædictam, & de super damnatos, & malesonantes, ac reprobos factos articulos veros esse affirmare non verentur, vt talium præsumptuosa temeritas tanto minus inualescat, quanto plurium erit Superiorum correctioni subiecta, concessam contra tales opinantes per eiusdem Eugenij Prædecessoris litteras locorum Ordinariis facultatem ad Inquisitores hæreticæ prauitatis extendimus, ac volumus quod Inquisitores ipsi quicunque fuerint, eadem qua Ordinarij contra tales auctoritate fungantur.

Quodque si super quoscunque processus, lites, & controuersias inter Fratres Ecclesiarum Rectores, & Ordinarios prædictos emergentes Ordinarij ipsi, seu quicunque alij ad inhibitionem eleemosynarum per Christi fideles Fratribus ipsis faciendarum quocunque modo fuerint prolapsi, volumus, & præsentium tenore decernimus, omnes, & singulos inhibentes huiusmodi, excommunicationis sententiam ipso facto incurrere, ac contra eosdem hæreticæ prauitatis Inquisitores præfatos ad omnem simplicem dd. Fratrum requisitionem tanquam contra hæreticos posse, ac debere procedere. 43.

Ioannis quoque Prædecessoris prædicti declarationem, atque Decretum, quod Priores, & Fratres qui pro tempore essent domorum, & locorum præfati Ord. vbicunque consistentium à quacunque etiam per ipsum, seu auctoritate Apost. quandocunq; super personis Ecclesiasticis, vbicunque constitutis imponendi subsidij exhibitione, sicut Mendicantium Ord. Fratres exempti penitus, & liberè ad aliquid huiusmodi subsidij soluendum non tenerentur; ad non solutionem collectarum, ctarum, seu exactionum quarumlibet, vel vigesimæ, ac nullas noualium eorum quæ propriis manibus, & sumptibus colunt, ac hortorum, virgultorum, & piscationum eorum decimarum exactiones, nec non quæcunque bona dd. Fratrum, & onera, quæ etiam sub cuiusuis alterius quartæ, vel charitatiui subsidij, quoad Ecclesias, vsque ad præsentem concessionem eisdem Ord. vel eius domibus, aut locis vnitas, vel concessas, aut datij, pedagij, vel gabellæ, imbottati, aut alio quouis nomine inducentur per locorum Ordinarios, Clerum, aut Populum, siue Principes, & Dominos tempotales, ac alios quoscunque exigerentur etiam quauis auctoritate extendimus, dicti Ord. Fratrum Seruorum Professores etiamsi decimæ, & onera huiusmodi per quoscunque exemptos etiam Mendicantium Ord. professores solui mandarentur, cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, & efficatioribus cautelis ad decimarum, & onerum prædictorum solutionem non teneri, ac in illorum solutione cessando censuras, aut pœnas aliquas non incurrere nisi præsentibus non per generales, aut alias clausulas specialem mentionem importantes, sed alias sit specificè derogatum earumdem præsentium de verbo ad verbum inserto tenore. 44.

Et vt Virgines, viduæ, & coniugatæ personæ, Sorores Mantellatæ, Pinzocheræ d. Ord. Fratrum Seruorum nuncupatæ prædictæ tanto feruentius iuxta eorum viuendi ritum, & morem sub cura, & secundum Instituta eiusdem Ord. ac ordinata per prædictum Martinum Prædecessorem nostrum diuinis studeant vacare beneplacitis, quanto maioribus priuilegiis, & fauoribus prædictæ Sedis propterea cognouerunt se refertas, motu, scientia, & auctoritate prædictis volumus, & eisdem personis concedimus, quod omnibus, & singulis priuilegiis immunitatibus, fauoribus, gratiis, & indultis spiritualibus, & temporibus Ordin. & Fratribus prædictis 45.

prædictis concessis, & concedendis, & quibus illi in genere quomodolibet potiuntur, & gaudent tam in vita, quā in mortis articulo, & circa peccatorum remissionem, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationem, ac quascunque temporales, & plenarias indulgentias potiri, & gaudere, ac participes esse possint, & debeant, liceatque Fratribus eisdem Sororibus Pinzocheris, & Mantellatis personis prædictis etiam in domibus quoties opus fuerit, ac in Paschate Eucharistiæ, & Extremę Vnctionis Sacramenta ministrare, & quando eas decedere contigerit illorum Cadauera ad eorumdem Fratrum Ecclesias tumulanda deferre, etiam Parochialium Ecclesiarum personarum, seu Rectorum licentia desuper minimè requisita.

46. Et ne Oblati d.Ord.qui in illo ad instar oblatorum Ord. Fratrum Eremitar. S. August. prædicti recepti fuerunt, & recipientur in futurum, prout vigore dd. Priuilegiorum dictis Fratribus Seruorum B.M. à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus concessorum recipi potuerunt; & pro tempore poterunt, eorum curæ deuotionis ad Ord. Fratrum Seruorum huiusmodi frustrentur effectu, omnia, & singula circa Fratres, Sorores siue Pinzocheras, & Mantellatas nuncupatas, prædictas in quibuscunqe priuilegiorum prædictorum, & præsentibus litteris statuta concessa, & ordinata, aut illis, & Fratribus prædictis in eorum commodum, & fauorem indulta ad easdem d.Ord. Fratrū Seruorum B.M. & pro tēpore oblatas, & commissas, vtriusque sexus personas, scientia, motu, & auctorit. præfatis extendimus, & ampliamus, ac in eis locum habere perinde acsi pro eisdem Oblatis personis, & circa illas emanassent, decernimus, volumus, & ordinamus.

47. Statuto verò litterarum Vrbani Prædecessoris antedicti cauenti, quod nullus ex prædictis Fratribus, qui in suo Ord. Regularem professionem emisisset, ad aliquem alium etiam sancti Benedicti, quoruncunque Mendicantium Ordinis transire valeret, motu, scientia, & auctoritate prædictis addimus, & volumus quod nullus cuiuscunque alterius Ordinis Abbas Generalis, vel Prælatus, siue persona sæcularis cuiuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis existens, quauis etiam Apostolica, ac generali, vel speciali auctoritate suffultus, aut suffulta prædictos Fratres Seruorum beatæ Mariæ recipere, vel retinere, nec aliqui Apostolicæ Sedis Legati etiam de latere, aut Maior Pœnitentiarius eisdem Fratribus à prædicto suo ad aliquem alium Ordinem huiusmodi se transferendi, siue beneficia aliqua recipiendi, vel retinendi habilitatem, vel dispensationem vllam concedere, aut Fratres eosdem à Superiorum suorum regulari obedientia quomodolibet eximere possit, vel debeat absque speciali licentia in dicto statuto contenta, & de verbo ad verbum exprimenda. Quodque nihilominus Abbates Generales, seu Prælati, vel personæ huiusmodi, qui, aut, quæ tales Fratres contra statuti prædicti, & præsentis nostræ voluntatis formam, & tenorem aliquem ex Fratribus prædictis recepissent, vel recipient in futurum illos cum omnibus, & singulis bonis, quæ secum haberent, & à domo, seu à Conuentu, à quo tempore translationis huiusmodi discesserant, secum attulerant ad domum, seu Conuentum prædictos remittere teneantur, sententiam excommunicationis latæ sententiæ de facto incursuri, quoties monitione præmissa à Superioribus dictorum Fratrum requisiti, illud facere recusauerint, & nihilominus beneficia, quæ per Fratres prædictos habilitatis, aut dispensationis huiusmodi prætextu obtinerentur, omnino vacare censeantur, & per illum, ad quem illorum collatio pertinebit aliis, vel aliis idoneis personis tanquam vacantia liberè, & licitè conferri possit, & assignari. Quodque Fratrum prædictorum, qui à dicto Ordine discessissent, siue discedent illius habitum relinquendo, & censuras Ecclesiasticas incurrendo bona omnia per eos postquam professionem dicti Ordinis emiserint, quomodolibet acquisita ad prædictum Ordinem deuoluantur, eo ipso motu, scientia, & auctoritate similibus statuimus, atque decernimus.

Cupientes insuper cunctos Christi fideles à norma rectitudinis, & rationis tramite deuios ad reconciliationis gratiam Domino propitio redire, Priori Generali Fratrum Seruorum beatæ Mariæ Ordinis sancti Augustini prædicti nunc, & pro tempore existenti, quod omnes, & singulos vagos, relapsos, & Apostatas dicti Ordinis, vt ad eundem Ordinem, prout tenentur, humiliter, & deuotè redeant, & propria, quæ habent, Superiorib. suis assignent, eisque obedientiam, & reuerentiam, debitam exhibeāt, & regulariter viuant iuxta eiusdem Ordinis Seruorum salutaria instituta omnibus duris remediis opportunis compellere, & illos, qui super iis inobedientes, siue rebelles fuerint excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & aliis disciplinæ Regularis rigoribus per seipsum, vel alios ab eo deputatos, in quocunque habitu, & loco, etiamsi in Romana Curia tales Apostatas contingeret inueniri, in qua prout extra eam Priorem prædictum super illius subditos tam expressæ, quàm tacitæ professionis emissæ vigore ordinatium auctoritate Apostolica deputamus, subdere liberè, & licitè possit, motu, scientia, authoritate prædictis concedimus facultatem. Inuocato ad hoc quoties opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Ac inhibemus ne Apostatæ prædicti cōfessiones audire, vel docere quoquomodo præsumant, nisi ad alium Ordinem, in quo licitè huiusmodi exerceantur officia, de Prioris Generalis prædicti licentia speciali se transtulerint. 48. 49.

Et præterea inhibemus, vt nullus siue in cuiussuis Religionis Ordine, siue extra Ordinem constitutus habitum Fratrum Seruorum prædictorum, aut illi ita consimilem, quod per illum Fratres Seruorum B. M. credi, nullaque mulier Pynzochera Soror, aut Mantellata, siue Monialis alterius Ordinis habitum consimilem habitui Monialium, Sororum, Pinzocherarum, siue Mantellatarum dicti Ordinis Fratrum Seruorum, vel illi consimilem, quod ipsius persona censeri possit deferre valeat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali: itavt quicunque illum aliter gestare repertus fuerit, correctioni Generalium, & Prouincialium Ordinis huiusmodi iuxta illorum arbitrium puniendus subiiciatur. 50.

Vt autem Capitulum Generale dicti Ordinis eo calebrius fit, quo ibi plures ad Theologiæ gradum debeant promoueri, litteras Bonifacij prædicti, per quas Priori Generali, qui dict. Ordin. pro tempore fuerit, quod in quolibet eiusdem Ordinis Capitulo Generali vnum illius Fratrem, quem duxerit eligendum ad id repertum idoneum ad huiusmodi Magisterij honorem promouendi licentiam elargitus est, ampliando, Priori prædicto duos dumtaxat dicti Ordinis Fratres vnum Citramontanum, & alterum Vltramontanum, si tunc 51.

inueniatur, alias in Vltramontani defectum Citramontanum, & in Citramontani defectum Vltramontanum, alium ad Magisterij Theologiæ gradum prædictum ordinatione litterarum dicti Bonifacij, necnon modo, & graduandorum prædicto ordini datis, atque concessis citra præmissa seruatis, promouendi licentiam, & facultatem motu, scientia, & auctoritate prædictis elargimur.

53. Ac præterea ne de sufficientia promouendorum huiusmodi hæsitetur, statuimus, quod nullus Frater prædictorum ad Baccalaureatus, nisi per quinque annos continuos, & ad Magistri Theologiæ gradus nisi per tres alios annos post assecutionem Baccalaureatus huiusmodi iuxta alicuius vniuersitatis consuetudinem in facultatibus huiusmodi studuerit, quomodolibet promoueri possit. Quodque Prouincia, & Conuentus, de qua promouendi ipsi fuerint oriundi, illis de congruis, & sufficientibus expensis in talibus promotionibus iuxta vniuersitatis, in qua promouebuntur, morem, vel consuetudinem requisitis, & opportunis totaliter prouidere teneantur, & quatenus in aliqua vniuersitate, vbi studium vigeat, aut in Capitulo dicti Ordinis Generali,& non alibi ad gradus prædictos se faciant promoueri. Decernentes, quod Fratres ipsi promouendi ad huiusmodi gradus licentiam, vel indultum ab Apostolica Sede impetrare non debeant sine speciali, & expressa dicti Generalis licentia, ac irritum, & inane quidquid secus fieri contingeret, vel attentari.

54. Vt autem prædicti Fratres tanto feruentiùs diuinis beneplacitis insistant, quanto maioribus se viderint spiritualibus gratiis fore munitos, omnibus & singulis d.Ord. Professoribus præsentibus, & futuris concedimus, vt Confessor idoneus d.Ord. quem ipsorum quilibet pro se duxerit eligendum, eorumdem confessione diligenter auditæ pro commissis per eos excessibus, & peccatis, etiamsi talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esse merito consulenda, semel in vita, & semel in mortis articulo plenariam absolutionem, & peccatorum huiusmodi remissionem, etiamsi ante factam dicti Ordinis professionem decedere contingeret, valeat concedere.

55. Quodque liceret eis habere altare portatile, super quo in locis ad id congruis,& honestis pro seipsos, si Presbyteri fuerint, vel alias per idoneos Presbyteros Missas,& alia diuina officia, etiã antequam illucescat dies, circa tamen diurnã lucem, & absq; alieni iuri præiudicio. Et tempore generalis Interdicti Ordinaria solum, non autem auctoritate Apostolica appositi in locis prædictis, præterquam in Ecclesiis ab Ordinis obedientia non exemptis, quoties ab eis contigerit interdici.

Ac cum generale terræ fuerit interdictum in Ecclesiis, & locis præfati Ord. dummodo causam non dederint Interdicto, & clausis ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & submissa voce celebrare, seu celebrari facere, necnon eiusdem Interdicti tempore ad diuina huiusmodi cum eis Sorores Pinzocheras, Mantellatas, Oblatas, Commissasque personas, ipsorum Fratrum, Monasteriorum Monialium Ordin. prædicti procuratores, & negotia gerentes vtriusque sexus admittere prædictis motu, scientia, & auctoritate indulgemus.

56. Confirmationem quoque litterarum Bonifacij prædicti, qui Priori, & Fratribus Seruorum huiusmodi, vt ipsi, & eorum domus, & loca omnibus, & singulis priuilegiis, libertatibus, Immunitatibus, exemptionibus, & indulgentiis laudabilibus vti possent, quibus Fratres O.d. Fratrum Eremitarum S. Augustini præfati eis ab Apostolica Sede concessis, vsi fuerant, in Martini prædicti litteris insertarum, per eumdem Martinum factam, ad quascumque litteras,& gratias spirituales,& temporales, ac concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, Almæ Vrbis stationes in genere, vel in specie Fratribus, & Sororibus Pinzocheris, seu Mantellatis, & aliis eiusd. Ordinis, necnon eiusd. Ordinis domorum,& locorũ, Capellas,& Oratoria visitantib. concessa,& quas in futurum ab Apostolica Sede concedi contigerit, ad Generalem, aliosque Priores, & Fratres, necnon Ecclesias, Oratoria, Domos, & loca Ordinis Fratrum Seruorum huiusmodi, in quibuscumque Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, seu locis consistentia, motu, scientia, & auctoritate sæpe dictis extendimus, eisdemque Prioribus, & Fratribus Seruorum, quod omnibus Immunitatibus, libertatibus, & indulgentiis prædictis vbilibet locorum frui,& gaudere liberè possint, quibus d.Ord. Eremitarum Priores Generales, & Fratres, domos, atque loca, in quibusuis prouinciis, siue locis vti, frui, & gaudere possunt, siue poterunt quomodolibet in futurum. Quodque vniuersi Christi fideles verè pœnitentes,& confessi, qui Ecclesias, Oratoria, atque loca Fratrum Seruorum huiusmodi pro tempore visitabunt, illas indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si visitarent singulas Ecclesias, Oratoria, atque loca Fratrum Eremitarum huiusmodi, vbicunque sita in omnibus, & per omnia, perinde, ac si immunitates, priuilegia, libertates, & indulta prædicta Prioribus, Fratribus, domibus, & locis Ordinis Seruorum huiusmodi, ac indulgentiæ, & peccatorum remissiones prædictæ visitantibus ipsius ordinis Seruorum Domos, Ecclesias, loca, & Oratoria pari modo à principio concessa fuissent, & imposterum concederentur similiter indulgemus.

Cum insuper ad Ecclesias eorumdem Fratrum Seruorum refugientes à Iure,& Apostolicis priuilegiis concessa securitate gaudeant, & nonnulli in dubium reuocẽt interdum, quid Ecclesiæ appellatione contineantur, ad tale dubium submouẽdum, domos ipsorum Fratrum Seruorum cum hortis, hortalitiis, claustris, Officinis, & locis omnibus, infra illorum ambitum comprehendi, & dicta immunitate gaudere pari motu, scientia, & auctoritate declaramus, immunitatem ipsam, quatenus expediat, ad illa etiam extendentes. 57.

Præterea quieti dictorum Fratrum seruorum attendentes, ac scandala, & dissentiones, quæ inter ipsos, & aliorum quorumcunque Ordinum Monachos, siue Fratres occasione recipiendorum, aut construendorum locorum exorta sunt, & possent pro tempore exoriri, tollere cupientes, motu, scientia, & auctoritate iam dictis prohibemus, ne aliqui sancti Benedicti, vel aliorum non Mendicantium Monachi, seu Canonicis, quorumcunque Mendicantium reliquorum ordinum Fratres eorum domos, Ecclesias, Oratoria, siue loca quæcunque iuxta domos, Ecclesias, & Oratoria, vel loca eorundem Fratrum Seruorum nisi vltra spatium centum quadraginta Cannarum per aërem mensurandarum accipere, vel de nouo fundare, aut ædificare, nec fundata, vel ædificata recipere. 58.

Ne vt tam Monachi, Canonici, & Fratres prædicti, quam etiam eiusdem Ordinis Fratrum Seruorum 59.

rum

rum de Obseruantia Fratres nuncupati, necnon laici vtriusque sexus, cuius dignitatis, gradus, Ordinis, vel conditionis fuerint, etsi Marchionali, Ducali, Comitali, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & alia qualibet Ecclesiastica præfulgeant dignitate, & auctoritate Domos, Ecclesias, Oratoria, vel loca per Fratres Conuentuales Seruorum huiusmodi habita, & possessa, aut Monasteria Monialium, vel Sororum curæ ipsorum Fratrum Conuentualium Seruorum beatæ Mariæ commissa aliis Fratribus, Monialibus, vel Sororibus etiam eiusdem Ordinis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso toties quoties eos contrafacere contigerit, incurrenda quouis nomine nuncupatis quomodolibet concedantur, aut quod amotis exinde Fratribus, & Sororibus illos, & illa inhabitantibus reformentur, & alij Fratres, alienæ Moniales, aut Sorores eorum loco subrogentur, & substituantur ibidem seu quod Domus, Ecclesiæ, Oratoria, & Monasteria prædicta aliis assignentur, vel committantur procurare, quærere, seu tentare, nisi apud Priorem Generalem dictorum Fratrum Seruorum pro tempore existentium, qui teneatur, & debeat quoties opportunum fuerit, & fuerit requisitus per se, vel ab ipso deputandos, domos, Monasteria, & loca ipsa debitè reformare, & quæ correctione, & emendatione indigerent corrigere, & emendare. Nec etiam ad effectum amotionis huiusmodi à domibus suis eisdem Fratribus Seruorum Conuentualibus, ac eorum curæ commissis Monialibus, & Sororibus iniurias, vel grauamina aliqua inferre, seu ab eisdem Fratribus Seruorum, eorumque curæ commissis Monialibus, & Sororibus prædictis pro rebus, & bonis, quæ haberent, ac negotiationis causa non deberent pedagia, guidagia, gabellas, aut alia quouis nomine nuncupata noua opera petere, exigere, leuare quoquomodo præsumant. Ac volumus, motuque, scientia, & auctoritate prædictis statuimus, & ordinamus, quod Fratres ipsi Conuentuales, ac Moniales Sorores, & alij quicumque Reformationibus quas fieri continget per Generalem, aut de illius speciali commissione Prouinciales Priores Fratrum Seruorum prædictos acquiescere, illasque obseruare omnino teneantur, & debeant, quodque Laici prædicti in faciendis reformationibus huiusmodi alias, quam vt præfertur, nullatenus se intromittant, aut ne fiant, opponant, vel contradicant, nec quod postmodum factæ reformationes alterentur, vel mutentur, aut in eis aliquid vltra addatur, quærere audeant sub eadem excommunicationis sententia si contra fecerint, eo ipso ex tunc incurrenda. Decernentes irritum, & inane si secus super iis à quoquam quauis, etiam Apostolica auctoritate scienter, vel ignoranter harum non inserto tenore contigerit attentari.

60. Porro dictorum Fratrum Seruorum quieti, & commoditatibus prouidere volentes, quod per litteras Apostolicæ Sedis, vel quorumcunque etiam de latere legatorum, aut sublegatorum eiusdem imposterum ad litterarum ipsarum executionem, aut illarum vigore Citationes, commissiones, vel censurarum Ecclesiasticarum promulgationes faciendas, nec causas aliquas audiendas à quoquam inuiti compelli possint, nisi de præsenti Indulto, & Ordine Fratrum Seruorum huiusmodi specialis mentio in prædictis litteris habeatur, eisdem Fratribus Seruorum motu, scientia, & auctoritate præfatis indulgemus.

61. Rursus vt ex litteris Martini Prædecessores antedicti, qui Priori Generali, & Fratribus Seruorum prædictis, quod in quibuscunque Ciuitatibus, Terris, & locis, in quibus Domos cum earum Ecclesiis, & officinis, possessiones tamen sufficientes pro victu Fratrum in illis commorantium non habentes ad instar Fratrum Ordinis Mendicantium mendicare, ac eleemosynas, & suffragia petere possint, concedit: ipsi Fratres Seruorum vberiorem fructum, & gratiam valeant reportare, ac ne rerum præmantur inopia, illorum victui, & necessitatibus subuenire volentes, eisdem motu, scientia, & auctoritate decernimus, quod Fratres huiusmodi in omnibus Ciuitatibus, Terris & locis prædictis absque vlla quota, vel portione, aut onere, seu solutione quouis nomine nuncupati de Iure, vel consuetudine Ciuitatum, Terrarum, & locorum eorundem requisitis danda, vel porrigenda mendicare, ac eleemosynas, & suffragia pro ipsorum victu, & necessitate petere, & recipere liberè, & licitè valeant. Inhibentes omnibus, & singulis tam Ecclesiasticis, quàm Laicis personis, quacunque dignitate fungentibus, ne sub excommunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso quo contra fecerint incurrenda, ne Fratres Seruorum prædictos ad dandum, vel soluendum aliquid ratione mendicitatis, & eleemosynarum prædictarum cogere, aut ab eisdem Fratribus petere, nec illos propterea impedire, quoquo modo præsumant.

Cæterum attenta meditatione pensantes quantum vtilitatis ad exaltationem Christianæ Fidei, & Euangelicæ veritatis dicti Fratres Seruorum hactenus attulerint, & adiuuante Domino afferre valeant in futurum, ac propterea volentes, vt tenemur, illos consimilibus Prædicatorum, Minorum, Eremitarum sancti Augustini, ac beatæ Mariæ de Monte Carmelo quatuor Ordinum Mendicantium Professoribus concessis in simili prærogatiuis. 62.

Quod de cætero Fratres Seruorum prædicti locum habeant sermonem faciendi in Capella nostra Epiphaniæ, & quintæ Dominicæ Quadragesimæ de Passione nuncupatæ singulorum annorum diebus, locum ipsum eisdem Fratribus Seruorum diebus prædictis ad huiusmodi sermonem faciendum prout alij dictorum Mendicantium Ordinum Fratres suis loco, & tempore habent, & faciunt, penitus assignantes paribus motu, scientia, & auctoritate statuimus, atque decernimus. 63.

Considerantes etiam quod pro Ecclesiarum, Altarium, & locorum omnium dicti Ordinis Seruorum consecrationibus, & Ecclesiasticis Sacramentis ab Ordinariis, siue Diœcesanis Episcopis habendis Fratres ipsi nullatenus sunt grauandi, motu, scientia, & auctoritate prædictis volumus, statuimus, atque decernimus, quod nullus ab eisdem Fratribus sub cuiusuis consuetudinis prætextu, vel aliquo quouis modo pro consecrationibus, Oleo Sancto, & aliis Ecclesiasticis Sacramentis huiusmodi, aliquid petere, vel extorquere præsumat. Quinimo Episcopus consecrationes, & omnia Sacramenta prædicta liberè, & gratiosè, absque alicuius rei perceptione, vel solutione eisdem Fratribus, quoties opportunum fuerit, impendere teneantur, salua tamen refectione consueta in Prandio, vel in Cœna in consecrationibus Ecclesiarum, vel Altarium. Quod si facere recusauerint, aut Sedes Diœcesanorum vacauerint, liceat Fratribus prædictis consecrationem, & omnia Sacramenta prædicta à propinquiori, seu quocunque alio maluerint Catholico Antistite gratiam, & 64.

commu

communionem Apostolicæ Sedis habente absque vlla contradictione petere, atque recipere.

65. Demum si præcepta ieiuniorum, & abstinentiarum, quibus d. Ordinis Fratrum Seruorum Professores iuxta illorum Regulam sunt adstricti ob diuersitatem, multitudinem, ac conpress. Fratrum eorumdem relaxari, & mitigari debere, temporum, & locorum conditio exposcerit siue discretio prædicti, & pro tempore existentis Generalis Prioris Fratrum Ser. huiusmodi id fieri debere cognouerit Priori Generali pro tempore existenti, quod personarum, locorum, & temporum qualitate pensata vtriusque sexus d. Ordinis professorib. iuxta suæ arbitrium conscientiæ super ieiuniis, & abstinentiis prædictis, ac etiam præterquam tempore quadragesimali esu carnium, necnon propter Christi fidelium largitionem super ipsis professoribus relictis, seu donatis, vel hæreditario, aut alio quocunque iure ad eos pertinentibus pro illorum vsu quibuscunque bonis per eosdem, quibus relicta, seu donata fuerint, siue pertinuerit, percipiendis, & vsufructuandis dispensare valeat prædicta auctorit. concedimus, & indulgemus.

66. Demum ne Domus, & loca Professorum B. M. Seruorum huiusmodi superfluis, & indebitis eorundem Fratrum professorum oneretur impensis, opportunum remedium adhibentes motu, scientia, & auctoritate, prædictis statuimus, quod omnes, & singuli professores huiumodi beneficia Ecclesiastica cum cura, vel sine cura, aut super illorum fructibus, redditibus & prouentibus pensiones annuas, vel capellanias seruitiales etiam parui valoris existentia nunc, & pro tempore obtinentes locum, victum, & vestitum in domibus, vel locis, ac in illis, & Ordinibus prædictis Officium, & administrationem, seu Prælaturam aliquam, necnon vocem actiuam, & passiuam in dicto Ordine Fratrum Seruorum quomodolibet habere non possint, nec debeant, nisi quoties, & quando Generali prædicti Ordinis pro tempore existenti videbitur, & eius arbitrio placebit, siue id ex speciali Apostolicæ Sedis licentia eisdem Professoribus fuerit indultum.

67. Postremo cum prædicti sicut Prædicator. Minor. Eremitarum Sancti August. & B. M. de Monte Carmelo Ordinis Professores huiusmodi pro fidei Catholicæ dilatatione continuè indefesse laborent fructusq; afferant in Dei Ecclesia salutares, & propterea fuerint variis per Sedem prædictam priuilegiis derogati, vt quos par labor, pariaque merita coniungunt, paria coniungant Priuilegia, & fauores, eisdem Fratrum Seruorum Professoribus, vt concessis dictis Fratribus Prædicatoribus, Minoribus, Eremitarum sancti Augustini, & beatæ Mariæ de Monte Carmelo priuilegiis, Indulgentiis, gratiis, & fauoribus, & indultis tam spiritualibus, quam temporalibus à prædictis, & aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, aut aliis auctorit. habentibus, quæ omnia, ac si nominatim exprimerentur hic haberi volumus pro expressis, & nostræ approbationis munimine solidamus, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere, potiri, ac gaudere possint, & debeant perpetuis futuris temporibus in omnibus, & per omnia prorsus & sine vlla differentia perinde ac si quæ eisdem Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, sancti Augustini, & B. Mariæ de Monte Carmeli Ordinibus prædictis sunt concessa præfato Ordini Fratrum Seruor. nominatim concessa fuissent, aut concederentur in futurum, & quæ pro Magistro Prædicator. & Ministro Generali Minorum, ac Prouincialibus Prioribus Prædicatorum, & ministris Minorum Fratrum, ac Eremitarum sancti Augustini, & beatæ Mariæ de Monte Carmeli Priori, & Vicario Generali Ordinis Prædicator. necnon Monasteriis Monialium sub eorumdem Prædicar. Minor. Eremitarum sancti Augustini, & beatæ Mariæ de Monte Carmeli Ordinum cura, & secundum ipsorum quatuor Ordinum Instituta viuentium sunt statuta, pro Generali, Prouincialibus, Prioribus, & Vicariis dicti Ordinis Seruorum, & Monasteriorum Monialium dicti Ordinis sub eorum cura, & secundum ipsius Ord. Seruor. instituta viuētium vice versa quoad præmissa omnia, & singula statuta sint, & esse censeantur.

Districtius inhibentes eisdem locorum Ordinariis sub Interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & aliis quibuscunque sub excommunicationis, & priuationis earumdem Parochialium Ecclesiarum, ac omnium aliorum beneficiorum Ecclesiasticorũ, quæ obtinent, necnon inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda pœnis per eos, qui contra fecerint incurrendis, ne Ordinis prædicti Fratrum Seruorum Domus, Ecclesias, loca, & Professores præter, aut contra prædictarum Alexandri, Benedicti, Clem. Vrban. Bonifacij, Ioannis, ac Martini prædictorum, & aliorum quorumcunque Prædecessorum nostrorum, & præsentium nostrarum tenorum inquietare, seu molestare, & eos, aut Testatorum, vltimarumque voluntatum executores, & hæredes, seu quoscumque alios directè, vel indirectè ad solutionem alicuius quartæ Parochialis, seu Canonicæ, vel alterius portionis, nisi prout supra expressum est, seu oneris, & ad faciendum celebrari aliquod officium in eorum Ecclesiis, vel alibi dum apud ipsos Fratres decedentium cadauera tumulantur ante, vel post eorum sepulturam cogere. Nec confessis dictis Fratribus Seruorum pro tempore Eucharistiæ, seu Extremæ Vnctionis Sacramenta sine rationabili causa denegare, vel illorum exhibitionem malitiosè differre, aut eorum Parochianis, ne dictis Fratribus confiteantur prohibere, vel persuadere, nec etiam ad præmissa, seu aliquod præmissorum auxilium, consilium, vel fauorem dare directè vel indirectè quoquomodo præsumant. 68.

Et nihilominus cuilibet in dignitate Ecclesiastica constituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ Canonico, qui à prædicti Ordinis Fratrum Seruorum Prioribus, & Fratribus, ac illorum, seu ad commodum eorum Romanæ Ecclesiæ Syndicis desuper deputatis requisitus fuerit per Apostolica scripta in solidum mandamus quatenus ipsi per se, vel alium, seu alios præmissa vbi, & quando opus fuerit solemniter publicantes, ac eidem Fratrum Seruorum Ordinis, illorumque domibus, Ecclesiis, locis, & Professoribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant eos pacifica possessione, vel quasi priuilegiorum, & concessionum huiusmodi gaudere, non permittentes eos, seu Testamentorum Executores, & hæredes prædictos contra illorum tenorem per Ordinarios, & Rectores prædictos, aut quoscunque alios indebitè molestari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari, ac etiam summariè, & de plano sine strepitu, & figura Iudicij sola facti veritate inspecta contra quoscunque 69.

que, cuiuscunque qualitatis, & conditionis existant, & quacunque Ecclesiastica etiam Patriarchali, Archiepiscopali, aut mundana forent dignitate, & exemptione muniti, in quibuscunque causis per eos mouendis quacunque ratione, vel causa, quæ excogitari possit, eis ministrent Iustitiæ complementum, exequentes, quod per eos fuerit ordinatū, & illos, quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit, illis irretitos esse declarent, ac faciant, & mandent interdictos, suspensos, & excommunicatos publicè nunciari, & ab omnibus arctius euitari, ac legitimis super his habendis seruatis processib. illos quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauare procurent. Contradictores auctor. appellatione postposita compescēdo inuocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstante piæ memor. Bonifacij Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri, quibus cauetur ne quis extra Ciuitatem suam, & diæcesim, nisi in certis, & exceptis casibus, & in illis vltra dietam à fine suæ Diæc. ad Iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede Apostolica deputati extra Ciuitatem, & Diœcesim in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere, aut alij, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio Generali, necnon quæ incipiunt *Super Cathedram* Bonifacij VIII. præfati Et *Dudum* Viennensis Concilij, ac recolendæ memoriæ Callisti Papæ III. etiam Prædecessoris nostri litteris aliisque Apostolicis, ac etiam in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, necnon bonæ memoriæ Octonis, & Octoboni olim in Regno Angliæ Apostolicæ Sedis legatorum Constitutionibus, & Ordinationibus, Ecclesiarum, quoque, ac locorum quorumlibet statutis, & consuetudinibus, & inter quoscunque dicti Ordinis Fratrum Seruorum Professores, ac locorum Ordinarios, seu Rectores prædictos initis, & conclusis, ac hactenus obseruatis pactis, & conuentionibus etiam Iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, necnon omnibus illis, quæ Alexander, Benedictus, Clemens, Vrbanus, Bonifacius, Ioannes, & Martinus præfati in dictis eorum litteris voluerunt, non obstare, contrariis quibuscumque, quibus omnibus illa, ac si de verbo ab verbum insererentur, & derogatoriarum, quascunque derogatorias clausulas in se continerent præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quoad præmissa specialiter, & expresse derogamus. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Rectoribus, ac laicis præfatis, seu quibusuis aliis communiter, vel diuisim à Sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca ad Iudicium euocari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum, & concessæ in eis Iurisdictionis executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim ex nunc illa, & quæcunque alia, quæ in futurum per nos, vel Sedem Apostolicam quomodolibet concedi, statui, vel ordinari contra Alexandri, Benedicti, Clementis, Vrbani, Bonifacij, Ioannis, & Martini Prædecessorum prædictorum, ac præsentium litterarum huiusmodi tenorem, necnon secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, paribus motu, scientia, & auctoritate irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti esse decernimus.

Et quia difficile foret præsentes litteras ad singulas Prouincias originaliter destinare, volumus, 70.
& vt præfertur, decernimus, quod transumptis earum manu cuiuscunque Notarij publici, vel Protectoris, qui est, & qui pro tempore erit prædicti Ordinis Fratrum Seruorum, vel Causarum Cameræ Generalis Auditoris, aut alicuius Episcopalis, vel Archiepiscopalis Curiæ, seu dicti Ordinis Prioris Generalis sigillo munitis ea prorsus in Iudicio, & extra vbicunque exhibita, vel ostensa fuerint, fides adhibeatur indubia, quæ ipsis Originalibus litteris adhiberetur, si ipsæ actualiter forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa- 71.
ginam nostræ innouationis, approbationis, constitutionis, Ordinationis, Statuti, decreti, declarationis, confirmationis, ampliationis, extensionis indulti, voluntatis, additionis, inhibitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo, sexto Kalend. Iunij Pontificatus nostri anno tertio.

COMMENTARIVS IN MARE MAGNVM SERVITARVM

SVMMARIVM.

Innocentius VIII. author Maris magni Seruitarum. num. 1.

Motiuum huius gratiæ quale. ibidem.

De institutione, laudibus, &c. Ordinis Seruitarum. num. 2.

Hoc Mare magnum vbi extat. n. 3.

Commendatur hic Ordo à Pontifice. n. 4.

Verba narratiua Papæ quam fidem mereantur. ibid.

Historia de titulo Seruorum Beatissimæ Virginis. ibid.

Libertas Sepulturæ. n. 5.

An in eorum Ecclesiis. n. 6.

Quibus sepultura concedatur. ibidem.

Clausula Salua iustitia Ecclesiarum. *ibid.*

Priuilegium Benedicti Vndecimi de eadem re. numero 7.

Facultas corrigendi Fratres. n. 8.

Facultas delegandi authoritatem Generalis. n. 9.

Benedictus XI. hunc Ordinem commendat. num. 10.

Facultas celebrandi Capitulum Generale. ibidem.

A quo primum concessa. n. 11.

Concessione priuilegiorum confirmatur Religio. n. 12.

Clemens VI. Ordinem reformat, & statuta concedit. num. 13.

Summi Pontifices zelatores Reformationis Religionum. n. 14.

An

An statuta ista Papæ mutari possint à Religione. num.15.
Capituli Generalis de triennio in triennium. numero 16.
Capitula celebranda.n.17.
Quas ob rationes.ibid.
Qui veniant ad Capitula.n.18.
Capitulum Prouinciale singulis annis celebrandum. num.19.
Modus illud celebrandi.n.20.
Tempus, & circumstantiæ ipsius.ibidem.
Generalis renunciat, amouetur, vel substituitur. num.21.
An expediat Generales Ordinum esse perpetuos. num.22.
Generalis est inferior Capitulo Generali.n.23.
Eo ipso quod est electus, est etiam confirmatus.n.24.
Qualitates eligendi in Generalem. n.25.
An illis non obseruatis electio sit nulla. ibidem.
De Diffinitoribus.n.26.
Diffinitorum authoritas magna.n.27.
Quomodo debeant suum munus exercere.ibidem.
Electio ipsorum an possit restringi à Præside Capituli. num.28.
Prouincialis electio.n.29.
Tempus ad confirmandas electiones an sit iure communi præfixum.n.30.
Quod si confirmator sine causa nolit cõfirmare electionem.num.31.
Attendendum ad iura, vel consuetudinem Religionis. num.32.
Confirmatio est debita legitimæ electioni.n.33.
Appellare potest electus à Confirmatore non confirmante.num.34.
Priores à quibus eligendi.n.35.
Quid de iure communi, & statutis Religionum. num.36.
Prouinciales durant per triennium.n.37.
Mens Pontificis in hoc priuilegio.n.38.
Iuramentum præstat Generalis in principio sui Officij. num.39.
Diuersum à professione fidei.num.40.
Quomodo explicandum.n.41.
Dictio debeat *an denotet necessitatem præcepti. numero 42.*
De Regula Sancti Augustini.num.43.
Munera, seu donaria ne recipiantur à Superioribus. num.44.
Exemptio ab Ordinariis.n.45.
An iuuet etiam pro casu, quo Prælati huius Ordinis negligentes fuerint.num.46.
Exempti hi Religiosi à visitatione Ordinariorum. num.47.
In quibus casibus visitant Episcopi Monasteria. ibidem.
Quomodo in ius B. Petri, Sedis Apostolicæ protectione immediatè, &c. n.48.
De vi illius Clausulæ, Ab omni iurisdictione, potestate, & dominio.*n.49.*
Extensio Constitutionis, Super Cathedram *ad Seruitas.n.50.*
Quid in illa contentum.n.51.
Quid Episcopus Pisaurensis in sua Diœcesi ordinauerit.n.52.& 53.
Quomodo sacra Congregatio ea non acceptauerit. num.54.
Alia ad intentum.n.55.
An notoriè sufficientes ad confessiones audiendas examinari debeant.ibidem.
An possint isti sine causa reuocari.ibid.
Priuilegia domorum Eremitar.S.August.Seruitis concessa.n.56.
Quomodo intelligenda.n.57.
An extendantur ad concedenda.n.58.
Confirmatur à Martino V.n.59.
Nullus assequitur beneficium, vel officium Ordinis sine licentia Generalis.n.60.
Valde vtile pro Religionibus hoc priuilegium. numero 61.
Quomodo se gerere possint Prælati contra oppositum facientes.ibid.
An Monachatus sit beneficium.ibid.
Facultas Generali concessa ad instituendum vnum Magistrum, in quolibet Capitulo Generali. numero 62.
Notanda circa hoc priuilgium.n.63.
An gradus suscepti à Religiosis contra statuta suorum Ordinum validi sint.n.64.
Facultas recipiendi loca vbique.n.65.
Dotis assignatio pro fundatione Ecclesiæ.n.66.
Clausula In statu firmo, & solido, *&c. n.67.*
An reuocata hæc facultas.n.68.
Clausula Iure Parochialium Ecclesiarum saluo, *num.69.*
Exemptio à charitiuo subsidio.n.70.
Seruitæ inter Mendicantes.n.71.
Charitatiuum subsidium.n.72.
Confirmatio priuilegiorum Vrbani VI. à Martino V. num.73.
Bullæ Pontificiæ habent vim legis.n.74.
Nihilominus confirmantur vtiliter.ibidem.
Facultas ad mendicandum.n.75.
A quo Seruitæ inter Menticantes relati.n.76.
Quando possint petere eleemosynas, seu suffragia. num.77.
Suffragiorum nomine quæ veniant.n.78.
De Missarum stipendio.ibidem.
Quid de reductione Missarum, an in hoc deseruiat communicatio priuilegiorum.ibid.
Ampliatur hoc priuilegium.n.79.
Facultas recipiendi domos.n.80.
Cur postulata à Papa.n.81.
An de dedicatione Ecclesiarum non consecratarum fieri possit officium.ibid.
De Fratribus, & Sororibus Tertiariis.n.82.
Cur dicti De Consortio Seruorum.*n.83.*
Statuta ipsorum à Papa approbata an mutari possint. num.84.
An saltem declarari, vel abrogari, quando essent inutilia.n.85.
Statuta Tertiariorum, & Tertiariarum. n.68.
Notanda circa ipsa.n.87.
Illorum institutum diuersum à confraternitatibus. num.88.
Qualitates recipiendi.n.89.
De habitu ipsorum.n.90.
De non egrediendo ex hoc Ordine post professionem. num.91.
De eiectione delinquentium.n.92.
De obedientia, & priuilegiis ipsorum.n.93.
Ritus in receptione.n.94.
Confirmatio priuilegiorum Bonifacij IX. pro domibus Seruitarum.n.95.
Quomodo vtilis, etiam si sit in forma communi.numero 96.
Innocentius VIII. dicta priuilegia confirmat.numero 97.
Effectus Clausulæ Ex certa scientia.*n.98.*
De aliis Clausulis remissiuè.n.99.
Ampliatio priuilegij de libertate sepulturæ. n.100.

De

De aliis similibus priuilegiis.num.101.
Exemptio à portione soluenda de legatis.n.102.
Quid intelligatur per factum , *& quid per* ius. *num.103.*
Quid praescribitur iure communi circa hanc portionem num.104.
Ampliatio priuilegij etiam si per Sedem Apost. praecipiatur solui.*n.105.*
Quid sit dicendum de Religioso, qui renunciauit omnibus suis bonis , & postea ipsi aliqua legantur. num.106.
Exemptio vt non possint Seruitae ab Ordinariis excommunicari,&c.n.107.
Notanda circa hoc priuilegium.n.108.
Notoria exemptio ibidem.
Exemptio Seruitarum in S.Rota recepta.n.109.
Quid Rota deciderit.n.110.
Quid in alia decisione.n.111.& 112.
Exemptio Seruitarum à Iurisdictione Inquisitorum num 113.
Vacat his temporibus.ibidem.
An etiam pro Generali Ordinis. ibid.
Facultas ad puniendum delinquentes carcere , tortura,&c.n.114.
Quae notenda circa illam.n.115.
De Clausula Iuris opportuna remedia.*num. 116.*
De poena triremium.ibid.
Clausula Quoties oportuerit.*n.117.*
Facultas ad absoluendum Fratres in omnibus casibus, paucis exceptis.n.118.
Ad dispensandum cum illis in irregularitatibus, aliquibus exceptis.ibidem.
Quibus sit concessa.n.119.
Quid de dispensatione in poenis.ibid.
Amplior concessio pro semel in vita, & mortis articulo num.120.
Ampliatio facultatis dispensandi in irregularitatibus. num.121.
Quibus concessa.n.122.
Bona Monasteriorum Monialibus destitutorum quibus applicanda.n.123.
An idem sit pro Monasteriis Mantellatarum. num.124.
Notanda circa hoc priuilegium.ibid.
De transitu Seruitarum ad alios Ordines.ibid.
De volentibus sepeliri cum habitu Ordinis. n.125.
De materia huius priuilegij remissiuè.n.126.
Facultas ad constituendum Capellanum in Ecclesiis Parochialibus.n.127.
Quis sit iste Capellanus.n.128.
An ille teneatur se conformare ritui , qui obseruatur à Fratribus in celebrandis officiis diuinis. n.129.
Ius decimarum cui debitum sit in dictis Ecclesiis. num.130.
Generalis electus statim exercet suum officium. numero 131.
An possit opponi contra ipsius electionem.n.132.
Electiones Prouincialium , & Priorum quando facienda. n.133.
Notanda circa hoc priuilegium. n.134.
Electiones Priorum quando fiunt solemnius. numero 135.
Extensio facultatis procedendi contra dicentes , quod confessi Fratribus teneantur iterum eadem peccata confiteri, ad Inquisitores.n.136.
Dictio Quicunque *valde vniuersalis.n.137.*
Excommunicatio contra facientes inhibitionem de eleemosynis Fratribus non dandis.n.138.
Similia alia priuilegia.n.139.
Exemptio à subsidiis,collectis &c.n.140.
Notanda circa illam.n.141.
Vnio Ecclesiarum, seu beneficiorum quid,& qotuplex. num.142.
S.Rotae decisio. num.143.
Priuilegia Tertiariarum huius Ordinis.n.144.
An subsistant hoc tempore.n.145.
Maximè ex Rota decisione.ibid.
Priuilegia Oblatorum.n.146.
Similegia alia.n.147.
An Oblati gestent habitum Religionis.n.148.
An transire possint ad aliam Religionem.n.149.
Qualitates ipsorum ex Sacrae Congregationis declaratione.num.150.
An si actu non obtulerint sua bona , sed in proximo ea oblata sint, potiantur priuilegiis.n.151.
Prohibitio non transeundi Seruitas ad alios Ordines, & illos non recepiendi.n.152.
Etiam cum licentia maioris Poenitentiarij.ibid.
Sub poena excommunicationis.ibid.
Beneficia illis collata nulla sunt.ibid.
Notanda circa haec priuilegia.n.153.
Vacant quoad maiorem Poenitentiarium.n.154.
Non recipiunt Fratres beneficia aut exemptionem in Regulari obseruantia ab aliquo legato , aut maiori Poenitentiario.n.155.
Restitui debent cum bonis quae habent.n.156.
Bona discedentium ab Ordine ad quem pertineant. num. 157.
Facultas concessa Generali contra Apostatas. numero 158.
An Praelati teneantur quaerere apostatas, & fugitiuos. num.159.
Inhibitio ne apostatae Confessiones audiant,aut doceant. n.160.
An validè ministrent Sacramenta.n.161.
Prohibitio gestandi habitum huius Ordinis. numero 162.
Etiam Tertiariarum.ibid.
Procedunt Praelati contra oppositum facientes. numero 163.
Creantur duo Magistri in Capitulis Generalibus. num.164.
Citramontani qui vocentur.n.165.
An possint legere in Vniuersitatibus , in quibus solum admittuntur Doctores ad legendum.ibid.
Conditiones promouendorum ad Baccalaureatum , & Magisterium.n.166.
Insufficientes , aut ignari merito repelluntur. numero 167.
Plenaria absolutio semel in vita , & mortis articulo. num.168.
Etiam pro reseruatis Sedi Apostolicae.n.169.
Quomodo id intelligendum.ibid.
Facultas celebrandi cum altari portatili.n.170.
Similia alia priuilegia.n.171.
Facultas celebrandi antequam illucescat dies. numero 172.
Tempore interdicti.n.173.
An mittere possint isti Religiosi reliquias extra Romam.num.174.
Priuilegia pro tempore Interdicti.n.175.
Extensio priuilegiorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini.n.176.
De stationibus Almae Vrbis.n.177.
An sint reuocatae similes indulgentiae. ibid.
Clausula In genere, vel specie.*n.178.*
Concessio Clem. VII. pro Minimis erga liberationem animarum Purgatorij.n.179.
Notanda circa illam.n.180.
De concessionibus altarium priuilegiatorum. numero 181.

Immunitas Ecclesiæ ad quæ loca extendatur.ibid.
An ea fruantur Regulares crimina aliqua perpætrantes.ibidem.
Prohibitio fundandi Ecclesias iuxta Seruitas. numero 182.
*Alia priuilegia de eadem materia.n.*183.
*Extensio facta à Iulio III. n.*184.
Nullus procurare potest Eccesias Seruitarum vt sibi concedantur sub excommunicationis pœna. numero 185.
*Notanda circa hoc priuilegium.n.*186.
*Alia similia.num.*187.
*Reformatio Ordinis intimata Generali.n.*188.
*Prohibitio de non inferendis iniuriis Fratribus, vt amoueantur à suis domibus.n.*189.
*Præceptum Fratribus de acquiescendo reformationibus.n.*190.
*Non compellendos ad executionem, citationem, commissiones,&c.n.*191.
*Eleemosynæ postulatæ à Fratribus ipsis cedunt absque vlla quota, portione,&c.n.*192.
*Alia similia priuilegia.n.*193.
*Vtilia Regularibus hæc priuilegia.n.*194.
*De Eleemosynis num debeatur decima.n.*195.
*Concessio habendi sermonem in Capella Papæ certis diebus.n.*196.
*Consecrationes, Oleum Sanctum, Sacramenta, &c. gratis danda Fratribus .n.*197.
*Similia alia priuilegia.n.*198.
*Clausula saluatamen refectione consueta in prandio. num.*199.
*Facultas Generali concessa ad dispensandum in Regula.num.*200.
*An competat iure communi.n.*201.
An possit tolli, vel coarctari à Capitulo Generali. ibidem.
*De facultate concessa Generali vt possit concedere fratribus vsum sibi relictorum, seu donatorum an reuocata per Conc.Trid.n.*202.
*An Fratres succedant iure hæreditario.n.*203.
*Facultas concessa Generali an sit delegabilis aliis. num.*204.
Aliqua conceduntur dignitati, vel officio; alia vt nudum ministerium. ibid.
Quæ illorum sint delegabilia.ibid.
*Nullus habens beneficium, pensionem, Capellaniam, &c.habet emolumemta Ordinis.n.*205.
*Similia priuilegia.n.*206.
*Obtinentes Capellanias qui dicantur.n.*207.
*Simile aliud priuilegium Iulij III.n.*208.
*Quid importent ea, quibus priuantur isti beneficiati, aut Pœnitentiarij,&c.n.*209.
*Amplissima communicatio priuilegiorum Mendicantium.n.*210.
*An etiam priuilegiorum in posterum concedendorum. num.*211.
*Extensio ad viuæ vocis oracula.n.*212.
*Quomodo intelligenda hæc communicatio priuilegiorum.n.*213.
*Pœnæ contra inquietantes, seu molestantes in priuilegiorum vsu.n.*214.
Iudices Apostolici Conseruatores constituuntur.numero 215.
*Syndici, & Procuratores qui sint.n.*216.
*Non Obstantiæ apponuntur.n.*217.
Clausula Et quæcunque alia, quæ in futurum per nos,& Sedem Apostolicam quomodolibet, &c. *num.*218.
Par in parem quomodo non habeat imperium. ibid.
*Transumptis huius Maris magni fides adhibenda. n.*219
Clausula Volumus,&decernimus *quam vim habeat. num.*220.
*Notarij publici nomine qui veniant.n.*221.
An notarij Regulares.ibid.
*An Notarij fori sæculares.n.*222.

COMMENTARIVS
In Mare magnum Ordinis Seruitarum, seu Seruorum Beatæ Mariæ.

PRÆTER dicta in Superioribus circa Mare Magnum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum, vlterius notandum, Innocentium VIII. natione Italum, patria Genuensem, & ex familia Cibò ortum, Romæ creatum anno 1484. sui prædecessoris immediati Sixti IV. pietatem erga Religiosas familias æmulatum, sicut ille quatuor Mendicantium Mare magnum ex variis Summorum Pontificum prædecessorum diplomatibus, & priuilegiis concinnatum digessit; sic ipse hoc Seruitarum, seu Seruorum Beatæ Mariæ Virginis Religiosorum *Mare magnum* ex variis quoque Pontificiis Bullis, indultis, & priuilegiis in vnum concinnauit. Motiuum autẽ huius concessionis (prout indicat Scholiastes huius Maris magni in fine ipsius) fuit, quod hic Pontifex doloribus intestinis, & colicis laborans, ad Beatiss. Dei Genetricem confugiens, meruit ad pristinam sanitatem reuocari. 1.

De cuius sacræ Religionis institutione, antiquitate, nobilitate, viris illustribus tum sanctitate, tum doctrina, agere cùm ad historiam spectet, ad nos non attinet. De iis tamen agunt Paul. Morigia *in Origine Relig.lib.*1.*capit.*35. Syluest. Marul. *in Oceano Relig.lib.*4.*cap.*30. Gualter. *in tabul.Chronol.secul.*13.*anno* 1252. *pag.*679. Bozius *de Signis Ecclesiæ, lib.*9. *cap.*8. Polydor. Virgil. *de Inuent. rerum, lib.* 7. *cap.*4. Illescas *in histor.Pontif.lib.*5.*cap.*45. Platus *de bon.stat. Relig.lib.*2. *cap.*22. Cæsar Franciotti *de Eccles.Lucensibus in Ecclesia sanctæ Mariæ Seruitarum, pag.*562. Rodriguez *quæst.Regul.tom.*1.*quæst.*5. *art.*6. Azor. *Instit.Moral.part.*1. *lib.*13.*c.*11.*quæst.*8. *vers. sexdecim annis.* Bzouius *ann. Eccles.tom.*13. *anno Christi* 1231. *num.*7. Hieron. Rodrig. *in Comp. quæst.Regul.resol.*123. *num.*36. Tambur. *de Iure Abbat.tom.*2. *disp.*24.*q.*4. & Borbos. *de Iure Ecclesiast. lib.*1.*c.*41.*n.*135.*ac in summ. Apostol. decis. collect.* 378. Ex professo Augustino Florentinus, & Iacob Laudosilæus *in Chronico Seruorum*, Archangelus Gianus *Annalib.Seruorum beatæ Mariæ*,& alij tum de exteris, tum de eiusdem Religionis alumnis. 2.

Extat autem huiusmodi Mare magnum in Annalibus prædicti Archangeli *centur.*3. vbi, etsi non omnes Bullæ in eo contentæ ad verbum referantur, refertur tamen locus, in quo reperiuntur in præfatis Annalibus. Aliquæ etiam illarum, qualis est ea Benedicti XI. & alia Martini V. quæ est de Regula Tertiariarum huius Ordinis, habentur in Appendice ad Bullarum Laertij in his Pontificibus. Extat quoque idem Mare magnum in libro alio eiusdem tituli cum authenticatione Auditoris Cameræ, & Generalis Ordinis sub an.1569. Nota tamẽ nõ omnia priuilegia huius Sacræ Religionis, in 3.

in hoc Mari magno contineri, sed aliqua dumtaxat, de aliis verò in dictis Annalibus agitur, & nos tetigimus *tom. 4. verb. Priuileg. Regularium, num. 26.* illorumque plura habentur in libro relato vocato *Mare magnum Fratrum Seruorum beatæ Mariæ Virginis.* Imo Iulius III. in Bulla *Exponi nobis* in dicto lib. *pag. 156.* confirmat priuilegia huius Maris magni, & alia postea à Iulio II. Clement. VII. & Paulo III concessa.

Circa §. 1.

4 COmmendat hoc loco Pontifex Innocentius VIII. Ordinem Seruorum beatæ Mariæ, eo quod *quasi diuinitus, & ex ore infantium Serui Mariæ* vocati fuerint, hunc deuotum titulum semper colentes, in memoria Filij sui Iesu Christi mortis habitum nigrum gestantes, & quod plurimos fructus in Ecclesia Dei *puritate conuersationis, exercitio Euangelicæ prædicationis, dono scientiæ, virtutum nitore, vitæ sanctitate* produxerit, vt proptetea, quæ à Summis Pontificibus Prædecessoribus pro dictæ Religionis incremento prouisa sunt, approbare, & confirmare procuret. Quæ omnia magni ponderis, & auctoritatis esse in fauorem huius Religionis, constat ex dictis in Mari magno Carmelit. *in principio.* Quia, vt ibi ostendi, ex iuribus, & Doctoribus, etsi verba narratiua Papæ, quæ non principaliter propter se proferuntur, aut quæ non sunt de facto proprio, plenam fidem non faciant; nihilominus verbis narratiuæ Papæ etiam de facto alieno, motu tamen proprio prolatis, & in quibus fundat suam intentionem, qualia sunt ista, quæ hic referuntur, cum in ipsis fundet priuilegia, quæ concedit, vel confirmat, tamquam fide dignis standum est. Historia autem illa, quæ hic narratur à Pontifice de titulo Seruorum Beatissimæ Mariæ Virginis, eis quasi diuinitus collato, sic refertur à Bzouio *tomo 13. circa annum* 1231. ex Archangelo Gianio Florentino, loquente de septem primis huius Ordinis fundatoribus. *Depositis sæcularibus vestibus, cilicio corpora nuda operuerunt; & insuper tunicas laneas natiui coloris desuper induerunt; donec illis aliquando post, Deipara Virgo apparens, & habitum pullum ostendisset, & nomen seruorum suorum sodalitati coalescenti cælitus imposuisset. Miraculum miraculo probatum est, quo enim primum die septemuiri Florentiam squalentes introiuissent, & populum promiscuum in sui admirationem excitum aspexissent, infantes è brachiis matrum pendentes, quibus adhuc per ætatem loqui non erat concessum, mirabile dictu, illico dicebant:* Hi sunt beatæ Mariæ serui. *Hæc cum protulissent, quasi officio perfuncti, iterum obmutuerunt, nec prius loquendi vsum acceperunt quam per ætatem licuisset.* De ea quoque loquuntur alij huius Ordinis Authores.

Circa §. 2.

5. COncedit hoc loco Alexander IV. Fratribus Seruitis, vt in eorum locis possint dare sepulturam eam eligentibus, salua iustitia Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. De cuius priuilegij materia plura dicta sunt in præcedentibus, videlicet in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 28. & 43. Minorum *circa* §. 30. 31. & 41. Eremitarum sancti Augustini §. 2. 3. & 24. & Carmelitarum §. 51. 57. & 80. aliisque locis ibi relatis.

6. Nota vlterius, quod cum in hoc priuilegio solum concedatur facultas his Religiosis ad sepeliendum defunctos in eorum cœmeteriis, ideo quantum est ex vi huius priuilegij, non possunt eos sepelire in Ecclesiis propter dicta à simili in Mari magno Carmelitarum circa §. 51. Dixi *ex vi huius priuilegij*, quia ex vi plurium aliorum, de quibus sæpius diximus, & dicemus, possunt Regulares, Mendicantes præsertim, sepelire corpora defunctorum etiam in suis Ecclesiis. Imò etiam in locis aliis illis annexis, vt sunt Sacristia, Capitulum, Claustrum, &c. iuxta dicta in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 57. Econtra verò, cum in hoc priuilegio non excludat Pontifex excommunicatos, interdictos, &c. prout in similibus priuilegiis fieri solet, ideo posset aliquis existimare, etiam dictos excommunicatos, interdictos, vel similes posse sepeliri apud istos Religiosos. Sed obstant ea, quæ diximus non solum *tomo* 4. *verbo Sepultura quoad Regulares, num.* 23. recensentes eos, quibus sepultura denegatur iure communi; sed etiam ea, quæ diximus supra in Mari magno Eremitarum S. Augustini circa § 2. de scandalo videlicet, quod oriri posset similes sepeliendo, & de vsu, & praxi Ecclesiæ in contrarium. Vnde excommunicatos, interdictos, & vsurarios in Ecclesiis Regularium sepultos posse exhumari ab Episcopo, & proiici extra Ecclesias, & etiam impedire funus ipsorum, tenet Hieron. Rodrig. *in Compend. resol.* 128. *n.* 24. ex alio Rodrig Suar. & Portello. Quid importet clausula illa *salua tamen iustitia Ecclesiarum*, habes ex dictis sæpius in locis relatis, & ex dicendis in hoc eodem Mari magno *circa* §. 29.

Nota etiam Benedictum XI. infra §. 4. meminisse huius priulegij de Sepultura habenda in locis Fratrum, nulla facta mentione de cœmeteriis, ac proinde colligi posse, saltem ex vsu receptum fuisse, vt etiam in Ecclesiis darent sepulturam eam eligentibus Colligit etiam idem Benedictus ex hoc priuilegio Ordinis, & Regulæ ipsius approbationem, vt eo loco dicemus. 7.

Circa §. 3.

COncedit idem Alexander IV. hoc loco Generali Seruitarum facultatem corrigendi subditos iuxta Ordinis instituta, & alia faciendi, quæ ad suum spectant officium, eaque aliis Fratribus idoneis committendi. De quo etiam priuilegio (potius communi iure) plura dicta sunt *tomo* 1. *cap.* 18. & *tomo* 4. *verbo Prælatus Regularis,* ac supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 23. & Minorum etiam *circa* §. 23. ac Carmelitarum *circa* §. 31. 74. & 92. & aliis locis. 8.

Expendenda solum videntur verba illa: *Et ea aliis vestris Fratribus committere ad hoc idoneis, quoties expedierit, libere valeatis.* Illis enim generaliter conceditur facultas committendi aliis Fratribus idoneis ea omnia, quæ spectant ad officium Generalis; eos videlicet constituendo Vicarios, Commissarios, vel loco tenentes ipsius. Ad quod deseruiunt dicta *tomo* 3. *verbo Commisso, Commissarius Regularis, &* 4. *tomo, verb. Vicarij Religionum, & verb. Visitator Regularis.* Deseruit etiam per priuilegiorum communicationem saltem, priuilegium Gregor. XIII. quo excommunicatione latæ sententiæ Papæ reseruata afficit non admittentes dictos Commissarios, vel contra eos rebellantes. Miranda *tom.* 2. *Man. q.* 15. *art.* 3. Portellus *in Dub. Reguler. v. Commissarius in Addit. n.* 1. Hieronymus Rodrig. *in Compend. Resolut.* 29. *n.* 13. Vide dicenda inferius *circa* §. 34. Vbi Innocent. VIII. declarat, & & extendit hanc autoritatem Prælatorum. 9.

Circa §. 4.

10. HOc loco Benedictus XI. Religionem, & institutum Patrum Seruitarum commendans, ipsorum etiam Regulam, & institutiones expresse confirmat, etsi eam *quodammodo* confirmatam dicat à Sede Apostolica, eo ipso quod eisdem Religiosis concesserit, quod celebrare possint Capitulum Generale, ac in eo eligere Generalem; & habere in locis suis sepulturam pro eis, qui illa elegerint.

11. Non constat quisnam Pontifex fuerit, qui ante hunc Benedictum concesserit dictam facultatem celebrandi Capitulum Generale, & in eo Generalem eligendi. Credi tamen potest id solitos facere istos Religiosos, vel ex instituto Ordinis sancti Augustini quem profitentur, vel ex alio priuilegio veluti accessorio Ordinis institutioni, & confirmationi, cùm sine Generali Prælato non possint consistere, & talis Generalis electio pertineat ad totam Religionem congregatam. *cap. fin.* 16. *quæst.* 7. *cap. Abbatem* 1. *&* 2. 18. *quæst.* 2. *cap. cum dilectus de consuet.* §. *Iubemus. Authent. de Sanctiss. Episc.* Vbi Doctores communiter, præcipuè Butrius, Cardinalis, Archidiaconus, Turrecremata. Item Rota *dec.* 65. *num.* 1. *part.* 1. *Recent.* Sigismundus de Bononia *de elect. Prælat. dub.* 101. *num.* 1.

12. Ex eo autem, quod Pontifex dicat in hoc priuilegio Regulam huius Ordinis *quodammodo existere confirmatam*, eo quod priuilegia à Sede Apostolica ipsi concessa fuerint, infertur, præter alios modos confirmandi, aut approbandi Regulam seu Religionem aliquam à Doctoribus designatos, de quibus alibi dicetur, esse etiam hunc specialem, videlicet priuilegia ipsi concedendo. Quomodo autem Religiones antiquitus confirmari solitas ab Episcopis, seu Diœcesanis, quandiu non fuerunt impediti à Papa, constat ex *Canon. in nouo distinct.* 21. Azorio *tomo* 1. *instit. moral. lib.* 11. *cap.* 24. *quæst.* 5. Vasquez *part.* 2. *disp.* 165. *c.* 4. *num.* 38. Sanchez *lib.* 5. *in decalog. cap.* 1. *num.* 15. *&* 20. Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minimor. in constit. vnica Pyrrhi.*

Circa §. 5.

13. HOc loco refertur Bulla Clementis Sexti, in qua, occasione sumpta, quod Petrus de Tudetto Generalis istius Religionis, malè, & partialiter in regimine sui officij se gereret, reformationem inceptam à Benedicto XII. prædecessore, per Commissarios Petrum Prænestinum, & Bertandum Hostiensem Episcopos Cardinales, nunc aggreditur; statuta quædam à dictis Religiosis perpetuis futuris temporibus obseruanda statuens, & decernens.

14. Hic nota, quod iuxta dicta supra in Mari magno Carmelitarum circa §. 26. Summi Pontifices maximi zelatores Reformationis Religionum solent esse, vt constat ex Bullis Pij Secundi, Pauli Secundi, & Callisti III. relatis in Mari magno Carmelitarum §. 26. *&* 27. vbi etiam alia ad intentum. Quibus iunge, quæ diximus in opere de *Reformatione Regularium, &* 4. *tom. verbo Reformati Regulares*, & ea quæ habentur *in* §. 59. huius Maris magni, vbi Fratres, ac Moniales huius Religionis iubentur acquiescere Reformationibus factis per Generalem, aut de illius commissione, & prohibentur laici sub pœna excommunicationis se intromittere in illis, aut ipsis contradicere, aut procurare, quod alterentur, vel mutentur.

Nota etiam Statuta ista, vtpote facta à Papa per modum decreti, Ordinationis, & prouisionis 15.
perpetuæ, vt patet ex illis verbis: *Præfata Capitula, &c. examinauimus, &c. expedire cognouimus, statuenda prouidimus, & inter, ac per eosdem Fratres Seruorum perpetuis futuris temporibus obseruanda*, non posse vllo modo mutari à Religione sine Papæ consensu, iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 8. *num.* 22. Rodriguez *tom.* 1. *Quæst. Regular. quæst.* 10. *art.* 4. Miranda *tomo* 2. *Man. quæst.* 29. *art.* 8. Bonacina *de legibus, disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 16. Tamburinus *de iure Abbat. tomo* 3. *disp.* 3. *quæst.* 7. *num.* 6. post alios, quos referunt. An verò possint explicari, aut abrogari pro casu quo inutilia, aut illicita redderentur, dicam infra *circa* §. 25. in simili materia de statutis à Papa confirmatis.

Circa §. 6.

STatuit hic Pontifex, quod Capitulum Generale, quod omni anno celebrabatur, non celebretur nisi de triennio in triennium, & quod ad ipsum teneantur venire Generalis, Prouinciales, studiorum generalium Lectores, Priores Conuentuales, & Discreti Conuentuum. 16.

Hinc nota, merito hunc Pontificem decernere Capitulorum Generalium celebrationem saltem de triennio in triennium. Cùm enim Generales Religionum, & Prouinciales sint vocati in partem solicitudinis Apostolicæ, curare debent debitis temporibus congregare Capitula, vt de reformatione Religionis, morum correctione, ac Regularis Obseruantiæ reparatione, & conseruatione, agatur: secus negligentes se habentes circa id, à reatu mortalis culpæ non possunt excusari: sicut etiam Metropolitani ob eandem negligentiam ab hac noxa non liberantur. Præcipitur enim illis in Concilio Tridentino *sess.* 24. *c.* 2. vt singulis trienniis Synodos Prouinciales celebrare faciant, pro morum correctione, præceptorum obseruatione, ac controuersiarum determinatione; item, vt videatur quomodo Episcopi in suo munere exercendo se gerant, ac villicationis suæ reddant rationem, vt in eodem Concilio satis innuitur. Rationes autem, quæ militant, & vtilitates, quæ proueniunt ex celebratione Conciliorum Prouincialium ab Episcopis cum suo Metropolitano de triennio in triennium ad minus peragenda, eædem fere militant in Religionibus, vt in eis Capitula generalia celebrentur. Præcipua autem est, vt obseruantia regularis obseruetur, labefactata reparetur, vitia expurgentur, virtutes, & virtutum sectatores augeantur, atque ita Religio tota reformata proficiat. Victoria *in relect. de potest. Papæ, & Concil.* Tamburin. *de Iure Abbat. tomo* 3. *disp.* 1. *quæst.* 1. & Rodriguez *tom.* 3. *Quæst. Regular. quæst.* 47. *art.* 2. *&* 3. piè deplorans, vt notaui *tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 13. quod in dictis Capitulis omne tempus in electionibus, & prouisionibus Prælatorum, & officialium expendatur, & parum in iis, quæ pertinent ad morum reformationem. Vnde propterea eo loco dixi Capitula generalia, in quibus parum, aut nihil de Ordinis reformatione agitur, sed de aliis negotiis, præi ensionibus scilicet graduum, officiorum, &c. vix debere celebrari; eo quod pro huiusmodi rebus tam graues expensæ, & dispendia Religiosorum in itinere admitti non expedit. 17.

Circa eos, qui iuxta statutum huius Pontificis, 18.
venire debent ad capitulum Generale, nota, quod licet, iuxta dicta supra *circa* §. 4. electio Generalis, quæ

quæ præcipuè facienda est in Capitulo Generali, pertineat ad totam Religionem, nihilominus, quia incommodissimum esset,& fermè impossibile totam Religionem congregare, ideo vsu fermè necessario omnium Relegionum cautum est, priuilegiisque Pontificum roboratum, vt solum capita, seu principaliores personæ Religionum ad Capitulum generale conueniant. Et ita Pontifex in hoc statuto solum vult vt Generalis, Prouinciales, Priores, Lectores,&c. ad generale Capitulum accedant. Vnde omnes isti vocandi sunt, vt legitime tale Capitulum celebretur, iuxta doctrinam commnnem DD. *in capit. quia propter de election. cap. Cumana, cap.cum Ecclesia eodem tit. capit.cum dilectus de consuet.* Summistatum *verbo Electio*, & aliorum, qui de materia electionis tractant, specialiter Sigismundi de Bononia *de elect.dub.*9. Francisci Mariæ Samuellij *de elect.tract. primo,controuers.*3. apud quos multa de iis, à quibus tales vocandi, quomodo, & vbi. De quibus etiam aliisque conditionibus electorum, vel eligendorum latè diximus *tomo* 1. *cap.*15. *tomo* 2. *capit.*12. *&* 13. *tomo* 3. *verbo Capitulum, & verbo Electio inter Regulares,t.*4.*v.Prælates Regularis.*

Circa §.7.

19. DEcernit etiam hoc loco Pontifex, vt Capitulum Prouinciale singulis annis celebretur, præsente Prouinciali, Prioribus, Lectoribus, & duobus discretis Conuentuum,vel saltem vno pro minoribus Conuentibus;& quod ei assistat Generalis per se, vel per Vicarium, ac quod in tali Capitulo studentes Parisiis, si opus fuerit,instituãtur.

20. Huic annuæ celebrationi Capituli Prouincialis applicari respectiuè possunt, quæ de celebratione Caqitulorum Generalium superius dicta manent, & quæ circa electiones ibi faciendas locis superius relatis dicta sunt. Addendum tamen; quod licet de tempore anni, quo dicta Capitula celebrari debent, nihil statuatur à Pontifice, sed relinquatur vsui, vel prudentiæ Prælatorum Ordinis;nihilominus,iuxta vsum Ecclesiæ antiquum, & morem plurimarum Religionum congruentius est celebrari Paschali tempore, ieiuniis quadragesimalibus transactis, & circa id tempus, quo Spiritus Sanctus Apostolorum congregationem adueniens illustrauit. Henricus Boteus *de Synod. part.* 1. *quæst.* 8. Gauantus *in praxi Synod. cap.*2. Sanctorus de Melfi *in Commentar.in stat. Minorum, cap.*8.*stat.*38. Licet etiam ob rationabilem causam possint etiam autumnali tempore celebrari. *capit. propter Ecclesiasticas distinct.*18. ex Concil. Antiochen.*cap.*20. & Concilio Trident.*sess.*24. *cap.*2. *de reform.* idque obseruant aliquæ Religiones, nec contradicunt relati Authores.

Circa §.8.

21. IN hoc §. decernit Papa Clemens VI. quod in quolibet generali Capitulo de triennio in triennium, vt præmissum est, celebrando, debeat Generalis renunciare suo officio, & postquam renunciauerit, arbitrio Diffinitorum ipsius Capituli sit illum amouere, & alium substituere, vel de nouo admittere ad Generalatum. Indulget etiam, quod Generalis legitimè electus eo ipso tãquam si esset Apostolica Sede confirmatus, possit suum officium exercere. Declarat tamen, nullum nisi expresse professum, & qui inter Fratres per viginti annos steterit,assumi posse in Generalem,

Circa primum istorum occurrit communis difficultas, an expediat Ordinum Generales perpetuos esse, seu potius temporaneos, trienniales scilicet, quadriennales, &c. Et, quamuis iuxta dicta *tomo* 1. *cap.*18. *num.*10. ex Nauarro, Suarez, & Miranda, expedientius videatur, quod sint perpetui propter rationes ibi adductas, prout etiam tenent Azorius *tom.*1.*instit.moral.lib.*12.*c.*20.*quæst.* 21. Samuell. *de elect.tr.*3.*disp.*1. *contr.*2. & ita esset in vsu in antiquioribus Religionibus olim, prout in nostra,& in Franciscana ante annum 1517.sicut ex Chronicis constat, idque modo receptum sit inter Prædicatores, & Patres Iesuitas, nihilominus, quia propter aliqua inconuenientia, aut incommoda, quæ sequi possunt ex diuturnitate Generalatus, Sedes Apostolica oppositum statuit in multis Religionibus, prout in ista Seruitarum, ideo standum iudicio Sedis Apostolicæ præsertim; quia res videtur arbitraria, & vtrimque disputabilis. Ioannes Baptista Antonucius *in Catechesi Neapolit.lib.primo de sim. priuat.capit.*6. Layman *in quæstionibus canonic.cap.*17. *quæst.*235. Tamburinus *de Iure Abbat.tom.*1. *disp.*23. *quæst.*3. *num.*4. Diana *part.*3.*tr.*2. *de dub.Regul.Resol.*124. Samuell. *suprà.* 22.

Ex eo autem, quod in hoc statuto decernat Pontifex, quod Generalis possit per Diffinitores Capituli Generalis iterũ admitti ad Generalatum, vel amoueri, infertur Generalem esse inferiorem Capitulo generali, iuxta dicta *tomo* 2.*cap.*13. *num.* 12. Quod etiam tenent propter hanc rationem, & quia à Generali appellari potest ad Capitulum, Sigismundus de Bononia *de elect.dub.*10. *num.*9. *&* 10. & alij Expositores Regulæ sancti Francisci. 23.

De secundo, scilicet, quod Generalis electus eo ipso est confirmatus *ac si ab Apostolica Sede confirmationis litteras habuisset*, prout dicitur in hoc statuto, imo ex communicatione priuilegiorum huius Religionis cum Prædicatoribus, Minoribus, Eremitis Sancti Augustini, & Carmelitis, tamquam verè ab eadem Sede Apostolica confirmatus, constat ex dictis supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §.1.2.*&* 3. Minorum *circa.*§.1. Eremitarum Sancti Augustini *circa* § 49 & Carmelitarum *circa.*§.30. *&* 68. Quibus in locis de hac materia actum est, & de alia, quæ etiam tangitur in hoc statuto, scilicet de facultate, quam habent Diffinitores in Capitulo generali deponendi Generalem, & propter quas culpas deponi possit. 24.

Tertium verò quod etiam tangitur in hoc statuto, scilicet, quod non possit eligi in Generalem, qui non fuerit expresse professus,conforme est iuri communi, iuxta dicta *tomo primo, cap.* 15. *num.* 25. *& cap.* 18. *num.*5. præsertim ex *capit. nullus de elect. in* 6. Quartum autem de vigesimo anno in Religione requisito pro Generalatu obtinendo, ius est particulare huius Religionis; etenim, iuxta dicta eo *cap.*18.*num.*9. de iure communi non requiritur aliqua antiquitas in Ordine ad Officia,& Prælaturas. Cum autem Pontifex dicat,quod *nullus in Priorem Generalem eorumdem Fratrum eligi valeat, aut assumi*, nisi habuerit dictas conditiones, ideo probabilius est electiones non habentis illas ipso iure inualidas esse. Videtur enim Pontifex in hoc statuto dare formam seruandam in electione Generalis, ac per consequens inualidare actum contrarium, quia forma est indiuidua. Rota in vna Treuerensi *Abbatiæ* 20. Nouemb. 1624. coram Coccino. Romanus *cons.* 66. *num.*2. Garzia *de Benefic. part.*2.*cap.*1.*num.*59. Sigismundus de Bononia *de elect. dub.* 103. *n.*3. prout etiam denotatur clau- 25.

sula illa *nullus valeat.* Sanctorus *Commentariis in statuta Minor.cap.*8.*stat.*36.*quæst.*2.me relato, post Syluestrum, Reginaldum, & alios. Quia autem Pontifex, dum loquitur de vigesimo illo anno Religionis requisito pro Generalatu obtinendo, dicit *Per viginti annos continuos* ideo, iuxta dicta *tom.*3.*verb. Annus,n.*5. & dicenda infra *circa* §.12. tales 20. anni debent esse completi.

Circa §. 9.

26. STatuitur hoc loco circa Diffinitores, quod in Capitulo Prouinciali immediatè præcedenti Capitulum Generale eligatur in Diffinitorem Capituli generalis, vnus Frater prouidus, & maturus; Diffinitores verò pro Capitulis Prouincialibus eligantur in eisdem Prouincialibus Capitulis.

27. Prouidet iure optimo Pontifex hoc loco de Diffinitoribus tam Generalibus, quam Prouincialibus, postquam de Capitulis Generalibus, & Prouincialibus egerat, quia Diffinitores sunt præcipua capita Religionum, Coadiutores, Collegæ, vel participes Generalatus, vel Prouincialatus, & sine quibus decidi non possunt præcipuæ causæ Religionum. Vnde comparantur Romanis Senatoribus, à quibus cuncta Reipublicæ negotia expediebantur, & diffinitores dicuntur, quia cuncta diffiniunt. Rodriguez *tomo* 2.*quæst.Regular. quæst.* 45. *art.*2. Miranda *tomo* 2. *Man. quæst.*17. *art.*2. Sigismundus de Bononia *de elect. dub.*111. *num.*8. & 9.alter Rodriguez *in Compend. Resolut.*51.*n.*1. Tamburinus *de Iure Abbat. tom.*3. *disp.*1. *quæs.*2.*n.* 18. Samuellius *de elect. tract.*3. *contr.*3. Sanctorus *supra Constit.Minorum, cap.*8.*stat.*36.vbi eos vocat supremos Religionum Iudices, Assessores, Collegas, Syndicatores Prælatorũ,&c. Quomodo autem debeant ij Diffinitores suum votum, vel consilium dare, an incipiendo à maioribus, an à minoribus, & qualiter teneantur iuxta eorum conscientiam liberè respondere, ac de aliis ad ipsos spectantibus egimus *tom.*2. *cap.*13. *num.*20. & sequentibus, & præter authores ibi relatos agunt etiam Hieron. Rodriguez. *d.Resolut.*51. Samuellius *d.controu.* & Sanctorus *supra.*

28. Dubitat autem idem Sanctorus circa electionem horum Diffinitorum quod etiam pro electione Generalis, Prouincialium, & aliorum, de quibus fit mentio in his statutis deseruire potest) an electio Diffinitorum, in qua Præses Capituli nominat vocalibus siue per se, siue per alium, eos, quos vult eligi, sit canonica. Et respondet negatiuè, eo quod id sit contra libertatem electionis, cùm ex tali nominatione sequatur, saltem moraliter loquendo, quod, vel ob timorem, seu reuerentiam Præsidis cogantur Vocales eligere, quos ipse nominat; quod est contra ius commune *cap. vbi periculum* §.*cæterum de elect. in* 6. *cap.cum locum*, & *cap. gemma de sponsalibus*, Bullas, & decreta Pontificia, præsertim Clem. VIII. & Vurbani VIII. sub grauibus pœnis prohibentia subornationem, seu solicitationem votorum pro electionibus, pro quo etiam refert Nauarrum, Rodriguez, Mirandam, Castellinum, & alios. Sed quamuis huiusmodi doctrina admitti debeat, quando talis nominatio est, vel fuerit aliquomodo coactio Gremialium ad eligendum eos quos Præses vult, prout probant iura, & authores relati; si tamen solum fuerit per modum directionis, seu consultationis (qualis est sæpe necessaria, cum sæpius non sint dicti Gremiales bene informati de qualitatibus eligendorum, & Præses, vtpote grauior, & expertior eas melius cognoscat) valida, & canonica erit talis electio, iuxta dicta *tom.*1. *cap.*15. *num.*24. & *tomo* 2. *cap.*12.*num.*32.& 35. An autem idem sit dicendum de coarctatione eligendorum ad certum numerum, tres scilicet, vel quatuor, consule dicta *tom.*1. *eo cap.* 15. *num.*21. præsertim in editione vltima Veneta anni 1645.*in Additionibus.*

Circa §.10.

DEterminat Pontifex prouincialis electionem faciendam in Capitulo prouinciali, & quòd sic electus infra mensem à tempore electionis eidem consentire, & confirmationem à Generali, vel eius Vicario petere debeat: quamque confirmationem vltra mensem non debeat Generalis differre, nisi ex iusta causa id faciat; tuncque possit, causa huiusmodi expressa, eam electoribus intimare, & de alio prouidere vsque ad immediatum Capitulum. 29.

Hic notandum quod quamuis iure communi tempus trium mensium tribui videatur confirmatori ad disquirendum de validitate electionis, iuxta dicta *tom.*2. *cap.*12. *num.*42. ex *capit. quam sit de elect.in* 6.& Castellino ibi relato, nihilominus iure optimo Pontifex statuit, vt Generalis non differat confirmationem Prouincialis vltra mensem à die, qua petita fuerit, ad euitandum videlicet inconuenientia, quæ oriri solent ex dilatione confirmationis Prælatorum. Adde, probabile valde esse non esse iure communi tempus determinatum, & præfixum confirmatori ad disquirendum de validitate electionis, nam *cap. quam sit* relatum solum videtur requirere illos tres menses ad hoc quod electus confirmationem petat; & *cap.nihil de elect.* quod Castellinus *de Canon.elect.cap.*14. *num.*11. affert, solum dicit, quod confirmator *diligenter examinet* electionem, &c. nullo illi ad hoc præfixo termino. Et ita tenent Panormitan.*in cap. postquam in fin. de elect.* Sigismund.de Bonon.*de elect.dub.*45.*num.*3.& alij. Similiter ex eo quod Pontifex in hoc statuto decernat, quod electus in Prouincialem non omittat petere à Generali *humiliter* confirmationem, infertur electum non notari ambitione si confirmationem suæ electionis petat, cum non tam proprium, quam Ecclesiæ negotium, confirmationem petendo, agere videatur *cap. quam sit, cap.cupientes de elect. in* 6. Panormitan. *in cap. exhibita, num.*1. *de Iudic.*Cuch.*instit.maior. lib.*4. *tit.de confirm.potest. n.* 8. Sigismundus de Bononia *de elect. dub.*44. *num.*3. Samuellius *de elect. tract.*1. *disp.*7. *contr.*8. *concl.*2. Addit autem prudenter Pontifex verbum illud *humiliter*, quia, iuxta dicta eo *cap.*12. *num.*48. si electus importunè, & affectuosè instet pro confirmatione, non effugiet ambitiosi notam. 30.

Occurrit tamen hic communis difficultas, an in casu quo Generalis sine causa iusta, & rationabili negauerit confirmationem Prouincialis, vel casu, quo illam dederit, non tamen peruenerit ad manus confirmati, seu electi, vel ex eo, quod in itinere perdita sit, vel ab aliquibus sublata, possit electus in Prouincialem suum munus exercere. Quæ difficultas etiam suo modo procedit in electionibus aliorum Prælatorum. Supponitur autem in hac quæstione id, quod est certum, scilicet electum ad Prælatias non posse in earum exercitio se inromittere ante confirmationem, quia per electionem, solum datur ius ad Prælatiam, non autem exercitiũ, iuxta dicta *t.*1. *c.*15.*n.*35.& 36.& communem DD. 31.

DD. teste Matescotto *lib. 2. variar. resol. cap. 35. num. 44.* & probant Sigismundus *supr. num. 1. & 2.* ac Samuellius *num. 1.*

32. Et quidem, licet, vt credo, tam in hac, quam in aliis Religionibus per specialia statuta determinatum fuerit, quid faciendum illo casu; dicendum nihilominus, quod si id determinatum per statuta non fuerit, attendendum est ad consuetudinem Religionis, ita scilicet, vt si in ea sit talis consuetudo, quod electi possint pro illo, aut simili casu suum officium exercere antequam confirmationem obtinuerint, possint id facere. Ratio est, quia, iuxta dicta supra in Mari magno Minorum *circa* §. 1. ad confirmationis formam non requiruntur determinata verba, sed sufficit aliquod factum, quo declaretur electus vt legitimè electus, consuetudo autem est tale factum, tum quia ipsa est signum iurisdictionis concessæ, quando Superior non contradicit, Bart. *in l. 1. ff. de aqua pluu. arcend.* Panormitan. *in cap. cum contingat. num. 10. de fore compen.* tum quia ipsa habet tacitum consensum, & possit iuri derogare, ac dare iurisdictionem. Decius *in cap. licet num. 46. de elect.* Nauarrus *in cap. nullam 18. quæst. 2. num. 52. ad finem per cap. duo simul de offic. Ordin.* & Suarez *de leg. lib. 6. cap. 14. num. 11.* Ergo consuetudine sola introduci potest, vt sine alia confirmatione electus possit suum exercere officium. Prout tenent Ancharan. *cons. 51. per tot.* Imola *in cap. nosti de elect.* Thuschus *littera E. conclus. 90.* Decius *in cap. postquam num. 21. de elect.* Oldrad. *cons. 146.* Sigismundus *supra dub. 44. n. 4. & 5.* Samuellius *sup. concl. 3.*

33. Si autem non adsit talis consuetudo, nec sit ratio dubitandi, ad credendum Generalem, vel confirmatorem non confirmasse electum, credendum est confirmasse, esto confirmatio ad electi manus non peruenerit, ac proinde etiam ante habitam confirmationem potest electus suum officium exercere. Ratio est, quia cum confirmatio electionis legitimæ sit debita ex parte Confirmatoris, ita vt ex iustitia, & non liberalitate teneantur illam concedere, *cap. fin. de elect. in 6. cap. postquam de elect.* ibi Doctores, & Rota *decis. 240.* coram Greg. XV. quæ allegant, & sequuntur Sigismund. *sup. dub. 45. num. 1.* & Samuellius *disp. 8. controu. 1. concl. 1.* nec credendum sit Generalem, vel confirmatorem peccasse, aut inique se gessisse, existimandum erit verè confirmasse, ac proinde electum posse suum munus exercere.

34. Si verò constat Generalem nolle confirmare electionem Prouincialis sine aliqua rationabili causa, tunc appellare potest electus veluti iniustè grauatus ad Protectorem, vel S. Congregationem, aut Papam, vt Generalem cogant ad confirmandum dictam electionem, vel ipsi illam confirment. Generaliter enim loquendo si is, ad quem spectat confirmatio electionis, id renuat sine rationabili causa facere, compelli ad id potest à Superiori ipsius, cum confirmatio electione reguletur sicut appellatio, quæ deuoluitur ab inferiori ad Superiorem. Rota *decis. 615. num. 3.* coram Seraphino, Sigismundo *supra num. 2. & seq.* Samuellius *supra conclus. 2.* post Panormitanum, & alios Interim autem credo exercere posse suum officium, tum quia ita videtur colligi ex præfato statuto, & ne maneat Prouincia sine Pastore; tum à simili de licentia, quæ iniustè denegata habetur pro concessa, tum etiam, quia sæpius Summi Pontifices dum agunt de confirmatione requisita, pro valida electione concedunt, quod petita habeatur pro obtenta, vt patet in Bulla Sixti Quinti, quam refert Bordonus pro sua Religione *Resol. 26. num. 92.*

Circa §. 11.

Decernitur hoc loco, vt Conuentus duodecim Fratres ad minus habentes eligant suum Priorem, qui infra quindecim dies post suam electionem à Prouinciali petere debeat, & ipse Prouincialis, si eam canonicam repererit, confirmare aliàs procedere iuxta modum præscriptum §. præcedenti de electione Prouincialis. 35.

Hic notandum, statutum hoc de Prioribus à Fratribus Conuentus eligendis conforme esse iuri communi, iuxta dicta sæpius, præsertim *tom. 4. in fin. Relect. circa electiones factas in quodam Capitulo num. 86.* & supra in Mari magno Minorum *circa* §. 3. & in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 7. *in exposit. cap. 1. Regulæ Carmelit. circa* §. 27. Quia verò solum loquitur Pontifex de Conuentibus habentibus ad minus duodecim Fratres, ideo aliorum Conuentuum minorem numerum Fratrum habentium Priores eligi poterunt vel à Diffinitorio Capituli Prouincialis, quod habet supremam potestatem in Prouincia, prout in nostro Carmelitarum Ordine fit, vel institui à Prouinciali, si ita consuetudo Religionis fuerit. Maximè propter priuilegium Minorū in ipsorum Mari magno §. 3. & Carmelitarum in ipsorum etiam Mari magno §. 68. vbi Prælatorum prouisiones factæ aliter, quam per electionem, approbantur Quod verò tunc non sit necessaria alia confirmatio distincta ab electione dixi *circa* §. 68. relatum. Quid autem sentiendum pro casu, quo Prouincialis nollet confirmare Priorem legitimè electum, intra quindecim dies à Papa in hoc statuto posito, vel esto confirmaret, talis confirmatio ad manus Prioris electi non veniret, collige ex dictis *circa* § præcedentem. 36.

Circa §. 12.

Statuit hic Pontifex, vt Prouinciales tantum durant per triennium, ita vt ad idem officium assumi non possint nisi post alios tres annos. Item quod Diffinitores Generales ad idem officium nisi post dua Capitula Generalia, nec Diffinitores Prouinciales post dua Capitula Prouincialia, assumantur. Præterea quod Priores Conuentuales solum per vnum annum, vel ad longius per duos durare debeant. 37.

Mens Pontificis proculdubio in hoc statuto est tollere perpetuitatem, aut continuationem officiorum in Ordine, ad euitanda inconuenientia, quæ ex opposito oriri possunt. Quia autem dum loquitur de tempore, quo vacare debent Prouinciales, antequam ad alium Prouincialatum assumantur, dicit debere esse *per tres annos*, ideo, iuxta dicta *tom. 3. verbo Annus num. 5.* ex Syluestro, Azorio, & Portello, intelligi debet de annis completis, eo quod particula *Per* coniuncta accusatiuo id denotet. Præsertim quia significare hanc particulam consummationem, seu perfectionem rei, cui adiungitur, ex Iuribus, & DD. multis comprobat Barbosa *in tract. de diction. dict. 250. n. 3* Idem etiam *ibidem n. 2.* ex pluribus quoq; Doctoribus comprobat etiam dictam dictionem, seu particulam *Per* coniunctam tempori, significare continuationem totius temporis. Quod etiam ad hoc intentum deseruire potest. 38.

Circa §. 13.

39. STatuitur hoc loco, vt Generalis in principio sui officij debeat præstare iuramentum, quod erit fidelis S.Romanæ Ecclesiæ, & quod in exercitio sui muneris secundum Deum, rectam conscientiam, Regulam S. August. & statuta Ordinis se habebit fideliter. Item quod Prouinciales, Priores, & Diffinitores etiam iurare debeant se gesturos fideliter in executione suorum officiorum.

40. Circa hæc nota primò, hoc iuramentum diuersum esse ab eo, quod fit in professione fidei, de qua dixi *tom. 1.cap.18.num.102. in secunda, & tertia editione, & tom. secundo cap.13.num.55.cap.18. num. 38. & tom. 3. verbo Fidei professio*, quibus in locis egi, an huiusmodi fidei professio requisita sit pro prouisis de Prælatutis, aut beneficiis Regularibus. Hoc ergo iuramentum, de quo in præsenti, diuersum est ab illo, quod fit in tali professione fidei, nam hoc tantum est de obedientia præstanda S. R. Ecclesiæ, & fidei executione officiorum, illud verò, quod continetur in tali professione fidei, non est de fideli, aut recta executione officiorum, & extenditur ad articulos, & dogmata fidei.

41. Nota secundò circa hoc iuramentum, quod cum sit generaliter præstitum, & ad nulla se extendat comprehensa sub fidelitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & fidei executione officiorum, ideo ne nimis propter ipsum grauentur conscientiæ iurantium, restringendum est, vt quantum fieri potest, minus obliget, prout colligitur *ex cap. 1. de iureiurando in 6. l. quidquid astringendæ ff. de verborum obligat.* & ex doctrina expressa Abbatis *cap. cum Clerici fin. de verbor. significat.* sequitur Sanchez *lib. primo de Matrim. disp. 9. num. 11.* & Bonacina *de iuramentio disp. 4. quæst. 1. punct. 16. n.3.* Hinc, licet violantes hoc iuramentum in materia graui, seu magni momenti peccent mortaliter, iuxta communem DD. sententiam; violantes tamen illud in re leui, aut parui momenti non peccant nisi venialiter, iuxta dicta *tom. 3. verb. Iuramentum quoad Regulares num. 15.* ex probabili doctrina Azorij, Suarez, Dianæ, & aliorum, vbi etiam alia ad intentum huius iuramenti. Hinc etiam, licet violantes huiusmodi iuramentum, quatenus est de exercendo fideliter officio secundum statuta Religionis, peccent mortaliter, quando talia statuta ad mortalem culpam obligarent, non tamen peccabunt mortaliter, sed solùm venialiter, si ea solùm ad venialem culpam obligent, prout à simili colligitur *ex Clem. 1. §. cum igitur in primis verf. declaramus de verb. significat.* & tradunt Medina *1.2.quæst.69.art.4.& lib.1. Summæ cap.16.§.11.* Sanchez *lib.3. in Decalog.cap.14.num.2.* Fagundez *in 2.præcept.Decalog.lib.2.cap.23.num.7.* post alios. Similiter an hoc iuramentum, quoad hoc punctum de statutis intelligatur de statutis tam editis, aut etiam de edendis, de statutis, quæ sunt in vsu, aut etiam de illis, quæ abrogata sunt, & alia circa hoc intentum vide Sanchez *d. cap. 14. per totum.* & Fagundez *d.c.23.etiam per totum.*

42. Nota præterea, quod licet verbum *debeat* quo vtitur Pontifex, dum loquitur de Generali præstituro iuramentum, sæpius inducat necessitatem, & præceptum, vt multis relatis iuribus, & Doctoribus comprobat Barbosa *in tract. de dict. dict.77. num.1.2.3.& 4.* quia tamen, vt ipsemet *num.19.* ex iuribus etiam, & Doctoribus confirmat, aliquando non importat necessitatem, sed decentiam, ideo in præsenti statuto solùm hoc posteriori modo accipiendum credo, præsertim quia materia rigida, & odiosa videtur, ac per consequens restringenda, & quia cum postea est sermo de iuramento præstando à Prouincialibus, Prioribus, & Diffinitoribus, non est tale verbum, sed simpliciter dicit Pontifex *iurent*, quo denotatur non maiorem obligationem imponi Generali per verbum *debeat*.

Quæ sit Regula S. Augustini, quam isti Patres profitentur, & de qua fit mẽtio in isto statuto, dum præscribitur Generali, quod debeat iurare, in executione sui officij se habiturum secundum B. Augustini Regulam, habes ex Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* §. *26. num.83.* vbi talis Regula extat. 43.

Circa §. 14.

HOrtatur, & monet hoc loco Pontifex Fratres, vt neque per se, neque per alios munera, seu donaria suis Superioribus impertiantur, & Superiores, ne illa recipiant. Circa quod nota, quod quamuis hæc largitio, seu receptio munerum inter Superiores Regulares, & subditos, hoc loco solum sit sub consilio, & non sub præcepto, quia verba *hortamur*, *& monemur*, quibus vtitur Pontifex, consilium, & non præceptum important; aliunde tamen, scilicet ex Constitutione Clement. VIII. *de largitione munerum*, confirmata, & declarata sub Vrbano VIII. iuxta dicta *tomo 1. cap. 6. num. 54. & tom. 3. verbo Dare, vel donare quoad Regulares num.5.* sub præcepto prohibetur dicta largitio, seu receptio munerum. Maximè quando Prælati munus iudicum exercent, iuxta dicta *eo 3. tom. verbo Iudex, & Iudicium Regularium num. 16.* Vel visitatorum, iuxta dicta *tom. 4. verbo Visitator Regularis num. 11.* Potest etiam esse aliquando simoniaca ista largitio, seu receptio munerum, si fiat pro consequendis dignitatibus Ordinis, Prouincialibus, Prioratibus, &c. iuxta dicta *tom.1.cap.15.num.28.& tom.4.verb. Simonia quoad Regulares num.13.* vbi etiam *num.29.* an propterea incurrantur pœnæ contra Simoniacos impositæ. 44.

Circa §. 15.

COncedit hoc loco Papa Vrbanus V I. amplissimam exemptionem istis Religiosis, ipsorumque locis ab omnibus, & quibuscunque Ordinariis, eos, & ea in ius, & proprietatem S. Petri, & sub protectione speciali, & immediata Sedis Apostolicæ suscipiens, vt propterea super ipsos, & ipsa nullam iurisdictionem exercere possint, aut censuram imponere, cum derogatione *cap. volentes*, Innoc. IV. ac irritatione eorum, quæ in contrarium fierent. De quibus, quamuis in præcedentibus plura dicta sint in similibus priuilegiis aliorum Mendicantium, aliisque locis ibi relatis, alia etiam dicenda in præsenti, pro maiori rei notitia. 45.

Et primò circa illa verba *Omni iurisdictione, potestate, dominio, &c.* nec etiam casu dato, quod Prælati huius Religionis negligentes fuerint in corrigendis suis subditis, posse Dominos Ordinarios exercere aliquam iurisdictionem, potestatem, aut dominium in illos, corrigendo, vel puniendo ipsos. Esto oppositum teneat Bordonus *Resol.7. num. 98.* eo quod delicta non debeant remanere impunita 46.

impunita *l. ita vulneratus* §. *quod si quis ff. ad Legem Aquiliam cap. est iniusta* 23. *quæst.* 4. *cap. vt famæ de sent. excommunicat.* Ratio autem nostræ doctrinæ est, quia, iuxta dicta *tom.* 3. *verbo causa Iudicialis Regularium num.* 16. propter negligentiam Prælatorum non deuoluitur causa correctionis Regularium ad Ordinarios, sed ad Prælatos Superiores, quos monere debent ipsi Ordinarij, atque ita non manebunt impunita delicta. Glossa *cap. graui de offic. Ordin. vers. corrigere*, & ibi Panormitanus, & Imola, Decius *cap. ad hæc num.* 8. *de priuileg.* Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 25. *num.*4. Sanchez *tom.*2. *consf.moral.lib.*6.*cap.*9.*dub.*1. *num.* 26. Excipiens bene cum Henriquez casum Concilij Trident. *sess.*25.*de Regular.cap.*14. quando scilicet Regularis extra Claustrum notoriè, & scandalosè delinquit. De quo & nos *eo tom.*3.*verbo Delinquens Regularis* per totum, & aliis locis ibi relatis.

47. Deinde circa verbum *visitatione*, quo vtitur etiam Pontifex in hoc priuilegio, nota, nunquam posse Ordinarios visitare Monasteria Regularium habentium hoc, & similia priuilegia, nisi quando habent curam animarum, & in iis, quæ pertinent ad dictam curam, iuxta dicta sæpius, præsertim *tom.* 1. *cap.* 11. *n.*7. *&* 9. *& tom.*2.*cap.*5.*n.*49. & aliis locis. Vel quando sunt commodata Monasteria in quibus non viget Regularis Obseruantia, aut si in eis viget, quando Superiores ipsorum admoniti ab Ordinariis, intra sex menses ea non visitant, iuxta decretum Concilij Trident. *sess.* 21. *de reform. cap.* 8. Imò Episcopum non se debere interponere in Monasteriis, in quibus viget Regularis obseruantia refert decisum à Sacra Congregatione Armendariz *in Addition. ad recopilat. Legum Nauarræ lib.* 1.*tit.*6.*de visitat.num* 98. & ex ipso Barbosa *de offic.& potestat.Episcop.part.*3. *Allegat.* 74.*n.*16. *& in locum Concilij relatum n.*10. Stephanus Vveyms *Constitut.* 17. *num.*9. Nouarius *Lucerna Regularium verbo Episcopus quoad Regulares num.* 35. Vide Hieronymum Rodriguez *in Compend. Resol.*15.*num.*15. vel quando illa Monasteria commendata sunt perpetuo vnita aliis Ecclesiis, vel piis locis. Armendariz *supra num.* 100. Barbosa *d. num.* 16. *& supra locum Concil. relat. num.* 3. Vel denique quando Monasteria non subsunt Generalibus Capitulis, aut Episcopis, nec suos habent Ordinarios Regulares Visitatores, si monita in Congregationes non se redegerint, iuxta idem Concilium *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 8. Barbosa *d. allegat.* 74. *num.* 17. Bordunus *Resol.*7. *num.* 95. *&* 98. Vide dicta supra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 98. *num.* 501. & dicenda infra in Mari magno Minimorum *circa* 3.25.*n.*84. dum est sermo de Monasteriis Regularibus, non visitandis ab Ordinariis.

48. Quid importent verba illa huius priuilegij *In ius, & proprietatem B. Petri*, dixi supra in Mari magno Eremitarum Sancti Augustini *circa* §. 21. Quid etiam illa *Sub nostra protectione*, habes ex dictis in eodem Mari magno Eremitarum Sancti Augustini *circa* §. 10. *&* 3. *tomo* loco ibi relato. Et quid illa *speciali, & immediatè*, ac illa *Soli, & immediatè Sedi prædictæ subiacere*, in eodem Mari magno Eremitarum §. 31. &. 42. & Carmelitarum §. 5. 6. 33. 38. & 60. Derogatio etiam illa *cap. volentes de priuileg.* habetur quoque in Mari magno Prædicatorum §. 36. & 46. Minorum §. 37. & 44. Eremitarum S. August. §. 32. & Carmelit. §. 71. quibus locis, & aliis ibi relatis de hoc puncto egimus. De priuilegio etiam isto, quatenus per illud conceditur non posse promulgare Ordinarios censuras contra istos Religiosos, dictum est in simili priuilegio Prædicator. in eorum Mari magno §. 46. Minorum §. 37. & 44 Eremit. Sancti August. §. 31. & Carmel. §. 71. Quomodo autem se gerere debeant isti Religiosi, & alij habentes similia priuilegia, si citentur ab Ordinariis ad comparendum coram ipsis, in causis, in quibus sunt exempti, constat ex dictis *tom.* 3. *verbo Exemptio Regularium num.* 14. & in Mari magno Carmelit. *circa* §. 60. *&* 98. vbi etiam alia ad intentum huius priuilegij.

De vi illis clausulæ *Ab omni iurisdictione, potestate, & dominio* sic habet Rota in vna Cæsaraugustana *Cameraria* coram Pirouano anno 1631. in exemptione quadam similibus verbis facta. *Ex quibus cum apertè legatur Cameraria perpetuo exempta, & totaliter liberata à iurisdictione, & imperio Archiepiscopi, semper remanet derogatum iuri Ordinario competenti. cap. Abbate vbi Panorm. num.* 3. *cap. allegat.* 315. *num.* 7. *Vital. de supplen. neglig. Prælat. in rubr. num.*16. *Selu.de Benef. part.*2.*q.*22. *num.*45. *Gonzal. supra reg.*8. *glossa* 23. *num.*20. *Rot. in Ferrarien. Prioratus quæ est decis.*308 *num.*4 *p.*1. *recent.* Hæc in hac Rotæ decisione vtilia ad intentum. 49.

Circa §. 16.

EXtendit hoc loco Papa Vrbanus V I. Constitutionem *Super Cathedram* à Bonifacio VIII. editam, & à Clemente V. in Concilio Viennensi innouatam pro mendicantibus ad Religiosos Seruitas, ea dumtaxat ex parte, quæ est de confessionibus audiendis, pœnitentiis imponendis, & absolutionibus impendendis. Ita vt quantum ad hæc competat dicta Constitutio ipsis, sicut competit aliis Mendicantibus. 50.

Quid contineat hæc Constitutio *Super Cathedram*, quibus Mendicantibus concessa, quibus postea communicata, quomodo à Concilio Trid. moderata, & de aliis ipsam concernentibus, dictum in superioribus, in Mari magno Eremit. S. August. *circa* §. 1. *&* 4. & in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 11. *&* 85. 51.

Hic placuit adiungere, qui nouissimè diebus istis, & hæc scribebamus, contigere, spectantia sanè ad confessarios Regulares, de quibus agitur in hoc priuilegio. Cum enim illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopus Pisaurensis de an. præterito 1644. decreta quædam edidisset circa confessarios non solùm sæculares ipsi subiectos, sed etiam Regulares exemptos ab ipsius iurisdictione; & Procuratores Generales Ordinum S. Congregationi Episcoporum, & Regularium conquererentur, quod essent noua, singularia, inaudita, & contra ipsorum exemptionem, & priuilegia; eadem S. Congregatio, re maturè discussa, eam Eminentiss. ac Reuerendiss. D. Cardinali Ginetti nostri Carmelitani Ordinis dignissimo Protectori commisit, qui, solita prudentia, cauens ne authoritas illius Illustrissimi pessundaretur, & Regularium exemptio læderetur, quasi media via procedens, eidem Illustrissimo decretorum ab ipso editorum moderationem, & declarationem præscripsit, litteris datis Romæ 22. Septembris 1645. & in Typographia Cameræ Apostolicæ impressis. 52.

Decreta illius Illustrissimi Episcopi, aliquibus eorum relictis hæc erant. *Nullus Confessarius sæcularis,*

cularis, vel Regularis, cuiuscunque Ordinis, gradus, & prærogatiuæ, ordinaria siue delegata potestate fultus, & aliâ speciali nota, & mentione dignus, audiat Confessiones Sacramentales Pœnitentium vtriusque sexus, nisi per fenestrellam Confessarij à nostris deputatis infra mensem à die publicationis præsentium approbati, & in Ecclesia, ianuis apertis, ac si fuerit secularis, indutus sit superpelliceo, Stola, & Bireto, Regularis verò stolæ, & habitu; quo vtitur in Choro, Sacerdotibus dumtaxat pœnitentibus, & infirmis non valentibus accedere ad Ecclesiam exceptis. Nec ob id confessarius vsum habitus prædicti dimittere poterit. In casu verò magni concursus populi ad aliquam Ecclesiam, vbi plures adessent Confessarij approbati quam Confessionaria, illorumque ministerium necessarium, vel magna vtilitatis, & seruitij esse Curatus illius Ecclesiæ, vel Parochiæ arbitraretur, tunc Confessiones hominum dumtaxat extra Confessionarium audiri poterunt. Infirmis solus ipsorum Parochus, vel Curatus ministrabit Sacramentum pœnitentiæ, vel si ægrotans alteri Confessario approbato suæ conscientiæ latebras aperire voluerit, tunc nostra vel Prælati Pœnitentis licentia, gratis, & in scriptis concedenda, præcedere debebit, nisi forsan, necessitate vrgente, anticipatè fieri nequiuerit, sub qua ante, vel post obtenta præcipimus eidem Confessario, vt scribat attestationem suam, quod tali die administrauit Sacramentum pœnitentiæ N. ægroto, vt Curatus per illam sibi à Confessario illico, vel cum exactissima celeritate consignatam, reddatur certus de statu animæ sibi commissæ. Mulierum, & iuuenum imberbium confessiones ante solis ortum, vel post ipsius occasum, scilicet, cum incipit noctescere omnino prohibentur, & si infirmari contigerint, non alius Confessarius opus suum exercere valeat, quam si aperto ostio ipse, & ægrotans, vel si commodè fieri nequeat, omnino ipsemet Confessarius ab astantibus videri, non autem audiri possint. Restitutiones incertæ, vel eleemosynæ pro satisfactione per pœnitentes elargiendæ nullo pacto à Confessario, etiam requisito de ipsius consilio, suadeantur, nec proponantur, & multo minus percipiantur fieri sibi ipsi, vel Conuentui, Monasterio, siue Ecclesiæ, cui fuerit addictus, etiam sub titulo eleemosynæ, vel cum obligatione celebrandi certum numerum Missarum, vel aliud opus pium perficiendi, sed relinquantur quoad electionem Ecclesiæ, loci pij, & miserabilium personarum totali arbitrio pœnitentis. Confessarij eleemosynas à pauperibus victum propriis laboribus, seu industria quærentibus, sponte oblatas recusare pro posse non desinant, doceantque rudes opportunè non requiri ad integritatem, seu validitatem Sacramenti pœnitentiæ eleemosynarum ipsis faciendam elargitionem. A diuitibus verò enixis precibus oblatas nunquam propriis manibus recipiant, sed indicato altari, vel alio in Ecclesia destinato loco, ibidem pietatis propriæ absconditas eleemosynas pœnitentes dimittere poterunt: meminerint tamen, quod Christi fideles tunc maximi faciunt monita salutis, ab Ecclesiasticis emanata, & venerantur summopere Sacramentorum ministros, cum illos ab omni spe lucri, & suspicione auaritiæ longè abesse animaduertunt. Caueant præterea, ne vilibus, & terrenis inhiantes muneribus, grauioribus peccatis obiurgatione, & castigatione condignis conniuentes, Regni Cœlestis, vna cum pœnitentibus sua culpa non bene dispositis, iacturam faciant. Confessionarium vt approbari possit, fenestrellam habebit crate lignea munitam cum foraminibus ita angustis, vt auricularis digitus ob vna ad alteram partem penetrare nequeat; supra genuflexorium Pœnitentis apposita erit aliqua imago picta vel typis excusa, seu ex quauis materia sculpta, vel constructa Sanctissimi Crucifixi, siue Beatissimæ Virginis, seu alterius Sancti, vel Sanctæ; in alia verò parte à lateribus sedilis Confessarij in loco magis conspicuo, & commodiori affixa extabunt Bulla Cœnæ Domini, seu saltem illius compendium, & casus cum aliis præceptis, reseruati. Quod si tractu temporis prædictorum alterum defecerit, vel fenestrella deuastata, siue vnum, vel plura foramina dilatata fuerint, tunc tandiu auctoritas Confessarij in dicto Confessionario exercenda suspensa sit, donec ad integram præscriptam formam Confessionarium huiusmodi fuerit restitutum, vel restauratum.

In litteris verò Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinalis Ginetti ad præfatum Illustrissimum Episcopum pro moderatione, & declaratione præfatorum decretorum sic habetur post alia, quæ omittimus. Questi Eminentissimi Signori han risoluto ch'ella dichiari, è moderi il medesimo Decreto nella sequente forma, cioè. Che li Confessori così seculari come Regulari volendo ammistrare questo Sacramento à persone seculari di qualsiuoglia sesso, à età si siano, debbano farlo in Chiesa con la stolà al collo alla fenestrella del Confessionario, quali habbia i forami così angusti che non possa passarui il deto auricolare eccettuati però i casi d'infirmità, ò d'altra precisa necessità, ò congruenza morale, ne quali possono confessare nella Sacrestia, ó altro luogo decente col solo habito Regulare, e così anche per seruizio de gl'infermi nelle loro case senza del Parocho purche lascino in scritto, ò notifichino al medesimo dihauerlo fatto. Che la visita de' Confessarij V. S. l'incarichi à i loro Superiori Regulari, e rimuoua dal suo Decreto quelle parole, che specificano certo genere di persone, come ancora le pene pecuniarie nõ solite à praticarsi co' Regulari, e Mẽdicanti, e la pena della suspensione ipso facto, stimata troppo rigorosa, e facile à cagionare molti scrupoli. Così dunque esequisca: e quando habbia notizia, che alcun Regulare abusi di questo Sacramento, proceda contro di esso conforme nella facultà, che se le concede da Sacri Canoni, e dalle Constitutioni Apostoliche.

Circa prædictas litteras nota primò, ex illis 55
coniici alia decreta fecisse præfatum D. Episcopum, quæ inter prædicta non continentur, circa hanc materiam, & quod S. Congreg. omnibus illis vult moderationem relatam adhiberi. Secundo, decretum illud de non audiendis confessionibus sine stola, &c. conforme esse alij edito Romæ à Congregatione Apostolicæ visitationis, quod retuli tom. 1. cap. 19. num. 32. insuper illud de admonendo parocho, quando Confessarius audit confessiones ægrotorum, etiam est conforme alij, quod eo loco num. 31. retuli, quod explicatum est à S. Congregatione, vt dixi supra in Mari magno Eremit. S. Augustini circa §. 1.

Maximè notandum, quod cum prædictus Dominus Pisaurensis Episcopus adhuc persisteret in procedendo rigidè contra Regulares, nouissimè dum hic tomus typis mandatur sub die 4. Augusti currentis anni 1646. litteræ prodierunt ab Emin. Card. Carrafa nomine S. Congreg. Concilij ab ipso, & ab Illustriss. D. Paulutio Secretario subscriptæ, quibus eidem D. Episcopo strictè iniungitur, vt circa examen, & approbationem Regularium ad confessiones sæcularium audiendas, omninò, & adamussim obseruet declarationes eiusdem Sacræ Congregationis, eisdem litteris adiunctas. Videlicet vnam Salernitanam 15. Augusti 1591. in qua S. Congregat. declarauit Confessarios semel approbatos posse à successore approbantis iterum examinari, ab eodem verò Episcopo approbante

bante nequaquam, si noua non superuenerit causa, iuxta Constitutionem Pij V. quæ à Gregorio XIII. reuocata non fuit. Item aliam Carcharensem in qua idem deciditur. Item aliam Elborensem, in qua S. Congreg. Concilij censuit Bullam Pij V. quæ incipit *Romani Pontificis* de Approbat. Confes. Regul. ab Episcopis facienda non esse reuocatam per Bullam Gregor. XIII. qua priuilegia Ordinum Mendicantium reducta sunt ad terminos S. Concilij; sed secundum prædictam Bullam Pij V. Confessores Regulares, qui ad audiendas sæcularium Confessiones semel ab Episcopo in Ciuitate, & Diœcesi sua præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo non esse iterum examinandos: ab Episcopo autem successore pro maiori quiete conscientiæ suæ examinari denuò posse. Item aliam Salernitanam 15. Augusti 1597. vbi declaratur iuxta Constitutionem Pij V. Episcopum non debere Regularibus ad audiendas personarum sæcularium Confessiones approbationem concedere cum aliqua temporis præfixione, sed idoneos repellere. Item aliam pro 16. Ianuarij 1606. vbi declarauit Episcopum debuisse de rigore Regulares simpliciter ad Confessiones audiendas personarum sæcularium approbare, vel reprobare. Cœterum si ad tempus approbati fuerint, non posse huiusmodi Regulares eo tempore elapso absque noua approbatione confessiones personarum sæcularium audire. Insuper Dominos Ordinarios non posse facultatem audiendi Confessiones omnibus simul vnius Conuentibus Regularibus, eadem S. Congreg. inconsulta adimere. Item aliam pro die 22. Ianuar. 1597. vbi censuit Confessarium ad audiendas confessiones idoneum repertum approbari simpliciter debere, non autem ad tempus, atque semel ab eo ad id muneris præuio examine approbatum, non posse ab eodem iterum examinari, nisi noua superuenerit causa. Demum aliam pro die 8. Nouembris 1596. in qua censuit Episcopum minimè posse facultatem Regularibus audiendi confessiones sæcularium limitare, cum Regulares facultatem huiusmodi ex priuilegiis à Sede Apostolica concessis obtinent; ideoque munus Episcopi ex decreto S. Congreg. *cap. 15. sess. 23.* esse ipsos Regulares approbare, si idoneos illos iudicauerit, sed minimè posse illis coarctare facultatem. Pro concordia autem huius declarationis cum aliis consule dicta *tom. 1. cap. 19. num. 8.* Quo etiam loco alia spectantia ad hanc materiam.

55. Hic etiam nota, quod licet Domini Ordinarij possint examinare quoscunque Religiosos sibi præsentatos ad audiendas confessiones, etiam si sint Lectores, Doctores, Graduati, &c. iuxta dicta *tom. 1. cap. 19. num. 6.* hoc autem sensu intelligi debent eo loco dicta; nihilominus quando tales fuerunt notoriè sufficientes, & hoc constiterit ipsis Ordinariis possunt illos sine vllo examine ad confessiones audiendas admitere. Tum quia id videtur concedere Concil. Trident. *sess. 23. cap. 15.* illis verbis *Si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus iudicetur.* Tum quia ista est praxis plurium Episcoporum. Barbosa *in Collectan. Doctor. in Concilij locum relatum num. 32.* Diana 7. *part. tract. 11. resolut. 33.* post Reginaldum, Coninch. Fagundez, & alios. Hos tamen sine examine approbatos posse etiam sine causa ab eo munere confessariorum amoueri, quia cum istud priuilegium fuerit gratiosum, per illud gratificati nullum ius adquisierunt, tenent Bordonus in Resolutionibus *Resol. 36. num. 9.* & Diana supra post alios, & fauet declaratio S. Congreg quam referunt Sellius *in select. Can. cap. 14. num. 17.* Barbosa *supra num. 40.* & Gauantus *in Man. verbo Confessarius num. 11.* Sed de hoc merito dubitari potest si, iuxta dicta supra in Mari magno Eremitarum Sancti Augustini *circa* §. 1. & in Mari magno Carmelit. *circa* § 85. dicatur cum multis eis locis relatis Episcopos in approbatione Mendicantium solum habere nudum ministerium, & non tribuere ipsis aliquam iurisdictionem, sed eam habere à iure communi in Clement. *Dudum de sepult.* ex hoc enim videtur sequi non posse approbationem ipsis datam reuocare, etiam si examem non præcesserit; præsertim cum Concil. Trident. verbis relatis id permittat.

Circa §. 17

PRiuilegium hoc loco relatum est Bonifacij IX. concedentis domibus Fratrum Seruitarum omnes libertates, immunitates, priuilegia, ac indulgentias à Sede Apostolica concessa domibus Fratrum Eremitarum S. August. Addit Pontifex, *Et vt eis vtamini liberè sicut illi, vobis authoritate præsentium indulgemus.* 56.

Circa quæ verba multa dici possent de communicatione priuilegiorum huius Religionis cum alia. De quo dixi *tom. 2. cap. 1. à num. 52. & tomo 4. verbo Priuilegia Regularium num. 24.* Quibus adde ex vi huius priuilegij censeri etiam concessa huic Ordini ea quæ domibus Eremitarum S. Augustini solum per communicationem conueniebant, etiam si ipsis immediatè concessa non essent. Habens enim priuilegium *ad instar* (quale est istud) alicuius priuilegiati, habet etiam illud priuilegium, quod talis priuilegiatus habet ad instar alterius priuilegiati, Oldradus *consil. 300.* Mandosius *de priuil. ad instar glossa 11. à num. 7.* Narbona *de appellat. à Vicar. ad consil. Archiep. 2. part. fundam. 1. num. 38.* Seraphinus Freitas *in Bullar. Ordin. S. Mariæ de Mercede in Schol. ad Bull. 2. Adriani VI.* Apud quem alia de hac materia. 57.

Dubitari autem potest, an hoc priuilegium extendatur etiam ad concedenda domibus Eremitarum S. Augustini, ita vt etiam intelligantur concessa domibus Seruitarum. Et quidem ita videtur dicendum, eo quod Bullæ habenr vim legis, & regulariter in futurum diriguntur, *cap. vlt. de Constit.* & priuilegium recipiendi iura, & redditus comprehendit impositos, & imponendos. Brunus *de augument. concl. 16. num. 5. & 6.* Caucdo *dec. 113. num. 1. p. 2.* Menochius *cons. 201. num. 150. lib. 3. & cons. 1105. num. 5. lib. 11.* Natta *cons. 394. num. 3. 4. & 5. consil. num. 91.* Freitas supra *in Schol. ad Bullam 3. Leon. X.* Quia tamen Pontifex vtitur clausula illa *Ab Apostolica Sede concessa*, quæ videtur restrictiua solum ad concessa priuilegia, ideo non debet extendi ad concedenda, iuxta dicta supra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 105. ex Mandosio, Rodriguez, Miranda, & Suarez. 58.

Confirmata postèa est hæc Bulla à Martino V. vt patebit ex dicendis infra *circa* §. 27. occasione accepta ex nonnullis reuocationibus à Summis Pontificibus factis huiusmodi, & similium indultorum, priuilegiorum, Indulgentiarum, &c. Vide dicenda eo loco, & *circa* §. 56. vbi Innocentius VIII. hæc omnia confirmat, & extendit ad indulta concedenda dictis domibus Eremitarum S. Augustini. 59.

Circa §. 18.

Circa §. 18.

60. STatuit hoc loco idem Bonifacius IX. quod nullus Frater huius Religionis assequi valeat aliquam prælaturam, dignitatem, vel aliquod officium, seu beneficium per Fratres dictæ Religionis gubernari, seu regi consuetam, vel consuetum, absque Generalis pro tempore licentia, præterquam ex indulgentia Sedis Apostolicæ faciente plenam, & expressam mentionem de hoc indulto. Irritum, & inane decernens quidquid in contrarium actum fuerit.

61. Priuilegium hoc notabile est, & vtile sanè huic, & aliis Religionibus communicationem priuilegiorum cum illa habentibus, ad reprimendum ambitionem illorum, qui officia, seu beneficia Religionum ab aliis, quam à propriis Prælatis assequi procurant. Etiamsi obtineant ea à Papa, seu Sede Apostolica, nisi cum tali expressa mentione huius indulti obtineantur. Quamuis autem inutile videatur hoc priuilegium, si in Papæ concessione ipsi derogetur; si tamen non derogatur, manet in sua vi, & prouisio quamtumuis à Papa facta, censebitur nulla, & irrita, prout in hoc priuilegio habetur. Consonant ipsi ea, quæ diximus *tom.4. verbo Litteræ Apostolicæ num.7.* propter multa priuilegia Religionum, videlicet, non posse Regulares impetrare indulta aliqua à Sede Apostolica contra suæ Religionis instituta. alias talia indulta pro nullis haberi debere. Cum enim impetrare officia seu beneficia Religionis à Papa, nesciente Prælato, proculdubio fit contra instituta Religionis, quæ facultatem concedit dicto Prælato ad ea distribuenda, ideo talia priuilegia conformia sunt isti, de quo in præsenti. Vide etiam alia apud Ioannem de Cruce *in Epitome l.1. cap. 6. dub. 7. concl. 4.* Et dicta supra in Mari magno Eremitarum S. August. *circa* §. 6. vbi ostendi posse Prælatos Regulares imponere aliquas veluti pensiones super beneficia regularia, quorum prouisio spectat ad ipsos, præsertim propter Rotæ decisionem eo loco relatam. Quomodo autem Prælati se possint gerere contra eos, qui similes gratias à Sede Apost. sine assensu suorum Prælatorum obtinent, dixi eo verbo *litteræ Apost. num.8.* An verò Monachatus sit beneficium (de quo ad intentum huius priuilegij dubitari potest) tractant Filiuc. *tom.3. tract.41. cap.1. quæst.3. num.11.* & Candid. *tom.1. disquis.18. art.2.* & resoluunt, quod si per monachatum intelligatur solum cooptari in numerum Religiosorum, & habere ius petendi alimenta, ingrediendi Capitulum, &c. non est beneficium, bene tamen, si, prout contingat in aliquibus Monasteriis Galliæ, & Germaniæ, contra Concil. Trid. decreta, per illum habeat monachus ius ad exigendum aliquos fructus, ex aliquo prædio Monasterij, expendendos postea ad sui arbitrium.

Circa §. 19.

62. NOtabile quoque aliud priuilegium eiusdem Bonif. IX. hoc loco continetur. Per ipsum enim conceditur Generali Seruitarum pro tempore existenti, vt examine præmisso in quolibet Capitulo Generali eiusdem Ordin. possint creare vnum Magistrum in Theologia, cum licentia docendi in ea facultate, & priuilegiis Magistrorum Parisiensiũ, absque eo tamẽ quod Religio teneatur illi aliquid vltra, quam antea tenebatur concedere.

Circa quod priuilegium notat Archangelus Gianius in Annalib. huius Ordinis *Centur.2. lib.4. cap. 5.* postero anno à concessione illius celebrato Capitulo generali Taruisij, Generalem vsum fuisse hoc indulto, indicatque hunc vsum perpetuo seruatum fuisse. Ex quo elici potest, tutiori conscientia vti posse hoc priuilegio, & alio simili eiusdem Bonifac. IX. pro Ordine Prædicatorum, quod retuli *tom. 3. verbo Gradus, & graduati Regulares num. 5.* alias Religiones, quæ cum istis communionem priuilegiorum habent, quales sunt Mendicantes præsertim. Quomodo etiam intelligatur illa clausula huius priuilegij, *Seruatis Constitutionibus* (seu potius *conditionibus*) *Viennensis Concilij, & aliis solemnitatibus in talibus fieri consuetis,* dixi eo *num. 5.* in simili clausula alterius priuilegij pro Ordine Prædicator. Meminit etiam huius priuilegij pro Prædicatoribus, & alterius pro eisdem Innocent. VIII. quod retuli loco relato *num. 4.* Hieron. Rodriguez *in Compend. Resol.70. n.1.* vbi etiam *num.* 4. de priuilegio alio Societatis Iesu ad conferendum gradus suis Scholaribus. Pro quo vide Bullam Pij IV. in Bullario Rodriguez in hoc Pontifice *n.5* & Bullã Greg. XIII. in eodẽ Bullario in hoc pontifice *n.22.* & Castrum Palaum *p.3. tract. 16. disp. 4. punct. 13.* §.6 vbi de hac re. Ex quibus omnibus magis confirmamur, id quod dixi in Mari magno Carmelit. *circa* §. 12. Religiosos videlicet, licitè posse recipere gradus, seruatis iustis conditionibus. Nota etiam hoc priuilegium Bonifacij pro Seruitis ampliatum esse ab Innocent. VIII. ad duos graduandos in quodlibet Capitulo Generali, iuxta dicenda infra *circa* §. 51. Maximè nota in talium graduum collatione obseruãdas esse conditiones præscriptas in priuilegio. Pro quo videnda, quæ dixi in eo verbo *Gradus, & Graduati num.3.* & Castrus Palaus *supra.* 63.

Si autem quæras, an gradus suscepti à Religiosis contra voluntatem suorum Superiorum, Constitutiones suorum Ordinum, aut sine conditionibus assignatis in priuilegiis, ratione quorum illos suscipiunt, sint validi. Respondeo, quod stando in iure communi valida est susceptio gradus contra voluntatem Superioris, cum nullius sit textus in contrarium; quoad Constitutiones verò Ordinum, attendendum est ad verba ipsarum; si enim solum id prohibeant, valida erit talis graduum susceptio; si autem clausulam irritantem contineant, omnino inualida erit. Pro quo vide dicta eo verbo *Gradus, & graduati num. 3.* Quoad priuilegia autem, quale est, de quo in præsenti, sine dubio dicendum, quod si non obseruantur conditiones in ipsis positæ, nihil suffragari, & facta esse irrita, tales enim conditiones sunt veluti forma substantialis ipsorum, sine qua nihil efficitur. *l. qui hæredem* §. *vlt. ff. de condit. & demonstrat.* Suarez *de legibus lib.8. cap.13.* & alij communiter. Vide Castrum Palaum *supra*, & Peirinis *in Reg. Minim. cap.9.* §. *41. q. vnica.* 64.

Circa §. 20.

COnceditur hoc loco his Religiosis à Ioanne XXIII. Summo Pontifice, vt possint recipere quascunque domos, seu loca vbique, & ea ædificare cum Ecclesiis, & aliis necessariis, sine licentia Diœcesanorum, iure tamen Parochiali saluo, & quod Fratres in eis locis commorantes vti, & gaudere possint omnibus priuilegiis Religionis. 65.

gionis. Addit verò Pontifex huiusmodi domos, & loca recipi posse, *dote secundum ipsius Ordinis institutionem pro domibus, & locis ipsis concedendis primitus assignata.*

66. Circa quam clausulam nota, ideo à Papa positam fuisse, quia de iure communi necessario est dotis assignatio pro fundatione Ecclesiæ, iuxta dicta *tom. 3. verbo Ecclesia, seu Templum num. 8. ex c. nemo de consecrat. dist.* 1. & notatur *cap.* 1. *de censib.* Glossa *in c. secundum canonicam* 23. *q.* 8. Azor *tom.* 2. *instit. mor. lib.* 9. *cap.* 3. *q.* 7. Barbosa *in d. c. nemo, & de offic. & potestat. Episcop. p.* 3. *Allegat.* 64. *num.* 3. *& de iure Ecclesiastico lib.* 2. *cap.* 2 *num.* 20. Quia ergo, quamuis Mendicantes licitè possint ædificare Ecclesias sine dote, ex Ecclesiæ consuetudine, vel quia sic sunt intellecta ipsorum priuilegia, prout dixi eo *num.* 8. & notat Barbosa loco relato *de Iure Ecclesiastico num.* 23. nihilominus quia Seruitæ eo tempore non habebantur pro Mendicantibus, vt etiam constabit ex dicendis §. seq. idcirco Papa exigit dotem pro fundatione domorum istius Ordinis.

67. Ex verbis illis in hoc priuilegio pro hoc ordine positis. *Quem in statu firmo, solido, & stabili volumus permanere,* colligi potest per illa approbatum, & confirmatum censeri ab hoc Pontifice. Hanc enim esse vim istorum verborum dixi supra in Mari magno Carmel. *circa* §. 5. *&* 6.

68. Facultas porro concessa in hoc priuilegio ad fundandum Monasteria sine licentia Diœcesanorum reuocata manet his temporibus, propter decreta Concil. Trid. & aliorum Pontificum, & S. Congreg. iuxta dicta *tom.* 4. *verbo Monasteria Regularium num.* 2. & supra sæpius in multis aliis priuilegiis aliorum Mendicantium similibus istis.

69. Quid etiam importet clausula illa *Iure Parochialium Ecclesiarum saluo*, habes ex dictis in Mari magno Prædic. *circa* §. 17. & 43. Minorum *circa* §. 41. Eremitarum S. Augustini *circa* § 38. & Carmelitarum *circa* §. 57. *&* 87. & aliis locis ibi relatis. Nota etiam eandem concessionem impetrasse postea istos Patres à Martino V. in Bulla referenda infra §. 24. propter rationem ibi assignandã.

Circa §. 21.

70. CVm occasione accepta ex eo quod Seruitæ haberent Ecclesias dotatas, prout ex priuilegio adducto §. *præcedenti* elicitur, collectores charitatiui subsidij super omnibus etiam Ecclesiasticis personis, Mendicantibus exceptis, illo tempore impositi, eos ad solutionem talis subsidij compellerent, habito ab Ioannem XXIII. Papam recursu, ab ipso in hoc priuilegio impetrarunt, vt non obstante tali suarum Ecclesiarum dotatione, exempti essent, sicut alij Mendicantes ab exhibitione illius, & similis, vel dissimilis subsidij à Sede Apostolica imponendi.

71. Nota priuilegium hoc iam non esse Patribus istis necessarium, siquidem ex Constitutione Pij V. quæ incipit, *Romanus Pontifex* in Bullario Laertij *num.* 44. habetur Seruitas inter Mendicantes comprehendi, *eorumq; domus, Monasteria, & loca, etiamsi in communi propria bona, tam mobilia, quam immobilia, & stabilia, ac alia quæcunque possederint, Mendicantium vocabulo, & omnibus & singulis Mendicantium priuilegiis eis quomodolibet concessis, vti posse, & debere, nec super præmissis vllo vnquam tempore molestari posse.* Prout in eadem Constitutione habetur. Vbi etiam additur: *Ac tam Concilij Trident. quam omnia, & singula alia decreta, statuta, Ordinationes, priuilegia, & iura de Mendicantibus loquentia ad omnes, & singulos Ordines præfatos, eorumque domos, & loca etiam propria bona, in communi tamen, retinentes, extendimus, & ampliamus illaque de illis loqui etiam auctoritate præfata per easdem præsentes declaramus.*

Quid importet charitatiuum subsidium, de quo in præsenti agitur, an ab Ecclesiis Regularibus, debitum, & alia ad ipsum spectantia habes ex dictis Mari magno Prædicatorum *circa* §. 35. & in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 46. Cum autem nomine *Similis, vel dissimilis* subsidij, quo Pontifex vtitur, intelligantur collectiones, impositiones, onera, &c. ideo pro illis videnda quæ circa similia priuilegia Mendicantium in hoc Opere sæpius dixi, dicenda infra *circa* §. 44. huius Maris magni, vbi hoc priuilegium ampliatur ab Innoc. VIII. 72.

Circa §. 22.

COntinetur hoc loco confirmatio priuilegiorum Vrbani VI. supra §. 15. & 16. relatorum, facta à Martino V. nuper in Pontificem summum Constantiæ electo post sublatum schisma trium Pontificum. 73.

Hic nota, quod quamuis Bullæ Romanorum Pontificum habeant vim legis, *l.* 1 *ff. de Const. Princip.* §. *sed, & quod Principi instit. de iure naturali c. si Romanorum d.* 9. Nauar. *conf.* 33. *num.* 2. *de pœnit. & remis.* Ideoque perpetuæ sint, quousque ab ipso Pontifice, successoreve reuocentur, *l. Arriani, l. de hæretic.* Corduba *in Regul. Sancti Francisci cap* 10. *q.* 3. *punct.* 1. *parte* 3. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 28. *q.* 2. *num.* 47. Vasquez 1. 2. *disp.* 151. *cap.* 3. *num* 16. Suarez *de legibus l.* 1. *c.* 10. *à n.* 4. Salas *eodem tract. disp.* 1. *sect.* 9. *à num.* 60 Nauar. *cap.* 27. *num.* 74. Seraphinus Freitas *in Bullario Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede in proœmio*, nihilominus, quia tempore Vrbani VI. qui præfata priuilegia Seruitis concesserat, ortum fuit schisma cuiusdam Clementis VII. nuncupati, quem alij Pseudo-Pontifices postea sequuti sunt, ideo, & non obstante, quod prædictus Vrbanus VI. legitimus Pontifex fuerat, vt *impugnationum eos alias forsitan contingentium*; (vt Pontifex inquit) subduceretur materia, Apostolicam confirmationem à Martino Papa postularunt isti Religiosi. Et merito quidem, quia *factum non dicitur, quod non durat factum*, iuxta iuris axioma *l. fin. pro parte* §. *versum ff. de in rem verso*, Menochius *conf.* 334. *num.* 19. Farinacius *in prax. crimin. part.* 4. *conf.* 60. *num.* 72. Gonzalez *ad reg* 8. *cancell gloss.* 63. *num.* 24. *cum sequentibus* Barbosa post hos, & alios *in Axiomat. iur. axiom.* 93. *num.* 14. Potuit etiam esse alia ratio cur Religio Seruitarum confirmationem præfatam à Martino Papa postulauerit, quia scilicet ipse Martinus in Concilio Constantiensi *sess.* 43. *tit. de exempt.* reuocauit omnes exemptiones concessas ab obitu Gregor. XI. vsque ad illud tempus, ac per consequens etiam concessas ab Vrbano VI. qui post Gregorium XI. Pontifex fuerat, merito ergo propterea nouam à Martino confirmationem Seruitæ postulare potuerunt. De hac re in casu fere simili Rota in vna Ianuensi *Iurisdictionis* coram Ludouisio anno 1611. 74.

Circa §. 23.

IDem Martinus V. Fratribus Seruitis hoc loco concedit, vt in quibuscunque Ciuitatibus, locis, & terris, in quibus habẽt Conuentus non habentes possessiones sufficientes pro victu Fratrum in illis 75.

commorantium, possint *ad instar. Fratrum Ordinum Mendicantium*, mendicare, ac à fidelibus eleemosynas, & suffragia pro victu, & sustentatione petere, recipere, ac in vsus suos conuertere.

76. Notat hic Archangelus Gianius in Annalibus huius Ordinis *cent.2.lib.5.cap.3.in tit.capitis*, ex vi sanè huius priuilegij Martinum Papam omnium primum Seruorum Ordinum inter Mendicantes retulisse. Cœterum cum Pontifex non declaret hoc loco Religiosos istos esse Mendicantes, aut inter Mendicantes computandos, sed solum *ad instar. Mendicantium* posse petere, & recipere eleemosynas, &c. & dictio *ad instar* non importet identitatem, sed similitudinem, vt habet Baldus *cons. 232.num.2.vers.praterea lib.1.& in l.1.C.de patr.qui fil.* Caldinalis *in Clem.1.n.5. notab. de iudic.* Mand. *de priuileg.ad instar q.1.num.2.* Tuschus *pract.concl. tom.2.litt. D.concl.296.num.1.* & alij; ideo hoc non tribuitur huic Papæ, sed Pio V. iuxta dicta supra *circa* §. 21. & ita supponunt Rodrig. *tom.1.q.Reg. q. 55. art. 3.* alter Rodrig. *in Compend. Resolut.94. num.7.* Erasmus à Cochier *de iurisd. Ord.in exempt. p.1.q.17. num.16.* & Barbosa sæpius, præsertim *in tract.de appell.verb.iur.appell.147.num.4.* Et merito sanè, quia cum Mendicantes dicantur illi, quibus Regula, vel Constitutio possessiones, seu redditus non permittit, cum Seruitæ tempore Martini ex suis Constitutionibus possessiones, seu redditus haberent, nec in eo dispensari sicut postea Mendidicantes à Concilio Tridentino dispensati fuere, procúldubio pro eo tempore Mendicantes non erant. Vide dicta *tom.2. cap.1.num.1.* Rodriguez *tom 1.q.2.art.9.* Sanchez *lib.6.in Decalog.c.7.n.113. & 114.* & alter Rodriguez *sup.num.6.*

77. Ex Clausula autem illa in hoc priuilegio posita, videlicet *Possessiones tamen, sufficientes pro victu Fratrum in illis commorantium non habentes*, inferri videtur ex vi huius priuilegij non posse istos Religiosos petere eleemosynas, aut suffragia, illave recipere, nisi quando ipsorum Conuentus non habeant possessiones pro ipsorum victu. Hoc enim ex ipsa clarè denotari videtur. Pro quo vide dicta *tom.1.c.6.num.43.* & in nostro Opere *de Refor.Regul.cap.16. & 17.* Eo tamen non obstante, ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ habetur, quod etiam si isti Religiosi, aut alij Mendicantes habeant necessaria pro victu possint nihilominus mendicare pro cultu diuino manutenendo, & conseruando provt decet, aliisque piis, & sanctis, ac Ecclesiæ vtilibus exercitiis. Quod etiam includi videtur in hoc priuilegio, cum Pontifex in motiuo concessionis illius, dicat: *Nos igitur, qui diuinum cultum nostris temporibus non minui, sed augeri intensi desiederiis affectamus*, &c. An verò casu, quo cultus diuinus sufficienter celebris sit, expediat magis eleemosynas in egenorum necessitatibus subleuandis erogare, consule Panormitanum *c. fin.de verbor.signif.* Syluestrum *in Summ.verbo Decima quæst.2.* Rodriguez *tom.3. quæst.regul.quæst.20. art.2.* & eius Compendiatorem *resol.103. num.2.* & pro Clausula illa *Pro victu Fratrum* vide dicta Mari magno Carmelitarum *num.505.*

78. Quid intelligatur in hoc priuilegio *Suffragiorum* nomine, dum Pontifex concedit his Religiosis facultatem illa petendi, & recipiendi, colligi potest ex dictis 4 *tom.verbo Suffragia.* Credo nihilominus suffragiorum nomine in præsenti præcipuè intelligi stipendia, seu eleemosynas, quæ pro Missis celebrandis dari solent, & ita colligi videtur ex Gianio relato, dum inquit, quod Auerardus de Medicis ea tempestate (quasi propter hoc priuilegium) pro anima Ioannis Papæ tunc Florentiæ defuncti non modicam pecuniam Fratribus obtulerit, vt credo, pro Missis dicendis. Posse autem Sacerdotes etiam Regulares recipere stipendia pro Missis celebrandis, illa scilicet, quæ communi lege, aut consuetudine taxata sunt, constat ex dictis *tomo primo, capitulo 21. num.4.* vsu Ecclesiæ, & communi doctrina Doctorum, qui id extendunt ad Sacerdotes etiam diuites, de quo Glossa, & Doctores *in cap.Clericos 1.q.2.* S.Thom. *quodlib.6.art.10.* Gabr. *sup.can.Miss.lect.28.* Sotus *de iust.& iur.lib.9.q.6.art.1.* Nauar. *Man.cap.23.num.102.* Suar. *tomo 3.in 3.par.disp.86.sect.3. concl.1.& 2.* Aragon *de iust. & iure q.100. de Simon.a.2. dub.de Cler. diuite.* Posseuin. *de offic. Cur.cap.2.n.20.* Molfes *promptua.iur.tom.2.tract.5.c.16. num.14.* & Fraxinellus *in disp. de Sacerd. obligationib.sect.3.pranot.1.§.4.* Ne autem ex eo quod Pontifex Martinus in hoc priuilegio concedat Fratribus facultatem recipiendi, & petendi dicta stipendia Missarum pro victu ipsorum, inferat aliquis posse ipsos, aut quoscumque alios, plusquam vnum stipendium pro vna Missa recipere, ratione paupertatis, vel indigentiæ, consulat dicta *tom.4.verbo Missa num. 10. & seqq.* vbi etiam *num. 21. & seqq.* an sint aliqui casus, in quibus id facere possint.

Hic obiter nota circa Missarum reductionem, quod reductiones factæ à Sanctissimo, vel à Sacra Congregatione in aliquo Monasterio, seu Conuentu, vel Ecclesia seruire non possint pro communicationem priuilegiorum quantumuis amplissimam, aut alia quauis de causa pro aliis Monasteriis, Conuentibus, seu Ecclesiis, provt dixi *tom. 4. verbo Missa num. 31.* in nouissima impress. Venetiarum anni 1646. Immò ea de causa emanauit Decretum S. Congregationis Concilij die 10. Nouembris eiusdem anni 1646. quod apud me habeo authenticè subscriptum ab Eminentissimo D.Cardin.Carrafa, & Illustrissimo D.Paulutio Secretario, qui pro sua benignitate illud ad me misit. In hoc autem decreto, conformiter ad aliud Sacræ Congregationis Indicis, per quod librum Philiberti Martini, in quo opposita doctrina continebatur, suspendi fecit, declarat, & decernit eadem S. Congregatio Concilij, *Gratias huiusmodi reductionis Missarum ad certum numerum, vel certam summam, aut quantitatem eleemosynæ, non posse suffragari, nisi dumtaxat illis Monasteriis, seu Ecclesiis, aut Ordini Regularium, quibus ex causis peculiaribus concessæ fuerunt, & pro tempore conceduntur, non obstante quacunque amplissima Communicatione priuilegiorum, etiam inter mendicantes (quam nullius valoris ad hunc effectum esse declarat, & decreuit.) Præcipiendo omnibus, & quibuscumque Regularibus etiam speciali nota dignis, vt si huiusmodi scriptorum opinioni, vel priuilegio Communicationis innixi tales Missarum reductiones in suis Ecclesiis, aut Monasteriis, seu Ordinibus facere ausi fuerint, eis nullatenus vti possint, sed astrictos, & obligatos remanere ad eundem Missarum numerum, ad quam antea tenebantur, reductiones prædictas irritas decernens, & inanes.*

Ampliat hoc priuilegium Innocent. VIII. infra 79.
§. 61. vbi etiam alia ad intentum. De quo etiam in fere simili materia pro Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla *Aurea* dicta §. 5. pro Eremit. S. August. in ipsorum Mari magno §.51. & pro Carmelitis in ipsorum etiam Mari magno §.70.

Circa

Circa §.24.

80. POnitur hoc loco concessio, alia Martini V. pro istis Religiosis, similis omnino alij Ioannis XXIII. de qua supra §. 20. ad recipiendum videlicet quascumque domos, & loca vbique, cum dote tamen competenti, ac in eis fundandi, seu ædificandi Ecclesias, & quod in eis degentes Religiosi omnibus priuilegiis suæ Religionis vti valeant.

81. Petita est hæc gratia à Pontifice non obstante alia similia Ioan. XXIII. ad obuiandum proculdubio calumniis illorum, qui dicere possent prædictum Ioannem, eo quod eius tempore schisma fuerit, non fuisse legitimum Pontificem, sicut in simili diximus in alia confirmatione priuilegium Vrbani VI. ab eodem Pontifice facta *supra* §. 22. Adde, quod geminata Bulla, seu geminatæ litteræ habent vim motus proprij, qui exprimendus esset. Paris. *cons.9.num.21.lib.3.* Decian. *con* 46. *n.*43. *lib.* 2. Curt. *cons.* 310. *num.* 131. vbi quod tollunt omnem subreptionem, refert Cardin. Thuschus *concl.28.num.*49. De quo etiam ex aliis Doctoribus Seraph. Freitas *de Bullario Ordinis S. Mariæ de Mercede in Bulla septima Vrbani VIII.* addens etiam cum aliis, confirmationes Bullarum permultos successores habere vim iuramenti. De quo aliàs.

82. An autem de dedicatione harum Ecclesiarum Regularium possit fieri officium, & dici Missa, sicut de Ecclesiis consecratis fieri potest, dixi supra in Mari magno Carmelitarum *circa* §.103. *n.*318.

Circa §.25.

83. REfert hoc loco idem Martinus V. qualiter Fratres, & Sorores *de consortio Seruorum B. Virginis* nuncupati seruauerint quandam Regulam, siue religiosè viuendi formam cum quibusdam honestis, & rationabilibus, ac regularis disciplinæ congruentibus statutis, eaque confirmat, ac præcipit perpetuis futuris temporibus à prædictis Fratribus, & Sororibus obseruari.

84. Nota primò huiusmodi Fratres, & Sorores *de consortio Seruorum B. Virginis* nuncupatos esse idem, ac Tertiarios aliorum Mendicantium, prout colligitur ex Gianio relato *in Annalibus huius Ordinis cent.2. lib.5. cap.* 7. Secundò, ex eo quod dicantur *de consortio Seruorum*, colligi potest id quod diximus *tom.2.cap.14.num.*14. scilicet, posse huiusmodi Tertiarios, seu Tertiarias, Fratres, seu Sorores tertij Ordinis apellari; ita vt primus Ordo sit Fratrum Religiosorum, secundus fœminarum Religiosarum, seu Monialium. Tertius laicorum, qui sunt de consortio talis Religionis. Ex eo etiã quod Pontifex dicat in narratiua huius Bullæ dictos Fratres & Sorores obseruasse quandam *religiosè viuendi formam*, seu statuta *regulari disciplinæ congruentia* elicitur id quod diximus *cap.* 14. *num.*7. ex Suarez ibi relato modum viuendi istorum aliquo modo, lata scilicet significatione, & analogicè Religiosum appellari posse. Ordinem etiam appellari posse *eo num.*7. dictum manet.

85. Nota præterea, quod cum huiusmodi statuta approbata, seu conformata sint à Papa non per modum decreti, aut Ordinationis ipsius Papæ, sed per modum cuiusdam priuilegij, & in fauorem Religionis, ideo cum liberum sit cuicunque priuilegiato recedere à proprio priuilegio, potest Religio mutare illa addendo, vel diminuendo, iuxta *tom.1.c.8.n.22.* ex Rodrig. & Miranda ibi relatis, quibus iunge Sigismundum de Bononia, Bonacinam, & Tamburinum relatos supra *circa* §.5. Nec obstat quod Papa dicat ea confirmare *ex certa scientia*, ex quo videtur colligi hanc confirmationem non esse accidentalem, & accessoriam, sed esse veluti concessionem nouam à Papa immediatè editam, ac per consequens talia statuta alterari non posse. Respondeo enim quod etsi verum sit clausulam *ex certa scientia* positam in confirmatiotione priuilegiorum habere vim nouæ concessionis, iuxta dicta *tom.* 3. *verbo Clausula num.*29 quod & ex Rotæ decisionib. sequitur Barbosa *in tract. de Claus. Clausul.*59.*n.*19.& 20. qui fauet Hieron. Rodrig. *in Compend. Ref.* 90.*num.*35. nihilominus hoc debet intelligi, quando Princeps aliquid concedit ex seipso, & non ad instantiam partis, provt habet idem Barbosa *supra n.* 47. ex Seraphino *de priu. iur. priuil.*107.*num.*38. Quia ergo confirmatio horum statutorum est ad instantiam partis, vt patet ex illis verbis Bullæ *huiusmodi supplicationibus inclinati illa confirmamus*, &c. & ideo non habet vim nouæ concessionis, sed vt aliquid accessorium *arg. l. omnium C. de test. & c. cum accessissent de const. & c. dilecto de preb.* ac proinde, vt dixi, immutari possunt à Religione. Licet satis probabiliter dici possit oppositum præsertim quia Papa loquens de ipsis addit *Regulam, siue viuendi formam eandem per ipsos Fratres, & Sorores præsentes, & posteros volumus, & mandamus perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari.* Hoc enim denotant Papam velle hæc statuta censeri veluti ab ipso edita.

Duo tamen sunt certiora in hac parte, primum, 86.
quod esto mutari non possint à Religione, nihilominus possunt ab ipsa declarari, & interpretari, tum iure communi, quia hoc videtur necessarium ad bonum regimen Religionis, tum propter aliqua priuilegia, quæ ad hoc adduci solent. Hier. Rod. *supra* ex alio Rod. *tom.1. quæst. Reg. q.*68 *art.*6. Sanctorus *in Comm. super statu. Min. c.*12. *statu.*12. *dub.*3. Secundum est, quod casu quod cursu temporis aliquod, vel aliqua ex huiusmodi statutis illicita, seu inutilia redderentur, non obstante prædicta confirmatione, posse abrogari à Religione, imo censeri abrogata, quantumuis habeat ipsorum confirmatio clausulam illam *ex certa scientia.* Ratio est, quia confirmatio Papæ nunquam extenditur nisi ad vtilia, & licita, & in illicitis, & inutilibus nihil operatur. Felinus *in c. Eccl. S. Mariæ num.4. in fin. de Constit.* Tuschus *concl.* 340. *num.*42. Surdus *cons.*47.*num.*19. Rota *decis.*780.*num.*6.*p.*1.*diuers.* & alij apud Barbos. *sup. n.*52.& 53.

Circa §.26.

COntinentur hoc loco statuta prædicta pro 87.
Fratribus, & Sororibus de Consortio Seruorum B. M. Virg. & quæ à Papa Martino V. confirmata diximus §. *præcedenti.* Primum est, de qualitatibus, & conditionibus requisitis pro recipiendis ad hunc Ord. Secundum, de habitu, & indumentis tam Fratrum, quam Sororem. Tertium, de modo, & cæremoniis obseruandis in talium receptione. Quartum, de professione facienda. Quintum, de prohibitione egrediendi ab hoc Ord. aut ad sæculum reuertendi, non tamen de transeundo ad aliquam Religionem approbatum, vbi tria vota emittuntur. Sextum, de horis canonicis; seu precibus dicendis. Septimum, de surgendo ad Matutinum. Octauum, de confessione, & communione. Nonum, de silentio. Decimum, de

reuerentia exhibenda Ecclesiarum Prælatis. Vndecimum, de ieiunio. Duodecimum, de abstinentia à carnibus. Tertium decimum, de vagis discursibus, seù deambulationibus vitandis. Quartum decimum, de armis non portandis. Quintum decimum, de infirmis visitandis, & adiuuandis. Decimum sextum, de suffragiis pro defunctis. Decimum septimū, de institutione Superiorum. Decimum octauum de officio Correctoris, & Priorissæ. Decimum nonum, de correctione Fratrum, & Sororum. Vigesimum, de subiectione illorum ad Prælatos Ordinis. Vigesimum primum, de facultate ad dispensandum. Vigesimum secundum, de obligatione horum statutorum.

88. Circa quæ præter notata ab Archangelo Gianio Florentino speciali tractatu super istam Regulam, generaliter notandum, quod, cum plura illorum habeantur, vel sint conformia iis, quæ habentur in Regulis Sancti Augustini, Beati Alberti, & S. Francisci, ideo prædictæ Regulæ, quæ sunt in Mari magno Eremitarum S. August. §. 26. Minorum §. 1. & Carmelitarum §. 7. ad hoc propositum deseruiunt. Similiter pro Tertiariis Carmelitarum, de qua supra in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 84. cum similiter multa contineat conformia Regulæ isti Fratrum, seu Sororum de consortio Ordinis Seruitarum, ad hoc etiam intentum deseruit. Iuuant quoque dicta *tom. 2. c. 14. per totum*, vbi de huiusmodi Tertiariis Regularium dictum est.

89. Specialiter autem ex dictis eo loco *num.* 24. & ex istis statutis, infertur hoc institutum Tertiarum valde, & multumque differre à Congregationibus, seu Confraternitatibus merè, & purè laicalibus, quas habere solent Religiones. Cum constet horum Tertiariorum institutum esse sub Regula, & cæremoniis ab Ecclesia approbatis, cum professione, vel promissione aliquorum votorum, vel alicuius Regulæ, præceptorum, &c. habitu etiam quasi simili Religionibus, quarum sunt Tertiarij, & obedientia sub Prælatis earumdem Religionum, quæ omnia non competunt Congregationibus, seu Confraternitatibus Laicorum. Vt propterea sæpius Summi Pontifices, vt patet ex dictis *cap.* 14. *num.* 7. & supra *circa* §. *præcedentem*, ac ex eadem hac Bulla sæpius, hoc Tertiariorum institutum Ordinem appellent. Quæ animaduertenda duxi propter aliquos parum doctos, qui huiusmodi instituta confundunt.

90. Deinde, quod attinet ad qualitates, seu conditiones requisitas pro huiusmodi. Tertiariis, quæ ponuntur in primo statuto, addendum illis est id, quod ex decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium retuli *eo cap.* 14. *n.* 29. scilicet, fœminas Tertiarias admitti non posse ad habitum nisi *spectatæ vitæ fuerint, & annorum saltem* 40. *quæ de proprio habeant vt inde sufficienter viuere possint, & non cum aliis viris, quam cum consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi coniuncti cohabitent, & ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat quam si ei de prædictis qualitatibus diligenti præuio examine constiterit.*

91. Præterea etiam quoad secundum statutum de habitu quem prædicti Fratres, & Sorores Tertiarij, & Tertiariæ gestare debent, addendum est id, quod eadem S. Congreg. provt loco relato dixi, videlicet quoad fœminas. *In habitu verò deferendo omnino abstineant à velo supra caput quod* Superiorum *vocant, à pectorali vulgo* Sottogola, *& à patientia.* Vide etiam pro hoc Regulam pro Tertiariis Carmelitarum in ipsorum Mari magno §. 84.

Quoad quintum verò statum de prohibitione facta huiusmodi Fratribus, & Sororibus non egrediendi ab hoc Ordine post professionem in illo factam, nisi solum si velint ad aliquam Religionem ex approbatis tria vota solemnia profitentibus transire, nota, quod cum postea in 22. *statuto* dicatur huiusmodi Regulam, siuè statuta nullatenus ad culpam obligare, propterea videtur dicendum relinquentes huiusmodi Ordinem non peccare, saltem mortaliter, licet vix excusari possint à veniali, eo quod faciant contra suam professionem, in qua quilibet eorum dicit: *Profiteor, velle me de cætero viuere secundum formam, & Regulam Fratrum, & Sororum dicti Ordinis, vsque ad mortem.* Nihilominus non dici debere apostatas dixi *eo cap.* 14. *num.* 23. *& tom.* 3. *verbo Apostata, & Apostasia num.* 5. Alia circa transitum Tertiariarum ranguntur infra *circa* §. 37. 92.

Quoad decimum nonum de exclusione, seu eiectione obseruari non debeant necessario conditiones requisitæ à S. Congregatione sub Vrbano VIII. in Decretis *de Apostatis, & eiectis*, quæ retuli *tom.* 1. *cap.* 23. *& tom.* 3. *verbo Eiecti Regulares ab Ordine*, cum talia decreta solum loquantur de eiectione, vel expulsione verorum Religiosorum, nihilominus, quando casus iste contigerit, consulenda sunt eis locis dicta. 93.

Maximè circa statuta 20. 21. & 22. in quibus est sermo de obedientia, seu subiectione debita ab huiusmodi Tertiariis Superioribus suæ Religionis. Vide dicta *eo cap.* 14. *num.* 41. *& tom.* 4. *verbo Tertiarij, & Tertiariæ num.* 6. Qualiter etiam aut quomodo, seu quibus cum conditionibus potiantur priuilegiis suæ Religionis, habes ex dictis *eo cap.* 14. *& eo verbo Tertiarij, & Tertiariæ.* Specialiter tamen notandum, quod cum in huiusmodi Regula *statuto primo* supponatur posse recipi in Tertiarios, & Tertiarias personas coniugatas, ideo pro talibus animaduertendum non potiri dictis priuilegiis, propter dicta *eo cap.* 14. *num.* 32. Concilio Lateranensi sub Leone X. & aliis decretis S. Congregationis. 94.

Alia quæ pertinent ad ritus recipiendi huiusmodi Fratres, & Sorores, benedicendi ipsorum indumenta, & habitum, & emittendi professionem, cum piis aliis, & deuotis precibus, & orationibus ad intentum habet dictus Gianius *centur.* 2. *Annalibus lib.* 5. *cap.* 9. 95.

Circa §. 27.

CVm Papa Bonifacius IX. domibus Ordinis Seruitarum concessisset omnia priuilegia, & indulgentias concessa domibus Ordinis Eremitarum S. Augustini vt patet ex priuilegio ipsius Bonifac. supra §. 17. relato; ac postea factæ fuissent nonnullæ reuocationes generales talium priuilegiorum, & indulgentiarum, propterea ipsa de nouo confirmat Pontifex hoc loco. 96.

Circa quam confirmationem nota, quod quamuis sit in forma communi, neque enim est ex certa scientia, aut motu proprio, sed ad instantiam Generalis, & Fratrum huius Ordinis, nihilominus vtilis est, quia dat robur authoritatis priuilegio, cui additur, iuxta principium *lib.* 1. *C. de veter. iurand. enuclean.* vbi dicitur *Superiorem id facere suum, quod authoritate sua confirmat.* Quod etsi præcipuè intelligatur de confirmatione facta ex propria scientia, nihilominus 97.

nihilominus etiam extenditur ad confirmationem istam factam in forma communi quando cadit in materiam habilem, provt hic contingit *de legibus lib.8. cap.18. num.10.* Vnde propterea solent impetrari confirmationes in forma communi ad actus validos Confirmandos *cap. ea quæ de re iudicat. lib. 3. §. missum ff. de Carboniano.* Tiraquellus *in tract. de mort. 6. p. declarat. 2. à num. 8.* Rebuffus *2. tom. ad leges Galliæ tit. de restit. act. 1. gloss. 3.* Seraphinus Freitas *in proœm. ad Bullar. Ordin. Sanctæ Mariæ de Mercede.* Quod eo maximè in præsenti procedit, cum Pontifex addat illam clausulam loquens de præfatis priuilegiis, & gratiis. *Rata, & gratas, ac grata, & ratas habentes illa, & illas,* &c. Vide dicta supra in Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* §. 33. dum esset sermo de confirmatione in forma communi.

Circa §. 28.

97. AB hoc loco incipit Papa Innoc. VIII. huius Maris magni Compilator priuilegia, gratias, & indulta Ordini Seruitarum concedere. Et primò, motu proprio ex sua mera voluntate, deliberatione, & certa scientia, innouat, & approbat concessa per Alexandr. Benedictum, Clem. Vrbanum, Bonifac. Ioan. & Martinum Prædecessores Pontifices dicto Ordini, ac pro potiori cautela omnia, & singula per præfatos Prædecessores suos in fauorem dicti Ord. & illius domorum, personarum, etiam Oblatarum, & Mantellatarum, Ecclesiarum, eas visitantium, aut illis eleemosynas erogantium concessa, motu proprio, & ex certa scientia vim, & vigorem habere, decernit, & statuit; ac nonnulla dubia, quæ circa ipsa orta fuerunt, in sequentibus declarat.

98. Pro quorum maiori luce, præter dicta in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 38. Minorum *circa* §. 38. Eremitarum S. August. *circa* §. 33. & Carmelitarum *circa* §. 44. dum de simili confirmatione priuilegiorum horum Ordinum, & de similibus clausulis esset sermo, vlterius pro maiori soliditate eorum, quæ dicta sunt illis locis circa istam clausulam *ex certa scientia*, quam Pontifex bis ponit hoc loco, notandum eam habere omnes hos effectus. Primus, quod reddat actus alias nullos validos, saltem quando Papa de tali nullitate habebat notitiam, iuxta dicta loco relato ex Mari magno Prædicatorum. Secundo quod suppleat omnes defectus iuris positiui, iuxta dicta ibidem. De quo præter authores ibi relatos Decius *num. 5. in cap. 1. de confirm. vtil. & conf.* 341. Paris. *conf. 3. num. 38. lib. 4.* Seraphinus Freitas *in proœm. ad Bullar. Ordin. S. Mariæ de Mercede.* Tertius, vt nullus inferior Papa de illo priuilegio debeat iudicare, aut de ipsius validitate, iuxta dicta etiam eo loco, & de quo etiam Freitas *supra* ex aliis Doctoribus. Quartus & præcipuus, quod habet vim nouæ concessionis. De quo, præter dicta locis relatis, latè Suarez *l.8. de legibus cap.18. à num. 12.* Quintus, quod faciat rem aliàs non solemnem. Tuschus *concl. 341. num. 9.* Barbosa *in tract. de clauf. Clauf. 59. num. 13.* Sextus, quod concessio illo modo facta non extinguatur morte concedentis. Gabriel. *de clauf. lib. 6. concl. 1.* Monera *de commutat. vlt volunt cap.7. num. 106.* Septimus, quod quando additur rescripto haberi illam clausulam *Quatenus iuste possidetis*, faciat illam stare causaliter, non conditionaliter Gabriel. *d. concl. 1. num. 33.* Moneta *d. cap. 7. num. 108.* Barbosa *supra num. 16.* Octauus, quod tollat omnem erroris præsumptionem. Vt post Alexandrum, Socinum, Menochium; & alios idem Barbosa *supra num. 25.* Nonus, quod Papa censeatur dispensare cum imperante talem gratiam super inhabilitate. Idem Barbosa *num. 21.* post Thuscum, Martham, & alios.

Alia spectantia ad clausulas in hoc priuilegio contentas, scilicet *motu proprio, potiri cautela, haberi pro expressis*, & similes habes ex dictis locis relatis, & *tom.3.* verbo *Clausula.* 99.

Circa §. 29.

AMpliat etiam in hoc loco priuilegium de libertate sepulturæ ab Alexandro Papa concessum, ita scilicet, vt possint Fratres Parochias cum cruce ingredi, cadauera leuare, & in suis Ecclesiis sepelire, sine vllius licentia, si hoc consuetum fuerit, vel Parochi recusarent. Item quod non possint ab aliquibus cogi inuiti celebrare alicubi pro defunctis. Declarat etiam iustitiam Ecclesiarum solum esse debitam casu, quo corpora defunctorum in Ecclesiis Fratrum sepelirentur. 100.

De simili priuilegio concesso Prædicatoribus in eorum Mari magno §.28. 37. & 43. Minoribus 30. 41. & 42. Eremitis S. August. 2. 3. 24. 38. & 39. Carmelitis §. 57. & 58. multa dixi eis locis, & aliis ibi relatis ex quatuor tomis Summæ. Quæ pro materiæ huius complemento sufficere possunt, 101.

Circa §. 30.

EXimuntur hoc loco Seruitæ à portione aliqua soluenda de legitimis, & à quarta, maximè de candelis, quæ ad manus ipsorum dantur. Subiicit tamen Pontifex, quod in aliis, quam in præmissis casibus, quibus quarta soluenda esset, obseruentur conuentiones licitæ si quæ fuerint inter Fratres, & Ordinarios; & quòd *illis cessantibus ius commune seruetur in posterum.* Quæ posteriora verba non habentur in Mari magno Prædicatorum §. 44. nec Minorum §.42. nec Erem. S. August. § 40. aut Carmelitarum §. 50. quibus in locis concessa sunt his Religionibus similia priuilegia, & ideo circa ipsorum intelligentiam expendendum primo est quid intelligantur apud Doctores per *ius commune*, secundo, quid sit in præsenti. 102.

Et quoad primum dicendum, quod quemadmodum per *factum* intelligitur quicunque actus siue à Deo, siue ab homine, siue natura, sic per *ius* intelligitur omne illud, quod consistit in decisione, & authoritate legum, vt patet *ex l. 1. ff. de iuris, & facti ignor.* Nomine etiam iuris venit consuetudo Bertazol. *de Clausul. instrum. Clauf. 4. gloss. 35. n.2.* Tiraq. *infra* referendus. Vnde ius commune comprehendit quidquid à Deo, natura, vel hominibus institutum est, quia comprehendit ius diuinum, ius naturale, & ius humanum, iuxta *tit. Instit. de iure natural.* Imo etiam statuta municipalia locorum, seu etiam Synodalia, iuxta §. 1. *Instit. de iur. natural. & c. ius ciuile 1. dist.* Gloss. *verb. Iuris in proœm. Clem.* Tiraq. *in tract. de mort. in præf. dec.7. n.5.* & alij apud Barb. *in tr. de appel. ver. Iur. signif. Appel. 124. n.1. & 3.* Aliquando tamen iuris cõmunis appellatione, venit solum ius commune Rom. Steph. Grat. *Disc. forens. c.99. n.14.* Barb. *sup n.8* post alios. In præsenti autem cum agatur de causa Ecclesiastica, scilicet de solutione alicuius quartæ, seu portionis legatorum Ecclesiarum Rectoribus, vel Ord. ideo 103.

principaliter nomine iuris communis intelligitur ius canonicum, Decreto, Decretalibus, Clementinis, & Extrauagantibus comprehensum.

104. De secundo autem, scilicet, quid sit hoc ius commune in præsenti, dicendum est esse id quod præcipit, quod Episcopis, vel parochis soluatur aliqua pars, seu portio de legatis relictis Ecclesiis, seu piis locis. *cap. conquerente de offic. Ord. cap. requisisti cap. vlt. de testam. cap. 1. cum sequent. 10. q. 3. cap. quarta de præscript. Clem. dudum de sepult.* Concil. Trid. *sess. 26. cap. 13.* & aliis iuribus Syluest. *in Summ. verb. Canonica portio*, Azor *tom. 2. instit. moral. lib. 9. cap. 12.* Franciscus Leo *in Thesauro fori Ecclesiast. p. 2. cap. 14.* Riccius *in prax. aurea Res. 209.* Miran. *in Man. tom. 2. quæst. 48. art. 1. & 3.* Barb. *de offic. & potest. Episc. Alleg. 86. à princ.* & alij communiter, cum quibus de hac materia sæpius egi, specialiter *tom. 3. verbo Canonica portio, & tom. 3. verbo Quarta funeralis*, ac supra in Mari magno Prædic. Minor. Eremit. S. August. & Carmelit. locis relatis, circa similia priuilegia harum Religionum. Quibus locis, & aliis ibi relatis ostendi, quomodo his temporibus solummodo standum sit decreto Conc. Trident. supra relato, quantum ad quartæ solutionem.

Circa §. 31.

105. Ampliat hoc loco Pontifex Innoc. VIII. concessionem §. *præcedenti* positam, ita scilicet, vt etiam si per Sedem Apost. statutum sit, vt de legatis solui debeat aliqua portio, Fratres Seruitæ non comprehendantur in huiusmodi mandato. De quo etiam priuilegio dictum est in superioribus, dum de aliis similibus ageretur in Mari magno Prædic. *circa* §. 45. Minor. *circa* §. 43. Erem. S. August. *circa* §. 41. & Carmelit. *circa* §. 19. & 99.

106. Quia tamen in Mari magno Carmelit. *circa* §. *relatum*, ex Rotæ etiam decisione dixi legata Religiosis particularibus cedere Monasterio, eo quod habeat intentionem fundatam in omnibus, quæ ad manochum deferuntur, dubitari potest, an in casu, quo Religiosus ante professionem omnia bona sibi quomodolibet competentia tam præsentia, quam futura renunciauerit in fauorem alicuius sæcularis, & contingat, quod ipsi Religioso iam professo legentur aliqua bona, an inquam, illa pertineant ad Monasterium, an verò ad illum sæcularem, & dicendum, pertinere ad Monasterium si illud capax sit talium bonorũ. Primò quidem, quia renunciatio strictè interpretanda est *l. postquam lit. C. de pact.* vbi Dec. *num. 15. & cons. 419. in fin.* Crau. *cons. 257. num. 5.* ergo non est extendenda nisi solùm ad ea, quæ sunt sub dominio renunciationis, qualia non sunt ista bona legata, quæ eo ipso quod sunt legata Religioso, veniunt sub dominio Monasterij. Secundò, quia talis renunciatio solùm debet intelligi de iuribus, aut bonis, de quibus disponere potest renuncians, Religiosus autem non potest disponere de talibus bonis, cum transeant ad Religionem. Tertiò ad idem, quia renunciatio solum debet esse de illis, de quibus renuncians potest disponere sine præiudicio alterius, quod non contingit in proposito, cum illa bona veniant non sub dominio renunciãtis, sed Monasterij, cui renuncians se, & omnia sua donauit. De hac quæstione Pasqual. *in Centuria q. mor. q. 14.*

Circa §. 32.

Confirmat hoc loco idem Pontifex exemptionem Ordin. Seruitarum ab Vrbano VI. & Ioan. XXIII. supra §. 15. & 21. concessam, & à Martino V. approbatam, ita vt sententiæ, seu censuræ contra ipsos latæ sint nullæ, & eorum exemptio, vtpote notoria, allegatione num egeat, etiam si sit causa alicuius delicti, contractus, rei, &c. suscipiturque Ordo sub Sedis Apostolicæ protectione. 107.

Inuoluuntur in hoc priuilegio plura, de quibus in præcedentibus actum est. Etenim illud de irritatione censurarum contra ipsos quomodolibet latarum discussum est in simili priuilegio aliis Mendicantibus concesso in Mari magno Prædic. *circa* §. 36. & 46. Minor. *circa* §. 37. & 44. Erem. S. August. *circa* §. 31. & Carmelit. *circa* §. 5. & 71. Illud etiam de exemptione tam notoria, vt allegatione non egeat, simile est alij priuilegio Carmelitarum in ipsorum Mari magno §. 71. vbi etiam, & *circa* § 60. eiusdem Maris magni, & aliis locis ibi relatis de ipso, & aliis concernentibus actum est. Fundatur autem hoc priuilegium in communi illo proloquio *Notorium probatione non eget.* Illud quoque quod hæc exemptio intelligi debeat etiam ratione contractus, delicti, rei, &c. quod derogatio *cap. volentes de priuil.* tactum est in superioribus in Mari magno Prædicator. & & Minor. locis relatis, & Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* §. 32. & Carmelitarum *circa* §. 71. & 101. Denique quartum illud de susceptione Ordinis sub protectione Sedis Apostolicæ non denotare exemptionem dixi sæpius, præsertim *tom. 3. verbo Exemptio Regularium num. 7.* liceat oppositum videatur tenere Rota in vna Brixinensi *Iurisdictionis* 9. Iunij 1634. coram Pirouano, & prius in alia Salisburgensi *exemptionis Præpositura* coram Seraphino anno 1593. 108.

Quia tamen in hac Rotæ decis. & in alia eiusdem tituli coram eodem Pirouano 11. Decemb. eiusdem anni plura dicuntur ad intentum exemptionis Patrum Seruitar. ex vi priuilegiorum, de quibus in præsenti, operæ pretium duxi ea in præsenti referre. In prima ergo decis. pro 9. Iunij sic habetur. 109.

Domino Episcopo Brixinensi petenre manutentionem in quasi possessione exercendi iurisdictionem Episcopalem super Domo regulari, eiusque RR. mulieribus, de quibus agitur; responsum fuit non esse dandam; quia Patres Seruitæ exhibent titulum, & docent de possessione eorum iurisdictionis super prædicta Domo regulari. Nam etsi vera sit conclusio, quod Ordinarij habent fundatam intentionem de iure communi in iurisdictionem omnium Monasteriorum Regularium intra suam diœcesim existentium *cap. penul. de relig. domib.* Gloss. *in cap. conquerente in verbo Iurisdictionem de offic. Ordinarij.* Dec. *in cap. fin. num. 6. in 4. notab. de confir. vtil. vel inutil.* & etiam ex sola iuris assistentia in iurisdictionalibus non soleat denegari manutentio Ordinariis *cap. cum personæ in fin. de priuileg. in 6. cap. decis. 189. num. 7.* Seraphinus *decis. 1449. n. 1. & in recent. part. 2. decis. 382. & 493.* cum aliis allegaris. Attamen vera etiam est declaratio, quod quando allegatur titulus exemptionis, vel priuilegium; & exhibetur, ac de possessione docetur, tunc Regulares dum cognoscitur de releuantia titulorum in eorum libertatis, vel 110.

vel exemptionis legitima possessione turbari non possunt, vt admittitur in secunda parte eiusdem Capituli.*cum persona de priuil.in 6.*& comprobanr. Anchar.*ibid.n.2.*Gemin.*in §.fin.num.3.& 4.* Francisc. *num.2.* & Rot. hanc declarationem semper est sequuta, vtroque concurrente, nempe titulo, & possessione, *dec.491. num.4.* & 5. *& 682. n.2.p.1. & 682.num.5.p.2. recent.* Seraph. *decis.1278. in fin. & 4* idem fuit dictum in Aprutina *Iurisdictionis 9.* Iunij 1606. coram D. Cardinali Pamphilo in Constantiensi, & in Lauretana Iurisdictionis 2. Maij 1631.coram D. Episcopo Vrgellensi, Titulus autem ad hunc effectum per Religionem exhibitus visus fuit sufficiens, cum deducatur ex Constitutionibus summorum Pontificum Vrbani VI. Innoc. VIII.& aliorum, in quibus nedum Fratres Seruitæ eximuntur à Iurisdictione Ordinariorum, & immediatè sub protectione Sedis Apostolicæ recipiuntur, sed omnes sorores Mantellatæ, Pinzocheræ, ac Tertiariæ nuncupatæ subiiciuntur Generali, & Superiori Ordinis cum derogatione Concilij Generalis, quæ specialis protectio semper eximit priuilegiatos à iurisdictione Ordinariorum *cap.ex parte il 1.* ibi *priuilegium nobis Apostolicum ostenderunt, de priuil.cap. si Papa eod. tit. in 6.cap.2. de in integ.restit.cap.cum tempore de arbitr.*Dec.*consilio 152.num.2.* Put. *decis.115. in fin. lib.3.* Seraph. *decis.1025.num.5. & seq.* præterea desumitur idem titulus ex Constitutionibus huius Domus regularis à Sede Apostolica confirmatis, in quibus præsupponitur exemptio, & obedientia, & iurisdictio debita Generali Ordinis, & eius Vicario, & aliis Superioribus assignata.

111. In alia autem decisione eiusdem tituli pro 11. Decemb. eiusdem anni 1634. sic ad intentum. Conclusum fuit standum esse in decisis sub die 9. Iunij præteriti, quia Religio Seruorum docet de titulo exemptionis ab Ordinario ex Constitut. Summorum Pontificum; & possessionem probat ex actibus in summario datis, cum quibus pendente iudicio super exemptione, non debet priuari, aut turbari in eius possessione, secundum dispositionem *Secundæ partis c. cum personæ de priuil. in 6.*

112. Inferius autem fit etiam ad intentum. Titulum autem per Religionem exhibitum esse sufficientem Domini existimarunt; quandoquidem illum deducunt ex constitutionibus, & priuilegiis Summorum Pontificum; vt in prima decisione fuit firmatum; nempe Vrbani VI. & Innocentij VIII. in quibus & Fratres Seruitæ, & omnes sorores mentellatæ pinzocheræ, oblatæ, & tertiariæ nuncupatæ eximuntur à iurisdictione Ordinarij, & subiiciuntur Generali, & Superiori Ordinis, & immediatè sub protectione Sedis Apostolicæ recipiuntur. Vnde cum istæ mulieres sint de genere Terrij Ordinis, siue ex vna specie, quia pinzocheræ; siue ex alia, quia mantellatæ, semper sub suo genere Tertij Ordinis comprehenduntur, & sic priuilegiis exemptionem gaudent tanquam receptæ sub protectione Sedis Apostolicæ *cap.ex parte il primo de priuil. cap. si Papa eod.tit.in 6. cap. cum tempore de arbitr.*cum aliis in eadem decisione allegatis.

Circa § 33.

113. Eximitur hoc loco Seruitarum Religio à Iurisdictione Inquisitorum hæreticæ prauitatis. Sed hoc priuilegium, & similia vacant his temporibus, propter Constitutionem Pauli V. quam retuli *tomo 1. c.18. num.18.* & praxim S. Inquisitionis, quæ est procedere contra omnes, etiam Regulares, nisi à iure essent exempti, quales sunt non solum Papa, sed etiam Episcopi *cap.Inquisit. de hæret.in 6.* & Nuncij, ac officiales Sedis Apostolicæ *Extrauag. cum Matthæus de hæret.* Sanctarellus *de hæres. c.40. dub.3.* Zanardus *in director. Theolog.p.2.cap.6. q.23.* Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resolut. 73.* Diana *tomo 4.Tract 8. Resolut.23.* Erasmus Cochier *de iurisdict.Ordin.in exemptos p.2 quæst.45. num.58.* Carena *de offic. S. Inquisit.part.1. tit.5.§ 9. num.78.* An verò saltem Generales huius Religionis, & aliarum habentium simile priuilegium, vel communicantium cum illis sint exempti à Iurisdictione Inquisitorum, præsertim quia videntur gaudere priuilegio Episcoporum, iam dixi supra in Bulla *Aurea, circa* §.8. ex æquo & bono dicens videri, vt antequam contra ipsos procedant, supremum Inquisitorem consulant, vt obseruant non solum Zanardus, Peirinis, Diana, & Carena eo loco relati, sed etiam Hieronymus Rodriguez *suprà* in rigore tamen iuris stando, & amplissimæ commissionis, quam dicti Inquisitores habent, procedere possunt contra illos, eo quod excepto *cap. Inquis.* relati solum loquitur de Episcopis, ac per consequens non debet extendi ad alios quasi Episcopos *leg. si quidem §.fin. ff. de penu leg.* Alber. *in cap. 1. quæst.7.de hæret. in 6.* Freitas *in Addit.ad tract.* Rod. de Acugna *de confess solic.q.12.num.20.*

Circa §. 34.

Conceditur hoc loco facultas Prælatis huius Religionis ad puniendum sibi subditos, etiam *per carceris intrusionem, torturam, aliaque iuris opportuna remedia, ac inuocationem brachij sæcularis, quoties oportuerit, quacunque appellatione non obstante, per se, vel per alios.* 114.

Ex quibus, quod attinet ad generalem facultatem corrigendi, vel puniendi subditos Religiosos, vide dicta supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §.23. Minor. *circa* §.23. Carmelitar. *circa* §.28. 31. 74. *& 92.* ac aliis locis ibi relatis. Specialiter quoad facultatem incarcerandi illos, etiam per alios, (sæculares videlicet, quando Religiosi id facere nequeant) prout conceditur in hoc priuilegio, consule dicta loco relato ex Mari magno Prædicat. & *circa* §.31. Maris magni Carmelitar. Pro tortura, quæ in hoc priuilegio permittitur, consule dicta *circa* §.31.relatum nostri Maris magni, & aliis locis ibi relatis. De inuocatione brachij sæcularis, qualiter imbibatur implicitè in omnibus litteris Apostolicis, & qualiter ad illud præstandum teneantur Magistratus sæculares, dixi loco relato ex Mari magno Prædicat.& *tom.3.verb.Clausula, num.39.* De illa Clausula *Appell. non obstante* dixi eo verbo *Clausula, num.10.* ac de materia appellationis inter Regulares eo *tom. 3. verbo Appellatio, & verbo Iudex, & iudicium Regularium, num.11.* 115.

Nunc verò circa clausulam illam *aliaque iuris opportuna remedia* nota per illa intelligi omnem pœnam, siue spiritualem, quales sunt censuræ, siue corporalem qualemcunque prout communiter Doctores tenent. Quia ergo quando remedium ordinarium non sufficit, applicari potest extraordinarium, si sit vtilius, vt ex aliis Doctoribus affert Barbosa *in tract. de Axiomat. iur. Axiom.202. n.2.* ideo præsenti intento id applicando dicendum est, quod si pœna ordinaria Regularis non sufficiciat 116.

pro correctione, & punitione Religiosorum, applicari etiam potest grauior, & extraordinaria pæna triremium, iuxta dicta supra in Mari magno Carmelitarum *circa* §.31. An verò cum talibus ad triremes damnatis post finitam pœnitentiam possint Prælati Regulares dispensare ad exercitium Ord. si quos alias habebant, dixi supra in Mari magno Minor.*circa* §.49.

117. Deinde circa verba illa *Quoties oportuerit*, nota, quod cum dictio *quoties* importet vniuersalitatem, vt post Geminian, *cons*.97. *num*.2. Tiraquell.*in leg. Boues* §. *hoc sermone limit*.26.*num*.1.*ff.de verborum significat.* tenet Tuschus *practic. conclus. tom*.2. *litt. D.conclus*.358.*num*.1. ideo per illam denotatur hoc loco posse vti dictos Prælatos hac facultate *toties quoties* opus fuerit. De qua clausula, Gabriel *cons*. 181.*in princ.* Hondedeus *cons*.111.*num*.3. *tom*.1.& Barbosa *in tract.de crausul.clausul*.180.

Circa §.35.

118. Conceditur hoc loco facultas Generali huius Ord. ad absoluendum sibi subditos ab omnibus casibus etiam Sedi Apost. reseruatis, exceptis hæreticis relapsis, schismaticis, litterarum Apost. falsificatoribus, aut prohibitorum ad partes infidelium delatoribus; & ad dispensandum cum illis in irregularitatibus propter delicta præmissa contractis. Quam etiam authoritatem absoluendi, & dispensandi communicari posse à Generali Prouincialibus concedit etiam Pontifex.

119. De huius priuilegij materia plura dicta sunt in præcedentibus, scilicet in Mari magno Prædicat. *circa* §.14 & 41.Minor.*circa* §.40. Erem.S.Augusti. *circa* §.43.& Carmel.*circa* §.54. & 62. aliisque locis ex quatuor Summæ tomis ibi relatis. Quæ proinde sufficere possunt pro illa. Duo tamen animaduertenda pro hoc priuilegio. Primum, in ipso non concedi hanc facultatem Prouincialibus, multo minus Prioribus, sed solum Generali, & quod illam possit communicare Prouincialibus. Vnde si illam ipsis non communicauerit, non poterunt dicti Prouinciales ea vti, ex vi huius priuilegij. Dico *ex vi huius priuilegij*, quia si aliunde id facere possunt, ex latiori priuilegio aliis Mendicantibus concesso, constat ex dictis locis relatis. Secundum clausulam illam, *Ac à pœnis, quas illorum occasione incurrissent*, notabile continere priuilegium, quod non video in Mari magno Prædicatorum, Minorum, aut Carmelitarum, sed solum in Mari magno Eremitar. sancti Augustini, vt dixi *circa* §.43.relatum. Est autem, vt dixi, notabile hoc priuilegium, quia per ipsum videtur concedi dicto Generali, & & ex commissione ipsius Prouincialibus facultatem ad relaxandum in subditis suis priuationes, inhabilitates ad officia, vocem, &c. quæ imponi solent in Bullis, & decretis Pontificiis. Pro quo vide dicta *circa* §.43. relatum Maris magni Eremitarum sancti Augustini vbi fundamenta, & authores huius sententiæ retuli, & qualiter non obstet, quod dictarum pœnarum relaxationi non videtur accommodatum.

120. Nota præterea ampliorem concessionem habere hos Patres semel in vita, & in mortis articulo ab hoc eodem Pontifice infra in hoc eodem Mari magno §.53. per eam enim ipsis conceditur etiam absolutio ab illis casibus in hoc priuilegio exclusis. Vide dicenda ibi.

Circa §.36.

Ampliatur hoc loco facultas concessa Generali ad dispensandum cum suis subditis in irregularitatibus, ita scilicet vt possit id facere in omnibus irregularitatibus ex quauis causa contractis, præterquā homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, postquam Ordinem ingressi fuerint. 121.

Nota priuilegium hoc Seruitarum magis restrictum esse, quam alia, quæ in Superioribus retulimus de eadem materia pro Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 42. pro Minoribus §. 49. & pro Eremitis sancti August.§.44 hoc enim priuilegium, sicut & aliud pro Carmelitis in eorum Mari magno §.63. solum est concessum Generali Ordinis, non autem Prouincialibus, aut aliis Superioribus, prout sunt priuilegia relata Prædicator. & Minor. ac Eremitar. S.August. nihilominus, iuxta dicta *circa* §.63.relatum Maris magni Carmelitar. propter communicationem priuilegiorum Prædicator.Minor.& Eremitar. S.Aug.quam habent Seruitæ, possunt facere id, quod in hoc priuilegio conceditur Generali, Prouinciales, & Priores eorum. Similiter quantumuis facultas ista dispensandi in irregularitatibus cum Religiosis solum intelligatur de irregularitatibus contractis ab illis *postquam Ordinem sunt ingressi*, prout habetur in hoc priuilegio, tamen quia alij Mendicantes scilicet Prædicatores in eorum Mari magno §.16.Minores §.14. & Carmelitæ §.56. habent etiam facultatem dispensandi in aliquibus irregularitatibus in sæculo contractis ab iis, qui ipsorum Ord. aggregari volunt, & habitum suscipere, ideo etiam Seruitæ possunt vti similibus priuilegiis, propter priuilegiorum communicationem, quam habent. Alia quæ spectant ad materiam huius priuilegij, habes ex dictis in Mari magno Prædicat. Minor. Eremit. sancti August.& Carmelit. locis relatis, & aliis ibi adductis. 122.

Circa §.37.

Conceditur hoc loco Seruitis, vt quando contingat, Monasteria, domos, & loca Monialium, & Pinzocherarum ita Monialibus destitui, vt de eorum reformatione nulla supersit spes, ipsa, & illorum bona applicentur Monasterio propinquiori Fratrum; ita tamen quod Ecclesiæ, & Oratoria ad prophanos vsus non redigantur, sed in illis celebrentur diuina officia consueta. Addit præterea, quod Pinzocheræ dd. Monasteriorum non transeant ad alium Ordin. prout ipsi Fratres sunt adstricti. 123.

Plura circa hoc priuilegium animaduertenda occurrunt. Primum, similia alia, etsi non omnino, haberi in Mari magno Prædicat.§.48. Minor.§.46. Eremitar. S.August. §.46.& Carmelitar.§.65. Secundum, quod hoc priuilegium est latius, & copiosius, quam alia dictis Religionibus concessa, siquidem in ipsis solum est sermo de Monasteriis Monialium Monialibus destitutis, in hoc autem etiam est sermo de Monasteriis Mantellatarum, & Pinzocherarum, licet, iuxta dicta in Mari magno Carmelitarum loco relato tam ipsi, quam alij Mendicantes possint vti isto piruilegio cum ea amplitudine, quam Seruitæ. Tertium, in dd. priuilegiis aliorum Mendicantium solum esse sermonem de Monasteriis Monialibus destitutis, in hoc autem 124.

tem etiam est sermo de domibus,& locis ipsarum, vt patet ex contextu.Quartum,quod etsi in priuilegiis Prædicat. Minor. & Carmelitar.dum est sermo de Ecclesiis, & Oratoriis Monialibus destitutis, dicatur *Prouiso tamen &c. quod in illis quandoque diuina officia celebrentur,* & in priuilegio Eremitar.S.August.sublata dictione *quandoque* dicatur absolutè *sed in illis diuina officia celebrentur,* in hoc tamen Seruitarum priuilegio maiori cum strictione dicitur. *Sed in illis celebrentur diuina officia consueta.* Quo denotatur non sufficere quamcunque officiorum diuinorum celebrationem faciendam in prædictis Ecclesiis, & Oratoriis desertis, nec solum quod aliquando id fiat, quod denotatur dictione *quandoque*, sed quod id sit faciendum consueto modo, id est,eo modo quo primitus fiebat, antequam hæ Ecclesiæ, seu Oratoria desererentur. Quintum quod in hoc priuilegio Seruitarum supponitur Tertiarias eius Ordinis transire non posse ad alios Ordin.ad similitudinem Fratrum. De quo, quod attinet ad transitum ipsarum Terriariarum, iam dixi quid sentiendum supra in hoc eodem Mari magno *circa* §.26. dum esset sermo de transitu prohibito istis Terriariis, & iuxta ibidem dicta credo regulanda esse ea, de quibus in præsenti. Quod verò attinet ad transitum Seruitarum ad alios Ordines, standum est iuri communi, de quo egi *tomo 1.cap.22.& tom.4.verbo Transeuntes Regulares,* & priuilegio Innoc.VIII.de quo infra §.47. in quo prohibet ipsis transitum non solum ad Ordinem S. Benedicti, sed etiam ad alios Mendicantes, etiam cum licentia alicuius legati de latere, aut Maioris Pœnitentiarij, quod vltimum qualiter intelligendum, eo loco dicetur. Item priuilegio Iulij de quo infra *circa* §.66. vbi illis prohibet transitum ad Ordinem laxiorem.

Circa §.38.

125. STatuit Pontifex hoc loco, quod cum aliqui voluerint sepeliri cum habitu Fratrum huius Ordinis, sepeliri non possint nisi in cœmeteriis Fratrum, vel cum eorum licentia, & assensu.

126. De huius priuilegij materia plura dicta sunt non solum 3. *tomo, verbo Habitus Regularis*, sed etiam in similibus, imo magis amplis priuilegiis Prædicarorum in eorum Mari magno *circa* §.49. Minorum *circa* § 47. & vtriusque Ordinis in Bulla *Aurea* dicta *circa* §.6.& in Mari magno Eremitar.S.August *circa* §. 47. & Carmelitarum *circa* §. 66 Quæ sufficere possunt pro intento. Alia verò quæ spectant ad habitum huius Ordinis, habes ex Gianio *in Annal.lib. p.1. Centur.1.lib.1. c.14.15. & 16.* Generaliter etiam habitui huius, & aliarum Religionum applicari possunt, quæ de habitu Fratrum Minorum ex Martino V. refert Corduba *in Regul. sancti Francisci,cap.2.quæst.22.punct.3.* scilicet: *Non debent vesta nostra esse adeo pretiosa, vt videntes eas notare debeant curiositatem, vel vanitatem, neque ita viles, & grossæ, quod videntes eas ad terrorem, horrorem, & derisum iudicantur.*

Circa §.39.

117 HOc etiam priuilegium de facultate constituendi Capellanum in Ecclesiis Parochialibus concessis,aut concedendis Seruitarum Ordini, qui curam dictarum Ecclesiarum exercere possit, & quandiu Capellanatus fungetur officio, priuilegiis vti Religionis, sicut & dictæ Ecclesiæ, habetur etiam in Mari magno Prædicarorum *circa* §. 50.Minorum. & Eremitarum S.August *circa* §.48. Carmelitarum §. 67. Quibus in locis, & aliis ibi citatis de hac materia egi.

Nota vlterius, Capellanum in præsenti esse idem, ac Parochum, seu Curatum, prout colligitur ex dictis locis relatis, & præcipuè ex *cap. 1. de capellis Monachor.* vbi rectorem Ecclesiæ parochialis vocat Vrbanus III. Capellanum. Item nota hoc priuilegium applicari posse etiam Monialibus, ita vt illæ quoque accipere possint dictas Ecclesias Parochiales regendas per alium.Felinus *in cap. cum venerabilis,num.36. de except.*Rota *decis.21. in fin.de præbend.in antiquior.*& in vna Ianuensi *Parochialis* 19. Aprilis 1627.coram Durano. 118.

Si autem quæras, an præfatus Capellanus, seu Curatus præfectus dictis Ecclesiis teneatur se conformare ritui celebrandi officia diuina, qui est in vsu huius Religionis, & aliarum habentium similia priuilegia, an verò sequi debeat vsum Ecclesiæ Romanæ sicut alij Presbyteri sæculares. Respondeo, posse, & debere se conformare vsui illius Religionis, cui concessæ sunt tales Ecclesiæ Parochiales. Ratio, quia tales Ecclesiæ sunt verè Regulares, & illius Religionis, cui donatæ sunt, & sunt verè pars illius Monasterij, vt habet Rota relata Ianuensis *Parochialis*,ac proinde sequi debet iura ipsius Religionis. Accedit quod in hoc, & similibus priuilegiis dicitur, scilicet dictas Ecclesias potiri debere *Ord.prærogatiua* Fauet etiam declaratio quædam sacræ Congregationis apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verbo Capellanus*, vbi dicitur, Capellanos sæculares Monialium posse celebrare *Missas occurrentes de Sanctis ipsius Ordinis,cuius est Monasterium, etiamsi ipsi non sint eius Regulam professi.* Item sacræ Rotæ decisio coram Coccino in vna Montis Regalis *Iurisdictionis*, vbi decernitur, presbyteros sæculares seruientes Ecclesiæ Cathedrali Regulari debere se conformare in diuinis officiis cum Regularibus. De hoc etiam Quintana Dueñas *in singular.Tract.8.sing.6.& 8.* 119.

Casu verò quo dictis Ecclesiis ius decimandi debitum sit, tale ius non pertinet ad præfatum, Capellanum, seu Parochum, sed ad Monasterium, cuius est talis Ecclesia parochialis; prout ex decisione Rotæ in vna Augustana *Decimarum* coram Macchiauello 19 Nouemb. 1635. & ex alia ibi relata, ex aliis quoque fundamentis ibi adductis, constat. Maximè id habetur in alia Tarraconensi *Primitiarum* coram Pirouano anno 1637. & alia Augustana *Decimarum* coram Vbaldo 1631. 130.

Circa §. 40.

ETiam priuilegium hoc loco contentum de Generali electo statim à Sede Apostolica confirmato, & quod ex tunc possit ea,quæ ad Generalatus officium pertinent, exercere, reiecta appellatione,&c. habetur in Mari magno Eremitarum S. Augustini §. 49. & Carmelitarum §.30. & 68. & aliquo modo in Mari magno Prædicat. & Minor. §.1. quibus in locis, & aliis ibi relatis de materia ipsius plura dicta sunt,sicut etiam supra in hoc eodem Mari magno *circa* §. 8. vbi agitur de priuilegio Clem.VI. quod Innoc.VIII. hoc loco ampliat. 131.

Si autem quæras,an postquam Generalis est electus, & vt dictum est, à Sede Apostolica eo ipso confirmatus, possit opponi contra ipsius electionem.Respondeo posse, si tamen obseruentur conditiones, de quibus in simili materia dixi *t.4.in fin. in Relect. circa validit. cuiusd. Capituli, dub.1. & 3.* 132.

scili

ſcilicet, quod ſubſit magna, & notabilis cauſa ad id faciendum, & quod oppoſitores non conſenſerint electioni, niſi ex cauſis poſtea emergentibus, aut defectibus electi prius ignoratis, & quod ſeruetur forma alias ex iure requiſita ad talem oppoſitionem. De quibus, & aliis concernentibus eo loco dictum manet.

Circa §. 41.

133. STatuit hoc loco Pontifex, vt electiones Prouincialium, & Priorum fiant ſemper in Capitulis Generalibus, & Prouincialibus, & Fratres ad huiuſmodi electiones faciendas iſto, & non alio modo teneri, & obligatos eſſe, & quidquid in contrarium actum ſit irritum, & nullum eſſe declarat, & decetnit.

134. Hoc priuilegium etſi, quatenus agit de electionibus Prouincialium, commune ſit omnibus fermè Religionibus, non enim alio modo fieri poſſunt dictæ electiones, niſi in Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, quatenus tamen eſt de electionibus omnium Priorum faciendis in dictis capitulis, ſingulare videtur, & valde notabile. Eo quod, iuxta dicta ſæpius, præſertim *t.*.4. *Relect. ſup. validit. cuiuſdam Capitul.num.*86. & ſupra in Mari magno Carmelitar.*circa* §.7. *in expoſit.*1. *c.Regulæ*, electiones Abbatum, Priorum, ſeu Præpoſitorum Monaſteriis ſpectant ad Monachos, ſeu Fratres Monaſteriorum iuxta *cap.*1. *de elect.* & alia iuta relata ſuprà in Mari magno Minor. *circa* §.3. vt obſeruant Nauat.*Comment.*3.*de Regular.num.*2. Miranda *in Man. Prælat. tom.*2. *quæſt.*23. *art.*5. Layman. *in qq.Canonic.de Prælat. Eccleſiaſtic. elect.cap.*3.*quæſt.* 17. Barboſa *in dicto cap.*1.*de elect.num.*6. Moronus *Reſponſ.*72. & alij communiter. Vnde hæc facultas Setuitis conceſſa ad celebrandum electiones Priorum Conuentualium in Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, & non in Conuentibus, ſeu Monaſteriis, quibus præficiuntur, priuilegium continet ſupta ius commune. Quo, vt credo, vti poſſunt aliæ Religiones cum iſta habentes ptiuilegiorum communicationem, qualis eſt Carmelitarum. Et ita conſuetudo, quæ eſt in illa creandi Priores locales in Capitulis Prouincialibus, fundamentum etiam habet in hoc ptiuilegio Seruitarum.

135. Notanda etiam illa verba, quæ in hoc priuilegio, & pro cauſa coucceſſionis illius dicit Pontifex, ſcilicet: *Conuentualium Priorum electiones eo firmiores erunt, quo ſolemnius celebrabuntur*, ex eis enim denotatur electiones Priorum ſolemnius fieri in Capitulis Prouincialibus, quam in Conuentibus, ſeu à Conuentibus, quibus tales Priores præficiuntur. Ex quo etiam magis confirmatur id quod loco relato ex Mari magno Carmelitarum dixi circa maiorem conuenientiam, quæ eſt in hoc quod dictæ electiones Priorum non fiant à Conuentibus.

Circa §. 42.

136. PRiuilegium quoque hoc loco contentum de extenſione facultatis procedendi contra aſſerentes, quod confeſſi Mendicantibus tenebantur eadem peccata cofiteri poſtea Parocho, ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis, deſumptum videtur ex ſimilibus, potius eiſdem, pruilegiis conceſſis Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 51. Minoribus, & Eremitis ſancti Auguſtini §.50.& Carmelitis §.12.& 69.

137. Præter dicta autem iis locis vlterius expendenda eſt dictio illa *Quicunque*, qua vtuntur Pontifices in hoc, & ſimilibus priuilegiis, dum dictam facultatem extendunt ad Inquiſitores *quicunque fuerint*. Cum enim dictio iſta ſit valde vniuerſalis, omnia includens, & nihil excludens, vt *in leg. à procuratore, Codice mandati, & in capite ſolitæ, de maiorit. & obed.* notant Gloſſa *verb. Quicunqve, in cap. Quicunque de ſentent. excommunic. lib.*6. Tiraquellus *de retract. lig.*§.1.*gloſſ.*2.*num.*20. Menochius *conſ.*600.*num.*5.*& conſ.*1129.*num.*28. Mandoſ.*in reg.*17.*Cancel. quæſt.*8. *n.*2. *& reg.*21. *quæſt.*5. *num.* 2. & Sanctarell.*variar. reſol. quæſt.*2. *num.*21. adeo vt propter ſuam generalitatem extendatur etiam ad improprios caſus, vt tradunt Abbas *conſ.*3.*dub.*3.*num.*2. & alij quos refert, & ſequitur Sanctarell. *ſupra quæſt.* 48. *num.*29. & extendatur ad omnes caſus, & perſonas, vt per Menochium *de præſumpt.lib.*4. *præſumpt.*198. *num.*21. Farinac.*in prax.crimin.part.*4.*conſ.*65. *num.*8. tradit Barboſa *in tract.de dictionibus, dict.*317. *num.*12. ideo facultas iſta videtur extendenda ad Inquiſitores tum Ordinarios, tum extraordinarios, tum generales, tum particulares, ſiue habeant iuriſdictionem ordinariam, ſiue extraordinatiam, &c.

Circa §. 43.

PRiuilegium hoc eſt veluti appendix ad præcedens, & in eo concedit Pontifex, quod ſi occaſione quorumcunque proceſſuum, & conttouerſiarum inter Fratres, & Eccleſiarum Rectores, & Ordinariorum emergentium, ipſi Ordinarij, ſeu quicunque alij inhibitionem facientes excommunicationem ipſo facto incurrant, & contra eos Inquiſitores procedant veluti contra hæreticos. 138.

Simile fermè eſt hoc priuilegium alio conceſſo Carmelitis in eorum Mari magno §.70. etſi minus amplum, quam illud; ſiquidem facultas procedendi contra facientes talem inhibitionem ſolum conceditur in hoc priuilegio Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, in priuilegio autem illo Carmelitarum ea etiam conceditur Protectori Ordinis, & Auditori Cameræ Apoſtolicæ. Qualiter etiam differat hoc priuilegium ab alio conceſſo Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla *Aurea* nuncupata §.5. & Eremitis ſancti Auguſtini in eorum Mari magno §. 51. ibidem dictum eſt. Quibus etiam in locis, & aliis ibi relatis de materia huius priuilegij latè dixi. 139.

Circa §.44.

AMpliſſima hoc loco continetur exemptio data Seruitis ab onere ſoluendi ſubſidia, collectas, ſeu exactiones quaſcunque, aut decimas ex noualibus, hortis, virgultis, &c. etiamſi per alios Mendicantes ſoluenda iſta eſſent, niſi in tali dictorum onerum impoſitione ſpecialis mentio huius priuilegij fieret. 140.

Plura indulget Pontifex ſub hoc priuilegio. Primum eſt, exemptio à ſolutione ſubſidiorum, collectarum, ſeu exactionum, ſicut etiam conceſſa eſt Prædicatoribus in eorum Mari magno §.35. Minoribus §.36. Eremitis S.Aug.§.34.& Carmelitis §.46. 80 & 100. quibus in locis de hac materia egi, & & ſupra in hoc eodem Mari magno §.21. circa priuilegium Ioannis XXIII. quod hoc loco extendit Innocent. VIII. Secundum eſt, exemptio à ſolu- 141.

tion-

tione decimarum de noualibus propriis manibus, & sumptibus cultis, hortis, virgultis,&c.cui etiam priuilegio simile aliud extat in Mari magno Prædic.§.26. Minorum §.28. Eremitar.S.August.§.13. & Carmelit.§.46.& 72. Quibus etiam in locis, & aliis ibi relatis de hac materia egi. Pro qua etiam videndus Freitas *in Bullar. Ord.S.Mariæ de Mercede in Scholiis ad Bullam* 1. *Innoc.IV.& ad Bull.*4. *Gregorij XI.* vbi plura ad intentum. Tertium est, priuilegium hoc extendi etiam ad Ecclesias eidem Ordini vnitas, quod non video in priuilegio aliorum Mendicantium contineri, etsi per communicationem priuilegiorum hoc priuilgio vti possint.

142. Pro cuius intelligentia nota, quod vnio est plurium beneficiorum, seu Ecclesiarum à legitimo Superiori facta annexio. Rebuff.*in prax. benefic.tit.de vnionib. benefic. num.*1. *& sequentib.* Hoxeda *de incompatibilit.benefic.*2.*part.cap.*3.*num.*1 *&* 2.Sanchez *lib.*7. *in Decalog. cap.*29. *num.*145. Barbosa *de Iure Ecclesiast.lib.*3 *cap.*16.*num.*1.ex aliis. Potest autem hæc vnio fieri tripliciter. Primò quidem, ex duobus beneficiis, vel Ecclesiis parochialibus vnum beneficium, vel Ecclesiam parochialem efficiendo. *cap.decimas ad fin.*16.*quæst.*1. Secundò,vt vnum beneficiũ,seu vna Ecclesia alteri beneficio,seu Ecclesiæ subiiciatur veluti accessoriè, ita vt priuilegiis eius, cui subiicitur, frui possit. *cap. recolentes in fin.de stat.Monach.* Tertiò, vt vtraque Ecclesia sit principalis, sicut antea erat,maneat tamen sub eodem Episcopo, Parocho, Prælato, &c. Rebuffus *suprà à n.*11. Hoxeda *suprà num.*2. Sanchez *suprà num.*146. Barbosa *supra num.*5. *& sequentibus* post alios etiam. Apud quos plura spectantia ad hanc vnionem beneficiorum, seu Ecclesiarum, quæ omittimus, quia ad rem nostram non spectant:solum enim ad intentum priuilegij præsentis habemus, quod Ecclesiæ vnitæ Fratribus Seruitis, & aliis, qui cum ipsis communicant in priuilegiis, exemptæ sunt à prædictis oneribus.An autem modo post Conc.Trid.beneficium aliquod,seu Ecclesia Regularibus vniri possit, consule dicta *tomo* 2. *cap.*18. *num.*24. *& sequentibus*,& an vniones factæ visitari possint ab Episcopis, consule dicta eo *t.* 2. *c.*1.*num.*41.

143. Animaduertenda præterea hic est Rotæ doctrina in Melitensi *Collectarum* coram Vbaldo 7. Maij 1627.vbi ex eo,quod Religio Hierosolymitana,& eius bona, & personæ sint recepta sub protectione Beati Petri,& Sedis Apostolicæ, ac habeat priuilegia exemptionis ab exactionibus, & collectis,cum verbis generalibus, & vniuersalibus, infert debere dicta priuilegia latissimè interpretari, adeovt dicantur comprehendere etiam illa, quæ alias non comprehenderentur,adeovt comprehendant etiam casum necessitatis, seu publicæ vtilitatis, provt comprobat ex aliis Rotæ decisionibus, & Doctoribus. Hæc porrò omnia applicari possunt huic Religioni Seruitarum, cum etiam ipsa, ipsiusque bona,& personæ recepta sint sub S.Petri, & Sedis Apostolicæ protectione, vt patet ex §. 32. huius Maris magni;verba etiam huius priuilegij, de quo in præsenti,sint generalia, & vniuersalia valde.

Circa §. 45.

144. Conceduntur hoc loco ab Innocentio VIII. fœminis Tertiariis huius Ordinis, vt frui possint omnibus, & singulis priuilegiis concessis, & concedendis Ordini Seruitarum,& quod ab ipsis accipere possint Sacramenta, & sepulturam, etiam non requisita parochorum licentia.

Pro quo priuilegio nota ea, quæ dixi in simili alio Eremitar. sancti Augustini in ipsorum Mari magno § 8. 9. & 35.& Carmelitarum §.47. 48. & 84. maximè dicta *tomo* 2.*capite* 14.*per totum*, *& tomo* 4. *verbo Tertiarij*, *& Tertiariæ*, ac supra in hoc eodem Mari magno *circa* §.25.& 26. Quibus in locis habetur,quomodo hæc priuilegia his temporibus subsistant, aut reuocata maneant, maximè post Concilium Lateranense sub Leone X. & declarationes sacræ Congregationis ibi relatas.Qualiter etiam, esto in hoc priuilegio solum sit sermo de fœminis Tertiariis, nihilominus dari etiam viros Tertiarios in hoc Ordine, ex dictis eis locis inferri potest. 145.

Notanda quoque maximè Rotæ decisio in vna Brixinensi *Iurisdictionis* coram Pirouano 11. Decembris 1634. vbi conformiter ad priuilegia Vrbani VI. & Innocentij VIII. declaratur, fœminas istas Tertiarias gaudere priuilegiis exemptionis,& receptas esse sub protectione Sedis Apostolicæ. Vbi etiam plura circa obedientiam,& Regulam,ac professionem ipsarum. 146.

Circa §. 46.

In hoc autem loco conceduntur priuilegia Fratrum, siue Pinzocherarum Ordinis Seruitarum Oblatis, seu commissis eiusdem Ordinis,perinde,ac si pro ipsis concessa primitus essent. 147.

Simile autem priuilegium habetur pro Eremitis sancti Augustini in eorum Mari magno §. 36. & pro Carmelitis in eorum etiam Mari magno §. 49. quibus in locis, ac maximè *tomo* 2. *capite* 8. *per totum*, *& tomo* 4. *verbo Oblati* plura de ipsis dixi. 148.

Notat præterea Hieron. Rodrig.*in Comp. Resol.* 104. *num.*1. huiusmodi Oblatos non suscipere habitum Ordin. Hoc tamen moderandum est, iuxta dicta *eo c.*8. *n.*8. ex declaratione S.Congr. ibi adducta, etsi enim tales oblati non debeant suscipere integrè, vt ita dicam, habitum Religionis, cui offeruntur, aut cuius sunt oblati, debent tamen habitum sæcularem *aliqualiter* mutasse, prout in dicta declaratione notatur, & praxi habetur, ad hoc quod frui possint priuilegiis Religionum. Vnde differentia, quam assignant aliqui, videlicet Abbas *in cap. non est, num.*2. *de Regularib.* & Sanchez *lib.*6.*in Decalog.c.*7. *n.*9.inter Conuersos, & Oblatos, quod illi mutant habitum, non autem isti, accipienda est modo dicto, quod scilicet Oblati non mutent habitum simpliciter, sicut faciunt Conuersi,bene tamẽ *aliqualiter*, prout dictum est. 149.

Notat quoque idem Rodriguez post alterum Rodriguez,Sanchez, & alios, huiusmodi Oblatos posse transire ad arctiorem Religionem.Cæterum, licet hoc verum sit, iuxta dicta *eo cap.* 8. *num.*21. nihilominus non est limitandum hoc solum ad transitum ad arctiorem Religionem,possunt enim transire ad quamcunque Religionem etiam minus strictam,seu laxiorem ea cuius sunt oblati,vt videlicet in ea Religiosi fiant,iuxta dicta *eo num.*11.ex Suarez ibi relato. Cùm enim Oblati cuiuscunque Religionis etiam strictissimæ non sint verè Religiosi, quæcunque alia Religio etiam laxior erit perfectior statu quem habent, & ita potuerunt ad illam transire. Generalis enim Regula, & verissima est, quam ex pluribus comprobat Sanchez *lib.*4.*Decalog. cap.*19. *num.*31. quod in huiusmodi obligationibus, seu oblationibus tacitè inest hæc conditio, videlicet, nisi transitus ad Religionem placeat. 150.

Maxi

150. Maximè etiam pro conditionibus requisitis ad hoc quod isti Oblati potiantur priuilgiis Religionis, præter dicta *tomo 2.cap.*8.animaduertenda declaratio Sacræ Congregationis Concilij de anno 1627.quam refert Peirinis *tom.3.Priuileg. Minim. in Additam. ad Constit.Iulij II.cap.3. num.*34. Ex ea enim magis declarantur, quæ eo loco dicta sunt. Cum namque propositum esset eidem S Congreg. hoc dubium, Cæsar Carratinus de Flumine frigido diœcesi Tropiens. per donationem irreuocabiliter inter viuos obtulisse, & omnia bona sua mobilia, & immobilia, & se mouentia præsentia, futura, acquisita, & acquirenda, nulla facta reseruatione præfatorum bonorum, vsusfructus, neque proprietatis, neque in totum, neque in partem: item omnes actiones, & iura, quæ ipsi qualibet ex causa contingere possint in perpetuum conuentui, siue Monasterio Sancti Francisci de Paula Ciuitatis Paulæ, cui in oblatum semetipsum obtulit, habitumque sæcularem in solitum, & consuetum ab oblatis coniugatis eiusdem Religionis deferri, mutauit quem defert, & de manibus superioris Prælati conuentus suscepit, & ab eodem in numero oblatorum acceptus fuit secundum priuilegia à pluribus Summis Pontif. præfatæ Religioni concessa, quorum ipsa Religio, & præcipuè Prouincia Calabriæ est in possessione. Et cum omnia requisita ipse Cæsar impleuerit, petit obnixè scire an fori priuilegio, & exemptionibus, immunitatibus, cœterisque gratiis, & fauoribus gaudeat, quãuis matrimonio copulatus sit, illudq; ante præfatam donationem, & oblationem contraxerit. Et si fori priuilegio, ac præfatis exemptionibus, immunitatibus, priuilegiis, gratiis, & fauoribus gaudet, & gaudere debet. Cui dubio eadem sacra Congregatio respondens dixit: *Oratorem quamuis matrimonio copulatum gaudere priuilegio fori, & exemptione à vectigalibus, si quemadmodum proponitur, in forma iuris valida perpetuo, & irreuocabiliter plenè, & cum effectu seipsum, & bona sua omnia præsentia, & futura, nulla prorsus eorum portione, neque inproprietatem, neque in vsumfructum sibi reseruata, Religioni obtulerit, & habitum aliqualiter mutauerit. Quod si omnia præfata simul non concurrant, neque fori priuilegio, neque immunitate à sæcularibus exactionibus frui posse.*

151. Quærit vlterius Peirinis relatus, quid si dicti oblati nondum se, suaque obtulerint Religioni, sed statim sunt oblaturi, & per ipsos non stetit quin obtulerint, gaudebuntne immunitate? Respondetque affirmatiuè. Quia quæ proximè instant, in esse videntur *l.lecta, vers.dicebam, ff.si certum petat.* pariaque sunt aliquid esse factum, vel proximè fieri destinatum *l.vestimentum, ff.de auro, & argento.* Chokier *de exempt. part.*1. *quæst.*19. *num.*3. sed ne laxius procedatur, vide dicta in simili materia de Nouitiis *t.*4. *verb. Nouitij, & Nouitiæ Religionum, num.*43.

Circa §. 47.

152. ADdit hoc loco Pontifex prohibitioni factæ Seruitis ab Vrbano antecessore transeundi ad aliquem alium Ordinem, quod nullus possit illos recipere, vel retinere, nec Apostolicæ Sedis legati etiam de latere, aut Maior Pœnitentiarius facultatem ipsis concedere possint ad transeundum ad aliquem Ordinem, siue recipiendum, vel retinendum aliquod beneficium, aut exemptionem à suis Superioribus. Adiungens prætera, quod recipientes dictos Fratres teneantur ipsos cum bonis, quæ secum attulerant, ad Ordin. suum remittere, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna incurrenda, si monitione præmissa illud facere recusauerint. Item quod beneficia per prædictos Fratres habilitatos, aut dispensatos obtenta, omnino vacare censeantur, & prouideantur ab illis ad quos id spectat. Ac demum, quod bona omnia prædictorum Fratrum ab Ordine discedentium pertineant, & deuoluantur ad eorũ Ordinem.

Multa, & notabilia sub *hoc* §. priuilegia continentur. Primum, illud de prohibitione transitus ad alium Ord. etiam *Mendicantium*, vt Pontifex ait. De qua materia, quia sæpius dixi, videlicet *t.*1.*c.*22. *& t.*4.*v.Transeuntes Regulares*, ac sup. in Mari magno Prædicat. *circa* §.24. Minor. *circa* §.24.25. *&* 26. & Carm. *cir.*§.20.21.22. *&* 23. & in hoc eod. Mari magno *cir.*§.37. in ea amplius non immorandum. 153.

Seundum est, de prohibitione facta, quod nullus eos possit recipere, & retinere, nec ad licentiam cõcedere, etiam si sint legati de latere Sedis Apost. aut Maior Pœnitentiarius. Quod vltimum his temporibus vacat propter nouas facultates concessas Maiori Pœnitentiario, inter quas hæc est vna, vt habet Thesaurus *in prax.part.*2.*verbo Religiosi, cap.*4.*num.*4. Vbi etiam animaduertit cum aliis prohibitionem Extrauagant. *Viam de Regularibus* prohibentem, Mendicantibus transitum nisi solum ad Carthusiam, intelligi de transitu absque legitima causa, ea enim subsistente possunt à suis Superiobus ad hoc licentiati. Quod etiam dici potest circa præsens priuilegium. Vide dicta *tom.*4. *verbo Transeuntes Regulares, num.*11. 154.

Tertium est de prohibitione etiam facta recipiendi aliqua beneficia, aut exemptionem in Regulari obedientia suis Superiorib. debita ab aliquo etiam legato de latere Sedis Apostolicæ, aut maiori Pœnitentiario. Quod est notabile priuilegium, vtile valde his Religiosis, & aliis, qui cum ipsis communicationem priuilegiorum habent, & conforme aliis Bonifacij IX. relato supra §.18. vbi de ipsius materia aliquid dixi remittendo me etiam ad dicta *tomo* 4. *verbo Litteræ Apostolicæ. n.*7. *&* 8. Fauet etiam Bulla Vrbani VIII. pro Regnis Hispaniæ, quam retuli *tomo* 1. *c.*10. *num.*26. vbi similes exemptiones cassantur, & annullantur, & quod dixi supra in Mari magno Carmel. *circa* §.91. 155.

Quartum est de obligatione, quam habent recipientes, aut retinentes Seruitas, ad illos restituendos cum bonis, quæ habent, sub excommunicationis pœna. Cui consonant alia priuilegia aliquo modo similia, de quibus in superioribus egi. Videlicet in Mari magno Prædicatorum *circa* §.20.& 21. Minorum *circa* §.21.& 22. Eremitarum S.August. *circa* §.15.& Carmelitar. *circa* §.74.*&*91. 156.

Quintum est, de bonis illorum Religiosorum ab Ordin. discedentium deuoluendis ad Ordinem. Quod quidem conforme est iuri communi, cum bona quæcunque à Religiosis apostatis acquisita, si tamen contra iustitiam acquisita non sint, pertineant ad Religionem, à qua apostatarunt, iuxta dicta *tomo* 1.*c.*16.*num.*20.21.*&* 31. *& tomo* 3. *verbo Apostata, & apostasia, num.*8. Quod intellige, etiamsi in remotissimis regionibus, & per multum tempus apostatauerint. Cardinalis Lugo *tomo* 1.*de iust. & iur.disp.*3.*sect.*11. *num.*235. Vnde Religio potest exigere talia bona à quibuscunque ea possidentibus, etiam in iudicio. Rodriguez *tom.*1.*q.*30.*art.*11. Miranda. *in Man.Prælat.t.*1.*q.*51.*art.*7. Portellus *in dub.Regul. verbo Apostata, num.*7. alter Rodriguez 157.

in

in Comp. Resolut. 11. *n.* 9. & 10. Quomodo autem si moriantur in apostasia, eorum bona pertineant ad Cameram Apostolicam, dixi locis relatis, & 4. *tomo, verbo Spolia,* ac tractant Authores relati.

Circa §. 48.

158. QVæ continentur in hoc §. sunt veluti appendicia ad dicta in præcedenti de apostatis. Primò enim concedit Pontifex Generali Seruitarum facultatem ad compellendum apostatas, aut vagos, vt ad Ordinem redeant, ea quæ habent, suis Superioribus assignent, eisque obedientiam, & reuerentiam exhibeant, omnibus iuris remediis, excommunicationis videlicet, incarcerationis, & aliis rigoribus, in quocunque habitu, & loco eos inuenerint, etiam in Romana Curia. De quo in simili concessione aliis Mendicantibus facta, dixi in superioribus, scilicet in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 23. Minorum *circa* §. 23. & Carmelitar. *circa* §. 28. 31. 74. 91 92. Declarat etiam Pontifex Generalem præfatum super suos subditos tam intra Curiam, quam extra, Ordinarij authoritate potiri. De quo etiam in Mari magno Carmelitarum *circa* § 91. & 92. relatos dictum est. Adiungit præterea hac facultate vti posse Generalem, *Inuocato, quoties opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.* De qua clausula dixi *tomo* 3. *verb. Clausula num.* 39. & supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 23. inesse in litteris Apostolicis. Quo tamen non obstante, vel ad maiorem cautelam apponitur à Pontifice in hoc loco, & solet apponi in similibus rescriptis.

159. Si autem quæras an Prælati teneantur semper quærere suos apostatas, vel fugitiuos. Respondeo per se, & regulariter loquendo ad id teneri semper. Quia sunt pastores, quibus incumbit quærere oues perditas, & facere totum, quod possunt pro salute ipsarum. Et quia ita præcipitur in *cap. fin. de Regularib.* innouato à S. Congregation. Concilij iuxta dicta *tomo* 2. *cap.* 16. *num.* 16. Casu autem, quo id fieri non posset sine scandalo aut iactura Religionis, non erunt obligati ad id faciendum, cum bonum commune Ordinis præferri debeat priuato bono Religiosi præsertim ex malitia peccantis Castrus Palaus *p.* 3. *tr.* 16. *disp.* 4. *punct.* 17. *n.* 1. Quid verò statutum sit *in d. c. fin de Regularib.* & decreto S. Congreg. relato circa detentionem istorum in aliquibus Monasteriis, aut domibus, dixi eo *num.* 16.

Circa §. 49.

160. INhibet hoc loco Pontifex ne apostatæ prædicti cōfessiones audire, vel docere quoquo modo præsumant, nisi ad alium Ordinem, in quo huiusmodi officia licitè exerceantur, de licentia Generalis transierint. De qua etiam inhibitione in simili alia facta Mendicantibus dictum est in superioribus, videlicet in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 24. Minorum *circa* §. 24. & Carmel. *cir.* §. 93.

161. Præter dicta autem eis locis vlterius quæri potest, an huiusmodi apostatæ in apostasia existentes validè ministrent Sacramantum Pœnitentiæ. Ad quod respondendum ex generalibus principiis aliis locis traditis. Si enim tales apostatæ fuerint excommunicati vitandi, quod contingere potest non solum si sint notorij percussores clericorum, sed etiam casu, quo fuerint à legitimo Superiori declarati vt excommunicati, tunc Sacramenta pœnitentiæ ab ipsis administrata inualida erunt, nisi in casu, quo esset publicus error facti, & titulus præsumptus, iuxta dicta *tomo* 3. *verbo Excommunicatio quoad Regulares, n.* 7. Si autem solum fuerint excommunicati tolerati, seu occulti, quamuis grauiter peccent Sacramentum pœnitentiæ administrando, illud tamen valide ministrant, iuxta dicta eo loco *n.* 34 An verò omnes Apostatæ sint excommunicati, consule dicta in Mari magno Prædicatorum circa §. 20. Quia tamen contingere potest quod tales Apostatæ audiant confessiones sæcularium sine approbatione Ordinarij, pro tali casu dicendum, talia Sacramenta inualida esse, iuxta dicta *tom.* 3. *verbo Confessio, n.* 3. S. verò contingat, quod dictas confessiones audiant cum approbatione quidem Ordinarij, sed sine præsentatione suorum Superiorum, tunc licet illicitè, & peccaminosè id faciant, nihilominus satis probabilis est sententia affirmans illas confessiones validas esse, & validè tales absoluere, iuxta dicta *t.* 1. *c.* 19. *n.* 12. & *t.* 3 *v. Confessarius Regularis, n.* 2. cum limitationibus tamen, quas eo loco adduxi. Vide etiam dicta locis relatis ex Mari magno Prædicatorum, Minorum, & Carmelitarum.

Circa §. 50.

INhibet etiam Pontifex hoc loco, vt nullus siue Religiosus, siue non Religiosus, gestet habitum Seruitarum, aut illi ita consimilem, quod per illum Seruita credi possit. Quod etiam extendit ad habitum Pinzocherarum, seu Terriariarum eiusdem Ordinis. Additque quemcunque transgressorem huius inhibitionis correctioni, & punitioni Generalium, & Prouincialium eius Ordinis, & iuxta illorum arbitrium subiici debere. 162.

Hoc priuilegium quatenus solum continet prohibitionem non portandi habitum proprium istius Religionis commune est aliis, quæ habent Prædicatores, Minores, & Carmelitæ, vt constat ex dictis in superioribus in Mari magno Prædicat. *cir.* §. 25. Minor. *cir.* §. 27. & Carmel. *cir.* §. 95. quibus in locis, & aliis ibi relatis de hac materia egi. Quatenus verò id extenditur ad portantes habitum Pinzocherarum, seu Terriariarum non est commune dictis Roligionibus, nisi solum propter generalem communicationem priuilegiorum. Illud autem, quod in hoc priuilegio additur, scilicet posse Generalem, & Prouinciales huius Ord. procedere contra portantes ipsorum habitum, hoc enim denotatur illis verbis: *Itavt quicunque illum aliter gestare repertus fuerit, correctioni Generalium, & Prouincialium Ordinis huiusmodi iuxta illorum arbitrium puniendus subiiciatur*, est valde singulare, & cum valde exorbitet à iure communi, & praxi Religionum, quæ nunquam procedere solent contra alias Religiones puniendo Religiosos illarum, qui habitum suum non gestant, sed solum ad id faciendum recurrunt ad iudicem competentem, Papam scilicet, vel S Congregationem, ideo hoc priuilegium ad hos terminos reduci debet, vel saltem, provt habetur in Mari magno Prædic. Minor. & Carmel. recurrendum ad Diœcesanos, vt per censuram cogant deferentes habitum alienæ Religionis ad eum deponendum. Hæc dixi propter singularitatem huius priuilegij. Si enim aliquis contenderet, quod quemadmodum ex priuilegio Carmelitis concesso in ipsorum Mari magno § 74. possunt procedere *regularem sententiam*, vt ibi dicitur, promulgando, contra retinentes Fratres nostros sine icentia à Conuentibus discedentes, quantumuis tales 163.

tales retinentes, quantumuis tales retinentes sint extranei, ita similiter Generalis, & Prouinciales Seruitarum possint etiam eodem modo procedere contra quoscunque extraneos ipsorum habitum gestantes, & non valde contradicam.

Circa §. 51.

164. AMpliat hoc loco Innocent. VIII. priuilegium à Bonifacio IX. concessum Seruitis in hoc eodem Mari magno §. 19. ad creandum vnum Magistrum in quolibet Capitulo Generali cum priuilegiis Magistrorum Parisiensium, ad duos Magistratus vnum Citramontanum, & alterum Vltramontanum, & in defectum Vltramontani alium Citramontanum, & è contra, seruatis iis, quæ præfatus Bonifacius seruari voluit.

165. Præter notata autẽ cir. §. 19. relatum, vlterius nota, Citramontanos vocari Italos, Siculos, Sardos, Corsos *l. insulæ, ff. de iud.* & qui citra Alpes commorantur; Vltramontanos verò eos, qui vltra eosd. Alpes existunt, Hispanos videlicet, Germanos, Gallos, &c. Quia verò contingit aliquos esse veluti medios, qui scilicet in ipsis Alpibus degunt, vt notant Campanile *in diuers. iur. Rubr. 9 cap. 1.* & Thesaurus *in prax. p. 2. verbo Ordo cap. 17.* ideo an tales vocari debeant citramontani, vel vltramontani, attendendum est ad communiorem populi opinionem, linguæ idioma, dominium, & singulas circunstantias.

166. Maximè nota, quod tales graduati in Capitulis possunt publicè legere etiam in Vniuersitatibus, in quibus cautum est, vt solum Doctores admittuntur ad legendum. Ratio est, vt solum Doctores admittuntur ad legendum. Ratio est, tum quia sunt veri Doctores, tum quia gaudent priuilegiis Magistrorum Parisiensium. Addit Peirinis *in Regul. Minim. cap. 9. §. 41. quæst. vnic. num. 7.* etiam Religiosos, qui gradus non suscipiunt, vt sunt Minimi, posse legere in dictis vniuersitatibus habentibus tale statutum, propter priuilegium Iulij III. pro Iesuitis, quod refert Rodriguez *tom. 2. quæst. regul. quæst. 74. art. 1.* & aliud priuilegium sui Ordinis. Sed ego non video talia priuilegia.

Circa §. 52.

167. STatuit hoc loco Pontifex nullum promoueri debere ad Baccalaureatus gradum, nisi per quinque annos continuos, & ad Magisterium nisi per tres alios annos iuxta alicuius vniuersitatis consuetudinem studuerit, & Prouinciam, ac Conuentus, de quibus erunt oriundi illis de expensis requisitis in talibus promotionibus teneri prouidere; ita tamen vt præfatos gradus in aliqua vniuersitate, aut Capitulo generali suscipiant. Declaratque indultum, seu licentiam ad talem promotionem à Sede Apostolica impetrari non debere sine licentia Generalis, & irritum, ac inane esse quidquid secus actum fuerit.

168. Iure optimo prouidet Pontifex in hoc loco, vt nemo ad gradus præfatos admittatur, nisi habeat requisitum illum annorum numerum in studio, cauens sanè ne insufficientes, aut ignari ad illos promoueantur, etiamsi indultum à Papa obtinuerint sine Generalis licentia. Pro quo vide dicta *tomo 3. verbo Gradus, & Graduati Regulares, num. 3.* ac declarationem sanctæ Congregationis 28. Septembris 1635. pro Fratribus sanctæ Mariæ de Mercede, in qua habetur tales veluti indignos repellendos esse à gradibus, & priuilegiis ipsorum. Quod etiam statutum video in quibusdam statutis Capituli Generalis confirmatis à Clem. VIII. *in Bullario huius Ordinis, Bulla prima.* Vide etiam Bullam Vrbani VIII. de anno 1625. pro Eremitis sancti Augustini quæ incipit *Romanus Pontifex, in 4. tom. Bullar. n. 40.* & aliam *num. 41.* confirmatoriam alterius Clem. VIII. de eadem materia. Et pro nostro Ord. Constitutiones Canalis de an. 1625. *part. 1. cap. 17. n. 10.* vbi gradus de gratia adeo prohibentur, quod nec Generalis possit illos concedere, ac nouissima decreta Capituli generalis Romæ celebrati an. 1645. vbi prædicta Constitutio obseruari præcipitur.

Circa §. 53.

COncedit præterea Pontifex Seruitis, vt semel in vita, & semel in articulo mortis plenariam absolutionem suorum peccatorum à Confessore idoneo dicti Ordinis per eos eligendo valeant obtinere, etiamsi peccata talia essent, proper quæ merito Sedes Apostolica esset consulenda. 169.

Priuilegium hoc notabile etiam est propter clausulam illam *etiamsi talia forent propter quæ Sedes Apostolica esset merito consulenda*, ea enim ratò ponitur inter priuilegia Religionum, cùm potius in illis quamuis concedatur generalis facultas absoluendi à peccatis, semper tamen excludi solent ea peccata, *propter quæ merito Sedes Apostol. esset consulenda*, vt patet in hoc eodem Mari magno §. 35. & in Mari magno aliorum Mendicantium locis relatis *circa d. § 35.* in hoc autem priuilegio non excluduntur, sed potius expresse includuntur. Nota tamen illud vacare in absolutione danda in vita quoad casus contentos in Bulla Cœnæ, propter generalem reuocationem omnium priuilegiorum in ea factam, iuxta dicta *tom. 1. cap. 18. num. 38. tomo 3. verbo Bulla Cœnæ, num. 54.* & supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 41. vbi etiam authores huius sententiæ retuli. Etsi videam Sanctorum *in Commentariis suprà stat. Minor. cap. 2. statut. 14. concl. 4.* obnixè oppositam defendere, ex variis authoribus, & fundamentis. Nota etiam, per clausulam illam huius priuilegij *etiamsi ante factam dicti Ordinis professionem eos docere contingeret* denotari Nouitios quoque vti posse hoc priuilegio, saltem pro articulo mortis. Quomodo autem clausula illa *plenariam remissionem*, qua vtitur Pontifex in hoc priuilegio denotet indulgentiam plenariam, & quod ea his temporibus reuocata non sit, dixi supra in Mari magno Carmelitarum *cira* §. 8. vbi etiam quomodo hæc concessio absoluendi plenariè pro articulo mortis inutilis non sit, non obstante, quod quilibet confessarius etiam simplex Sacerdos possit eam pro articulo concedere. 170.

Circa §. 54.

INdulgetur Seruitis hoc loco facultas ad celebrandum locis congruis, & honestis in altari portatili, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, & tempore generalis interdicti Ordinaria solum, non Apostolica authoritate positi, præterquam in Ecclesiis non exemptis ab Ordinarij obedientia, si hoc eis interdicatur. 171.

Primum istorum de facultate celebrandi locis congruis, & honestis in altari portatili &c. habetur pro Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 39. pro Minoribus etiam §. 39. & Carmelitis §. 37. quibus locis, ibi relatis de hac materia egi. Vbi etiam 172.

etiam de aliis priuilegiis concessis aliis Religionibus. Quibus modo adiūgam, Vrban. VIII. an. 1638. concessisse Ioanni Cypriano Gener. Ord. S. Mariæ de Mercede per Breue, quod extat in Bullario huius Ordinis *inter Bullas Vrbani VIII. n.* 10. facultatem, vt tempore visitationis in Prouinciis, & Ciuitatibus, vbi non sunt Ecclesiæ, vel vbi non est publicum exercitium Religionis Catholicæ, in locis congruis, & decentibus posset celebrari facere super altare portatili.

172. De secundo, scilicet de facultate celebrandi *Etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem*, vide etiam *tomo* 1. *cap.* 21. *num.* 2. ad quæ aptari debent tam ista, quam plura, quæ de hac materia tractant Portellus *in dub. regul. verbo Missa*, & Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resolut.* 25. cum multa illorum sint viuæ vocis oracula hoc tempore reuocata.

173. De tertio, quod continet facultatem ad celebrandum tempore interdicti Ordinarij authoritate positi præter quam in Ecclesiis ab Ordinario non exemptis, si eis hoc interdicatur, dictum est etiam in præcedentibus in Mari magno Prædicatorum, Minorum, & Carmelitarum locis relatis, ac aliis quæ ibi citaui, & in Mari magno Eremitarum S. August. *circa* §. 37.

174. Notat vlterius Scholiastes huius Maris magni *in hoc loco*, quod Seruitæ possunt, propter communicationem priuilegiorum cum Minoritis, qui habent hoc priuilegium ab Alexandro VI. sine aliquo scrupulo alicuius consuetudinis mittere reliquias extra Vrbem pro consecratione Altarium, & lapides cuiuscunque generis, siue consecratas, siue non. Pro quo tamen, & qualiter accipiendum hoc tempore, consule dicta *tomo* 4. *verbo Reliquiæ Sanctorum, & verbo Sanctorum cultus*, & quæ de eadem materia habet Thesaurus *in prax. p.* 2. *verb. Reliquiæ cap.* 1.

Circa §. 55.

175. SImiliter hoc priuilegium de facultate celebrandi tempore interdicti in locis, & Ecclesiis Ordinis, cum conditionibus generalibus similium priuilegiorum, & de facultate admittendi pinzocheras, & oblatas personas, ac Procuratores Monasteriorum, etiam est discussum in superioribus in Mari magno Prædicatorum, Minorum, Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum locis relatis *circa* §. præcedentem, ac aliis ibi citatis.

Circa §. 56.

176. EXtendit hoc loco Pontifex Innocentius Concessionem, quam fecerat Bonifacius IX. *supra* §. 17. & confirmauerat Martinus V. supra §. 27. pro Seruitis communicando illis priuilegia concessa domibus Eremitarum S. Augustini. Ita vt cuiuscunque generis indulta concessa, aut concedenda dictis domibus Eremitarum, aut illas visitantibus, concessa censeantur eodem modo Seruitarum Ordini, & illius domo pœnitentibus, & confessis visitantibus.

177. Circa quæ expen dendum primò etiam communicari in hoc priuilegio *Stationes Almæ Vrbis*, quæ continet plures, & maximas indulgentias, quas referunt Cassarubios *in Compend. priuileg. Mendicant. Verbo Indulgentiæ stationum quoad fratres*. Rodriguez *tom.* 2. *quest. regul. quæst.* 88. *art.* 2. & alter Rodriguez *in Compend. Resolut.* 77. *à num.* 20.

Quomodo autem intelligendæ sint istæ stationes, seu indulgentiæ stationum, dixi *tom.* 3. *verbo indulgentia quoad Regulares, num.* 21. vbi etiam an sint reuocatæ per Paulum V. Pro quo nota, quod cum iuxta dicta eo loco *num.* 8. Paulus V. non reuocauerit nisi solum indulgentias personales Religiosis concessas; non autem locales, id est, concessas visitantibus loca, seu Ecclesias ipsorum; ideo licet indulgentiæ stationum concessæ Religiosis ipsis censeantur reuocatæ à Paulo V. non tamen indulgentiæ concessæ locis, seu Ecclesiis illorum, aut ipsas visitantibus, ac proinde indulgentiæ stationum concessæ domibus Eremitarum sancti Augustini, seu illas visitantibus, concessæ etiam erunt ex vi huius priuilegij Ecclesiis Seruitarum, seu illas visitantibus. Adde, Hieronymum Rodriguez *in Compend. d. Resolut.* 77. *n.* 45. obnixè contendere contra Portellum *in dub. Regul. verbo indulgentia, num.* 12. § *secundum principale* per confirmationem quandam factam ab eodem Paulo V. alterius Bullæ Clementis VIII pro Minoribus viuificatas, & reualidatas esse indulgentias antiquas ab eodem Paulo, ac per consequens etiam indulgentias personales pro Religiosis antiquitus concessas, propter communicationem priuilegiorum inter Religiones, quæ etiam in hac materia indulgentiarum detur talis communicatio, iuxta dicta *n.* 8 relato. Quidquid tamen de hac sententia Hieronymi Rodriguez sit, quam etiam probabilem putat Quintana Dueñas *tract.* 4. *de iubil. dub.* 2. & de qua alias, ad intentum priuilegij, de quo in præsenti notanda est limitatio indulgentiarum Ecclesiæ S. Mariæ de Populo de Vrbe, quam ex Leone X. retuli *tom.* 1. *c.* 20. *n.* 9. cùm enim ea Ecclesia sit Eremitarum S. August. ideo cum indulgentiæ huius Ordinis communicentur Seruitis, communicari debent cum dicta limitatione à Leone X. posita.

Notanda etiam est illa clausula huius priuilegij, 178
scilicet *in genere, vel specie*, ea enim denotatur communicari Ordini Seruitarum omnes indulgentias concessas tam *in genere*, id est, omnibus Ecclesiis Eremitarum S. Augustini, quam *in specie*, id est, aliquibus Ecclesiis in particulari eiusdem Ordinis. Fuit autem necessaria ista clausula, quia sine illa non censerentur communicatæ Ordini Seruitarum, nisi solum indulgentiæ concessæ omnibus Ecclesiis Eremitarum, non illæ, quæ erant concessæ aliquibus in particulari, iuxta dicta eo *n.* 8. Quomodo autem non extendatur hoc priuilegium ad communicationem indulgentiarum plenariarum, id solum non plenariarum etsi oppositum aliqui probabiliter asserant, probabilius esse dixi eo loco *num.* 21. propter Curiæ stylum, & quia plenariæ indulgentiæ requirere videntur specialem expressionem, quam non ponit Pontifex in hoc priuilegio, cum in illo nunquam exprimat indulgentias plenarias. Alia spectātia ad huiusmodi priuilegium quod attinet ad indulgentias, habes ex dictis eo verbo *indulgentiæ quoad Regulares*; quid intelligatur per clausulam illam *verè pœnitentes, & confessi*, habes etiam ex dictis eo *tomo* 3. *verbo Iubilæum, num.* 7. Ampliorem etiam communicationem priuilegiorum omnium Mendicantium Ordini Seruitarum concessam habes inferius in hoc eodem Mari magno §. 67.

Quia verò in hac generali communicatione 179.
priuilegiorum Mendicantum facta Seruitis dicto §. 57. etiam intrat expresse communicatio indulgentiarum, quia eas exprimit Pontifex, ideo pro

pietate ac deuotione erga animas Purgatorij inter Religiosos augenda operæ pretium duxi animaduertere concessionem quandam Clementis VII. pro Minimis, quæ refertur à Passarello *in libro* cui titulus *Formulæ diuersarum prouisionum in principio.* Quæ talis est, prout ex relatione Cardinalis Sanctorum quatuor ac maioris Pœnitentiarij eo loco refertur. *Nos Laurentius Episcopus Albanensis S. R. Ecclesiæ Cardinalis Sanctorum quatuor, ac maior Pœnitentiarius vniuersis, & singulis Christi fidelibus præsentes litteras nostras inspecturis, fidem facimus, & attestamur. Qualiter sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Clemens, diuina prouidentia Papa VII. ad humiles preces nostras dilectis nobis in Christo venerabilibus Religiosis Correctori domus sanctissimæ Trinitatis de Vrbe Ordinis Minorum sancti Francisci de Paula, ac aliis Fratribus domus sanctissimæ Trinitatis duntaxat, Generali verò, ac zeloso, necnon Prouincialibus, & localibus correctoribus, & aliis Superioribus Ordinis, etiam pro tempore existentibus, ac vnicuiuslibet ipsorum secundum religionis ingressum, antiquiori socio, vbicunque se transferre ex merito obedientiæ contigerit, vt singulis secundis, & quartis feriis cuiuslibet hebdomadæ totius anni Missas pro animabus defunctorum celebrare volentes, easdem indulgentias pro animabus defunctorum huiusmodi consequantur, ac si in Ecclesia S. Sebastiani, Laurentij, & Scalacæli, etiam Gregorij, & Potentianæ, extra, & infra muros Almæ Vrbis, celebrassent, ac pari modo Missæ huiusmodi animabus defunctorum, pro quibus eas celebrandas duxerint, suffragentur, perinde ac si in præfatis, & aliis quibuscunque etiam qualitercunque priuilegiatis Ecclesiis infra, & extra muros Vrbis celebrassent. facto nobis desuper viuæ vocis oraculo. Concessit pariter, atque indulsit præsentibus perpetuis, futuris temporibus duraturis, & in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. In quorum omnium fidem litteras nostras fieri, nostrique sigilli oblongi iussimus appensione communiri. Datum Romæ in ædibus nostris sub anno à Natiuitate Domini 1524. Die verò 10. Mensis Iulij, Pontificatus sanctissimi Domini in Christo Patris, & Domini nostri Domini Clementis diuina prouidentia Papæ VII. anno primo.*

180. Pro qua concessione nota, duo esse propter quæ videtur non subsistere. Primum, propter reuocationem generalem factam à Paulo V. indulgentiarum concessarum Regularibus, de qua dixi *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. *& tomo* 3. *verbo indulgentia quoad Regulares, num.* 8. *&* 9. Secundum, quia facta est viuæ vocis oraculo, omnes enim concessiones hoc modo factæ reuocatæ sunt his temporibus non solum à Gregorio XV. sed etiam ab Vrbano VIII. iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 21. *& tom.* 4. *verbo Oracula viuæ vocis, num.* 2. *&* 3. Sed primum non obstat, quia iuxta dicta eo Verbo *indulgentia quoad Regular. num.* 10. *&* 11. *præsertim num.* 12. indulgentiæ pro defunctis concessæ non censentur reuocatæ per illam reuocationem generalem à Paulo V. factam. De quo etiam nouissimè Quintana Dueñas *tract.* 4. *de Iubil. dub.* 2. Secundum verò non multum vrget, quia iuxta dicta eo verbo *Oracula viuæ vocis, num.* 5. Probabile est per illam reuocationem generalem viuæ vocis oraculorum non reuocari indulgentias, cùm ipsæ in dictis Constitutionibus Gregorij, & Vrbani non referantur expresse, prout necessarium videbatur propter ipsarum specialitatem. Prout etiam tenet Quintana Dueñas *supra.* Probabile ergo erit huiusmodi indulgentiam, de qua in præsenti, etiam si viuæ vocis oraculo concessa fuerit, reuocatam non esse, ac propterea merito de ipsa hoc loco fieri debuisse mentionem.

Pro aliis indulgentiis Religiosorum, maximè pro liberatione animarum Purgatorij celebrando in altaribus suarum Ecclesiarum consule Ioannem de Cruce in Epitome de statu Religionis in fine iuxta impressionem Toleti anno 1631. vbi multa ad intentum ad quæ etiam applicari possunt dicta in superioribus, aliqua præsertim. Nota tamen, quod iuxta dicta *tom.* 3. *verbo Altare, num.* 19. in huiusmodi altaribus priuilegiatis non procedit generalis communicatio priuilegiorum. 181.

Circa §. 57.

HOc loco Pontifex concedit, vt immunitas ecclesiastica Ecclesiarum Ordinis Seruitarum extendatur ad domos ipsorum Fratrum cum hortis, hortaliriis, Claustris, officinis, & locis omnibus infra illorum ambitum. De qua materia præsertim post limitationem factam à Gregorio XIV. dixi *tom.* 3. *verbo Immunitas Ecclesiarum præcipuè num.* 2 *&* 3 *& tom.* 4. *verbo Monasteria Regularium, num.* 25. & supra in Mari magno Eremitarum sancti Augustini circa §. 27. quæ pro præsentis priuilegij notitia sufficere possunt. Maximè pro quæstione illa an Regulares gaudeant immunitate Ecclesiastica quando committunt aliqua delicta, præter dicta eo verbo *immunitas Ecclesiarum n.* 6. *& t.* 1. *c.* 18 *n.* 83. notandum, opinionem negatiuam eo loco approbatā maximè procedere de immunitate propriarum Ecclesiarum, seu Monasteriorum propter Ecclesiæ consuetudinem, quæ nunquam reprehendit Prælatos regulares processantes, & punientes Religiosos sibi subditos quantumuis intra loca sacra eos reperiant. Loquendo enim de Regularibus confugientibus ad extraneas Ecclesias, seu loca sacra quæ non sint sui Ordinis Pater Candidus *tomo* 4. *disquisit. art.* 4. *num.* 28. asserit gaudere tunc immunitate ecclesiastica, ita vt nec capi, nec extrahi inde possint à suis superioribus, nisi solum pro delictis exceptis in Constit. Gregorij XIV. eo quod non videtur talibus Superioribus concessa facultas ad id faciendum. Oppositum tamen forsan est verius, tum quia iurisdictio Prælatorum Regularium nullis terminis clauditur, vt sæpius dictum est, tum quia ita, vt credo, consuetudo tenet, conformis multis priuilegiis Prælatorum Regularium ad capiendum, & extrahendum suos subditos ex quocunque loco; tum denique quia hic videtur communis sensus ipsorum Regularium, vix enim aliquando contigit, vt ad alienas Ecclesias, seu loca sacra recurrant, vt fugiant Prælatos suos ipsos punire volentes. Casu autem quod Regulares delinquentes potiri possint immunitate Ecclesiastica, de qua in præsenti, id extendunt aliqui etiam ad illos, qui suum Generalem, aut Prælatum superiorem occidissent. Castrus Palaus *tomo* 2. *tractatu* 11. *disputatione vnica, puncto* 9. *numero* 43. Trullenc. *in Decalog. tomo* 1. *leg.* 1. *capite* 11. *dubio* 3. *numero* 24. *&* Diana 7. *part. tract.* 11. *solut.* 37. contra alios. De quo alibi. 182.

Circa §. 58.

PRohibet hoc loco Innocentius Papa ne Monachi sancti Benedicti, Canonici, aut Fratres 183.
Mendi

Mendicantes alij possint accipere, fundare, aut ædificare domos, Ecclesias, Oratoria, siue loca, aut fundata, vel ædificata recipere, iuxta domos, Ecclesias, vel loca Seruitarum, nisi vltra spatium 140. cannarum per aerem mensurandarum.

183. Pro quo nota magis amplum priuilegium etiam cum excommunicatione latæ sententiæ contra transgressores huius prohibitionis haberi in Mari magno Carmelitarum §. 25. & 79. ac de illo, & aliis priuilegiis aliarum Religionum egisse *tomo 4. verb. Monasteria Regularium n.* 19. *&* 20. quæ ad intentum deseruire possunt, simul cum aliis, quæ *circa d.* §. 25. *&* 79. dicta sunt. Solum videtur iungendum, quod cum tam in hoc, quam in aliis similibus priuilegiis non solũ sit sermo de Ecclesiis, & Oratoriis, sed etiam de domibus, & locis Religiosorum, ita vt circa domos, & loca ipsorum prohibeantur alij loca, seu domos ædificare, recipere. &c. ex quo videtur sequi, quod ea priuilegia extendi etiam deberent ad possessiones, vineas, & alia loca, quæ sunt extra claustra Monasteriorum, & ab ipsis separata, nihilominus censeo nomine domorum, & locorum solum intelligi Ecclesias, seu Monasteria, aut claustralia loca, non autem ea, quæ sunt separata extra claustra, vbi ipsi Religiosi non habitant in communitate; quia hoc modo solum intelliguntur communiter, & id est conforme intentioni Summorum Pontificum ea concedentium, quæ solum videtur esse, ne Religiosi se impediant in eleemosynis recipiendis pro eorum sustentatione. Vt de nomine domus, aut loci intelligo in præsenti domum, aut locum sacrum, vbi Religiosi communiter viuentes officia diuina celebrant. Sic colligo ex Reginaldo *in prax. for. pœnit. lib.* 32. *num.* 16. *ver.* 2. & Barbosa *in Collect. DD. in lib.* 3. *decret. in cap. si Ecclesia de consecrat. Eccles. num.* 6. etsi ad aliud intentum loquantur. Fateor sanè ex priuilegio Innocentij VI. quod retuli *dicto num.* 19. pro Carthusiensibus ex Cassarubio ibi relato, videri colligi oppositum, cum ibi sit sermo de possessionibus. Credo tamen non esse receptum cum ista amplitudine.

184. Nota præterea Iulium III. in Bulla *Exponi nobis*, quæ habetur in libro cui titulus est *Mare magnum Fratrum Seruorum* B.M.V. *pag.* 156. extendisse hanc prohibitionem ad 300. cannas, ita vt intra spatium illarum nullus Mendicantium possit iuxta domos, & loca Seruitarum ædificare, vel construere Monasteria, aut construi, vel ædificari facere.

Circa § 59.

185. CONceditur hoc loco ne Monachi, Canonici, Fratres etiam illi, qui in hac Religione vocantur *de Obseruantia* aut laici, cuiuscunque dignitatis, gradus, Ordinis, vel conditionis fuerint, Ecclesias, seu domos, aut loca à Seruitis possessa, aut Monasteria Monialium, quod aliis Fratribus, vel Monialibus etiam eiusdem Ordinis concedantur, procurare præsumant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso incurrenda, aut quod amotis exinde Fratribus, & Sororibus reformentur, & alij Fratres, aut Moniales subrogentur, aut quod aliis assignentur, nisi hoc fiat apud Generalem dictorum Fratrum, qui teneatur loca ipsa debitè reformare, nec aliquas iniurias, vel grauamina inferre dictis Fratribus, & Monialibus pro rebus, & bonis, quæ habent. Vult etiam, & præcipit Pontifex vt Fratres, & Moniales acquiescant reformationibus factis per Generalem, nec laici se opponant, aut illas alterare, vel mutare quærant sub eadem excommunicationis sententia.

Plura notatione digna sub hoc priuilegio continentur. Primum est de prohibitione facta quibuscunque sub excommunicationis latæ sententiæ pæna de non procurando, quod Monasteria Seruitarum, aut Monialium ipsorum tradantur aliis etiam eiusdem Ordinis. Quæ quidem prohibitio comprehendit omnes tam Regulares aliorum Ordinum, quam sæculares quoscunque, imo etiam Regulares eiusdem Ordinis, quos Pontifex vocat *de Obseruantia*, & Scholiastes huius Maris magni appellat *Congregationis*, & sunt, vt credo, Reformati huius Religionis, distincti ab aliis, quos Pontifex postea vocat *Conuentuales*. Solent enim ij, qui *Reformati* in Religionibus vocantur variis viis, & modis procurare Conuentus aliorum, & propterea isti obtinent talia priuilegia à Sede Apost. vt se defendant. Hinc in separatione facta nostrorum PP. Discalceatorum à corpore Religionis nostræ Carmelitanæ an. 1593. in Capitulo Generali Cremonæ, confirmata, postea à Clement. VIII. in Bulla *Pastoralis officij* eodem anno Decembris 20. die, pro conditione, & perseuerantia talis separationis cautum est de hac re his verbis. *Ita tamen, vt dicta Congregatio Discalceatorum, vel eius Superiores omnino in perpetuum non præsumerent accipere loca, vel Conuentus huius Religionis Mitigatorum, etiam sponte à Ciuitatibus, vel Principibus, seu quibuscunque aliis eis exhibenda, vel offerenda, quod si contrarium aliquando eos fecisse compertum foret, nulla esset, & irrita ista concessio, & nullum ius omnino acquisitum eis intelligeretur.* Hæc in dicta Bulla Clem. VIII. 186.

Secundum est de simili prohibitione facta etiam quibuscunque personis de non procurando, quod dicta Monasteria Fratrum, & Sororum illis amotis reformentur, aut alij, vel aliæ ibi subrogentur; aut aliis assignentur, vel committantur, nisi hoc fiat apud Generalem dicti Ordinis. Cui priuilegio consonat aliud Leonis X. pro Minoribus, in quo in virtute S. Obedientiæ præcipit vt de cætero nullæ nouæ reformationes fiant in Ordine absque Generalis, aut Prouincialium assensu. Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Reformatio, num.* 3. Rodriguez *tomo* 3. *Quæst. Regul. quæst.* 41. *art.* 1. *&* *tomo* 2. *quæst.* 73. *art.* 2. *&* 3. alter Rodriguez *in Compend. Resolut.* 123. *num.* 50. 187.

Tertium est, de intimatione facta Generali ad reformandum Monasteria Ordinis quoties opportunum fuerit. Pro quo etiam vide dicta à simili in Mari magno Carmelitarum circa §. 26. in alio priuilegeo Pij II. vbi idem præcipit Superioribus Ordinis. Et circa ea, in quibus reformari debet Religio, consule dicta à nobis *in Opere de Refor. Regul.* ac maximè decreta Clem. VIII. & Vrbani VIII. de hac eadem materia. Bonum etiam documentum pro hac re refert Sorb. *in Addit. ad Compend. Priuileg. Mendicant. verbo Reformatio*; quod scilicet *Reformatio fieri debet non secundum vsum, sed iuxta Regulam promissam.* Vide alia 4. *t. v. Reformati Regulares*, & quoad reformationem habitus Religiosorum Bordonum *Resolut.* 33. *numero* 63. 188.

Quartum, continet etiam prohibitionem de non inferendo aliquas iniurias, vel grauamina Seruitis ad effectum amotionis à suis domibus. Per quæ possunt intelligi tam iniuriæ verbis illatæ, quam opere ipso. Et pro Priorib. extat aliquo modo simile priuilegium Leonis X. in Bulla vnionis pro Mino- 189.

Minoribus, vbi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, & Papæ reseruata præcipit, ne aliquis ex Fratribus Minoribus appellet alium *Priuilegiatum, Collectaneum, Ballistam, Amadeitam, Clarenum, de Euangelio, seu de Caputio, seu Bigotum*, aut alio nomine irrisorio, aut iniurioso. Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Obseruantes Fratres num.7.* Corduba *in Annotat. ad idem Compend. verbo Reformatio.* Hæc ergo, & similia iure optimo prohibentur à Summis Pontificibus ad compescendum aliquos reformatos, qui parum in humilitate, & charitate fundati alios non reformatos eiusdem Ordinis nominibus iniuriosis, & nouis appellare solent, sæpiusque vt eorum occupent Monasteria. Pro posterioribus verò iniuriis, seu grauaminibus opere illatis, scilicet oneribus, & gabellis imponendis Religiosis de quibus loquitur Pontifex in hoc priuilegio, consule dicta *tom.3. verbo Gabella quoad Regulares.* Vbi etiam *num. 19. & tom. 4. verbo Negotiatio quoad Regulares*, qualiter ad solutionem dictorum onerum, seu gabellarum teneantur quando negotiationem exercent, quod etiam tangit Pontifex in hoc priuilegio illis verbis, *Ac negotiationis causa non deberent.*

190 Quintum præterea, continet præceptum Seruitis factum de acquiescendo Reformationibus factis à suis Prælatis, illasque obseruando, & laicis de non se intromittendo in ipsis, aut illis se opponendo, aut quærendo, vt postquam factæ sunt, alterentur, vel mutentur sub irritationis pœna, & dicta sententia excommunicationis latæ sententiæ. Pro quo vide dicta à simili in Mari magno Carmelitarum *circa d.§.26.*

Circa §. 60.

191. COncEdit etiam Pontifex hoc loco, vt neque per litteras Sedis Apostolicæ, aut eiusdem legatorum, vel subdelegatorum possint compelli Fratres Seruitæ ad litterarum ipsarum executionem, citationes, commissiones, promulgationes, &c. nisi de præsenti indulto, & ipsis Fratribus fiat specialis mentio. Cui etiam simile priuilegium habent Prædicatores in eorum Mari magno §.17. Minores §. 15. & 17. Carmelitæ §.35. & 88. Vbi de hac materia actum est.

Circa §. 61.

192. CVm supra §. 23. Martinus V. concessisset Seruitis, quod in quibuscunque locis, in quibus Monasteria haberent possessiones sufficientes pro victu Fratrum non habentes ad instar Mendicantium eleemosynas, & suffragia petere possent, hoc extendens Innocentius VIII. decernit, vt in prædictis locis possint id facere, absque vlla quota, vel portione, vel onere soluendi, inhibens sub excommunicationis latæ sententiæ pœna omnibus tam Ecclesiasticis, quam laicis ne cogant dictos Fratres ad aliquid soluendum ratione mendicitatis, aut eleemosynarum prædictarum, aut illos propterea impedire præsumant.

193. Huic priuilegio saltem ex parte consonant plura alia, de quibus egi in Bulla *Aurea* §.5. pro Prædicatoribus, & Minoribus, & in Mari magno Eremitarum S. August. §. 15. & Carmelitarum §. 70. ac etiam Seruitarum §. 23. Quibus in locis, & aliis ibi citatis plura ad intentum. Maxime etiam consonat priuilegium Alexandri IV. pro Fratribus sanctæ Mariæ de Mercede *in Bullario huius Ordin. Bulla* 4. vbi Pontifex præcipit omnibus Ordinariis, quatenus Presbyteris ipsorum potestati subiectis iniungant sub pęna priuationis officij, & beneficij, vt de eleemosynis ipsis Fratribus concessis *nihil ab eis exigere, vel extorquere præsumant.* Item priuilegium Leonis X. pro Minoribus, quod refert Cassarubius *in priuilegiis Mendicantium verbo Eleemosyna num.15.* in quo sub grauibus pœnis, & censuris præcipit, ne impediantur Fratres ad exigendum eleemosynas, vel ipsarum medietatem alicui concedendam.

Vtilia valde esse huiusmodi priuilegia pro Regularibus; præsertim quoad hoc quod de eleemosynis sibi concessis non teneantur partem aliquam, siue decimam, Prælatis Ecclesiarum exhibere, constat ex eo quod in ea quæstione an de iis bonis, quæ per liberam donationem seu largitionem acquiruntur, debeantur decimæ; variæ, ac diuersæ sunt Doctorum sententiæ, quibusdam asserentibus, scilicet Hostiensi, Syluestro, & quibusdam id negantibus, videlicet Valentia, Suarez, & alij; quibusdam verò media via procedentibus, vt Barbosa *lib.3. Iur. Ecclesiast. cap. 26. §.1.* & Fagundez *in quinto Ecclesiæ precept. lib. 1. cap. 2.* apud quos de huiusmodi quæstione. Vt ergo in hac opinionum varietate Religiosi non molestentur in solutione alicuius decimæ, seu quotæ de eleemosynis sibi concessis, vtilia sunt præfata priuilegia, quidquid sit de prædictis opinionibus. 194.

Adde ad maiorem abundantiam, quod quicquid sit an liberaliter donantis debeatur, vel non dicta decima, vel quota, nihilominus, quòd de eleemosynis concessis Religiosis non debeatur, adeò certum est, vt oppositum videatur absurdum, vtporè à nemine assertum, & contra rationem, cum omnino inconueniens videatur pauperibus seu ex eleemosynis viuentibus tales onus imponere. Vt bene Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. de Diuino cultu c.31. num.9.* & Fagundez *supr. num. 11.* 195.

Circa §. 62. & 63.

COnceditur hoc loco Seruitis communicatio prærogatiuarum concessarum quatuor Ordinibus Mendicantium, videlicet Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum. Quæ porro sint istæ prærogatiuæ, non explicatur à Pontifice alio modo, quam dicendo *quod de cætero fratres Seruorum locum habeant sermonem faciendi in Capella nostra Epiphaniæ, & quintæ Dominicæ Quadragesimæ de Passione nuncupatæ diebus*, ex quo colligi videtur ex vi huius priuilegij solum concedi ipsis facultas faciendi sermonem in Capella Papæ dictis diebus singulorum annorum, sicut etiam habent Prædicatores pro prima Dominica Aduentus, & Quadragesimæ; Minores alternatiua seruata inter Conuentuales, & de Obseruantia, pro secunda Dominica Aduentus, & etiam Quadragesimæ; Eremitæ S. Augustini pro tertia Dominica Aduentus, & etiam Quadragesimæ; ac Carmelitæ pro quarta Dominica Aduentus, & Quadragesimæ. Isti enim sunt sermones de iure, & consuetudine assignati his Religionibus in Capella Papæ, provt ex verbis etiam Pontificis in hoc priuilegio desumitur, dum dicit, Seruitis assignare dictos dies pro sermone faciendo, *provt alij dictorum Mendicantium Ordinum fratres suis loco, & tempore habent.* Quod etiam priuilegium de Mendicantibus sermonem habitutis 196.

habitoris in Capella Papæ dictis diebus habetur in libro Rituum Ecclesiasticorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub Leone X.

Circa §. 64.

197. STatuitur hoc loco, vt nullius cuiusuis consuetudinis prætextu, vel aliquo quouis modo pro consecrationibus Ecclesiarum, vel altarium, Oleo sancto, & aliis Ecclesiasticis Sacramentis aliquid petere, vel extorquere præsumat; quinimo Episcopi prædicta liberè & gratiosè impendere teneantur (*salua tamen refectione consueta in prandio, vel in cœna in consecrationibus Ecclesiarum, vel Altarium*) alioquin si id facere recusauerint, aut Sedes Diœcesanorum vacauerit, liceat Seruitis consecrationes, & Sacramenta à propinquiori, seu quocunque alio Catholico Antistite, petere atque recipere.

198. Concessa hæc etiam sunt Eremitis S. Augustini in ipsorum Mari magno §. 17.18.19.& 21.& Carmelitis in ipsorum etiam Mari magno §.24. *&* 77. ac partim Prædicatoribus in Mari magno §. 8 & Minoribus §. 6. quibus in locis, & aliis ibi relatis de hac materia egi.

199. Nota tamen circa clausulam illam *Salua tamen refectione consueta in prandio*, &c. merito additam esse à Papa in hoc priuilegio ad tollendos scrupulos simoniæ, qui propterea insurgere possent. Vnde etiam Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Reformat. cap.* 3. Episcopo visitanti suam Diœcesim provt tenetur, quamuis prohibeatur munerum receptionem, addit verò, *exceptis tamen victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non vltra, erunt ministranda.* Vbi *victualium* nomine intelligi debent ea quæ consistunt in victu, non tamen in aliis necessariis, vectura scilicet equorum, & similibus. Zerola *in prax. Episcop. p.* 2. *verbo Visitatio* §.6. Piasecius *in simil. prax. Episcop. p.*2. *cap.*3. Genuensis *in Man. prælat. cap.*35. *num* 9. *&* 10. Stephanus Vveyms *Constit.* 17. & Barbosa *de offic. & potest. Episcop Allegat.* 73. *à num.* 57. *& in locum Concilij relatum.* Quæ omnia suo modo ad præsens institutum deseruiunt.

Circa §. 65.

200. INdulget etiam Pontifex sub hoc §. Generali Ordinis Seruitarum pro tempore existenti, vt pensatis circumstantiis personarum, temporum, & locorum, possint cum subditis, in ieiuniis, & abstinentiis Regulæ; ac in esu carnium, præterquam tempore Quadragesimæ; item quod percipiant, & habeant ad vsum, & vsumfructum ea quæ ipsis relicta, vel donata fuerint, aut iure hæreditario aut alio quocunque ad eos pertinuerint.

201. Nota primò, hoc priuilegium, quod non video in Mari magno aliorum Mendicantium expressum, dici posse esse explicatiuum iuris communis Prælatorum, cum iuxta dicta *tom.* 1. *cap.*7. *num.* 29. *& cap.*18. *num.*64. possint iure communi dispensare cum suis subditis in Regulæ Obseruantiis. Quod etiam ex Sancto Thoma, Caietano, Soto, Rodrig. Nauarro, & Suarez admittit Tamburinus *de Iur. Abb. tomo* 3. *disp.* 4. *quæst.*7. *num.*6. Addens *num.*7. post Sanchez, & Portellum, potestatem hanc amplè interpretandam esse, & posse aptari casibus expressis, & inclusis in expressis. De quo tamen, & aliis spectantibus ad hanc materiam vide dicta locis relatis, & 3. *tomo verbo Dispensare, & dispensatio per tot.* Addendum præterea, facultatem istam posse tolli Generali à Capitulo generali, propter dicta sæpius, scilicet quod Capitulum generale est superius ipso Generali, & quemlibet superiorem posse non solum tollere priuilegia concessa inferioribus, sed etiam limitare, & coarctare ea, quæ ipsis inferioribus etiam de iure communi competunt. Tamburinus *supra num.*15. *&* 16. Non obstante autem, quod prædicta auctoritas iure communi competat Prælatis, non tamen propterea censentur superflua hæc, & alia similia priuilegia, nam explicant magis potestatem Prælatorum ad tollendos scrupulos, vel concedunt aliquam circunstantiam, peculiarem, ad quam non videbatur extendi. Vide Cordubam *in Annotationibus ad Compendium priuilegiorum Mendicantium verbo dispensatio*, & Tamburinum *supra quæst.*8. *num.*2. *& sequentibus* ac dicta in Mari magno Carmelitarum §.9.

Circa facultatem illam concessam Generali ad dispensandum cum subditis, vt habere possint ad vsum, seu vsumfructum illa, quæ ipsis donata, seu relicta fuerint: nota secundò, facultatem istam quoad bona stabilia sublatam esse à Concil. Trid. *sess.* 25 *de Regularibus cap.*2. vbi expresse decernitur ne *deindeps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam.* Quoad bona verò mobilia etiam vacare videtur huiusmodi priuilegium, seruentur quæ tradit idem Conc. loco relato, videlicet quod ea *tradantur Superiori, Conuentuique incorporentur*, licet eorum vsus permittatur *quatenus statui paupertatis conueniat.* De quibus latè *tomo primo cap.*6 *per tot.* Vnde sententia plurium Doctorum asserentium etiam post Concilium licitum esse habere aliquod peculium ad nutum superiorum reuocabile, & ad solos vsus honestos, & legitimos, provt tenent plures relati à Barbosa *in dictum locum Concilij*, quos etiam sequuntur Diana *parte prima tract.*6. *Resol.* 32. Bordonus *Resol.* 43. *num.*51. Tamburinus *de Iure Abb. tom.*2. *disp.*22. *quæst.* 5. & alij, admitti non debet, propter decreta Concilij adducta, & maximè propter decreta Clementis VIII. & Vrbani VIII. quæ retuli eo *cap* 6. *num.* 8. & declarationes S. Congregationis relatas eo loco *num.*14. *&* 19 quæ aliqui ipsorum non viderunt, alij verò non curasse videntur; his enim decretis, & declarationibus explicatur mens Concilij, quod scilicet, neque peculium à Superiorum nutu reuocabile, aut ad solos vsus honestos permitti possit. Excipe casus adductos eo *cap.* 6. *num.* 21. *&* 22. scilicet quando Religio aliter prouidere non potest Religiosis, & cum conditionibus ibi adductis. Vide quoque dicta in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 7. *num.*101. 202.

Tertiò circa illud verbum *hæreditario*, quo vtitur Pontifex, nota, ex eo colligi, posse istos Religiosos succedere iure hæreditario in bona temporalia, non quidem quod ipsi in particulari ea sibi adquirant, sed Monasterio, iuxta dicta in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 26. *num.* 79. & Carmelit. *circa* §. 26. *num.* 72. ex aliis priuilegiis ibi adductis. 203.

Prætereà notandum facultatem hoc loco concessam Generali ad dispensandum cum subditis videre delegabilem ab ipso, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 4. *& supra in Mari magno Minorum circa* §.40. est enim facultas competens ex priuile- 204.

gio perpetuo, & non concessa personæ, sed dignitati, vel officio, ac per consequens non vt nudum ministerium, sed ad instar iurisdictionis Ordinariæ. Quando enim conceditur aliquid perpetuò dignitati, vel officio, tribuitur iurisdictio, & non nudum ministerium, vt docent Bar.t *l. ambitiosa, num.34.ff. decret. ab ord. fac.* Ioan. Andr. *addit. ad Speculatorem tit. de legato §. vltim. ad fin. vers. incipienti legatus est Ordinarius.* Bald. *cap. fin. n. vnico de offic. Ordinar.* & ibi Imol. *ad fin.* Syluestr. *verbo Delegatus quæst.* 8. *dicto* 11. Cac. 3. *var. cap.* 20. *num.*6.*initio*, *& num.*9. *fi. & num.* 10. *initio*, & ex Theolog. Compendium mendicantium *verbo Absolutio Ordinaria quod Fratres ad fin. dub.* 2. Passarellus *Compend. Minimorum cap.* 15. Henriquez *l.*13. *de excom. cap.*24.*num.*2. Sanchez *lib.*2.*de matrimonio disp.* 40. *num.* 14. plures alios referens. Obstare tamen videtur clausula illa quæ est in hoc priuilegio, scilicet: *Siue discretio prædicti, & pro tempore existentis Generalis*, &c. Quando enim aliquid committitur alicui cum ista clausula *Discretioni tuæ mandamus*, tunc censetur electa industria personæ, & illi commissum nudum ministerium, vt habent Mascardus *de probat. conclus.*594. *num.*3. Marcus Antonius *ver. resol. lib.* 2. *resol.* 89. *num.* 2. Mart. *de clausu. parte* 1. *claus.* 199. *num.* 3. Barbosa *in collect. Doct. in cap. fin. de offic. & potest. Iudic. delegati num.*11. Nihilominus; tenendum est id quod dixi, nam illa clausula non ponitur à Pontifice assertiuè, aut absolutè, sed solum narratiuè, & disiunctiuè, postea conceditur d. facultas *iuxta arbitrium conscientiæ*, quæ est conditio vniuersalis, quæ inest in simibus concessionibus.

Circa §. 66.

205. STatuit præterea Pontifex, vt nullus Religiosus Ordinis Seruitarum habens aliquod beneficium, aut aliquam pensionem, vel capellanias Seruitiales etiam parui valoris, habeat locum, victum, vestitum, vocem actiuam, vel passiuam, aut aliquod officium, administrationem, vel Prælaturam in Ordine, nisi id Generali videbitur, aut ex speciali Sedis Apostolicæ licentia ei fuerit indultum.

206. Similia fermè priuilegia habentur in Mari magno Carmelitarum *circa* §.32. & 104. quæ aliquo modo cum istis conueniunt, & alio diferunt, licet per communicationem priuilegiorum inter Mendicantes omnia omnibus sunt communicabilia. Idem dico de alio simili etiam priuilegio pro Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla *Aurea* dicta §. 7. Quibus in locis, & aliis ibi relatis de hac materia egi. Præter dicta autem ibi, vlterius notandum, quod quemadmodum *circa d.* §. 32. dixi ex illo priuilegio colligi posse Religiosos capaces esse beneficiorum siue Regularium, siue sæcularium, sic etiam in præsenti dicendum ex hoc priuilegio colligi esse capaces pensionum super fructibus, & redditibus illorum beneficiorum ex Romani Pontificis dispensatione, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.*2.*num.*20.*& cap.*18.*num.* 37. vbi etiam, an sine illa quoque sint capaces pensionis impropriè dictæ, quæ scilicet non imponitur super beneficia, sed super eos, qui illa habent.

207. Nota præterea, quod quamuis per obtinentes *Capellanias Seruitiales*, vt loquitur Pontifex in hoc priuilegio, intelligi possint parochi, seu Curati, iuxta facta supra in hoc Mari magno *circa* §.39. nihilominus quia condistinguit illos ab obtinentib. beneficia etiam Curata, & pensiones, ideo per illos intelligi credo eos, qui in aliqua Capella, Oratorio, aut altari deseruiunt, Missas ibi celebrantes, aut diuinis officiis assistentes designato stipēdio, de quibus Gonzalez *ad Regul.*8. *Cancell. gloss.*5. & Barbosa *de Iure Ecclesiastic. lib.*3.*cap.*5.*per totum.* Apud quos plura de huiusmodi Capellaniis, & ipsarum Capellanis.

Item nota Iulium III. litteris sub signatura datis, quæ habentur in Bullario Laertij in hoc Pontifice *num.* 8. statuisse, vt Fratres huius Religionis beneficia aliqua Ecclesiastica etiam Regularia aliorum Ordinum in titulum, vel commendam habentes, aut officium Pœnitentiariæ exercentes, non possint in domibus Ordinis degere, aut commorari, seu Officia, & Prælaturas obtinere, aut priuilegiis, & indultis, seu voce actiua, & passiua potiri, inhibens etiam ipsis, ne de cætero habitum dimittere, aut ad alium Ordinem laxiorem se transferre, aut nisi beneficia Ecclesiastica, aut officium Pœnitentiariæ exercuerint, extra domos Ordinis manere præsumerent sine sui Superioris licentia in scriptis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna; præcipiens quoque sub eadem excommunicationis pœna Superioribus, vt hanc Constitutionem publicarent, & executioni mandarent. 208.

Quid importent verba illa *officium*, *administratio*, *Prælatura*, quibus hi Pontifices in his priuilegiis vtuntur, habes ex dictis *tom.*2. *cap.* 13. Quid etiam vox actiua, & passiua, dixi *tom.*4.*verbo Pœna Ecclesiastica num.*10. *&* 11. *& verbo vox actiua, & passiua.* Quod verò verba illa Bullæ Iulij III. *priuilegiis, immunitatibus, & indultis Ordinis* gaudere non possint, piè intelligi solum debeant de priuilegiis, indultis, &c. quæ in damnum, & incommodum Religionis redundant, non verò de aliis, commodum priuatum concernentibus, dixi *tomo* 1. *cap.* 17. *num.* 18. & supra in Bulla *Aurea* dicta *circa* §.7. 209.

Circa §. 67.

COnceditur hoc loco Seruitis, ipsorumque Ordini amplissima communicatio priuilegiorum Ordinum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. August. & Carmelitarum, sicut eisdem Ordinibus ad inuicem concessa fuit, Prædicatoribus siquidem in eorum Mari magno §. 52. Minoribus §. 51. vtriusque in Bulla *Aurea* dicta §.19. Eremitis S. Augustini §. 52. & Carmelitis §. 105. Quibus in locis, & aliis ibi relatis plura de hac materia dicta sunt. 210.

Vlterius nota, quod quamuis Scholiastes huius Maris magni in libro cui titulus est *Mare magnum Fratrum Seruorum pag.*74. dicat per hoc priuilegium concedi etiam Seruitis priuilegia non solùm concessa, sed etiam concedenda Ordinibus Mendicantium, id tamen non est verum, vt legenti constabit. Quia tamen Iulius III. in Bulla *Exponi nobis*, quæ habetur *in d. lib. pag.*156. & in qua confirmat hoc Mare magnum, concedit Seruitis omnia priuilegia concessa Prædicatoribus, Minoribus, Eremitis S. Augustini, Carmelitis, & Minimis, ac aliis quibuscūq; Ordinibus, cum nos Carmelitæ habeamus ex Clem. VII. communicationem omnium priuilegiorum concessorum, & concedendorum Mendicantibus, & non Mendicantibus Ordinibus, iuxta dicta locis relatis ex Mari magno Prædicatorum, & Carmelitarum, ideo etiam 211.

etiam hac generalissima cõmunicatione frui possint Seruitæ. Præsertim cum Leo X. in Bulla dudum *in 1. tom. Bullar. in hoc Pontifice num. 32.* concesserit omnibus Mendicantibus communicationem priuilegiorum concessorum, & concedendorum iuxta dicta illis locis.

212. Nota præterea, quod Iulius III. in Bulla relata dum concedit Seruitis communicationem omnium priuilegiorum concessorum Mendicantibus, & aliis Ordinibus, loquitur etiam de *viuæ vocis oraculo in genere concessis*, quod est magnum priuilegium, siquidem extenditur etiam ad viuæ vocis oracula, quod non sæpe, sed raro fit in similibus communicationibus priuilegiorum. Quæ sint autem ista priuilegia Prædicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Augustini, & Minimorum, quæ communicantur Seruitis, consule dicta in Mari magno Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum Sancti Augustini locis relatis, quoad Carmelitarum priuilegia ipsorum Mare magnum, quod maximum est inter alia Mendicantium, Compendia nostri Ordinis, Bullam Clem. VII. quæ extat in Bullario Laertij *in hoc Pontifice n. 31. in tom. 1.* Cassarubium *in Compendio priuil. Mendicant.* Rodriguez *in suo Bullario*, ac Bullam aliam Sixti IV. quæ etiam appellatur *Mare magnum* & habetur in nostro Speculo Ordinis, in Bullario Rodriguez *in Sixto IV.* Bulla 38. & in Bullario Fratrum S. Mariæ de Mercede *pag. 146.*

213. Quomodo autem communicatio priuilegiorum inter Mendicantes sit tanta, vt possit Mare magnum, & Bullas vni Ordini illorum concessa, in nomina aliorum, cui communicantur transferre ex priuilegio Iulij II. pro Minimis in eorum Mari magno *circa* §. 34.

Circa §. 68.

214. HIc ponuntur pœnæ, ipsæque grauissimæ contra inquietãtes, seu molestantes Religiosos istos in horum priuilegiorum executione, aut eos cogentes ad aliquid faciendum contra ipsa, vel auxilium, consilium, vel fauorem ad id dantes, quemadmodum etiam idem reperitur in Mari magno Prædicatorum §. 53. Bulla *Aurea* appellata §. 10. Mari magno Minorum §. 52. Eremitarum S. Augustini §. 53. & Carmelitarum §. 106. Quibus in locis, ac aliis, quæ ibi retuli, de hac materia actum est.

Circa §. 69.

215. COnstituuntur hoc loco à Pontifice Iudices Apostolici, & Conseruatores pro executione priuilegiorum, quæ in hoc Mari magno continentur, omnes in dignitate Ecclesiast. constituti, & Canonici Metropolitanæ, seu Cathedralis Ecclesiæ cum amplissimis clausulis similibus iis, quæ habentur in Mari magno Prædicatorum §. 54. Minorum §. 53. Eremitarum S. Augustini §. 54. & Carmelitarum §. 107. quibus in locis, ac maximè *tom. 2. cap. 10.* vbi de Conseruatoribus egi, ea quæ pertinent ad illos, discussa manent, & an, & quomodo iis temporibus post Constitutionem Gregorij XV. eorum authoritas limitata, seu coarctata sit.

216. Circa syndicos Romanæ Ecclesiæ, quibus correspondent in iis Religionibus Procuratores, & de quibus est sermo in hoc priuilo, præter dicta in Mari magno Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini, ac *tomo 4. verbo Procuratores Religionum*, vlterius nota, dictos Procuratores Religionum posse appellari syndicos, prout colligitur appertè *ex cap. vnic. de syndico*, vbi syndicus appellatur Procurator constitutus à Monasterio pro suis negotiis forensibus tractandis. Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resol. 119. n. 8.* Imo etiam possunt dici syndici Rom. Ecclesiæ, aut Sedis Apostolicæ, siquidem bona Religiosorum, Mendicantium præsertim, specialiter pertinent ad Sedem Apostolicam, iuxta dicta sæpius in præcedentibus, & tales Procuratores, maximè Procuratores Generales, instituuntur cum magna authoritate ex priuilegiis Sedis Apostolicæ, iuxta dicta eo vèrbo *Procuratores Religionum num. 5.* Accedit, quod cum *Syndicus* Græcè idem sit quod *defensor*, teste Glossa *in d. cap. vnic. de syndic.* cum Procuratores ordinum instituti sint ad eos defendendum, procusdubio syndici etiam appellari poterunt. Hieronymus Rodriguez *supra* ex aliis.

Circa §. 70.

NOn obstantiæ amplissimæ, quæ habentur in hoc loco, sunt similes illis, quæ extant in Mari magno Prædicatorum §. 55. Minorum §. 54. Eremitarum S. Augustini §. 55. & Carmelitarum §. 108. quibus locis, & aliis ibi citatis plura dicta sunt ad intentum. 217.

Addendum est pro complemento, clausulam illam positam in hoc, & similibus priuilegiis, scilicet, *& quæcunque alia, quæ in futurum per nos, vel sedem Apostolicam quomodolibet concedi, statui, vel ordinari contra præsentium litterarum tenorem, &c. irrita, & inania, &c. decernimus*, qua Pontifex declarat non posse contraueniri huiusmodi priuilegiis à se, vel ab aliis Successoribus, non esse inutilem aut superfluam. Et si enim verissima sit Regula illa iuris, quod *Par in parem non habet imperium l. nam, & magistratus ff. de recept. arbitr. l. ille, à quo, §. tempestiuum ff. ad Trebell. c. inferior, cap. deniq; 21. dist. c. innotuit 20. §. quamuis de elect. c. de locato* Clarus §. *fin. q. 38. num. 3. vers. quæro pone.* Bart. Perett. *ad Extrauag. Ambitiosæ de rebus Ecclesiast. non alien. verb. prædecessor. num. 5. p. 226.* Rebuffus *tom. 1. ad leges Galliæ, tract. de euocat. num. 46. p. 265.* cui Regulæ videtur derogari per istam clausulam, si quidem per illam veluti ligantur manus Pontificum successorum, ne faciant aliquid contra dicta priuilegia, nihilominus, vt dixi, non est inutilis, aut superflua: eo quod, & si idem Pontifex qui priuilegia concedit, & successores ipsorum possint illa reuocare, non tamen censentur id facere, etiam si aliquid ordinent, aut præcipiant in contrarium, nisi expresse illis derogent. *cap. cum ordinem.* de *rescript.* Doctores *ibidem* communiter, & Suarez *de leg. lib. 8. c. 39. n. 3.* Quod adeo est verum, quod rescriptum impetratum contra priuilegiatum non præiudicat ipsi, nisi de priuilegio fiat mentio. Freitas *in cap. 1. num. 14. vers. tertio restringe*, Beroius *num. 72. hoc tit.* Abbas *in cap. ex parte, il 1. num. 2.* & Socin. *num. 11. de priuil.* Rebuffus *in prax. tit. differentiæ inter rescripta gratiæ, & iustitiæ, ex num. 21.* Estque hoc priuilegium iure communi competens Cisterciensibus *cap. cum ordinem* relato, ac proinde etiam aliis Religiosis communicantibus cum ipsis in priuilegiis, quales sunt Mendicantes. Quæ autem expressio priuilegij, sufficiat ad ipsius derogationem, dixi supra in Mari magno Minorum *circa* §. 15. 16. & 17. 218.

Circa

Circa §. 71.

219. STatuit hoc loco Pontifex, vt transumpto authentico huius Maris magni ea fides indubia adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis litteris originalibus, si exhiberentur, vel ostenderentur. Pro quo vide dicta in simili piuilegio Prædicatorum in eorum Mari magno *circa* §. 56 Minorum *circa* §. 54. Eremitarum S. Augustini *circa* §. 56. & Carmelitarum *circa* §. 108.

220. Præter quæ circa clausulam illam *volumus*, & *decernimus*, nota posse dici eam inducere ius nouum, & declarare antiquum. Etenim dictio *volumus* hunc effectum habet, vt post Glossam *in Clement.* 1. *de rerum permut.* & Abbatem *in cap. Sedis Apostolic. de rescript.* ac Barbat. *in Clement. litteras. in* 4. *col. de rescript.* tradit Flamin. Paris. *de confident. benef. quæst.* 58. *num.* 44. *in fine.* Quod potiori iure dicitur de dictione illa *decernimus*, iuxta gloss. *in cap. eos, de sentent. excommun. lib.* 6. *Clement.* 1. *de causa possess. & propriet. Clement.* 2. vbi Gloss. *verb. decernimus, de rebus Eccles. non alienand.* Flamin *de resig. lib.* 13. *q.* 2. *num.* 3. Et quod inducit nouum ius & declarat antiquum, post Abbatem & Decium *in cap. decernimus de iudic.* & Gloss. *verb. decernimus, in Clemen. per litteras de preben.* tradit idem Flamin. Paris. *de confident. benefic. q.* 58. *num.* 44. Barbosa *de dictionibus, diction.* 79. *num.* 1. & 2. An verò huiusmodi dictiones *volumus*, & *decernimus* importent necessitatem præcepti, variant Doctores, de quo ex ipsis Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 40. & 41.

221. Dubitari autem potest circa hoc priuilegium, an nomine *Notarij publici*, cuius transumptioni horum priuilegiorum Pontifex vult adhiberi fidem, intelligi possint Notarij, qui à Regularibus institui possunt, iuxta priuilegium Pij V. pro Prædicatoribus, quod retuli *tom.* 4. *verbo Notarius Regularis num.* 6. Et videtur quod sic, propter amplissima illa verba, in quibus concedit illis facultatem, vt possint iuxta *mandatorum, concessionum, indultorum, priuilegiorum, & rescriptorum huiusmodi formam, continentiam, & tenorem, monere, & requirere, aliaque omnia, & singula circa ea requisita, & opportuna facere, agere, exercere, & exequi, ac de eisdem omnibus, & singulis publicos, & publica, actus, & instrnmenta coram testibus adhoc requisitis conficere, & stipulari, ac in notam redigere, vt exinde, semel, vel pluries, prout ad id requisiti fuerint, vnum, vel plures, ac plura, publicos, & publica actus, & instrumenta, quibus eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra, ac vbique, ac si per alios quoscunque publicos, & authenticos, rogatos Notarios stipulata, confecta, & publicata, & authenticata fuissent, conficere, & debitis signis, & characteribus subscribere, publicare, & authenticare,* &c. Quibus accedit, quod cum libris campsorum, mercatorum, vel similium plena fides adhiberi soleat, & consuetudo, vel lex id statuens valida sit, vt resoluunt Viuianus *tom.* 1. *commun. opin. lib.* 4. *tit.* 11. *num.* 316. Mascardus *de probat. concl.* 973. *num.* 16. Surdus *decis.* 312. *num.* 3. Stephanus Gratianus *discreptat forens. cap.* 171. *num.* 2. Couarruuias *practic. cap.* 22. *num.* 8. *in fin.* & ex ipsis Barbosa *in Collect. DD. in cap. cum dilectus de fid. instrument. num.* 6. iuxta mentem ipsius *cap. cum dilectus* illis verbis, *Quod si consuetudo*, maiori ratione id dici debet de instrumentis stipulatis, seu confectis à notariis Regularibus. Præsertim, cum libris ratiocinariorum Monasteriorum Regularium scriptis manu notarij monachi, vel Monialis fides etiam adhiberi soleat. Rodriguez *in Addit. ad Summ. tom.* 4. *cap.* 58. *num.* 11. alter Rodriguez *in Compend. Resol.* 100. *num.* 5. ex aliis, quibus iungitur Quintana Dueñas inferius referendus.

Dubitari similiter poterit, an nomine *Notarij publici* intelligi necessario debeat Not. Apost. seu Ecclesiast. aut fori Eccles. an vero possit intelligi Notarius Cæsarius, Regius, sæcularis, & solum pro foro sæculari designatus. Et quidem, licet videatur dicendum sufficere Notarios fori sæcularis; cum Pontifex dicat: *Cuiuscunque Notarij publici*, non exprimendo, quod sit fori Ecclesiastici, & *lex generaliter loquens generaliter sit intelligenda*, vt habetur ex *l. pretio ff. de public. in rem act. l. in fraudem* §. *vlt. ff. de testam. mil. l.* 1. §. *generaliter ff. de leg. præst. l.* 1. §. *quod autem ff. de aleat. l. fin. in fin.* vt tenet Quintana Dueñas *in tract.* 3. *Iubilæo dub.* 6. apud quem alia ad intentum. Nihilominus quia causa ista Ecclesiastica est, & in ea agitur de re spirituali, scilicet priuilegiis Regularium personarum, ideo dicendum requiri quod tales Notarij sint Apostolici. *argum. cap. fin. de fid. instrum.* vbi Doctores, specialiter Ioan. Andr. *num.* 7. Abb. *num.* 9. Felin. *num.* 3. & 4. & Rota in Patauina *Decimetta* 10. Martij 1603. coram Coccino *decision.* 101. 222.

MARE MAGNVM MINIMORVM.

IVLIVS *Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Francisco de Paula Generali, & Prouincialibus, Correctoribus, & vniuersis Fratribus Ord. Minimorum salutem, & Apostolicã benedictionem. Virtute conspicuos Sacri Ordinis vestri professores, qui contemplationi cœlestium feruenter inuigilant*, &c. Omitto alia, quæ habentur in hoc Mari magno, seu Bulla Iulij Secundi, quia eadem fermè ad pedem litteræ, etsi cum aliqua altetatione in patagraphis, & mutatione verborum circa personas Prælatorum, & Fratrum Ordinis Prædicatorum, ac Ordinis Minimorum, habentur in Bulla Gregorij Vndecimi, quæ extat inserta in Mari magno Prædicatorum *à num.* 1. & *sequentibus.* Hoc verò diploma Iulij II. seu Mare magnum Minimorum datum fuit Romæ apud S. Petrum Quinto Kalend. Augusti anno 1506. Pontificatus eiusdem Iulij an. 3.

COMMENTARIVS IN MARE MAGNVM MINIMORVM.

SVMMARIVM.

Huius Maris magni Minimorum author Iulius II. num. 1.

Quis hic Pontifex. ibid.

Causa huius concessionis. ibid.

De

De huius Religionis laudibus,& excellentiis.num.2.
Generales electi sunt eo ipso veri Generales.n.3.
Alia priuilegia similia.n.4.
Notanda circa illa.ibid.
Generales amoueri possunt à Prouincialibus, & Vigilibus.n.5.
De simili aliarum Religionum priuilegio. n.6.
Dictio Indulgemus *quid importet.n.7.*
Vigiles,qui sint in Ordine Minimorum.n.8.
Regula Ordinis Minorum.n.9.& 10.
In electionibus Generalium, & Prouincialium tempus à Iure statutum non currit.n.11.
Quando procedit hoc priuilegium.num.12.
An possit Religio renunciare ipsi.ibid.
Prælati instituti etiam non per electionem exercent sua officia.num.13.
Quomodo intelligendum.n.14.
Lectores deputati absque alia licentia legere possunt. num.15.
Notanda circa hoc priuilegium.n.16.
Quid pro locis in quibus viget studium generale.n.17.
Decreta pro studiis linguarum.n.18.
Decretum Sacræ Congregationis de propaganda fide. num.19.
Vtile valde pro S.Ecclesiæ augmento. n.20.
Facultas suscipiendi Ordines à quocunque Episcopo. num.21.
An sit reuocata.num.22.
Qui intelligantur per Episcopos gratiam, & communem Sed. Apostolic. *habentes.n.23.*
De intelligentia linguæ Latinæ pro Ordinandis.ibid.
Facultas habendi Oratoria, & altare portatile. n.14.
An reuocata per Concilium Tridentinum.n.25.
Facultas commorandi in excommunicatorum terris. num.26.
Et petendi ab illis necessaria vitæ.ibid.
Clausula Nisi id vobis fuerit interdictum.*n.27.*
Quæ prohibita sint Christianis cum Iudæis.ibid.
Facultas Prælatis concessa ad absoluendum subditos à censuris, & dispensandum cum illis in irregularitatibus.num.28.
Quomodo intelligenda.n.29.
A quibus censuris,aut pœnis.n.30.
Quomodo competat passiuè ipsis Superioribus. n.31.
An in vtroque foro.n.32.
Quæ notanda circa illa.n.33.
Quid si sic absoluti discedant ab Ordine.n.34.
Quid de Nouitiis.n.35.
Quid de illis,qui volunt fieri Nouitij.n.36.
De clausula Etiam si super hoc eis induciæ concedantur.*n.37.*
In quibus casibus remitti debent Religiosi ad Sedem Apost.n.38.
Non possunt conueniri, aut cogi ad plura, quæ referuntur.n.39.
De hac materea remissiuè.ibid.
Prælati corrigunt prouisos quibuscunque personis, non coguntur Socios assignare, nec aliquis assumit Fratres pro suis negotiis.n.40.
De alio priuilegio Gregorij XI.n.41.
Prouisi extra Ordinem non admittuntur in Capitulis. num.42.
Quid de Capellanis Principum.n.43.
Capellani Papæ,qui sint. ibid.
Quid de Designatis pro prædicanda Cruciata, & pro Inquisitoribus.num.44.
An maneat in sua vi hæc facultas.n.45.
Nullus professus discedere potest sine licentia, aut ab alio retineri. n.46.
De simili aliorum priuilegio.num.47.
Notanda circa illa. n.48.
Episcopi an excommunicari possint, aut suspendi. ibidem.
An tales discedentes sine licentia gaudeant priuilegiis suarum Religionum.ibid.
De Religiosis exeuntibus ab Ordine prætextu transitus ad alios,& non id facientibus.n.49.
De strictione Ordinis Minimorum.n.50.
Alia remissiuè.n.51.
Facultas procedendi contra apostatas. n.52.
Dom. Episcopi non suscipiunt eos sub sua protectione. num.53.
Quando censeantur id facere.ibid.
Apostatæ priuantur eis,quæ possident.n.54.
Culpa,& pœna cooperantium ad apostasiam. num 55.
Egressi ab Ordine non prædicant,audiunt confessiones, aut docent.n.56.
De simili concessione aliorum Mendicantium.n.57.
Quomodo proceditur contra id facientes.ibid.
An eiecti iam emendati, qui non recipiantur in sua Religione,debeant ad aliam transire. n.58.
Ad damnandi ad triremes, vel perpetuos carceres cogi possint ad transitum ad aliam Religionem. ibidem.
Facultas Prælatorum ad licentiandum Fratres ad alios Ordines,quibusdam exceptis.n.59.
Notanda circa hoc priuilegium.n.60.
De habitu huius Ordinis ab aliis non gerendo.num.61.
De simili aliorum Ordinum priuilegio.n.62.
Notanda circa illud.n.63.
Exemptio à decimis de hortis,& virgultis.n.64.
Facultas applicandi debita incerta volentium ingredi Religionem.n.65.
Quomodo vtile sit hoc priuilegium.n.66.
Alia notanda circa restitutionem incertorum.n.67.
Libertas sepulturæ in Ecclesiis Fratrum.n.68.
Dicta circa hoc priuilegium alibi.n.69.
Cur sepultura dicatur libera. n.70.
De indulgentiis lucratis à volentibus sepeliri in Fratrum Ecclesiis.ibid.
An in aliis locis præter Ecclesias, & cœmeteria possint Fratres sepelire defunctos.n.71.
Alia remissiuè.ibid.
Nullus sine assensu Fratrum in eorum Ecclesiis sepelitur,aut officia pro defunctis facit.n.72.
Quæ consonent huic priuilegio.ibid.
Pro tempore interdicti, & pro familiaribus priuilegia.num.73.
Alia similia pro aliis Mendicantibus.ibid.
Praxis Regularium pro eiiciendis excommunicatis,& interdictis.n.74.
Dare causam interdicto quod sit.n.75.
Confessiones Fratrum quibus faciendæ.n.76.
Num sit priuilegium hoc derogatum.n.77.
Necessitas articuli mortis an extendatur ad mortis periculum.num.78.
Existentes extra Conuentum non excusantur à confessione ratione alicuius notæ.n.79.
Prælatis Ecclesiarum prohibitum audire confessiones Fratrum. n.80.
An propterea tales confessiones sint inualidæ. n. 81.
An id fieri possint de licentia Superiorum Ordinis. ibidem.
De non cogendis Fratribus ad Synodos.n.82.
Nec ad subiacendum Constitutionibus Prælatorum Ecclesiarum.n.83.
Prohibentur Prælati Ecclesiarum facere Capitula, scrutinia,inquisitiones de Religiosis.n.84.
Aut exigere Obedientiam, seu fidelitatem ab ipsis. ibidem.

Monasteria

Monasteria Sedi Apost. subiecta immediatè quæ sint. ibid.
Exemptio à Canonica portione.num.85.
Aliud priuilegium Pauli III.n.86.
An legata possint commutari in alium vsum. n.87.
An bona Monasterium transferri possint in aliud Monasteriorum de licentia Superiorum. num.88.
An hoc sit alienatio prohibita.ibid.
Censuum impositio prohibita Regularibus.n.89.
Bona Regularium an hypothecari, seu obligari possint. num.90.
An propter hypothecam generalem deueniri possit ad executionem, seu subhastationem bonorum stabilium ex Rota decisione. n.91.
Notanda circa ipsam.n 92.
Omnis dispositio accipiendo in terminis habilibus. ibidem.
De permutatione bonorum Regularium sinè consensu Sedis Apost. n.93.
Stylus Curiæ an semper faciat legem.ibid.
Cum transferuntur Monasteria, an bona ipsorum transferri possint. .94.
Notanda circa hoc priuilegium.n.95.
De alio priuilegio Sixti V. & aliorum Pontificum. num.96.
An quando deseruntur Monasteria ipsorum bona tradi debeant fundatoribus.n.97.
Quando Monasterium supressum perdat sua priuilegia.num.98.
Exemptio à procurationibus, exactionibus, collectis, &c.ibid.
Declaratio casuum à quibus Superiores non absoluunt suos subditos.n.99.
De hac materia remissiuè.n.100.
An absoluant à simonia.n.101.
An dispensant in irregularitate ex mutilatione membrorum proueniente.n.102.
An cum lunatico, furioso, energumeno, & similibus. num.103.
De absolutione percussoris Fratrum.n.104.
Ampliatio priuilegij de decimis non soluendis. n.105.
Notanda circa ipsum.n.106.
An transeat ad colonos.n.107.
Quid si Religiosi habeant aliqua bona in emphyteusim, seu locationem.ibid.
Quid S.Rota deciderit.ibid.
Exemptio à cap.volentes. *n.108.*
Priuilegium Bonifacij VIII. vt Prælati Minimorum non teneantur in correctione Fratrum apices iuris, &c.n.109.
Priuilegia similia.n.110.
Ad quid tunc teneantur.n.111.
De non appellando à correctionibus.n.112.
Quomodo id intelligendum.ibid.
Alia remissiuè.n.113.
Exemptio Fratrum ab exactionibus, vel contributionibus faciendis Legatis, Nunciis, &c. 114.
Quæ notanda circa hoc priuilegium.n.115.
Tributum, vectigal, gabella, *& similia nomina quid importent.n.116.*
An Regulares cogi possint ad iurandum. n.117.
Litteræ Sedis Apostolicæ quot modis expediuntur in Curia.num.118.
Non obstantiæ appositæ.n.119.
Minimi habent communicationem priuilegiorum Mendicantium.n.120.
Possunt vti priuilegiis illorũ mutatis nominibus. ibid.
Concessa vni domui an alij communicentur.ibid.
Data litterarum Apostolicarum quomodo supputandæ.n.121.

QVEMADMODVM Sixtus IV. Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitar. Bullas, quæ *Mare magnum* appellantur, piè concinnauit, & Innocent.VIII.ipsius post Alexandr. VI. successor, Mari magni Seruitarum author quoque & compilator deuotus extitit, sic etiam Iulius II. Sixti nepos, & Innocentij successor Natione Italus, patria Sauonensis ex Genuensium ditione anno Dom. 1503. ad Pontificatum assumptus Ordini Minimorum deuotissimus ipsorum similiter Maris magni concionator voluit esse. Deuotionis erga hunc Sactum Ordinem casus dicitur fuisse, quod eius Sanctissimus Patriarcha Frãciscus de Paula eidem Iulio Thurone in Gallis agenti dixerit: *Cum eris Romæ sedebis in solio Petri, commendo tibi Religionem meam.* Quia ergo propheticæ prædictioni effectus correspondit, Iulij gratitudo erga sanctum, eiusque familiam diploma hoc, & plura alia concedentis correspondere decuit. Cu *Mare magnum* appelletur, habes ex dictis Mari magno Prædicatorum *in principio.* Extat porrò in Bullario Laertij *tom. 1.* inter Bullas huius Pontificis *num.*10 & in Bullario Rodriguez *in Iulio II. Bulla 6.* item inter priuilegia Ordinis Minimorum à Casparo Passarello Generali Correctore collecta *fol. 34.* vbi dici conformatum, & corroboratum postea fuisse à Leone X. Adriano VI.ac apud Laurentium de Peirinis eiusdem etiam Ordinis *in tom.1.priuil. Minimor.inter Constit. Iulij II. Constit.2.* 1

De huius autem Sacræ Religionis institutione, excellentia, & vitis illustribus sanctitate, & doctrina agunt Paulus Morigia *de Orig. Relig.lib.1. cap.49.* Siluester Marullus *in Oceano Relig.lib.5.* Hieronimus Roman. *de Republ. Christian.lib.6. cap.31.*Petrus Opiner *in Oper. Chronol. tom.1.ann.* 1458. Gualterius *in Tab. Chronolog. sæcul. 15. ann.* 1473. Platus *de bono stat. Relig. lib.2. cap. 22.* Azor *instit. moral.tom.1 lib. 13.cap.* Rodriguez *tom.1.q. regul. q.2. art.7.* Eius Compendiator alter Rodriguez *Resol.123. num.*37.Claudius Robert.*in Gallia Christiana tit. de General.* Barbosa *de iure Ecclesiast. lib.1.cap.41.num.* 188. & plures alij tam huius familiæ alumni, quam exteri. 2

Circa §.1.

ERgo præfatus Pontifex Iulius post miras, & singulares laudes, ac prærogatiuas Ordinis Minimorum, quas refert, ad instantiam S.Francisci de Paula tunc temporis Generalis Correctoris, & Prouincialium eiusdem Ordinis declarat Generales ipsius statim postquam electi fuerint, secundum regulam, & constitutiones eo ipso esse veros Generales, curam animarum habere, liberè getere, Fratres ligare, ac soluere, nec non in eodem Ordine agere posse, quæ viderint expedire, & Fratres ipsos eisdem deuotè, & humiliter obedire, & intendere debere. 3

De hoc priuilegio, & aliis concernentibus plura dicta sunt in præcedentibus, videlicet in Mari magno Prædicatorum *circa* §.1. & 2. Minorum *circa* §.1. Eremitarum S. Augustini *circa* §.49. Carmelitarum *circa* §. 30. & Seruitarum *circa* §.8 Notat vlterius Peirinis huius Maris magni Scholiastes *num. 1.* ex vi huius priuilegij colligi Generalem statim ac est electus, confirmari à Sede Apostolica. Cæterum etsi id expressà non habeatur in illo, implicè tamen continetur, imò expressè 4

in

in Mari magno Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, & Seruitarum, vt in loco relato ex Mari magno Prædicatorum dixi, quarum Religionum priuilegiis fruuntur etiam Minimi. Obseruat etiam, quod iure communi postquam quis est electus ad aliquam dignitatem, si ante confirmationem se ingerat exercendo aliquem actum ad talem dignitatem spectantem, est ipso facto priuatus iure adquisito per talem electionem, ex *Cap. auariæ de election. in 6. & cap. qualiter eod. tit.* De quo etiam dixi *tom. 1. cap. 15. num. 36* Obseruanda etiam verba illa *Ordinem ipsum præfatæ Sedi immediate subiectum*, iis enim denotatur iure esse hanc Religionem soli Papæ subiectum ex adductis per Tiraquellum, *in l. si vnquam, verbo reuertatur num. 125. C. de reuocat. donat.* & per Rebellum *de obligat. Instit. p. 1. lib. 1. q. 6. num. 37.* Item sine vllo medio, aut sub aliquo alio nisi sub Papa, de quo sæpius dictum est in aliis priuilegiis Mendicantiũ.

Circa §. 2.

5. INdulget hoc loco Pontifex Iulius, vt Generalis huius Ordinis, eiusque successores possint amoueri secundum Regulam, & Constitut. Ordinis à Prouincialibus, & Vigilibus, approbans quidquid hactenus factum fuerat, & concedens Generali liberam facultatem exequendi suum officium quoad præmissa.

6. De simili priuilegio aliorum Mendicantium dictum est supra in Mari magno Prædicator. *circa* §. 3. Minorum *circa* §. 1. Carmelit. *circa* §. 30. & Seruitarum *circa* §. 8. Notat etiam Peirinis hic Generalem huius Ordinis posse amoueri non solùm in Capitulo Generali; sed etiam extra illud in tribus casibus, scilicet, si fuerit dilapidator bonorum Religionis, si incontinenter, aut scandalosè viuat, si Regulam destruat, aut relaxet. Pro qua vide dicta locis relatis.

7. Circa verbum *Indulgemus* quo vtitur Pontifex, dum loquitur de facultate Vigilum, & Prouincialium ad deponendum Generalem nota, hanc dictionem quandoque denotare concessionem priuilegij, vt *in cap. si terra de priuil.* quandoque importare solum id quod de iure competit, vt per Gemin. *cons. 72. num. 2.* refert Card. Tuschus *pract. concl. tom. 2. litter. D. concl. 293.* & Barbosa *in tract. de dictionibus, dict. 158.* Idque *ex cap. quia de procurat. cap. & si Christus de iure iuran.* comprobat Seraphinus Freitas *in Bullar. Ord. S. Mariæ de Mercede in scholiis ad Bullam 2. Vrbani IV.* Quibus fauent Grammatici aliqui dicentes verbum *Indulgeo* significare idem quod consensum, & complacentiam. Hoc ergo posteriori sensu accipiendam credo in præsenti dictionem istam *Indulgemus*, cuius signum est, quod Pontifex se remittit ad Regulam, & Constitutiones Ordinis, & approbat facta vsque ad illud tempus.

8 Quid importent *Vigiles* in Ordine Minimorum, de quibus fit mentio in hoc priuilegio, & aliis inferius referendis dubitari potest. Et dicendum, eos videri esse idem quod Diffinitores in aliis Ordinibus Mendicantium, cuius signum est, quod in simili ipsorum priuilegio in eorum Mari magno locis relatis vocantur Diffinitores ij, qui in isto priuilegio vocantur *Vigiles.* Obseruat autem Peirin. *sup. in Const. 6. Iulij 1. num. 26.* quod non obstante quod hic Papa præceperit, quod essent tales *vigiles*, nihilominus in desuetudinem id abiisse, & tamen vnum vigilem in eo Ordine fuisse.

Alios autem eius Ordinis professores audio conquerentes quod talium Vigilum munus cum Ordinis detrimento suppressum sit.

Quia verò in hoc priuilegio, & aliis fit mentio de Regula Ordinis Minimorum, ideo notandum Sanctissimum Franciscum de Paula huius Ordinis fundatorem tres Regulas eidem dedisse, prout colligitur ex Passarello, Peirinis, & aliis eiusdem Ordinis auctoribus, ac maximè ex Iulio II in Bulla *Inter cæteros* eas approbante. Prima fuit pro Fratribus, secunda pro Monialibus, & tertia pro Tertiariis. 9.

In prima de qua hic est sermo, plura pro ipsis Fratribus sanctissimè ordinata sunt. 10.

Circa §. 3.

COncedit etiam hoc loco vt in electionibus Generalium, & Prouincialium tempus à iure statutum non currat nec in hac parte iuris regulis coarctentur Fratres. 11.

Procedit hoc priuilegium, sicut & aliud simile Prædicatoribus in eorum Mari §. 7. & Minoribus in eorum etiam Mari magno §. 2. quantum ad hoc, quod Religiosi isti, & alij, qui cum ipsis communicant in priuilegiis, non sint astricti in electionibus Generalium, & Prouincialium, Regulis iuris, quæ non præscribunt essentialia, sed tantum accidentalia electioni. Vtputa primò, quod electio non fiat ante sepulturam defuncti. 2. quod electio fiat intra tres menses computandos à die mortis, vel renunciationis. 3. quod electores electione secuta teneantur intra octo dies eam præsentare electo. 4. quod electus teneatur intra mensem computandum à die præsentationis electioni vel consentire, vel dissentire. 5. quod post consensum præstitum teneatur electus intra tres menses à die præstiti consensus confirmationem petere. Iuxta dicta loco relato ex Mari magno Minorum post Mirandam, Sigismundum de Bononia, Peirinis, & Sanctorum. Nota tamen, quod si Religio ista, & aliæ relatæ, ac quæ communicant cum ipsis in hoc priuilegio, habeant constitutiones, seu statuta, quibus ordinetur obseruantia dictarum ceremoniarum solum accidentaliter pro electionibus requisitarum, obseruari debent tales constitutiones, seu statuta; maximè si sint auctoritate Papæ confirmata: eo quod per illa videantur renunciasse huic priuilegio, vt colligitur *ex cap. si terra de priuilegiis*, & ex Regula 61. *de Regul. iur. in 6.* Vbi dicitur: *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Præsertim, quia ea quæ ponuntur in priuilegiis censentur habere clausulam, *Quatenus pars vti velit.* Oldradus *cons. 206.* Sarnensis *de triennal. q. 94. num. 11. & de ann. q. 4. num. 4.* ac Rota *decis. 229. in fin. p. 2. Recent.* Quod tamen intellige, iuxta dicta *tom. 4. verb. Priuilegia Regular. num. 14.* si tale priuilegium censeatur inutile, aut indifferens Religioni, propter dicta eo loco, quo etiam sensu accipiendus est Peirinis hic. Item si sit renunciatum in Capitulo Generali omnium consensu. Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 22. num. 15.* Sigismundus de Bononia *de elect. Prælat. dub. 120. num. 3.* Maximè cum non sit contrarium Papæ, quia si tale esset, Religiosi non possent renuntiare ipsi. Ioannes Andreas *in cap. cum tempore de arbitr.* Franchus *in cap. 1 de pactis in 6. n. 1* Geminianus *ibi num. 5.* Sigismundus *in Addit. ad d. dub. 120.* idem dico, si tale statutum factum sit à Papa per modum præcepti, iuxta dicta sæpius. De quo etiam Peirinis

Peirinis *tom.3.priuileg. Minim.in addit. ad Constit. Iulij II.cap.3.num.10.*

Circa §. 4.

13. STatuit quoque hoc loco, vt vigiles, Prouinciales, & Correctores, aut delegati Visitatores, seu Vicegerentes, qui secundum statuta huius Ordinis, etiam non per electionem instituuntur, postquam sic instituti fuerint, habeant curam animarum Fratrum, ipsosque ligare, & absoluere possint, iuxta Ordinis Instituta.

14. Habetur etiam hoc priuilegium in Mari magno Minorum §. 3. Carmelitarum §. 68. quibus locis, & aliis ibi relatis, quæ necessaria videntur circa illud dicta sunt. Quamuis autem Peirinis *hic* videatur illud restringere solum ad aliquos Correctores, nihilominus cum illud sit vniuersale, intelligi debet de omnibus in ipso contentis: dummodo (vt inquit Pontifex) *secundum statuta eiusdem Ordinis* instituti sint. Vide etiam dicta in Mari magno Seruitarum *circa* §.41. vbi simile priuilegium ipsis videtur concessum; ex vi cuius possunt Priores Conuentuales eligere extra Monasteria quibus præficiuntur & ab aliis Fratribus, quam illis quibus præficiuntur, quod, vt dixi eo loco, notabile priuilegium est, & supra ius commune. Cum ius commune præscribat Abbates, & Priores, vt alios Monasteriorum Præfectos, à monachis, & Fratribus, quibus præficiuntur, & non ab aliis, eligi debere, iuxta dicta sæpius, præsertim in Mari magno Minorum *circa* §.3.*num.*11. & Carmelitarum *circa* §.7. *in Regulæ expositione num.*47.

Circa §. 5.

15. COnceditur hoc loco, vt Fratres huius Religionis secundum ipsius instituta pro lectoribus deputati possint absque alicuius licentia Theologiam in Conuentibus legere, exceptis locis, in quibus viget studium generale; ac quando consuetudine habetur, quod docturus in illa facultate vt Magister solemniter incipiat.

16. Circa quod priuilegium, præter dicta supra in simili materia in Mari magno Prædicatorum, & Minorum *circa* §.4. & Carmelitarum *circa* §. 85. Nota Peirinis *hic* duo dicere. Primum est, quod id quod supponitur *cap.*1.2.*&* 3. *de Magistris*, scilicet, nullum posse docere Theologiam, vel Scripturam, absque Ordinarij, seu studiorum Rectores licentia decerni etiam in Concilio Trid. *sess.*5. *cap.* 1. *de reformat.* Secundum circa limitationem illam positam in hoc priuilegio, pro casu scilicet, quod sit consuetudo quod aliquis Doctor solemniter incipiat; circa quam dicit, quod requiratur hæc licentia, quando Religiosi legunt in illis studiis, in quibus non legunt nisi Magistri: Doctoratus gradu insigniti. Sed quod attinet ad primum, Concilium solum loquitur de lectoribus S. Scripturæ, non de lectoribus Theologiæ; imò etiam de lectoribus S.Scripturæ dum in claustris Monasteriorum legunt, quod non requiratur hæc licentia, expresse habetur à Concilio loco relato illis verbis: *Quod tamen de lectoribus in Claustris Monachorum non intelligatur.* Quod autem Concilium his verbis solum loquatur de monachis, nihilominus id etiam intelligi de Regularibus aliis, qui monachi non sunt, Mendicantibus videlicet, constat tum ex vsu, & praxi Ecclesiæ, tum ex declaratione S.Congregationis, quam retuli *tom.3.verb. Episcopus quoad Regulares num.* 26. *& tom.* 4. *verbo Lectio quoad Regulares num.* 2. quam etiam refert Naldus *in summa verbo Legere num.* 6. & Barbosa *in locum relatum Concilij* ex Galetto & Sellio. Quod attinet verò ad secundum, limitatio illa in hoc priuilegio posita non intelligitur eo modo quo à Peirinis intellecta est, sed solum iuxta dicta in Mari magno Minorum *circa* §. 4. quando scilicet consuetudine introductum est, vt aliquis Doctor solemniter incipiat legere. Ita enim habetur etiam ex praxi Religionum, & cum hæc limitatio non habeatur in priuilegio Carmelitarum, vt notaui *circa d.* §. 4. Maris magni Minorum poterunt, illa non obstante, Carmelitæ, & alij, qui cum ipsis communicant in priuilegiis, incipere in suis Conuentibus, etiam antequam incipiat Doctor ille solemniter legere in studiis publicis.

Circa limitationem autem illam primam positam in hoc priuilegio, scilicet *Illis locis exceptis, vbi viget studium generale*, nota primo quod studium generale dicitur illud quod est institutum per Papam, Regem, aut Principes. Cassaneus *in catalog. glor. mund. p.* 10. *considerat.* 32. Perez *l.* 1. *tit.* 10. *lib.* 1. *ordin.* Ortiz *in patrocin. pro Gymnasio Cæsaraugustano p.*1.*à num.*13.*& p.*3.*num.*2. Barbosa *supra num.* 48. *&* 49. *ac de offic. & potest. Episcop. Allegat.* 56. *num.* 22. & Trullenc. *in Decalog. lib.*1. *cap.*8 *dub.*12 *§.*9. *num.*3. Nota secundò, quod, iuxta dicta in Mari magno Prædicatorum *circa* §.4. non obstante hac limitatione consuetudine etiam obtinetur quod Religiosi, legant in suis Conuentibus S.Theologiam, & alias artes ipsis concessas, etiam quando tales Conuentus sunt in locis studiorum generalium. 17.

Notat hoc loco *num.* 19. Peirinis relatus decretum Pauli V. circa studium linguarum exterarum habendum. in Monasteriis Regularium, de quo egi *tom.*1.*cap.*18 *n.*85. *& tom.*4. *verbo Lectio quoad Regulares num.* 5. *&* 6. vbi etiam retuli decretum aliud S.Congreg. *de Propaganda fide* de anno 1625. sub Vrbano VIII. quia tamen idem Peirinis postea *tom.*3. *priuileg. Minimor. in Addit. circa Constitut. Iulij Secundi cap.*3. *num.* 11. refert aliud decretum eiusdem S. Congreg. sub eodem Vrbano VIII. de eadem re die 16. Octob. 1623. ideo placuit illud in præsenti referre, etsi credam illud, vel non fuisse publicatum, non fuisse receptum, aut executioni mandatum, & forsan moderatum per aliud decretum eiusdem S. Congregationis sub eodem Papa Vrbano VIII. quod retuli loco citato, & quod mihi constat intimatum esse Generalibus Ordinum in multis Capitulis Generalibus, quæ anno 1625. quando editum est, celebrabantur, vt dixi *tom.*1.*cap.*18.*num.*85. relato. 18.

Decretum porro istud talis tenoris est. 19.

Decretum Sacræ Congregat. de Propaganda Fide.

QVoniam in Concilij Viennensis (quod habetur *Clem.*1.*de Magistris*) *celebratione, vsq; ab præsens experientia cõprobauit Regulares, etiamsi mulieres fuerint cõmuniti linguarũ studia, aut non instituisse, sicut illis præceptum fuerat, aut instituta deseruisse, & nouissimè hoc idem compertũ est ex iis, quæ post constitutionem felic.record. Papæ Pauli V. & S Cong. de P.F. decreta contigere. Eadem S. Congregatio dolens opus ad animarum salutem necessarium tam facile negligi ab*

ab iis, qui ad illam procurandam præcipuè à sanctis Regularum Ordinis fundatoribus, à primæva eorum institutione mancipati sunt, cupiensque Concilium, Constitutionem, ac decreta præfata omnino executioni demandari, vt Euangelicos operarios linguis instructos habeat, quos cum necesse fuerit ad messem Domini amplissimam Dei verborum sitientem mittere possit. Præsenti decreto de speciali S. D. N. Vrbani VIII. mandato iterum Regularium, cuiusuis Instituti, Societatum, & Congregationum Generalibus, alijsque eorum superioribus præcipit, vt linguarum, videlicet Hebraicæ, Græcæ litteralis, & communis. Latinæque, ac Arabicæ, & Illyricæ studia iuxta Concilij Constitutiones, & decretorum præfatorum præscriptum omnino instituant, institutaq; conseruent, & vbi fieri potest ampliora efficiant; alioquin si post trium mensium spatium in Italia, vel post sex menses in aliis Europæ prouinciis, Monasteriis, & conuentibus Almæ Vrbis, & earum ciuitatum, quibus celebriora gymnasia, seu vniuersitates constituta sunt, vt Bononiæ, Pataui, Parisiis, Tholosæ, Valentiæ, Viennæ, Ingolstadij, Salamanchæ, & Compluti, & deniq; in iis, in quibus generalia, & insigniora Regularium studia erecta sunt, mandatum hoc non impleuerint, in eiusque obseruatione non perseuerauerint, si generales fuerint, eo ipso suspensionem à diuinis Sedi Apostolicæ reseruatam incurrant, & si per tantumdem temporis ab exequendo hoc mandato destiterint, ipso iure, & facto, etiam ab officio priuati existant, & interim officium ipsum à Procuratoribus generalibus ad Summi Pontificis, ac eiusdem Sedis Apostolicæ beneplacitum administretur, si verò Generalibus inferiores Prælati in exequendo hoc mandato negligenter, vt supra, fuerint, primo suspensione à diuinis, vt præfertur, reseruatam, deinde pœnam inhabilitatis ad maiores Religionis gradus, & dignitates eo ipso incurrant, à qua inhabilitate non nisi per Sedem Apostolicam absolui possint. Verum quia non satis est Superiores Regularium suum in hac re præstare officium, si qui linguis studere debent; opus hoc verè pium detrectent, & negligant, eadem Sacra Congregatio de eiusdem Sanctissimi speciali mandato præcipit, ne elapso biennio, de quo infra Regulares ad magisteria, vel alios gradus suarum Religionum, seu vbi non sunt magisteria & gradus, ad dignitates à Superioribus eorum admittantur, nisi cum Theologia per biennium, & vni saltem ex præfatis Linguis operam dederint, eamque sufficienter calluerint, super qua à persona per Congregationem deputanda examinari debeant, priusquam ad ea eos, easve assumantur. Quod si contra præsentis decreti dispositionem ad magisteria, seu gradus, vel dignitates præfatas admissi fuerint, magisterium, seu graduum, vel dignitatum præfatarum collatio nulla sit, & Superiores, qui transgressi fuerint, passiua voce sint perpetuo priuati. Quoniam autem multi præmio magis ad virtutes incitantur, quam pœnis, eadem Sacra Congregatio mandauit eos, quos, præter Theologiam vni etiam ex dictis linguis per biennium operam dedisse sufficienterq; callere experimento, vt supra facto constiterit, ad magisteria, seu alios gradus suarum Religionum ad quamlibet ipsorum petitionem, statim, nisi aliud obstet, promoueri, & in electionibus ad officia, & dignitates Regulares, cæteris paribus, iuxta dictam Pauli V. Constitutionem aliis omnino præferri debeant, alioquin electio aliter facta irritetur. Cæterum ne decretum hoc vetustas vnquam infringat, aut obliuio aboleat, eiusque ignorantiam quisque prætendere possit, eadem Sacra Congregatio de eiusdem Sanctissimi similiter mandato præcipit, vt in singulis capitulis generalibus, & prouincialibus quæ in posterum conuocabuntur, illud semper legatur, & super eius obseruatione à Generalibus, & Prouincialibus ante soluta capitula iuretur sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ; si alterutrum horum omittatur, ipso facto incurrenda. Non obstantibus quibuscumque, &c.

Præter dicta autem superius circa hoc decretum vlterius notandum, quod, & si illud aliquatenus rigorosum videatur, nihilominus vtile, & salubre videri pro Ecclesiæ Sanctæ augmento, in qua *Messis multa, operarij autem pauci*, & quia multi *paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. Præsertim, cum, iuxta dicta sæpius in hoc Opere, Religiosi, maximè Mendicantes, sint *Coadiutores, & cooperatores Episcoporum*, vt propterea multis priuilegiis, de quibus in præsenti, & alibi, dictum est, ab Ecclesia Catholica decorati sunt. Qui ergo tot præmiis honorati fuerunt, tam pios labores refugere non debent. Vt enim habetur in Regulis Iuris *Regul.* 77. sumptum *ex l. ab eo C. de fidei commiss. Rationi congruit vt succedat in onere, qui substituitur in honore.* 20.

Circa §. 6.

IN hoc loco conceditur Minimis ab hoc Pontifice, vt possint Ordines suscipere à quibuscunque Catholicis Pontificibus communionem, & gratiam Sedis Apostolicæ habentibus, sine aliquo examine ab ipsis faciendo, & absque omni promissione, vel obligatione. 21.

Extat autem hoc priuilegium in Mari magno Prædicatorum §. 8. Minorum § 6. Carmelitarum §. 24. quibus in locis, alijsq; ibidem citatis, de hac materia sufficienter dixi. Specialiter illa quæ huius Maris magni Scholiastes Peirinis *num.* 21. & 23. dicit, videlicet hoc priuilegium reuocatum esse à Concilio Tridentino, & quòd dare litteras dimissorias Religiosis pertineat ad eorum Superiores. An verò sit aliquis casus, in quo Religiosus possit accipere Ordines non à proprio Episcopo, sed ab alio, non obstante reuocatione huius priuilegij per Concilium Tridentinum facta, consule dicta in Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* §. 17. & in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 24. relatum. 22.

Notat vlterius Peirinis relatus *num.* 24. ex Glossa *in cap. veniens de præscript. verb. Gratiam.* & Glossa *in cap. Sedem de off. Iudicis Ordinar.* per illam clausulam huius priuilegij, scilicet, *gratiam, & communem Sedis Apostolicæ habentibus* intelligi Episcopos, qui non sint excommunicati, suspensi, aut interdicti. Cæterum, multò magis id intelligi debet de Episcopis schismaticis, aut hæreticis; nam tales minus possunt dici habere *gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ.* 23.

Pro necessitate autem intelligentiæ linguæ Latinæ ad Ordinum susceptionem, & quanta debeat esse, præter dicta *tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 24. legendi Reginaldus *lib.* 30. *num.* 2. *cap.* 1. *num.* 56. Zanardus *de Ordin. cap.* 2. & Quintana Dueñas *in singul. tract.* 6. *singular.* 9. 10. 11. 12. & 13. 24.

Circa §. 7.

COnceditur hic facultas habendi Oratoria in locis, in quibus degũt Minimi, & quod in eis cũ altari portatili possint Missarũ solemnia, & alia diuina 25.

diuina celebrare, ac Ecclesiastica recipere Sacramenta. Eadem facultas habetur pro Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 9. pro Minoribus §. 7. & aliquo modo diuersa pro Carmelitis in ipsorum etiam Mari magno §. 36. Quamuis autem quoad primam partem illius, scilicet de habendo Oratoria in locis vbi degunt Fratres, sit de iure communi, iuxta dicta *tom.4. verbo Oratoria quoad Regulares n.6. ex cap. vnicuique de consecrat. dist.1.* nihilominus, iuxta dicta in Mari magno Minorum *circa* §. 39. id solum videtur concessum per modum priuilegij ad maiorem securitatem conscientiæ, sicut sæpius solent Summi Pontifices cum Religiosis agere.

25. Quantum ad secundam partem, scilicet, de facultate celebrandi in dictis Oratoriis cum altari portatili, quamuis plures, quos refert, & sequitur Seraphin. Freitas *in Bullar. Ordin. S. Mariæ de Mercede in scholiis ad Bullam. 2. Martini V.* quibus iunge Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in constit. Pyrrhi num. 27.* sentiant reuocatam esse per Concil. Trident. *sess. 22. in decr. de obseru. & euit. in celebr. Miss.* cæterum, iuxta dicta sæpius, præsertim supra Mari magno Prædicator. *circa* §. 39. & 40. ex vtroque Rodriguez, Ioanne de Cruce, Portello, Ledesma, Villalobos, Cardinali Lugo, Marchino, & Pasqualigo, probabile est, & practicabile, non esse reuocatam à Concilio, nisi solum pro casu quo Episcopi id prohibeant aut non permittant. Vbi etiam, & locis ibi relatis de aliis priuilegiis post Concilium Tridentinum concessis, præsertim Gregorij XIII. pro Iesuitis, quamuis illa etiam eneruare contendat Freitas relatus. Sed vide dicta locis citatis. Maximè verò circa facultatem celebrandi in Oratoriis secularium consulenda quæ dixi in Mari magno Carmelitarum *circa* §. 37. & quæ nouissimè affert Moronus *in Respons.99. per totum.* Vbi tenet Religiosos de sola suorũ Superiorũ licentia posse celebrare Missas in Oratoriis sæculariũ habentium ad id facultatẽ, in quo nulla est difficultas, si tale priuilegium regulares non excludat. Quod autem habet de facultate administrandi Eucharistiam in dictis Oratoriis, tactum *est tom. 3. verb. Eucharistia quoad Regulares num.11.* Alia quæ dicit circa exemptionem Regularium à Constitutionibus Synodalibus, tacta sunt in præcedentibus, & aliis locis huius Summæ.

Circa §. 8.

26. CONcedit etiam Pontifex Iulius hoc loco Minimis facultatem commorandi in excommunicatorum terris, ibi necessaria vitæ deposcendi, nisi id fuerit ipsis interdictũ. Quo simili priuilegio gaudent Prædicatores in eorum Mari magno §.13. Minores §. 11. & Carmelitæ §. 53. Quibus in locis, & aliis ibi citatis quæ necessaria sunt pro huius priuilegij notitia dixi, præsertim an sit purè ius commune, vel aliquid supra illud concedat, & quomodo se debeant gerere Religiosi in partibus hæreticorum, & an ad illas possint se sine licentia conferre. Maximè etiam pro causa illa huius concessionis posita à Pontifice illis verbis *Quia vos extremam patientes pro Christi nomine paupertatem*, vide quæ quæstionem *eo* §. 11. Maris magni Minorum agitatam, an scilicet quando cessat causa, seu motiuũ priuilegij, cesset etiam ipsum priuilegiũ.

27. Circa clausulam illam positam in hoc priuilegio, scilicet *Nisi id vobis fuerit interdictum*, nota primò, eam non fuisse positam in simili priuilegio Prædicatorum, Minorum, aut Carmelitarum, ac proinde, saltem propter communicationem priuilegiorum, quæ est inter Mendicantes, posse vti hac facultate Minimos etiam sine ista restrictione. Notat secundò Peirinis relatus *num. 25.* eam intelligi de interdicto speciali facto rationabili de causa ab eo, qui excommunicationem posuit, & quod non comprehendit extremè indigentes. Sed quoad hoc secundum consule dicta *tom.4. verbo Leges Regularium num. 25. & 26.* vbi egi an lex humana obligare possit cum periculo mortis. Quoad primum verò vide dicta *tom. 3. verbo Excommunicatio quoad Regulares, & verbo Interdictum quoad Regulares.* An verò licitum sit prædicare Euangelium in partibus istorum excommunicatorum, præsertim si hæretici, consule dicta in Mari magno Carmelit. loco relato.

Obiter etiam nota prohibitum esse communicare cum Iudæis; primò, habitando simul cum illis; secundò, ad eorum conuiuia accedendo, vel eos inuitando, aut cum eis Azyma præcipuè, manducando; tertiò, cum eis balneum intrando, aut cum eis se lauando; quarto, eos pro medicandis morbis accersando; quintò, ab eis medicinas recipiendo; sextò, eorum filios in domibus nutriendo; septimò, eis famulatum præstando; octauò, seruitutis vinculo eis subiiciendo; nonò, eos publicis officiis vti permittendo. Hæc enim cum variis pœnis contra aliter facientes prohibentur *in 6. synod. cap.11. c. nullus 28. q.1. in conc. Agathensi c.44. cap. omnes 28. quæst.1. cap. Ad hæc de Iudæis. cap. constituit. 17. q. 4.* De quibus Azor. *tom.1. lib.8. cap.22.* Sanchez *tom.1. in Decalog. lib.2. cap.31.* Suarez *de fide disp.18. sect.6.* Coninch. *disp. 18. dub.11.* Castrus Palaus *p.1. tract.4. disp.2. punct.9.* & Trullenc. *lib.1. in Decal. cap.3. dub.2.* post Syluestrum, Armillam, Tambienam, & alios Summistas *verbo Iudæus.* 28.

Circa §. 9.

AMplissimum hoc loco conceditur priuilegium Generali, Vigilibus, Prouincialibus, Correctoribus, & eorum Vicariis Minimorum Ordinis ad absoluendum à censuris Fratres, & dispensandum cum illis in irregularitatibus, exceptis casibus, propter quos meritò ad Sedem Apostolicam forent destinãdi. Qua etiam auctoritate potiri vult ipsos Superiores, ita scilicet vt à propriis Confessoribus eodem modo absolui, ac dispensari possint. Item in ordine ad recipiendos ad Religionem, dummodo ipsi debitis, si quæ contraxerant satisfecerint, & quod Ordinem intrent, alias in pristinas sententias prælabantur. Vult quoque Pontifex, vt in huiusmodi absolutionibus impendendis scandalum Apostolicæ Sedis legatorum, & ordinariorum euitetur. 29.

Multa dici possent circa priuilegia hoc loco contenta, nisi dicta iam essent in Mari magno aliorum Mendicantium, & locis aliis ex quatuor tomis Summæ ibi relatis. Etenim primum illud de facultate concessa Superioribus ad absoluendum subditos & dispensandum cum illis; præter quam in casibus, in quibus ad Sedem Apostolicam merito destinari deberent, habetur in Mari magno Prædicatorum §. 14. Minorum §. 14. & Carmelitar. §. 54. & Seruitar. §. 35. Similiter secundum illud de facultate concessa iisdem Superioribus; vt possint absolui, & dispensari eodem modo, habetur in Mari magno Prædicatorum §.15. Min. 30.

§.13.

§.13. Carmelitarum §.55. & Seruitarum §.35. Tertium etiam illud de eadem facultate vtenda cum illis, qui volunt ingredi Religionem habetur quoque in Mari magno Prædicatorum §. 16. Minorum §.14. & Carmelitarum §.56. Quibus in locis, & aliis, vt dixi, ibi citatis, plura de hac materia dicta sunt. Vnde pro ipsius complemento sufficiet expendere modò quæ Passarellus, & Peirinis huius Religionis Authores circa hanc materiam dixerit, veluti Commentatores huius Bullæ, & priuilegij.

30. Primò ergo Peirinis hic *num.* 27. notat præfatos Superiores absoluere posse dictos subditos *ab omnibus sententiis, & pœnis à iure, vel ab homine generaliter, non particulariter latis.* Cæterum, cum in hoc priuilegio non sit illud verbum *Pœnis*, & illud non nisi rarò ponatur in similibus priuilegiis, ideo non potest dici aliquas pœnas tolli posse ex vi huius priuilegij. An verò ex aliorum priuilegiorum id fieri possit, consule dicta supra in Mari magno Eremitarum S. Augustini *circa* §. 43. & 44. & in Mari magno Seruitarum *circa* §.35. maximè etiam dicta *tom.1. cap.* 10. *num.*35. & *cap.*18. *num.* 45. Quod verò attinet ad sententias (per quas intelliguntur censuræ,) bene dicit istè author non posse tolli per hoc priuilegium illas, quæ sunt particulariter latæ, quia in ipso solum est sermo de *generaliter* promulgatis. An verò id fieri possit ex aliis priuilegiis, videlicet Gregorij XIV. pro Clericis ministrantibus infirmis, & Pauli III. pro Iesuitis, prout idem author contendit, vide dicta *eo cap.*18.*num.*37. & 3.*tom.verbo Abortus, seu Aborsus num.*8.& 19. & supra in Mari magno Minorum *circa* §. 12. 13. & 14. Quid autem sit sententia generalis, & quid particularis, habes ex dictis *tomo 3. verbo Censura Ecclesiastica numero* 12.

31. Notat præterea *num.* 29. circa facultatem concessam Superioribus prædictis, vt à suis Confessoribus absolui possint, sicut ipsi absoluunt suos subditos, ideo concessam esse, ne Superiores sint deterioris conditionis, quam subditi. De quo tamen sæpius dixi, scilicet *tom.*1. *cap.*18. *num.*52.& *tom.*4.*verbo Prælatus Regularis num.* 19. cum limitatione quadam ibi ex Cardinali Lugo relata, & eodem *tom.* 4. *verbo Priuilegia Regularium num.* 5. maximè vero in simili priuilegio Carmelitarum in ipsorum Mari magno *circa* §.55.

32. Notat similiter *num.* 30. facultatem istam concessam ad absoluendum Nouitios intelligi debere in vtroque foro, cum Pontifex forum non exprimat, aut limitet, & priuilegium Principis latè explicandum sit *l.beneficium ff. de Constit.Princ.* Quod satis probabiliter admitti potest, iuxta dicta supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §.16.

33. Quid autem importent verba illa *Obseruata forma Canonica*, seu *secundum formam ipsam* posita in hoc priuilegio, dixi loco relato ex Mari magno Prædicatorum. Similiter quid importent illa, *Ita tamen quod si alicui ex huiusmodi eisdem sententiis propter debitum sint adstricti, satisfaciant vt tenentur*, & quomodo fieri debeat huiusmodi satisfactio consule dicta *tomo 3. verbo Absolutio numero* 9. supra loco relato ex Mari magno Prædicatorum.

34. Porro circa id quod Pontifex in hoc priuilegio vult, scilicet quod si isti ingredi volentes in Religionem absoluantur dicto modo, & postea discedant, incidant in easdem censuras, maximè si habitum suscipiunt solum in fraudem talis censuræ, vide dicta *tom.3.verbo Gabella quoad Regulares n.*9. & 4.*t.verb.Nouitij, & Nouitiæ Religionū n.*34. & 36.

Addit Passarellus *in Annotand. circa priuileg. Minim. Annot.* 33. quod si Nouitij infra tempus Nouitiatus propter priuilegia Religionis absoluantur à casibus, à quibus si essent in sæculo, absolui non possent, sed remitti deberent ad Sedem Apostolicam, vel alium Iudicem, si postea non emiserint professionem, sed è Religione exierint, teneri se præsentari eis, qui alias eos absoluere poterant, non vt absoluantur, cum iam absoluti sint, sed ne reincidant in easdem censuras, iuxta *cap. eos de sentent. excommunicat. in* 6. quod maximè aduertendum dicit pro casu, qui solet sæpius inter Nouitios contingere de percussione clerici, iuxta doctrinam etiam Angeli *in Summa verbo Excommunicatio* 5. 48. Syluestri *verbo Absolutio* 5.§.7. & Tabienæ *verbo Absolutio* 3. *ab excommunicatione* §. 10. Cæterum etsi doctrina huius authoris procedere possit, quādo tales Nouitij absoluti sunt ex vi priuilegiorum continentium talem limitationem, aut restrictionem, quia tamen non omnia continent illam, siquidem priuilegium Prædicatorum in eorum Mari magno §. 16. illam non habet, idemque dici potest de priuilegiis aliis, quæ referunt Suarez 4. *tomo de Religion. tract.* 8 *lib.* 2. *cap.* 24. *num.*8. & 9. Vecchius *de Nouitiat. disp.* 9. *dub.*25.*num.*2. Hieronymus Rodriguez *in Compend. Resol.* 3. *num.* 12. & Sanctotus *in Comment. supra statut. Min.cap.*2. *stat.*14 §.7. 9.4. ideo absoluti ex vi horum priuilegiorum etiamsi recedant postea ab Ordine, non reincident prædictas censuras, nec tenentur se præsentare alicui. Cum absolutio purè, & simpliciter data nunquam sit explicanda cum onere comparendi, aut ad reincidentiam, nisi in casibus à iure expressis, vel nisi facultas absoluendi eam restrictionem contineat. Suarez *tom.* 5. *de Censur. disput.*7.*sect.*7. *num.*35. Vecchius *supr.n.*3. Diana, & Bonacina, quos retuli ad hoc intentum *tom.*4.*verbo Nouitij, & Nouitiæ Religionum num.*36. Neque illud *cap. eos qui* à Passarello adductum probat intentum ipsius, nam illud solum loquitur de absolutis propter articulum mortis imminentem, vel aliud impedimentum, vel de absolutis à Papa, vel Legatis cum onere se præsentandi, satisfaciendi, &c. Vecchius *d. num.*3. Bordonus *Resol.* 28. *num.* 56. Adde hoc priuilegium, & aliud Minorum in ipsorum Mari magno §. 14. & Carmelitarum §. 56. non loqui de Nouitiis, sed de iis, qui volunt fieri Nouitij, id est, volunt ingredi Religionem, vt patet ex verbis ipsorum, non ergo hæc limitatio extendi debet ad Nouitios. Vecchius, & Bordonus *supra.* Maximè etiam addendum, quod cum iuxta dicta *eo verbo Nouitij & Nouitiæ Religionum num.* 36. relato ex pluribus authoribus ibi citatis Nouitij possint absolui sicut professi virtute priuilegiorum Ordinum, eo quod in huiusmodi fauorabilibus pro veris Religiosis habentur, ideo quemadmodum professi absoluuntur sine dicto onere comparendi, aut reincidentiæ, ita etiam de Nouitiis dici debet. Vecchius, & Bordonus *supra.* Hæc porro omnia procedunt etiam in casu, quo tales Nouitij sua culpa expulsi fuerint à Religione, vel propter morbum, aut inopiam parentum inuiti expellantur. Quamuis in contrarium sentiant Viualdus *in Candelabro parte secunda, titulo de absolut. num.* 23. ac Peirinis *supra num.*33. & 34. 35.

Loquendo tamen de iis, qui actu Nouitij non sunt, sed tales volunt esse, quia scilicet volunt 36.

ingredi Religionem, de quibus loqui videntur hoc, & similia priuilegia à Peirinis *dicto num.* 33. dicit non posse absolui, aut dispensari, nisi iuxta limitationem factam à Clemente VIII. in decretis, quæ retuli *tomo primo*, *cap.*19. *num.*15. & *sequentibus*, postea verò in *additam. ad Constitut. Iuly II. num.*13. dicit contrarium, eo quod talia decreta loquantur de Confessariis Regularium in Ordine ad absolutionem sæcularium, qui autem sunt in procinctu, vt fiant Religiosi, habentur pro Religiosis. Adde & tu, quod priuilegia, de quibus in præsenti non sunt concessa confessariis Regularium, sed Prælatis Regularium. Vide tamen Vecchium *supra dub.*7. *num.*5. & quædixi *tom.*4. *verbo Nouitius, & Nouitiæ Regularium*, *num.*43.

37. Quid denotet illa clausula *Etiamsi super hoc eis inducta à Prælatis Ordinis eiusdem concedantur*, habes ex dictis in Mari magno Minorum circa §.14. Illa autem clausula *Cœterum vestra discretio cautè prouideat, vt Apostolicæ Sedis, legatorum ipsius, & Ordinariorum locorum in absolutionibus huiusmodi scandalum euitetur*, quæ etiam habetur in Mari magno Minorum, & Carmelitarum locis relatis, manifestè denotat, quod Prælati vtentes huiusmodi priuilegiis cum volentibus aggregari eorum Religionibus prudenter se gerant tum cum ipsis absoluendis, tum cum Prælatis Ecclesiarum, Ordinariis videlicet, qui, si hoc non fiat, scandalizari poterunt. Passatellus *supra dict. not.*33. Peirinis *supr. super hanc Constitutionem Iuly II. num.*35. Præsertim quia multa etiam licita sunt dimittenda scandali vitandi causa, vt inquit Panormitan. *in cap. considerauimus, num.*5. *vsque ad fin. de elect.* & scandali vitandi causa à iure receditur, vt subdit Additio ad eundem Panormitanum *vt supra* afferens *cap. non potest.* 23. *quæst.* 4. & Cardinalem *in Clem.*1. *in princip. de pœn.* Sigismundus de Bononia *de elect. Prælat. dub.*45. *in fin.*

38. Qui sint illi casus in hoc priuilegio, in quibus ad Sedem Apostolicam mitti debent, qui in illos inciderint, declaratur infra in hoc eodem Mari magno §.29. sicut in Mari magno aliorum Mendicantium locis ibi citandis. Qui etiam sint casus percussionis Clerici de quibus loquitur Passatellus supra in quibus possint Nouitij absolui ex vi iuris communis, vel priuilegio, consule dicta *tom.*3. *verbo Clericus à num.*11.

Circa §. 10.

39. PLura conceduntur sub hoc §. priuilegia spectantia ad exemptionem Minimorum, scilicet, quod isti Religiosi non possint à quocunque conueniri, aut cogi ad pecuniarum collectionem; correctionis, visitationis, seu Inquisitionis officij exercitium; causarum cognitionem, curam Monialium, Monasteriorum ipsarum visitationem, confessiones illarum audiendum; commissiones causarum; sententiarum executiones; ad portandum, seu deferendum litteras; denunciandum, vel exequendum sententias; munus assessoris, & similia, &c. sine Sedis Apostolicæ mandato expressam mentionem de hoc indulto faciente. De qua materia plura dicta sunt in præcedentibus in similibus Mendicantium, aliorum priuilegiis, videlicet in Mari magno Prædicatorum *circa* §.17. Minorum *circa* §.15.16. & 17. Carmelitarum *circa* §.35. 46. & 88. & Seruitarum *circa* §.60. Quibus in locis habes, quid sint litteræ Apostolicæ, quid nomine Ordinariorum intelligatur; quid legatorum nomine; quid etiam officialium nomine; quid similiter nomine causarum veniat intelligendum; & alia ad intentum. Quibus si adiungas, quæ Peirinis huius Maris magni Scholiastes habet *hic num.*36. & *sequentibus* sufficientia habes pro hac materia. Animaduertendo etiam, quæ idem author notat 3. *tom. priuileg. Minim. in addit. ad Constit.* 2. *Iuly II. cap.*3. *num.*14.15. & 16. circa obseruantiam priuilegiorum Ord. quando Papæ legati contra ipsa cogunt Religiosos ad aliquid faciendum, præsertim si non ostendunt litteras suæ commissionis, aut earum copiam transmittunt. De quo aliqua dixi *t.*3. *verbo Exemptio Regularium*, *n.*14. & supra in Mari magno Minor. *circa* §.36. & Carmelit. *circa* §.60.

Circa §. 11.

PRiuilegia etiam *hoc* §. contenta spectant ad exemptionem Ordinis Minimorum, & authoritatem, quam in suos subditos Prælati habent. Primò enim, dictis Prælatis conceditur facultas corrigendi, & amouendi Fratres prouisos authoritate Sedis Apostolicæ Archiepiscopis, Episcopis, aut aliis quibuscunque. Secundò, ne propter litteras Apostolicas teneantur aliquos ex Fratribus dictis Atchiepiscopis, Epicopis, &c. in Socios designare. Tertiò, quod nullus legatus nisi solum de latere, nullusque Prælatus, etiam Cardinalis possit aliquos ex Fratribus assumere ad sua negotia, seu Ecclesiæ procuranda, vel ad secum manendum, nisi iuxta assignationem Generalis, vel Prouincialis, & quod tales subiaceant Ord. disciplinæ. Primum istorum habetur in Mari magno Prædicatorum §.18. Minorum §.18. & Carmelitarum §. 89. quibus in locis de materia ipsius dictum est. Secundum etiam habetur eisdem locis, ac in illis de ipsius quoque materia dictum manet. Tertium quoque habetur etsi cum aliqua variatione, in Mari magno Prædicatorum §.18. Minor. §.19. & Carm. §.89. quibus similiter in locis de hac materia egi. 40.

Vlterius notat Peirinis hic Gregorium XI. in Constitutione *Per Romani* in Bullario Laertij *t.* 1. *in hoc Pontifice*, *num.*6. idem statuisse quod habetur in hoc priuilegio. Cæterum magis amplum est hoc priuilegium, quam Constitutio illa Gregorij cum illa solum sit sermo de Religiosis Capellanis Papæ, & de illis dicit, quod *eorum Superoribus, & correctoribus in omnibus, & per omnia sint subiecti, ac si prædictæ Sedis Capellani non essent*, priuilegium autem, de quo in præsenti, de pluribus aliis loquitur, & plura alia continet, prout ex se patet. De huiusmodi autem Capellanis Papæ, & ista Constitutione Gregorij dixi *t.*1. *c.*17. *n.*20. & supra in Mari magno Minorum *circa* §.18.19. & 20. & dicam infra *num.*43. 41.

Notat deinde, quod si aliquos Religiosos priuilegio Sedis Apostolicæ contingeret beneficium aliquod siue simplex, siue curatum obtinere, tales non possunt admitti in Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, sub pæna excommunicationis. Sed de hoc priuilegio, & aliis ad ipsum spectantibus dixi *t.*2. *c.*18. *n.*36. & supra in Bulla *Aurea* vocata *circa* §. 7. & in Mari magno Carmelitarum *circa* §.32. & 104. ac in Mari magno Seruitarum *circa* §. 66. 42.

Item notat quod Capellani Principum ad id habentium authoritatem à Sede Apostolica, si sæculares sint, Ordinariis locorum sunt subiecti iuxta Concilium Trident. *sess.*24. *de Reform. c.*11. si verò 43.

Regu

Regulares, suis Superioribus, ex dicta Constitutione Gregorij XI. Verumtamen de hac re dictum est *tomo 1. cap. 17. num. 20.* & supra in Mari magno Minorum *circa* §. 18. 19. & 20. Vbi dixi Constitutionem illam Gregorij extendi etiam ad Capellanos Regum, esto in illa solum sit sermo de Capellanis Papæ. Sed nota quod Capellani Regum vti possunt exemptione ab Ordinario, si actu fuerint seruientes in Capellis Regiis, non si extra illas degant. Erasmus Cochier de *Iurisdict. Ordin. in exempt. p. 1. q. 32. num. 9.* Stephanus Vveyms *Constit. 21. num. 16.* Barbosa *in collectan. DD. in Concil. locum relatum, num. 9.*

43. Pro Capellanis autem Papæ notandum præterea, illis antiquitus committi solitas aliquas causas ad beneficia Ecclesiastica, & similia pertinentes, coram Summis Pontificibus tractandas in Capella quadam priuata, à qua Capellani dicti sunt, & propter quam causam Auditores Rotæ Papæ Capellani vocantur. Quorum vnus fuit sanctus Raimundus de Periaforr, quem Grehorius IX. *in Procem. Decretal.* suum Capellanum appellat. Franciscus Peña *vit. S. Raimund. lib. 1. c. 8.* Bzouius *t. 3. Annal. sub anno 1234. num. 15. & 16.* Angelus Rocca Augustinianus *in Chron. histor. de Apostolic. Sacrar. pag. 50.* Addens etiam Eugenium Papam ad Fratres Carmelitas scribentem eos appellare *Capellanos suos.* De quo *in nostris Annalibus* dicetur.

Circa §. 12.

44. EXtenditur hoc loco authoritas Prælatorum huius Ord. de qua §. *præcedenti* dictum etiam erat, ad remouendum, reuocandum, transferendum, & mutandum Fratres designatos ad prædicandum Crucem, vel exercendum munus Inquisitorum hæreticæ prauitatis, etiam censuram Ecclesiasticam in ipsos exercendo.

45. In simili priuilegio Prædicatorum, Minorum, & Carmelitar. actum est de materia ista, scilicet in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 19. Minorum *circa* §. 20. & Carmelitar. *circa* § 90. Ex quibus constat quod licet hoc priuilegium maneat modo in sua vi quantum ad prædicatores Crucis, seu Cruciatæ, non tamen quantum ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, propter priuilegia, vel saltem consuetudinem S. Officij. Vnde Prælati Regulares nullam habent authoritatem supra dictos Inquisitores in spectantibus ad negotia S. Officij, sed solum, quoad obseruantiam Regularem, & iuxta limitationem positam loco relato ex Mari magno Prædicatorum, & in Bulla *Aurea* dicta *circa* §. 8 ac loco relato ex Mari magno Carmelitarum.

Circa §. 13.

46. INhibet hoc loco Pontifex, ne quis professus in Ord. Minim. ab ipso discedat sine Generalis, aut Prouincialis licentia, nec discedentem, absque ipsorum litteris quis audeat retinere, alias liceat dictis Generali, & Prouincialibus in discedentes excommunicationis sententiam promulgare; detinentes verò nisi eos admoniti reiecerint, excommunicationis sententiæ subiaceant, etiamsi priuilegiati existant.

47. Hæc est Summa priuilegij in hoc loco adducti, & similis aliis, quæ habentur in Mari magno Prædicatorum §. 20. Minorum §. 21. Eremit. S. August. §. 15. Carmelitarum §. 74. & 91. & aliquo modo in Mari magno Seruitarum §. 47. Quibus in locis de hac materia sufficienter egi, adiunctis præsertim illis, quæ in aliis quatuor tomis Summæ locis ibi relatis, de ea dicta sunt.

Notat etiam Peirinis hoc loco *num. 47. & t. 3. priuileg. Minim. in Addit. ad istam Bullam Iulij II. c. 3. n. 17.* quod Episcopi retinentes apostatas Ord. non possunt excommunicari ex vi huius priuilegij, aut alterius, eo quod Episcopi habeant hoc priuilegium iure communi concessum, quod excommunicari non possunt nisi expressa mentio de illis fiat, *cap. quia periculosum de sententia excommunication. in 6.* argument. *cap. de multa de præbend. cap. Sedes Apost. de reser.* Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 5.* Sed, vt dixi *tomo 1. cap. 16 num. 15. in impressione Venet.* licet hoc colligatur aliquo modo ex *d. cap. Sedes Apost.* & Concil. Trident. cæterum ex illo *cap. quia periculosum* nihil colligitur, quia ibi solum est sermo de suspensione, & interdicto, non autem de excommunicatione. Similiter ex *cap. de multa de praben.* nihil video colligi posse. Melius addit idem Author *num. 17.* relato remanere excommunicatos dictos Episcopos, si postquam admoniti fuerint, non restituerint tales discedentes ab Ordine ex vi huius priuilegij illis verbis *Excommunicationis sententiæ volumus subiacere.* Licet hoc etiam animaduerti debeat non semper verbum illud *subiacere* denotare censuram latæ sententiæ, prout dixi loco relato ex Mari magno Prædicatorum. Quod etiam addit, scilicet, excommunicationem istam, de qua in isto priuilegio, non incurri ab illis, qui aliquem Religiosum retinerent, non tanquam fugitiuum, aut apostatam, sed tanquam consanguineum, amicum, vel familiarem, tactum est in loco relato ex Mari magno Prædicatorum. 48.

Si quæras an huiusmodi discedentes ab Ordin. gaudeant priuilegiis, & indulgentiis ipsius. Respondeo, quod licet hoc possit concedi quatenus ista spectant ad forum externum, & possunt esse illis occasio vagandi, vel licentiori modo viuendi, credendum est, nec Papam, vel Prælatos Ord. velle, quod gaudeant dictis priuilegiis, aut indulgentiis. Hæc verò multo potiori ratione dici debent de istis, si fuerint veri apostatæ; quamuis hoc non colligatur ex decreto Concil. Trid. vt dixi *tomo 1. cap. 16. num. 12.* Vide Mandosium priuileg. ad instar gloss. 3. & Quintana Dueñas *Tract. 4. de. Iubilæo. dub. 7.* 49.

Circa §. 14.

HIc statuit Pontifex, quod si qui Religiosi huius ordinis post obtentam à Sede Apostolica licentiam transeundi ad aliam Religionem, infra duos, vel tres menses id non fecerint, liceat Prælatis contra ipsos, sicut contra alios apostatas Ordinis procedere; quod etiam intelligi vult de illis, qui post susceptionem habitus alterius Religionis infra tempus probationis, nulla professione facta inde resilierint, aut si post professionem ad Religionem laxiorem trāsierint, vel ad sæculum reuersi fuerint. 50.

Ex hoc priuilegio Peirinis eius Scholiastes *hic num. 50.* inquit colligi bonum argumentum ad probandum Ordinem Minimor. strictiorem esse omnibus aliis, siquidem ab eo non potest esse transitus ad alium sine Papæ licentia, quod dicere potuit propter illa verba: *Si verò aliqui de Fratribus vestri Ordinis post obtentam licentiam à Sede prædicta,* 51.

cta,aut à Nobis ad Religionem aliam transeundi,&c. quæ non habentur in Mari magno Prædicatorum, Minorum, aut Carmelitarum, vbi est simile priuilegium, sed in Mari magno Prædicatorum §.21.& Minorum §.22.per ista verba,*Si verò aliqui de Fratribus prædicti Ordinis post obtentam licentiam à Sede prædicta, aut à vobis*,&c.& in Mari magno Carmelitarum per ista, *Si aliqui de Fratribus vestri Ordinis post obtentam licentiam à Sede prædicta , aut Magistro Generali*, &c. ex quorum priuilegiorum collatione constat transitum ad aliam Religionem permitti à Summis Pontificibus in Ordine Prædicatorum, Minorum , & Carmelitarum solum cum licentia Generalis , in Ordine autem Minimorum nonnisi ex licentia Papæ. Verumtamen, quamuis hoc admittatur, non propterea infertur Minimorum Ordinem strictiorem esse generaliter loquendo omnibus Ordinibus. Tum quia ferè simile priuilegium habent Seruitæ iu eorum Mari magno §. 47. vbi Innocentius VIII. illis prohibet transitum ad aliquem alium Ordinem etiam de licentia alicuius Sedis Apostolicæ legati, aut Maioris Pœnitentiarij , & Fratres sanctæ Mariæ de Mercede habent è Callisto III. in Bulla *super gregem* in Bullario huius Ordinis *in hoc Pontifice,n.6.*idem prorsus priuilegium , & tamen nec Seruitæ , nec Fratres sanctæ Mariæ de Mercede profitentur Ordinem strictiorem cunctis aliis. Nec obstat , quod Iulius II.& Leo X.in Bullis,quas affert Passarellus in suo illo opere *de Priuilegiis Minimorum* expresse dicant Ordinem Minimor esse *arctiorem , & strictiorem*,& Callistus III.de Ord.Fratrum sanctæ Mariæ de Mercede in Bulla relata dicat , quod videatur aliis Ordinib.*longè arctior.* Nam id dicunt hi Pontifices attendendo præcisè ad quartum votum vitæ quadragesimalis, & redemptionis captiuorum, quod in his Religionibus emittitur, ex quo tantum colligitur huiusmodi Religiones in ratione talis voti, & veluti secundum quid esse aliis strictiores , aut arctiores , non verò simpliciter , quia hoc desumi debet ex aliis capitibus , iuxta dicta *tom.4.verbo Transeuntes Regulares, num.8. & verbo Votum pro Regularibus , num.6.* præsertim propter declarationem Clement. VIII. in Bulla ibi relata, vbi dicit , *Declarantes Regulam*(idem dico de Ordine)*strictiorem esse iudicandam alia ratione , quam respectu quarti voti.* Cuius signum est , quod non obstante quarto voto Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede Clemens VIII. in illa Bulla prohibet Fratribus huius Religionis receptionem Fratrum Minorum de Obseruantia , aut alterius strictioris Regulæ ; & non obstante quarto voto Ordinis Minimorum non possunt recipere eosdem Fratres Minores de Obseruantia , propter priuilegium Iulij II. nec Capuccinos , propter priuilegium Pij V. vt fatetur Passarellus *in Annotat.ad priuileg. Minim. notat.39.*

51\. Alia quæ hoc loco tractat idem Peirinis circa hoc priuilegium, & transitum ex vna Religione ad aliam, discussa sunt *tom.1. cap.23. & tom.4. verbo Transeuntes Regulares* , ac supra in hoc opere locis relatis, ex Mari magno Prædicatorum , Minorum, Carmelitarum,& Seruitarum.

Circa §.15.

52\. IN hoc loco conceditur Prælatis Minimorum facultas ad excommunicandum, capiendum, ligandum,incarcerandum, & subdendum disciplinæ rigori apostatas Ordinis in quocunque habitu reperti fuerint, etiam inuocato, si opus fuerit , auxilio brachij sæcularis. Quod etiam habetur in Mari magno Prædicatorum, & Minorum, §.23. & Carmelitarum §.28. Quibus etiam consonant alia priuilegia pro Carmelitis in eorum Mari magno §. 31.74.& 92. & pro Seruitis §.34. Quibus in locis, & aliis ibi relatis plura de hac materia dixi.

Specialiter notandum , Dominos Episcopos nullo pacto posse suscipere istos apostatas sub sua protectione,non solum propter dicta in hoc Opere de pœnis impositis contra illos detinentes in Mari magno Prædicatorum §. 30. Minorum §.11. Eremitarum sancti Augustini §.15. Carmelitarum §.74.& 91. Seruitarum §.47. & Minimorum §.13. Sed etiam propter Bullam Pij V. *Etsi Mendicantium*,quam retuli *tomo 1.cap.2. num.12.* vbi specialiter Pontifex hæc habet : *Inhibemus etiam ipsis Ordinariis , ne Fratres extra claustra degentes sub eorum protectione recipiant,eosque inuitis suis Superioribus detineant.* Tunc autem dicentur Episcopi recepisse sub sua protectione dictos apostatas, quando eos defenderint, ne inquirantur, capiantur,puniantur,&c.Etenim *protegere*,idem est ac *defendere*, vt notat Glossa *in leg.desertorem §.vlt. ff.de re milit.* & dixi *tom.3. verbo Exemptio Regularium , num.7.* Quod etiam denotat idem Pontifex ibi etiam dicens : *Fratres quoque si contigerit eos ad huiusmodi Ordinarios recursum habere , à præfatis Generalibus Ministris, seu Prouincialibus, Prioribus , Guardianis, & aliis Superioribus castigari, & puniri posse,& debere: neque ipsos Ordinarios præfatis Superioribus Ordinum huiusmodi vllatenus inhibere , quinimo præfatos Superiores processus contra fratres suos , & Moniales huiusmodi quando opus fuerit circa delictorum inquisitionem, vel castigationem facere posse decernimus,inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.* 53.

Possunt propterea Prælati horum apostatarum, imo debent, dum in apostasia perseuerant, siue detineantur ab Episcopo siue ab aliis eos priuare libris , & aliis rebus pertinentibus ad eorum vsum, tum propter iurisdictionem spiritualem, & dominium , quod supra illos habent , tum in pœnam apostasiæ, tum etiam propter aliqua priuilegia Religionum, scilicet Leon.X. pro Minimis , & Pauli II. pro Augustinianis, quo cauetur , quod si prædicti apostatæ, aut fugitiui quæstuauerint , huiusmodi quæstuatione quæsitis priuentur , & Conuentui , in cuius territorio quæstuauerint, restituantur. Peirinis *tom.1.Priuileg. Minim.in Constit. 13.Leon.X.num.8.* 54.

Si autem prædicti ; aut alij quicunque operati, fuerint ad apostasiam Religiosorum , non solum peccent mortaliter, sed etiam tenentur ad restitutionem eorum damnorum , quæ Religio passa est propter dictam apostasiam, iuxta dicta *tomo 1. cap.16. num.14.* An autem hoc solum sit verum de cooperantibus positiuè : scilicet suadendo, consulendo,approbando,adiuuando,occultando,defendendo,&c.sed etiã negatiuè,scilicet non impediendo,aut non obstando , &c. & de pœnis id perpetrantium , consule præter dicta Suarez *tomo 4. de Relig.Tract.8.lib.3. cap.3.* & Castrum Palaum *p. 3. tract.16.disp.4.punct.18.* 55.

Circa §. 16.

INhibet hoc loco Pontifex , ne ab Ordine Minimorum expulsi,aut sponte egressi audeant prædicare , confessiones audire , seu docere , nisi de suo 56.

suorum Superiorum licentia transeant ad alium Ordinem, vbi id licitè facere possint. Addit etiam quòd si oppositum fecerint, possunt Prælati illos excommunicare.

57. De simili concessione facta Prædicatorib.in eorũ Mari magno §.24. Minor.§.24.& 25.Carmel.§ 93. & ex parte Seruitis § 49.dixi iis locis,vbi etiam,ac aliis ibi relatis hanc materiam concernentibus.Addendum tamen primo facultatem istam concessam Prælatis ad promulgandam sententiam excommunicationis contra egressos sponte, seu expulsos sui Ordinis, qui tempore expulsionis seu egressionis, nec aliam Religionem ingredientes audent prædicare,confessiones audire,aut docere, esse magis limitatam, & coarctatam, quam ea, quæ ipsis Prælatis competit iure communi, siquidem iure communi, iuxta dicta supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §.20. possunt Prælati Regulares, cum non habeant territoria diuisa, excommunicare suos subditos vbique gentium existentes,in hac autem facultate solum id conceditur *in illos, quos quos infra fines suarum Prouinciarum iuxta consuetudinem Ordinis, distractos inuenerint*, vt inquit Pontifex. Magis ergo restricta & coarctata est hæc facultas, quam ea, quæ iure commmuni competit Prælatis. Credo tamen, datam fuisse hanc facultatem expresse à Papa, præsertim propter eiectos, seu expulsos ab Ordine, quos aliqui existimare poterant excommunicari non posse à suis Prælatis, quamuis hoc sit falsum, cum adhuc tempore eiectionis subditi maneant Religiosi, & solum ab ea separati, donec resipiscant, iuxta dicta sæpius, præsertim *tomo 3.verbo Eiecti Regulares ab Ordine, num.2.* Nota secundò, in hoc priuilegio supponi, seu concedi à Pontifice Generali,& Prouincialibus Minimorum, posse licentiare suos fratres, eos scilicet, quos ab Ordine eiecerint, vel propria sponte egressos, ad transeundum ad alium Ordinem.Dicitur enim ibi *Nisi ad alium Ordinem, &c. transierint de vestra licentia speciali.* Quod tamen videtur contrarium aliis priuilegiis huius Pontificis Iulij II. & Leonis X. qui propter arctitudinem quarti voti vitæ quadragesimalis huius Religionis talem transitum illis prohibent. Nisi dicatur,tam hæc, quam alia plura priuilegia interdicentia transitum vnius Religionis ad aliam solum procedere, quando non adest causa iusta ad illam concedendam, prout aliquoties dixi, & ex recentioribus indicat Thesaurus *in prax. part.2. verbo Religiosi, cap.4. §. generaliter, & §. Sed aduerte* post Nauarrum, Sanchez, Lessium, Laymanum. Vide dicta *tom.4. verbo Transeuntes Regulares, num.11.* & dicenda *circa* §.17.sequentem.

58. Pro dictis autem & dicendis; est dubium, an si casus quo Religio iustè, vel iniustè nollet admittere eiectos iam emendatos, teneantur ipsi ingredi aliam Religionem. Et respondendum negatiuè, quia solum sunt obligati ad Religionem, in qua sunt professi, & à qua fuerunt eiecti. Nauarrus *Comment.2.de Regularibus, num.36.* Layman *lib 4. tract.5. cap.13. quæst.5.* Castrus Palaus *part.3.tract. 16.disp.4.punct.22.num 1.* post Azorium, Lessium, Sanchez, & Suarez. Neque etiam ad id possunt cogi à Prælatis suæ Religionis, propter eandem rationem, & quia status Religiosus debet esse omnino voluntarius, ac propter decretum sacræ Congregationis, de quo §.*sequenti*.Palaus *suprà,num.2.* Addo tamen, quod casu quo Religiosus iustè damnari posset ad triremes, vel perpetuum carcerem,potest cogi à Prælatis Religionis ad intrandum in aliam Religionem, aliàs subiturus dictam pœnam. Quia hoc non tam est onus quam beneficium, vt ab illa pœna liberetur, & quamuis habeat aliquid grauaminis, hoc iustè infligitur propter delicta ab illo Religioso commissa. Suarez *tomo 4.de Relig. Tract 8. lib.3.cap 5. nmu.20. & Tract.10.lib.11.cap.2.n.7.*Layman & Palaus *suprà.* Fauet praxis Societatis Iesu, quam ipse Palaus refert, nec contradicit decretum S. Congregationis relatum, quia ibi solum decernitur, ne Prælati Religionum iubeant suis eiectis transire ad aliam Religionem, non autem quod non possint suis criminosis offerre istam opinonem; vt scilicet, vel subeant pœnam illam grauissimam, quam mereantur, vel pergant ad aliam Religionem. Hæc verò maximè notanda censeo pro aliquibus casibus, in quibus expediens erit vti hac opinione, potius quam infligere grauissimam pœnam Religioso cum magno periculo animæ ipsius,& detrimento honoris Religionis.

Circa §.17.

IN hoc etiam priuilegio, quod est veluti appendix ad aliud, de quo *in* §.*præcedenti*,statuit Pontifex, vt Generalis, vel Prouinciales Minimorum possint eiectos de suo Ordine, vel egressos, qui receptione in illo sunt indigni,& alios fratres eiusdem Ordinis ex rationabili causa, ad quoscunque Ordines approbatos, *præterquam B. Augustini, Templariorum, Hospitaliorum & aliorum arma portantiũ* licentiare, & quod tales nó possint ad alios Ordines transire, nec illi eos recipere, aut retinere sine Sedis Apostolicæ facultate. 59.

60. Præter notata circa similia priuilegia Prædicatorum in ipsorum Mari magno *circa* §.24. Minorum *circa* § 24. & Carmelitarum *circa* §.94. Vlterius notandum, ex hoc priuilegio colligi posse id quod dicebam circa priuilegium §.*præcedenti* relatum, scilicet posse Prælatos nominatos Ordinis Minim. licentiare subditos, rationabili existente causa, ad trãseundum ad aliam Religionem laxiorem, quod est maximum priuilegium, vt inquit Peirinis *hic n.52.* Et quamuis id solum intelligere videatur de fratribus apostatis,& fugitiuis,priuilegium tamen generaliter illis loquitur illis verbis: *Et alios fratres eiusmodi Ordinis.* Illa aute quæ subiunguntur,scilicet *Ad vitandam occasionem euagandi* posita videntur, pro ratione illius limitationis, scilicet,*Præterquam B. Augustini,Templariorum, Hospitaliorum, & aliorum arma portantium*, nam in istis Ordinibus est maior occasio euagandi. Concordari ergo debet hoc priuilegium cum aliis, quæ habent iidem Minimi, iuxta dicta *circa* § *præcedentem.* Notat vlterius ide Scholiastes *n.51.* ex hoc priuilegio desumi posse bonum argumentum ad probandum quod eiecti,si humiliter petierint recipi in Religione, debeant recipi, quod est verissimum,iuxta dicta *t.1.c 23 n.7.8.9.*& 12.& supra in Mari magno Carmelit.*circa* §.93.Imo,iuxta ibidem dicta,quando sunt emendati possunt cogere Religionem, vt illos recipiat. Notat præterea *n.52.*nunc extare decretum S. Congreg. sub Vrbano VIII quasi denotans per illud esse reuocatum hoc priuilegium, præsertim quod attinet ad facultatem licentiandi eiectos ad aliam Religionem. Cæterum, iuxta dicta supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §.24 non est reuocatum istud priuilegium per illud decretum, quia in decreto solum prohibetur ne Superiores Religionum iubeant

beant suis eiectis transire ad aliam Religionem, non autem quòd illis facultatem ad hoc concedant. Quomodo autem litteræ testimoniales, de quibus est sermo in hoc priuilegio, etiam à Sede Apostolica concessæ in fauorem tam horum, quam aliorum, qui diuersis præ extibus viuunt extra Religionem, examinari possint, instante Religione, ab Ordinariis, propter priuilegium Iulij II. pro Minorib. quod etiam Minimi, & alij Mendicantes frui possunt, dixi supra in Mari magno Carmelitarum *circa* §.94. & notat Peirinis *t.2. priuileg. Minim. in Paulo III. Constit.3. num.3.*

Circa §.18.

61. INhibet quoque hoc loco Pontifex, vt nemo extraneus habitum Minimorum, aut consimilem, vt propterea Minimus existimari possit, ferri queat, absque Sedis Apostolicæ mandato, & quod qui id facere præsumpserint, ad talem habitum deponendum per Diœcesanos locorum per censuram Ecclesiasticam compellantur.

62. Consimilem concessionem habent non solum Prædicatores, Minores, Carmelitæ, & Seruitæ, sed etiam Cistercienses, Augustiniani Discalceati, Carmelitæ nostri Discalceati, & Capuccini, iuxta dicta in mari magno Prædicatorum *circa* §. 25. vbi etiam, & aliis locis, maximè ex Mari magno aliorum Mendicantium, de hac materia egi.

63. Circa eam notat Scholiastes huius Bullæ Peirinis *num.53.* similem prohibitionem fecisse Leonem X. pro Tertiariis sancti Francisci sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipsis præcipiendo ne habitum Minimorum gestarent, & quod, cum id non facerent in partibus Hispaniæ, Romæ in Minimorum fauorem confirmante Paulo V. sententia prolata sit. Affert etiam Passarellus *in Priuileg. Minimor. in Paulo III. constit.3.* & idem Peirinis *tom.2. Priuil. Minimor. in Paulo III. constit.3.* eiusdem Pauli priuilegium, quo statuit, quod illi, qui post professionem in Ord. Minim. emissam diuersis prætextibus v.gr. adiuuandi parentes, vel alicuius infirmitatis, &c. extra Religionem viuunt, portent habitum aliquo modo dissimilem habitui Religiosorum intra claustra viuentium, scilicet *caputium cæteris caputiis per ipsos professores gestari solitis aliquanto breuius, ita quod solum ad medium pectoris extendatur*, vt inquit Pontifex. Quod priuilegium, quamuis vt Peirinis inquit, non sit vsu, satis tamen rationabile est, & communicabile aliis Religionibus, vt cognoscantur oues, quæ sunt intra caulas gregis, & quæ extra, & euitetur ignominia Religionis, quæ solet prouenire ex iis, qui extra Claustra viuunt.

Circa §. 19.

64. COnceditur hoc loco Minimis exemptio à decimis de hortis, & virgultis ipsorum, cum inhibitione, ne aliquis de præmissis aliquid exigere, vel extorquere præsumat. Sicut etiam concessum est ab aliis Pontificibus Prædicatoribus in eorum Mari magno §.26. Minoribus §.28. Eremitis sancti Augustini §.13. Seruitis §.44. & copiosius Carmelitis § 46. & 72. Quibus in locis, & aliis ex quatuor tomis Summæ plura de hac materia dixi. Est etiam valde ampliarum hoc priuilegium infra §.30. Vbi etiam de illo dicetur. Imo in alia Bulla huius Pontificis, *Dum ad Sacrum*, quam referunt Passarellus, & Peirinis, eximit hunc Ordinem, Ecclesias, Oratoria, domus, & loca tam recepta, quam recipienda *tanquam Sedis, & Ecclesiæ Romanæ specialia* (vt inquit Pontifex) *ab omni decimarum & oblationum persolutione*, non solum de hortis, ac virgultis, sicut in hoc priuilegio, sed etiam de *aliis quibuscunque bonis*. Quia tamen Pontifex veluti pro causa huius concessionis assignat, quod Religiosi isti *De latitudine Orbis terræ nihil præter domos, & hortos cum virgultis ad simplicem tantummodo fratrum vsum* habeant, quo denotari videtur, quod cessante isto modo paupertatis cesset etiam hoc priuilegium, ideo consulenda sunt, quæ dixi supra in Mari magno Minorum circa §. 11. vbi ostendi id solum esse verum, quando cessat causa finalis adæquata priuilegij, non quando cessat impulsiua, aut inadæquata finalis, prout in præsenti dici potest. Imò etiam quando aliquod priuilegium, seu gratia facta sunt aliquibus Regularibus pro necessaria sustentatione ipsorum, explicari debere de commodiori sustentatione, habet Rota in Metensi *Vnionis* coram Caualiero anno 1616. quod ad intentum huius, & similium priuilegiorum deseruit.

Circa §. 20.

COnceditur hoc priuilegio Prouincialibus, & Vigilibus Minimorum, vt si contingeret quod volentes ingredi Religionem ipsorum, teneantur restituere aliqua bona aliquibus personis quæ sciri, & inueniri non possunt, possint prædicta bona in pios vsus conuertere, prout secundum Deum videbitur expedire. Quo etiam priuilegio gaudent alij Mendicantes, Prædicatores quidem ex ipsorum Mari magno §.27. Minores §.29. & Carmelitæ §.96. Quibus in locis, & aliis ibi relatis de hoc puncto egi. 65.

Præter quæ notat Peirinis *hic num. 54.* ex Nauarro, ex Henriquez, ac ex cap. *cum tu de vsuris*, quod id quod conceditur hoc priuilegio fieri potest sine illo. Verumtamen, iuxta dicta in Mari magno Prædicatorum *circa d.* §.27. licet hoc ita sit, nihilominus vtile est propter varias opiniones, quæ sunt in hac materia, præsertim circa pauperes, quibus talium incertorum restitutio facienda sit, an scilicet debeant esse pauperiores, & eiusdem Ciuitatis, aut loci vbi habitant ij, qui retinent talia bona. Imo etiam vtile erit pro casu, quo Conuentus istorum Religiosorum non sint constituti in necessitate, aut indigentia pro victu ipsorum, cùm Pontifex non posuerit hanc limitationem, & Conuentus Religiosorum alias necessitates habeant præter istas, iuxta dicta supra in Mari magno Seruitarum *circa*. §.23. 66.

Præterea notanda hic est particularis doctrina quorumdam Doctorum circa restitutionem incertorum, quæ ad huiusmodi debita incerta nouiriorum applicari potest. Dicunt enim: Debens suo creditori centum, satisfacit huic debito, si dibiti prorsus immemor animo liberali rantumdem ei donet. Similiter obnoxius restitutioni incertorum pauperibus, potest omnes eleemosynas, quas postea ignarus aut illius obligationis immemor, ex sua deuotione largitus est, computare in eius restitutionis partem, quia si hi conscij, aut prædictæ obligationis memores essent, non animo liberali, sed satisfaciendi dedissent. Ita tenet Bartholomæus à sancto Fausto *lib. 6. de voto obedientiæ, quæst.47. n.4.* & ex ipso Candidus *tom.2. disquisit.25. art.* 67.

*art.20.num.*14. Idem sequitur Moronus *in Responsis responsf.*17. De quo tamen alias.

Circa §.21.

68. IN hoc autem priuilegio conceditur Minimis libertas sepulturæ in eorum locis, cœmeteriis, & Ecclesiis pro illis qui ibi sepeliri voluerint, nisi fuerint excommunicati, interdicti, aut publici vsurarij, & salua iustitia Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

69. Circa hoc priuilegium sufficere possunt, quæ in simili alio Prædicatorum ex ipsorum Mari magno §.28. Minorum § 30. Eremitarum S. Augustini §. 2. 3. & 24. Carmelitarum §.57. & Seruitarum §.2.4.& 29. dicta sunt. Consonant etiam quæ hic idem Pontifex Iulius II. in alia Bulla *Dum ad Sacrum*, quam referunt Passarellus, & Peirinis, iisdem Minimis concessit, circa excommunicationem promulgandam contra impedientes dictam libertatem sepulturæ. Pro quo etiam videndus Moronus infra citandus *Respons.* 52. agens de pœnis quas incurrit Parochus expolians funera antequam veniant ad eos, ad quos spectant.

70. Notat præterea Peirinis *hic num.*54. sepulturam ex eo dici liberam quia à nemine potest impediri. Adde etiam, denotare omnimodam & plenam auctoritatem sepeliendi in propriis Ecclesiis corpora eorum, quæ in ipsis sepeliri volunt; libertatis enim nomine venit omnimoda, & plena *leg. cum venderet ff. de actionibus empt.* Rolandus à Valle *cons.*2 *num.*34. *tom.* 1. & *cons.* 85. *num.*31. *tom* 4. Barbosa *de Appell. Verb. iur. sign. Appell.*131. Vnde consequenter concessa libera sepultura censetur concessa tanquam accessorium celebratio pro defuncto. Federicus de Senis *cons.*186. *in princip.* Et delatio ipsius processionaliter ad Ecclesiam. Oldradus *cons.*225. *num.* 14 *in fin.* Barbosa *de Axiomat. iur. axiom.*4. *num.*5 licet hoc intelligi debeat cum moderatione adhibita à Concilio Lateranensi, & S. Congregatione Regularium, quam retuli in Mari magno Prædicatorum; scilicet conuocato Parocho, &c. Item notat, sepeliri volentes in Ecclesiis Minimorum lucrari omnes indulgentias, quas lucrantur fratres, propter priuilegia Leon. X. & Adriani IV. Et quod quando cadauera ad Ecclesias fratrum deferuntur, officia solum à fratribus fieri debeant. Sed de primo dixi *tomo* 4. *verbo sepultura quoad Regulares n.* 19. & de secundo *t.*1.*c.*12. *n.*38. & *tom.*2. *c.*1. *num.*47. & maximè *tomo* 3. *verbo defunctus num.*6. & 7.

71. Cum Pontif. in hoc priuilegio concedat liberam sepulturam non solum in Ecclesiis, & cœmeteriis, sed etiam *in locis* fratrum, quod etiam habetur in Mari magno Prædicatorum § 28. & Eremitarum S. Augustini §.2. ideo magis confirmatur ea, quæ dixi supra in Mari magno Carmelitar. circa §.57. scilicet, in claustris etiam, Capellis, Sacristia, &c. posse Religiosos sepelire eos, qui ibi voluerint sepulturam habere. Quid autem significet clausula illa, quam Pont. ponit, scilicet, *Salua iustitia illarum Ecclesiarum*, sæpius dixi in similibus priuilegiis aliorum Mendicantium denotare Canonicam portionem, seu quartam funeralem, de qua, & aliis concernentibus hanc materiam plura dicta sunt locis relatis & aliis, quæ ibi citaui.

72. Alia circa sepulturæ locum, vocandos ad ipsam electionem ipsius, ius sepeliendi, & an transeat ad hæredes, tale nouissimè Moronus *in Responsis Respons.*51. ex variis S. Congregationis declarationibus, & Rotæ decisionibus, quæ omitto, quia de ipsis dixi locis relatis, & vix aliquid continent, quod ibi tactum non sit.

Circa §. 22.

COnsequenter etiam ad priuilegium de libertate sepulturæ, de quo *in* §.*præcedenti*, inhibet Pontifex hoc loco, vt nulli Religiosi, vel sæculares, sine assensu Fratrum Minimorum, in eorum Ecclesiis defunctos sepelire, Missas celebrare, aut exequias pro defunctis facere præsumerent. Quod etiam habetur in Mari magno Prædicatorum § 28. Minorum §.31. & Eremitarum sancti Augustini §.3. Quibus in locis, ac aliis ibi relatis de hoc puncto actum est. Consonat etiam Constitutio. *Etsi Mendicantium* Pij V. sæpius relata illis verbis: *Mandantes etiam vniuersis locorum Ordinariis, ne mortuorum officia agere Rectores Parochialium in Ecclesiis ipsorum Fratrum contra illorum voluntatem permittant.* De quo dixi *tomo* 2. *cap.*1. *num.*47. Consonat etiam ius commune exemptionis Ecclesiarum, quæ petit, vt nihil in ipsis fiat, Rectoribus ipsarum non consentientibus. Præsertim, cum Ecclesia semper præsupponatur ius suum possidere *leg. raptores* §. *sin autem Cod. de Episcop. & Cleric.* Gigas *de pensionibus, quæst.*46. *num.*9. & *quæst.* 47. Flaminius Paris. *de resignat. benefic. lib.*14. *q* 7. *num.*50 Hoc etiam & alia concernentia hoc & similia priuilegia habentur ex declarationibus sacræ Congregationis in vna Toletana de Baraxas, & in alia Camerinensi, quæ habentur in decretis nouissimis sacræ Congregationis additis ad *tertium t. priuilegiorum Minimorum* Peirinis. In prima enim sacra Congregatio respondit; *Non licet Curatis sepelire cadauera defunctorum, nec officia facere in Ecclesiis Regularium absque expressa licentia Guardiani, aut superioris Ecclesiarum ipsorum Regularium, non obstante contraria consuetudine.* Et in secunda ad dubium eidem Congregationi propositum, an cum cadauera ad Ecclesias fratrum Mendicantium, aliorumque Regularium deferuntur, officia mortuorum, & reliqua munia, quæ in huiusmodi occasionibus fieri solent, fieri debeant à Canonicis, & Clero, vel ab ipsismet Regularibus, respondit. *Non à Canonicis nec aliis, sed ab ipsismet Regularibus in propriis eorum Ecclesiis officia super cadaueribus peragi debere.* 73.

Circa §. 23.

PLura conceduntur Minimis hoc loco. Primum est, facultas celebrandi, & recipiendi Sacramenta tempore interdicti. Secundum, facultas ad dandum Sacramenta, & sepulturam eorum familiaribus. Tertium, quod Sententiæ excommunicationis, vel interdicti generaliter latæ non comprehendant dictos familiares, sed quod illis non obstantibus, nisi fuerint excommunicati, aut interdicti specialiter, aut causam dederint interdicto, possint audire diuina. Primum istorum habetur etiam in Mari magno Prædicatorum § 10. Minorum §.8. Eremitarum S. Augustini § 20. & Carmelit. §. 3.4.36. & 50. Secundum quoque habetur in eodem Mari magno Prædicatorum §.12. Minorum §.10. & Carmelitarum § 52. Quibus locis, & aliis ex quatuor tom. Summæ ibi adductis plura de hac materia dicta sunt. Specialiter iuxta dicta circa §.10. Maris magni Prædicatorum, quo ad primum, qualiter illud sit iure communi concessum 74.

sum *cap. Alma mater de sentent. excommunicat. in sexto*, illis verbis: *Adiicimus praeterea, quod singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Missae celebrentur, & alia dicantur diuina officia sicut prius, submissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis.* Quibus similia continentur in hoc priuilegio. Quoad secundum verò, & tertium de illis priuilegiis pro familiaribus Religiosorum sufficienter dictum est locis relatis, *& tom. 2. cap. 16. & 17.*

74. Attamen pro praxi seruanda à Religiosis in excludendo excommunicatos, & interdictos, prout in *dicto cap. Alma mater, & in hoc* priuilegio continetur, obseruanda sunt, quae quoad excommunicatos dixi *tomo 3. verbo excommunicatio quoad Regulares, num. 21.* scilicet excommunicatos vitandos omnino arcendos esse ab officiis diuinis, adeo vt si illis velint interesse, & admoniti non discedant, expelli debeant, praesertim ab Ostiario, etiam vi & coactione, etiamsi sint personae Ecclesiasticae; sine periculo incurrendi excommunicationem *cap. si quis*, & quod si expelli nequeant sine periculo, omitti etiam debeat Missa inchoata, nisi in ea facta fuerit consecratio. Loquor autem de excommunicatis vitandis, seu non toleratis, quales sunt percussores clericorum notorij, & nominatim denunciati, nam alij excommunicati tolerati, seu non vitandi, possunt admitti, iuxta dicta eo loco *num. 20.* Et quoad interdictos, scilicet, quod iuxa dicta etiam eo *tomo 3. verbo Interdictum quoad Regulares, num. 25.* ipsi etiam expelli eodem modo debent, & si expelli non possunt, cessandum à celebratione diuinorum, nisi pro casu quo fuerit facta consecratio. Quod etiam limitandum, iuxta dicta eo loco, si tales interdicti fuerint denunciati, vel specialiter, vel saltem generaliter cum populo, vel communitate.

75. Nota praeterea, quod dare causam interdicto in hoc priuilegio, & similibus est idem, quod perpetrare delictum, propter quod impositum est interdictum, vel dedisse auxilium, consilium, vel fauorem ad illud perpetrandum. Sic colligo ex *dict. cap. Alma mater §. illis etiam* Doctoribus ibidem, & aliis communiter. Talem ergo causam dantes excluduntur in hoc priuilegio.

Circa §. 24.

76. INhibet Pontifex hoc loco, ne aliquis ex Ordine Minimorum, nisi in necessitatis articulo, praesumat confiteri sua peccata aliis, quam suis Praelatis, vel aliis Sacerdotibus eiusdem Ordinis. Quod etiam concessum video Praedicatoribus in eorum Mari magno §. 29. Minoribus §. 32. & Carmelitis §. 97. Quibus locis, & aliis relatis ibidem de hac concessione, & ipsius materia dictum est.

77. Addit autem Peirinis huius Bullae Scholiastes *n. 58.* hoc priuilegium esse derogatum per decretum Clementis VIII. *de casuum reseruat.* vbi dicitur: *Non liceat Superioribus Regularium subditorum confessiones audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint.* Verumtamen quia Pontifex in hoc priuilegio non dicit, quod Religiosi debeant suis Praelatis solum confiteri, sed addit: *Vel aliis eiusdem Ordinis Sacerdotibus secundum Regulam, & ipsius Ordinis institutum*, ideo non potest dici esse derogatum per d. Clement. VIII. decretum, quod solum prohibet ipsis Praelatis per se ipsos audire confessiones subditorum, nisi in casibus designatis in eo decreto. Imò addo, esse confirmatum per idem decretum: in eo enim subiungitur: *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori, &c. quia non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam absolutio reseruatorum committatur, quando casus occurrerit.* Supponit ergo Pont. fratres cófitere etiam posse aliis suae Religionis Religiosis, & non solum Praelatis suis. Pro aliis, quae tangit idem author de absolutione casuum reseruatorum Regularium, consule dicta *tomo 3. verbo Casus reseruati Regularium, & verbo Confessarius Regul.*

Circa illam clausulam *nisi necessitatis vrgente articulo*, quo tempore conceditur posse Religiosos istos confiteri sua peccata aliis, quam suis Praelatis, aut fratribus ab illis designatis, nota, quod quamuis per illam denotari videatur necessitas articuli mortis, nihilominus id extendi debet primò ad necessitatem periculi mortis, quia in iure articulus mortis, & periculum mortis pro eodem sumuntur, iuxta dicta *tom. 3. verbo Bulla Coenae, num. 53.* Secundò, ad articulum mortis non solum verum, sed etiam prudenter praesumptum, iuxta dicta eo *tomo 3. verbo Bulla Cruciatae, num. 23.* Imò etiam ad quamlibet aliam vrgentem necessitatem iuxta dicta in Mari magno Minorum *crica §. 32.* praesertim cum in Mari magno Carmelitar. §. 97. solum dicatur *nisi necessitate vrgente.* Vide dicta ibi, & locis relatis. 78.

Nota etiam pro praxi Religiosorum extra Conuentus suos existentium, quod si necesse est illis communicari, vel sacrum facere habentes conscientiam peccati mortalis, non excusantur à confessione facienda cum aliquo clerico saeculari, aut Religioso extraneo, ob vitandam infamiam suae Religionis, quam contrahere possunt apud illos propter peccata illis confitenda. Tum quia personalis lapsus Religiosi non causat infamiam in Religione, tum propter altissimum sigillum quod obseruare debet, Confessarius, tum quia Praeceptum diuinum non recipiendi Eucharistiam non praemissa confessione peccati mortalis, & difficultas habendi actum contritionis superant praefatum inconueniens. Suarez *tomo 3. in 3. p. disp. 63. sect. 4. §. circa primum*, Nugnus *tomo 1. in 3. p. q. 80. art. 4. §. alius casus*, Candidus *tomo 3. disquis. 2. ar. 22. n. 17. & alij.* 79.

Circa §. 25.

EST hoc priuilegium veluti appendix ad praecedens, in eo namque veluti in confirmationem praecedentis priuilegij inhibet Papa vniuersis Ecclesiarum Praelatis, ne fratribus Minimis inuitis eorum confessiones audire velint. Inhibet praeterea ne compelli ab illis possint ad synodos, seu conuocationes suas accedere; vel cum eis ad processiones exire, suis Constitutionibus subiacere; Capitula, scrutinia, & inquisitiones in locis eorum, vel alibi de ipsis facere; fidelitatem iuramento firmatam, aut annualem obedientiam ab ipsis exigere; de Praelatorum destitutione, aut institutione, seu de statutis Religionis se intromittere; aut prohibere ne in ciuitatibus, vel villis aedificare possint Ecclesias; aut propterea excommunicationem in ipsos, & acceptatores ferre. Quae omnia sigillatim expendenda, iuxta dicta supra in Mari magno Praedicatorum *circa* §. 30. & 31. Minorum 80.

circa

circa §. 33. Eremitarum sancti Augustini *circa* §. 16. & Carmelitarum *circa* §. 75. & 98. vbi similia habentur.

81. Et quidem circa primum illud de inhibitione facta Prælatis Ecclesiarum, ne audiant confessiones Fratrum ipsis inuitis, notat Peirinis *hic n. 62.* tales confessiones esse inualidas. Quod etsi sit verum regulariter loquendo, nihilominus, iuxta dicta in mari magno Minorum circa §. 33. casu dato quod Superior iniustè negaret absolutionem Religioso, idque certo compertum fuisset, vel si Superior inuitus non esset, posset Prælatus Ecclesiæ validè & legitimè audire confessiones Religiosorum, Etiamsi essent de peccatis, à quibus Superior Religionis absoluere non posset, iuxta dicta eo loco. Quamuis autem idem Peirinis *num. 63.* dicat Superiorem Religionis non posse concedere licentiam suo subdito confitendi extra Ordinem de casibus sibi per Regulam reseruatis; nihilominus, quamuis sic faciens contra suam Regulam, aut Constitutiones malè faciat, iuxta dicta *circa dict.* §.33. Maris magni Minorum, præsertim cum oporteat, quod proprius pastor cognoscat infirmitates ouium suarum, & quod non permittat vt ipsarum defectus extraneis propalentur, casu tamen, quod id fiat, confessiones illæ validè erunt, quia fient ex potestate delegata ab habente illam iure Ordinario, & non cum limitatione irritationis actus si illam deleget, vt suppono. Portellus *in Dub. Regul. verbo Prælatus, num. 2. & in Addit. num. 2.* Villalobos *in Summ. tom. 1. tract. 9. difficult. 49. num. 11.* Diana *part. 3. tract. 2. Resolut. 2.* post alios.

82. Illud de inhibitione facta Prælatis Ecclesiarum, ne cogant Fratres ad Synodos, aut conuocationes suas, tactum est in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 30. & 31. Eremitarum sancti Augustini *circa* §. 16. & Carmelitarum *circa* §. 75. cum aliis locis ibi relatis, vbi etiam qualiter hoc sit moderatum à Concilio Trident. *sess. 24. de Reformat cap. 2.* Similiter illud de inhibitione compellendi Regulares ad processiones moderatum est à Concilio Trident. *sess. 25. de Regularibus, cap. 13.* & de eo dixi in Mari magno Prædicatorum loco relato, ac maximè in 4. *tomo, verbo Processio quoad Regulares.*

83. Circa inhibitionem illam de non cogendis istis Religiosis ad subiacendum Constitutionibus Prælatorum Ecclesiarum, notat Peirinis huius Maris magni Scholiastes *num. 67.* Constitutiones esse in duplici differentia; aliæ enim sunt, quæ per se concernunt reformationem morum Clericorum; aliæ verò, quæ concernunt rectam administrationem Sacramentorum, & populi reformationem; & de prioribus dicit, Religiosos ad illas non teneri, secus verò de posterioribus. Quod est conforme iis, quæ dixi *tom. 1. cap. 11. num. 13. & tom. 4. verbo Leges Regularium, num. 27.* scilicet teneri Religiosos obedire Constitutionibus Synodalibus concernentibus actiones communes totius populi, vt de ieiuniis seruandis, festis celebrandis, & aliis huiusmodi. Notandum tamen est, quod, iuxta ibidem dicta ex Vasquez, Sanchez, Villalobos, & Becano, hæc obligatio non est ex debito obedientiæ, cum Religiosi exempti, de quibus in præsenti, subditi non sint Episcopis, aut Synodis Episcopalibus, aut ipsorum iurisdictioni subiecti; sed debito, & iure naturali, quo sicut partes, & membra illius populi tenentur se conformare toti corpori. Vnde etiam, iuxta dicta eo *num. 27.* ex Suarez, & Diana post D. Antonium, Paludanum, Salas, Granadum, Lorcam, Zanardum, Portellum, & alios, valde probabile est hanc obligationem; secluso scandalo, & consuetudine, non esse ad culpam, vel pœnam, sed solum ex quadam decentia, & honestate. Imo dato, quod esset in conscientia, esset solum quoad vim directiuam, non quoad coactiuam, iuxta dicta *eo num. 27.* & colligitur ex exemptione Regularium, & similibus priuilegiis.

Illud de prohibitione facta dd. Prælatis Ecclesiarum faciendi Capitula, scrutinia, & inquisitiones de Religiosis, cum sint conformia, imo necessario connexa cum exemptione illorum, ideo ad illa deseruiunt, quæ de hac materia sæpius dicta sunt præsertim *tom. 3. verbo Causa Iudicialis Regularium*, verbo *Delinquens Regularis*, verbo *Episcopus quoad Regulares*, verbo *Exemptio Regularium*, & verbo *Immunitas Ecclesiastica Regularium*, & in hoc Opere circa similia priuilegia. Præsertim pro casu quo dicti Prælati vellent Monasteria Regularium visitare præterquam in casibus, & rebus à Conc. Trid. illis concessis (de quibus egi supra in Mari magno Seruit. *circa* §. 15. quomodo se gerere debeant Religiosi, habes ex dictis supra in Mari magno Minorum §. 36. Carmelitarum § 60 & 98. Hæc porro omnia applicari etiam possunt circa aliam prohibitionem hoc loco positam de non exigenda obedientia, aut fidelitate à Prælatis Religionis, & non se intromittendo in electionibus, aut depositionibus eorum, seu statutis Ord. Cæterum illud de fundatione Monasteriorum sine licentia Episcopi moderatum est à Conc. Trident. Clement. VIII. Greg XV. Vrbano VIII. & sacra Congregatione, iuxta dicta sæpius, maximè *tom. 4. verbo Monasteria Regularium à num. 2.* 84.

Quia tamen in Concil. Trident. *sess. 25. de Regularibus, cap. 8. & 9* tribuitur aliquod ius Episcopis super Monasteria Sedis Apostolicæ immediatè subiecta, etiam quoad visitationem illorum, & sæpius diximus, res bona Monasteria omnia Mendicantium, siue virorum, siue mulierum subiecta esse immediatè Sedi Apostolicæ, ideo ne aliquis existimet talia Mandicantium Monasteria comprehendi illa dispositione Concil j, hic specialiter notandum, quod, vt colligitur ex Concilio *eo c. 8.* Monasteria Sedi Apost. immediatè subiecta ea ibi vocantur, quæ nullo modo subsunt Capitulis generalibus, nec habent Regulares visitatores Ordinarios; quæ ergo subsunt Capitulis generalibus, aut habent Ordinarios Regulares visitatores, qualia sunt Monasteria Fratrum, & Monialium Mendicantium, non comprehenduntur dicta dispositione Concilij. Vt bene Rota in Marsicana *Iurisdictionis* coram Comitolo anno 1589. vbi etiam quo modo stet quod Monasterium sit sub Sede Apostolica immediatè, & nihilominus habeat suos immediatos Prælatos. 85.

Circa § 26.

Conceditur hoc loco Fratribus Minimis exemptio à solutione Canonicæ portionis de iis, quæ ipsi legantur pro cultu diuino, Fratrum victu, aut vestitu, aliisve rebus, aut necessitatibus. Sicut etiam prius concessum erat Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 32 Minoribus §. 34. Eremitis sancti Augustini § 38. 39. & 40. & Carmelitis §. 16. 17. 59. & 99 quibus in locis, & aliis, & ex quatuor tomis Summæ ibi allegatis plura de hac materia dicta sunt. 86.

Præter quæ vlterius notandum, huic priuilegio consonare aliud Leonis X. pro Fratribus S. Mariæ de

de Mercede *in Bullario huius Ordinis in hoc Pontifice Bulla* 3. vbi legata pro redemptione captiuorum nullo modo comprehendi concedit in quibusuis applicationibus ad pias causas à Sede Apostolica factis,& faciendis. Item aliud Pauli III. pro Ord.Minorun, quod referunt Passarellus *in priuil. Minim.in hoc Pontifice,* & Peirinis *in 2.tomo Priuil. Minim.in Paulo III. Bulla 6.* in eo enim, cum occasione aliquorum priuilegiorum Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, S. Spiritus in Saxia etiam de Vrbe, & aliarum Ecclesiarum, quæstores, seu Commissarij aliqui à dicto Ordine Minorum partem aliquam de sibi legatis exigerent, Summus Pontifex concedit nequaquam ab eis, aut similibus vexari, aut molestari posse, quinimo ipsis quæstoribus prohibet id facere sub excommunicationis,& aliarum sententiarum pœnis. Supponit autem Passarellus supra hoc priuilegium communicari etiam Ord.Minimorum,ac per consequens etiam aliis Mendicantibus, qui cum ipsis communicationem priuilegiorum habent.

87. Occasione etiam illorum verborum huius priuilegij, *Dummodo præmissa non conuertantur in vsus alios, sed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac concessione continentur,* notat Peirinis *hic num.* 74. posse Prælatos Regulares,ex vi huius priuilegij commutare legata facta ad vnum vsum in alium ex iis, qui hic ponuntur, v.g.legata pro indumentis conuertere in redemptionem censuum; vel victus; non autem in alios hic non explicatos;etsi per alia priuilegia Sixti IV. & Leonis X. id facere possint, sine scandalo tamen illorum, ad quos solutio dictorum legatorum spectat. Verumtamen quod attinet ad ista priuilegia Sixti IV. & Leonis X. iam dixi *t.* 1. *cap.*18.*num.*84.*& tomo* 2.*cap.*19.*num.*47.*ac* 4. *verbo Legata Regularibus relicta, num.*35.ea parum solida esse, cum sint viuæ vocis oraculo, & non authentico concessa. Quod attinet vero ad commutationem legatorum in vsus alios designatos in hoc,& similibus priuilegiis,proculdubio fieri potest ex vi ipsorum. Vnde quod dixi locis relatis de non facienda huiusmodi commutatione in alios vsus, intelligi debet de vsibus non assignatis in priuilegiis, quales sunt isti. Imò etiam, iuxta dicta *eo num.* 47. *cap.*19.*tomo* 2.in casu talis necessitatis, in qua prudenter existimari possit voluntatem testatoris, seu legatoris eam esse, potest id fieri, & in hoc sensu intelligendi sunt Rodriguez *to.*2.*quæst. regul.quæst.* 125.*art.*9.Henriquez *lib.*7. *de Indulgentiis, cap.*22. *fine,* Peregrinus 1.*part.sui compendij, tit. Commutatio,*§.4. Cassar.*in Comp.ver.Commutare,num.*1.*&* 2. Semper tamen huiusmodi commutatio causam iustam requirit, iuxta dicta *eo cap.* 18. *num.*94. Præsertim, cùm potestas commutandi legata solum competat Papæ de plenitudine potestatis,iuxta dicta eo verbo *Legata Regularibus relicta, num.*31. ex Clem.*Quia contingit de Religiosis domibus.* De quo, præter Auctores ibi relatos Freitas *in Bullario Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede in Leone X. Bulla* 3. *in Scholiis.* Rota in vna Mileuitana *Bonorum* coram Durano anno 1627. vbi deciditur Sedem Apostolicam non solere commutare defunctorum voluntates, nisi ex magna causa, vel quando adest consensus omnium interesse habentium.

88. Notat præterea idem Peirinis *supra* non posse Prælatos bona immobilia, aut mobilia pretiosa, siue legata Monasteriis, siue ab ipsis acquisita transferre de vno Monasterio in aliud.Quod mihi etiam probabilius videtur, iuxta dicta *eo cap.* 19. *num.*56.*tom.*2.*& tom.*3.*verbo Alienare, seu alienatio num.*11. Quamuis,iuxta dicta ibidem in praxi non obseruetur,sed sola facultate Prælatorum quandoque transferantur bona etiam immobilia, & pretiosa vnius Monasterij ad aliud eiusdem Ordinis, quando vtrumque Monasterium est eidem Prælato subiectum.Quod admittunt Riccius 1.*p praxis, decis.*38.& Tamburin. qui illum sequitur *tom.*3. *de Iure Abb.disp.*13. *quæsit.*2.*num.*19. Contradicente tamen Bordono *resolut.*27.*num.*1.Ipse autem Peirinis *tom.*3. *Priuileg. Minim. cap.*3. *in Additam. ad Constit.Iulij II.num.*20. retractans id quod superius dixerat, generaliter admittit posse Prouincialem cum consensu Capituli transferre aliqua bona etiam immobilia de Conuentu aliquo pinguiori in Conuentum pauperem,ad hoc vt ibi competens numerus Fratrum constituatur,& disciplina Regularis melius obseruetur: ex eo quod finis prohibitionis de non alienandis bonis Ecclesiæ, fuit, vt consuleretur vniuersalis Ecclesiæ indemnitati, quæ conseruatur, etiamsi prædicta bona de vno Monasterio ad aliud transferantur. Licet postea *num.seq.* dicat, in hoc attendendum esse ad stylum Romanæ Curiæ, & doctrinam traditam solum debere intelligi intra eandem Religionem, imo aliquando inter diuersas, quando vnus Conuentus esset valde diues, & alter valde pauper. Vide tamen circa hoc priuilegium Sixti V. pro Benedictinis Portugalliæ,quod refero *tom.*4.*verbo Monasteria Reg.num.*32.

Specialiter circa clausulam illam huius priuilegij, & similium: *Necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquæ domus vestri Ordinis obligatæ noscuntur,*notandum,quod iuxta dicta *t.* 3. *verb.Alienare, seu alienatio, num.*5. Regulares non possunt sine Sedis Apostolicæ beneplacito imponere sibi census, quia census impositio, venditio quædam est libertatis bonorum Monasterij, & quædam alienatio ipsorum *l.final.C.de Reb. Eccles. non alien.* Omnis autem alienatio bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum Ecclesiæ prohibita est sine dicto Sedis Apostolicæ beneplacito in Extrauag. *Ambitiosæ, decreto* S. Congregationis,& aliis Iuribus eo verbo *Alienare,seu alienatio,*& alibi relatis.Quare talis census impositio non est admittenda nisi pro casu *eo num.*5. relato, scilicet, quando Religiosi emunt v.g. aliquam vineam; vel domum oneratam aliquo censu, quia in tali casu Ecclesia non tam alienat, quam acquirit bonum illud stabile tali onere affectum, quod nullo iure est prohibitum. An autem alio modo possint sibi aut suis Monasteriis aliquam obligationem imponere dicti Religiosi, disquirendum hic est pro ipsorum praxi quotidiana. 89.

Et primò dicendum hypothecam, seu obligationem bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum esse illis prohibitam sine dicto Sedis Apostolicæ consensu. Ita enim habetur expresse in d. Extrauaganti, & decreto S. Congregationis, vbi inter contractus, seu modos alienationis prohibitos ipsis numeratur hypotheca. Et colligitur ex *cap. nulli de rebus Eccles. non alien.cap.*1 *de præbend.& leg.*1.*Cod.de rebus alien.* Quia tamen, iuxta dicta *tomo* 2. *cap.*19.*num.*55.duplex est hypotheca, alia specialis, quando res aliqua specialiter hypothecatur; alia generalis, quando omnia bona hypothecæ subiiciuntur, ideo de vtraque inquirẽdum est.Et dicendum secundò, quod quamuis plurium sententia sit tam hypothecam generalem, quam specialem prohibitam esse in dictis iuribus; prout 90.

inter

inter alios tenent Nauarrus *de alien. num.*1. Quaranta *in Summ. verbo Alienatio, num.*17.& Filliucius *tomo* 3.*tract.*44. *cap.*2. *num.*24 nihilominus consequentur ad dicta *tomo* 2. *cap.*19. *num.*55 .relato, *& tomo* 3. *eo verbo Alienare, seu alienatio, num* 5. tenendum solum hypothecam specialem, non autem generalem prohibitam esse Regularibus in iuribus relatis, prout Molina, & Layman eo *num.* 55. relati, & alij plures tenent. Colligitur ex declaratione S.Congregationis, quam vidi ab Eminentiss. Cardinali de Torres subscripta, in qua, cum ab eadem S. Congregat. interrogaretur *An in prohibitione nuper edita de Rebus Regular. non alienan. comprehenderetur hypotheca generalis, nec ne*, respondit, *non comprehendi.* Et ex S.Rota in vna Amerina *Bonorum* coram illustriss. D. Roxas 2. Iunij 1645. vbi, me relato, & conformiter ad alias eiusdem Rotæ decisiones, & declarationem S. Congregationis adductam, id defenditur. Ratio autem huius ea esse potest, quod per hypothecam generalem solum fit, vt creditori magis cautum sit de contractus firmitate, prout est necessarium ad hoc, quod sæculares contrahant cum Religiosis, & vt possit subsistere forma communis, qua vtuntur notarij in conficiendo instrumenta contractuum, in quibus pro ipsorum firmitate semper istam generalem hypothecam adiiciunt. Quomodo autem ex ea non sequatur illud inconueniens, quod timeri poterat, scilicet, quod ratione ipsius deueniri possit ad distractionem, alienationem, seu executionem, vel subhastationem bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum Ecclesiæ, declarat eadem Rota dicens.

91. Quod licet ex prædictis valida sit hypotheca generalis, absque assensu Sedis Apostolicæ contracta, nihilominus nequeat absque illo per eam deueniri ad subhastationem bonorum Ecclesiæ, cùm tunc deueniatur ad casum, à quo sine placito Apostolico non potest incipi, & cessat ratio supra allegata, quod scilicet hypotheca generalis in sua primæua origine nihil sapiat alienationis, quia cum producat in esse effectum prohibitum, debet & ipsa reputari prohibita, tanquam causa efficiens dicti actus prohibiti, non autem ex sui natura, quæ potest stare, & plures alios effectus producere quam istum prohibitum. Nam alias, si admitteretur, quod vigore hypothecæ generalis possit deueniri ad distractionem bonorum Ecclesiæ, daretur casus alienationis eorundem, absque licentia Sedis Apostol. contra dispositionem d. Extrauag. & aperiretur via pluribus ad quas euitandas fuisse inuentatam dictam Constitutionem Paulinam dixerunt. Rebuff. *cons.*109. *num.*18. *& cons.*111. *num.*9. *& seqq.* cum aliis per Quarant. *in Summ. Bullarij, verbo Alienatio rerum Ecclesiarum, num.*34. *vers. ad cuius opinionis corroborationem.* Nec visum fuit obstare, quod cum per dictam hypothecam generalem nequeat deueniri ad alienationem, frustratoria sit dicta validitas, tanquam inutilis; quia prætermisso, quod data vtilitate potest præbere occasionem Summo Pontif. assentiendi distractioni per eam faciendæ, vtilitas est euidens, cum valeat creditor eius vigore agere vtili Saluiano ad bona hypothecata ad effectum sibi satisfaciendi ex fructibus, & in hoc erit præferendus Creditoribus Chirographariis. Hucusque Rota.

92. Cui subscribendum, propter authoritatem ipsius, & quia isto modo magis consulitur indemnitati bonorum Regularium, sicque audio nouissimè Hispali in Hispania practicatum, in casu

executionis factæ in bonis cuiusdam Monasterij generaliter hypothecatis, quæ solum facta dicitur in fructibus bonorum immobilium. Et merito quidem, quia generalis regula est, quod omnis dispositio accipi debet in terminis habilibus, & reduci ad id, quod iustum, & legitimum est, vt notant Bart. *in leg.*1. *num.*1. *ff. de his qui sunt, & in leg. omnes populi, num.*37. *ff. de iust. & iur. & in leg.*1. *num.*1. *C. de Monopol.* Decius *cons.*17. *num.*2. Alexand. *cons.* 59. *num.*9. *leg.*1. Paris. *cons.*19. *num.*14. *lib.*1. *& cons.* 38 *num.*53. *& cons.*106. *num.*6. *lib.*3. Roland. *cons.*29. Felin. *in cap. Eccles. sanctæ Mariæ, num.*4. *in fine de constitut.* Guttier. *de iuram. confir. part.* 1. *cap.* 38. *num.*6. & Rota *decis.*780. *num.*6. *part.*1. *diuers. & decis.*3. *num.*17. *part.*3. *in nouiss.* Generalis ergo illa hypothecatio bonorum solum restringi debuit ad ea, quæ licitè extendi poterat sine assensu Sedis Apostolicæ, videlicet ad bona mobilia non pretiosa, fructus, &c. Licet oppositum pro se habeat, quod si ex ista hypotheca generali non possit deueniri ad executionem omnium bonorum Regularium, videantur decipi, qui cum illis contrahunt, & propterea retardari possint à contrahendo cum illis, etiam pro casibus ipsis vtilibus, maximè cum Regulares non possint sicut sæculares suas personas obligare, quod est contra libertatem & exemptionem ipsorum, & impeditiuum commercij liciti, quod potest esse inter Regulares, & sæculares.

An autem possint Regulares permutare, seu commutare bona immobilia, seu mobilia pretiosa vnius Monasterij cum aliis alterius, sine consensu Sedis Apostolicæ, consule dicta *tom* 3. *verbo Alienare, seu alienatio, num.*12. & Peirinis *tom* 3. *priuil. Minim. in Additam. ad Constit. Iulij II. cap.*3. *num.* 22. vbi affirmat id fieri posse, eo quod in tali permutatione nullum præiudicium inferatur Ecclesiæ Romanæ, cum semper illa bona maneant sub ipsius regimine. Licet postea dicat in hoc, & similibus attendendum esse ad stylum Rom. Curiæ. Quod etiam notaui eo *num.*12. Sed vlterius animaduertendum talem stylum, seu praxim Curiæ non inducere semper legem de mente Pontificis seruandam, quia sæpius ad Sedem Apostolicam solet haberi recursus, & impetrari ab ipsa, quæ ab Ordinariis impetrari solent; vel ad tollendos scrupulos, vel ad vitandas lites. Ciarlinus *cap.*18. *contr. forens. num.*32. Pasqualigus *in Centur. quæst. moral. quæst.*95. 93.

Circa §. 27.

Conceditur hoc loco Fratribus Minimis, quod cum de vno loco ad alium se transferunt, possint mobilia Priorum Monasteriorum secum transferre, immobilia verò vendere, ipsorumque pretium in aliorum locorum, ad quæ se transferunt, ad ædificationem, seu vtilitatem conuertere, prout ipsis melius videbitur expedire. Prohiberturque ne aliqui siue Ecclesiastici, siue sæculares prædicta loca, seu bona sibi vendicare præsumant, absque Sedis Apost. licentia. Cui priuilegio similia alia concessa sunt Prædicatoribus in eorum Mari magno §. 33. & 34 Minoribus §.35. & Carmelitis §.100. quibus in locis, ac maximè *tom.*4 *verbo Monasteria Regularium, num.*32. 37. & 38. plura circa illud dicta sunt, ex quibus etiam quid sentiendum de iis, quæ Peirinis circa hoc priuilegium notat, colligi potest. 94.

95. Primò enim id quod dicit *num.77.& 78.* scilicet posse dictos Religiosos vendere immobilia illorum Conuentuum, quæ deserunt per personas à Sede Apostolica designatas, quas ipse putat esse Conseruatoris Ordinis, alij verò esse Syndicos, impugnatum est eo verbo *Monasteria Regularium, num.*38. & supra in Mari magno Carmelitar. circa §.100. ex eo quod decretum sacræ Congregationis Concil. sub Vrbano VIII. quod retuli *tom. 1. cap.10.& tom.2. cap.19. n.54. & tom.3. verbo Alienatio, seu Alienare* generaliter abrogat omnia priuilegia Regularibus concessa ad quascunque alienationes bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum faciendas sine eiusdem sacræ Congregationis licentia; consequenter ergo abrogatur hoc priuilegium de facienda hac alienatione per dictas personas. Et ita credo in praxi obseruari.

96. Deinde secundò, quid sentiendum de priuilegio Sixti V. pro Benedictinis Portugalliæ, quod ex Rodriguez refert idem Peirinis *num.79.* & ego eo verbo *Monasteria Regularium, num.32.* ex Miranda, altero Rodriguez, & Portello, constat ex dictis ibidem *eo num.32. 37.& 38.* ac supra *circa §.præcedentem.* Similiter quomodo intelligendum priuilegium aliud, quod *num.*80. refert ex Sixto IV. pro Minoribus, & aliis Ioannis XXIII. & Pij II. quatenus concedunt facultatem deserendi aliqua Monasteria, vel illa cum aliis vniendi, dixi eo verbo *Monasteria Regular. num.39. 40. & 41.* maxime in vltima editione Veneta, vbi etiam de alio priuilegio Vrbani VIII. pro Minimis.

97. Pariter etiam, quæ idem Author tractat *num.82.* an quando Monasteria deseruntur, tradi debeant bona ipsorum fundatoribus, dici eo verbo *Monasteria Regul. n.43.* Quod autem subiungit *n. 83. & 84.* de designatione Patronorum Monasteriorum, ad præsens intentum parum deseruit, sicut etiam plura alia, quæ de fundatoribus Monasteriorum affert *tomo 3. in Additam. ad Constit. Iulij II. c.3. num.23.& seqq.* vide dicta *tomo 2. capitul. 11. de Patronis Monasteriorum.*

98. Nota præterea ex Rota in vna sanctæ Agathæ Gottorum *Præcedentiæ* coram Motmano an.1629. quod quando Monasterium aliquod est per vim, aut violenter suppressum, tunc si de nouo restituatur, habet omnia iura, & priuilegia illi prius competentia: secus verò quando suppressio fit authoritate Superioris, tunc enim omnia iura, & priuilegia illi competentia tanquam accessoria fuerunt illi sublata. Glossa *in cap. statutum de elect. in 6.* Felinus *in cap. accedentes de præscript.* Bartholus *in leg. fin. sub num.13. vers. respondeo ff. de Colleg.* Vide Rotam in vna *Nullius*, seu Squillacensi *Iurisdictionis* coram Martino Andrea 1616. Et duas alias eiusd. Rotæ decisiones Vicensij *Prioratus de Manlleu* de annis 1636. & 1639. coram D. Panzirolo nunc Eminentissimo Cardinali, vbi decidirur, quod Monasterium, seu Collegium Regulare ob demerita Religiosorum à Superiore suppressum manet penitus dissolutum, & beneficia ipsius sublata; alia etiam ibi ad intentum.

Circa §. 28.

INdulget Pontifex Minimis hoc loco, vt ad præstationem procurationum, exactionum, collectarum, subsidiorum, vel prouisionum compelli non possint per litteras Sedis Apostolicæ, seu legatorum ipsius, nisi in illis fuerit facta expressa mentio istius indulti, & Ordinis Minimorum. Concessum autem fuit idem priuilegium Prædicatoribus in Mari magno ipsorum §. 35. Minoribus §. 36. Eremitis sancti Augustini §. 34 Carmelitis §. 46. 80. & 100. & Seruitis §. 21. & 44 & ideo his locis de ipso plura dicta sunt; ea præsertim, de quibus Peirinis huius Maris magni Scholiastes *num. 86.* habes loco relato ex Mari magno Prædicatorum. Alia autem priuilegia iis similia aliis Religionibus concessa Hieronymianis, & Fratribus S. Ioannis Ierosolymitani habes apud Rodriguez *tomo 2. Quæst. Regul. q.66. art. primo*, Portellum *in Dub. Regular. verbo Tributum, numero 3.* & alterum Rodriguez *in Compend. Resolut. 63. num. 30. & 33.* Item priuilegium Pij V. pro omnibus Mendicantibus in Bulla *Etsi Mendicantium* habes *tomo 2. c.1. num.32.33.& 34.*

Circa §. 29.

DEclarat hoc loco Pontifex, id quod §.9. Minimis concessum erat, de facultate scilicet concessa Prælatis ipsorum ad absoluendum ipsos ab omnibus casibus, illis exceptis, in quibus ad Sedem Apostolicam meritò destinari deberent, dicens *hæreticos relapsos, schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent dumtaxat esse ad Sedem prædictam merito destinandos.* Concedit etiam Prælatis huius Ordinis facultatem dispensandi cum sibi subditis in omni irregularitate, præterquam *homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum.* 99.

De latissima materia huius priuilegij plura dicunt ipsius Expositores Passarellus, & Peirinis locis relatis; plurima quoque de ipsa dixi in simili priuilegio Prædicatorum in eorum Mari magno *circa* § 41. & 42. Minorum *circa* §.40. & 49. Eremitarum sancti Augustini *circa* §.43. & 44. Carmelit. *circa* §.54. 62. & 63. & Seruitarum *circa* §. 35. & 36. & *tom.1. cap.18. à num.31. vsque ad 45. & 3. tom. verbo Abortus, num.8. verbo Censura Ecclesiastica, num.12. verbo Clausula, num.20. verbo Clericus, num. 12. & seqq. verbo dare, seu donare, num.39. verbo Illegitimi Regulares, num.17. verbo Interdictum, num.41. verbo Irregularitas, num.72.* ac *4. tom. verbo Prælatus Regularis, num.10. & verbo Simonia, num.30.* Quibus sufficienter satisfactum credo huic materiæ, & iis, quæ circa ipsam prædicti authores scribunt. 100.

Nihilominus specialiter expendenda, quæ idem Peirinis *t.3. Priuil. Minim. in Additam. ad Constitutiones Iulij II. c.3. n.31.32.& 33.* animaduertit. Primò quidem, quod licet ipse dixerit non posse Prælatos Regulares absoluere suos subditos à simonia commissa in susceptione Ord. postea tamen vidisse Portellum *in dub. reg. verbo Prælatus, n.29.* Sigism. *de elect. dub.99. n.2.* contrarium dicentes, fundatos in confirmationibus obtentis postea à Clem. VIII. & Paulo V. per quas dicunt reualidata fuisse antiqua priuilegia: &, quod si illis obiiciatur decretum S. Congreg. sub Vrbano VIII. quod retuli *t.1. c.19. n.15.& 16.* in quo S. Congreg. declarat per confirmationes priuilegiorum Regularũ à Sede Apost. post Conc. Trid. obtentas, non reuixisse priuilegia antiqua; dicit responderi posse d. decretum solum declarare per prædictas confirmationes non esse reualidata antiqua priuilegia, quoad potestatẽ absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ, & Episcopis reseruatis, at quoad alia esse reualidata per dd. cõfirmationes ex certa scientia obtentas, quæ vim habent nouæ concessionis: ac propterea addit, quod cũ iste casus non sit reseruatus in Bulla Cœnæ, neq; ab Episcopis, dici posse etiam post illud decretũ absolui posse; 101.

posse, intellige à Prælatis Regular. ex vi horum, & similium priuilegiorum. Circa quæ aliqua notanda. Primò, sententiam illam non solum à Portello, & Sigismundo defendi, sed etiam ab Hieronymo Rodriguez *in Compend. resol.* 3. *num.*7. & Sanctoro *in Comment. sup. Statuta Minorum, cap.* 2. *stat.*14. *quæst.*7. Secundò, non infirmari dictam sententiam propter decretum illud sacræ Congregationis; illud etenim solum videtur esse pro Regularibus Confessariis, & in ordine ad absolutionem sæcularium, non pro Prælatis Regularium, aut in ord. ad absolutionem suorum subditorum regularium. Nullum enim verbum est in tali decreto quo denotetur sermonem esse in ipso de dictis Prælatis Regularium in ordine ad absolutionem suorum subditorum. Nihilominus tertiò dicendum, eius sententiæ probabilitatem mihi valde dubiam esse, non solum, quia dictas Bullas Clem. VIII. & Pauli V. videre non potui, nec scire an in illis excipiatur casus à Sede Apostolica reseruati post dicta priuilegia; sed quia dubium est, an in casu quod illi non excipiantur, intelligantur excepti proper ipsorum specialitatem. De quo alibi. Interim vide Ioannem de Cruce *de Stat. Relig. lib.*1. *cap.*6. *dub.* 15. & Candidum *t.*1. *disq.* 22. *art* 49. *in fin.* & cautè procede, animaduertens, quæ locis relatis dixi.

102. Notat secundò, posse Prælatos Regulares, ex vi scilicet horum priuilegiorum, dispensare super irregularitate contracta propter mutilationem membrorum, quando fuerit occulta: ad quod affert Llamas, & Molinam. Pro quo tamen vide, quæ dixi *tomo* 1. *verbo Irregularitas, num.*76. vbi etsi admiserim id fieri pose ex priuilegio Pij V. pro Dominicanis, quod retuli *tomo* 1. *cap.* 19. *num.* 31. non autem posse fieri ex vi priuilegiorum, de quibus in præsenti: cũ in ipsis expresse excludatur hæc irregularitas, quæ est ex mutilatione membrorum.

103. Nota tertiò, posse Prælatos Regulares, intellige etiam ex vi horum priuilegiorum, dispensare cum lunatico, furioso, seu patiente morbum caducum, postquam conualuerit, non solum vt in susceptis Ordinibus ministret, & ad presbyteratum ascendat, sed etiam vt Ordines suscipiat, supposito, quod nullum habeat. Sed pro hoc vide dicta supra in Mari magno Minorum *circa* § 49. vbi dixi id non fieri posse, nisi quando talis defectus non esset continuus, sed temporalis, ita vt iam credadur omnino cessasse. Vbi etiam ad quem spectat iudicium de tali cessatione. De quo etiam Candidus *t.*4. *ar.*8 *n.*7. post alios, quos referr. Quãuis aurẽ dicat idem Peirinis arreptum à dæmone non posse intra annum celebrare *Can. comm dist.*33. tamen, iuxta dicta eo loco prudentis arbitrio id relinquitur. An autem prædictas infirmitates patiens celebrare quandoque possit, saltem cum assistentia alterius Sacerdotis, tractat Molina *tomo* 4. *de Iustitia, tract* 3. *disp.*70. & ex ipso Peirinis *supra.* Pro quo vide Syluestrum *in Sum. verbo corpore vitiatus, q* 8. Sayrum *lib.*6 *de Censur. cap.*9. *num.*11. & 12. & P. Candidum *sup. num.*9. & 10.

104. Notat quartò, posse Prælatos Regulares absoluere suos subditos, qui percussissent Clericum sæcularem, non tamen absoluere posse ipsum Clericum sæcularem, aut Laicum percussorem alicuius Religiosi. Pro quo tamen nihil speciale video notandum præter dicta *tom.*3. *verbo Clericus, num.*11. & *seqq.* Vbi latè egi de iis, qui possunt absoluere ab excommunicatione ista, & an Prælati Regulares suos subditos, & Confessarij Regulares suos pœnitentes.

Circa §. 30.

Ampliat hoc loco Pontifex priuilegium de decimis non soluendis à Fratribus Minimis, de quo *supra* § 19 ad quascunque decimas etiam Papales, & quæcunque ipsorum Fratrum; decernens ad illarum solutionem non teneri, etiam si per quoscunque Mendicantes solui mandarentur, nisi huiusmodi indulto specificè derogetur. De cuius materia plura dicta sunt non solum in hoc Opere in Mari magno Prædicatorum *cir* §.26. Minor. *cir.* §.28 Eremitarum S. Augustini *circa* §.13. Carmelitarum *circa* §.46. & 72. & Seruitarum *circa* §.44. Sed etiam in quatuor aliis tomis Summæ, scilicet *tomo* 1. *cap* 3 *num.*14. 15. & *tomo* 2. *cap.*1. *num.*32. *ac tomo* 3. *verbo Decima quoad Regulares, num.*2. 3. & 4. ex quibus cessare videtur plura, quæ huius Maris magni Scholiastes Peirinis circa hoc priuilegium *num.*21. & *sequentibus* dicit. 105.

Primò enim quod asserit, præter istud priuilegium esse etiam alia pro Religiosis, etiam cum derogatione *cap. nuper de Decimis*, discussum est supra loco relato ex Mari magno Prædicatorum. Deinde, quod asserit de iure, quod Decimæ Ecclesiasticis debentur, discussum etiam est eo verbo *Decima quoad Regulares, num.*1. Vbi etiam quomodo distinguatur à primitia, seu oblatione. Alia quoque, quæ tractat de Oblationibus, discussa quoque sunt quatenus ad Regulares spectant *t.*4. *verbo Oblatio facta Regularibus.* 106.

Specialiter circa id quod notat *num.*132. scilicet, non solum domos, & prædia Religiosorum exempta esse a solutione decimarum; sed etiam hoc priuilegium transire ad colonos dd. prædiorum; eo quod illud non est priuilegium personale, sed reale (quod etiam tenent plures alij, quos ibi refert, & Hier Rodr. *in Compend. Resol.* 50 *n.*3. plura priuilegia Religionum ad id afferens, ac Seraph. Freitas *in Scholiis ad Bullam* 4 *Gregorij XI. in Bullar. Ord. S. Mariæ de Mercede* post alias quoque) notanda quæ dixi eo verbo *Decima quoad Regulares, num.*7. & eodem 3. *tomo*, *verbo Gabella quoad Regulares, num.*14. præsertim in vltima impressione Veneta anno 1634. Similiter specialiter circa id, quod dicit *num.*133. scilicet. non debere dictos Religiosos decimas ex iis prædiis, quæ habent in emphyteusim, seu locata, notanda etiam sunt, quæ dixi eo verbo *Decima quoad Regulares, num.*11. & eo verbo *Gabella quoad Regulares*, *n.*20. in dicta impressione Veneta. Ex eis enim colligi potest attendendum valde esse an illa bona erãt alias ratione sui grauata dicto onere soluendi decimas, an verò solum ratione personæ, cuius erant. De quo etiam Freitas sup. *in Scholiis ad Bullam* 1. *Innoc.* IV. resoluẽs in primo casu deberi ilud onus, non in secundo. Notanda quoque valde decisio Rotæ coram Orano 30. Ianuarij 1589. in vna Conchensi *Exemptionis Decimarum*, vbi priuilegium quoddam concessum Monialibus Conceptionis Ordinis S. Claræ ad non soluendum decimas de terris, aut possessionibus suis, quas per se, vel per colonos excolunt, non solum canonizatur, sed etiam declaratur in ipsarũ Monialium fauorem, ita vt decimas, quas coloni Parochialibus; deberent dare, teneantur soluere Monialibus; vbi multa etiam circa hoc, & alia priuilegia Regularium. Videndus etiam Castrus Palaus *part.* 2. *tract.* 10. *disput. vnic. punct.*12. *à num.*8. 107.

Circa §. 31.

108. EXimuntur hoc loco Minimi à iurisdictione Ordinariorum etiam pro casibus relatis *in cap. volentes de priuileg.in 6.* scilicet, delicti, contractus, seu rei, de qua agitur. Quemadmodum etiam exempti similiter sunt à casibus dictis Prædicatores in eorum Mari magno §.36. Minores §.37. Eremitæ S.Augustini §.32. & Carmelitæ §.71. ac Seruitæ §.15.& 32. Quibus in locis,& aliis ex 1.& 3.*tomo* ibi relatis de hac materia plura dicta sunt; spcialiter, an hoc priuilegium reuocatum censeatur per decretum Concilij. Trident. *sess.7.c.*14. quoad ciuiles causas mercedum, & miserabilium personarum, & pro Regularibus extra Monasterium degentibus. Quibus accedit declaratio quædam sacræ Congregationis, quam referunt Narbona *l.59 gloss.*1. *num.*230. *tit.4.lib.* 2.*recopilat.* & Barbosa in Collectan. ad d.locum Concilij, in qua habetur quod Religiosi intra Monasterium manentes pro contractibus, vel debitis conueniendi sunt coram Superioribus, vel Conseruatoribus. Quod prout attinet ad Conseruatores, explicatum est *tomo* 2. *cap.* 10. *num.*42. *& tomo* 3. *verbo Causa iudicialis Regularium, num.*4. Qui verò Religiosi censeantur esse, & existere intra Monasteria, dixi eo verbo *Causa iudicialis Regul.n.*5.

Circa §. 32.

109. HOc loco Pontifex vestigiis inhærendo Bonifacij VIII. concedit vt Prælati Minimorum in correctione, & punitione Fratrum, rimulis, & apicibus iuris postpositis, liberè possint procedere secundum consuetudines approbatas, ac instituta Religionis; ipsis Fratribus prohibendo, ne ab eisdem correctionibus, & punitionibus appellare queant.

110. Nota priuilegium hoc etiam haberi ex eodem Bonifacio VIII. pro Prædicatoribus prout retuli *t.*1.*c.*27. *n.*26. & pro Minoribus in Bullario Rodriguez *in eodem Benifacio Bulla* 2. & refertur à Cassarrub. *in Comp. priuilegiorum Mendicant. verb. Correctio Fratrum, num.*6. vbi etiam *num* 8. refertur eadem concessio Bonifacij IX. pro Prædicatoribus. Quæ etiam habetur pro Cistercienfibus in Bullario Rodrig. *in Bonif.VIII. num.*10. Item Iulius II. qui hanc concessionem Minimis confirmauit, eam fecit Oliuetanis, Leo.X. Camaldulensibus, & Eugenius IV Benedictinis S.Iustinæ Pro quibus videatur Cardinalis Lugo *tomo* 2.*de Iust. & iur. disp.*37.*sect.*14.*n.*162.

111. Nota præterea, quod quamuis ex vi huius priuilegij non teneantur Iudices Regulares ad obseruandum in causis, quas faciunt, apices, & rimulas iuris, tenentur tamen seruare ea, quæ de iure naturali, & diuino, immo etiam gentium, & statutorum Ord. seruanda sunt. Quæ porrò sint talia, habes ex dictis *tomo* 3. *verb. Iudex, & Iudicium Regular.* & loco relato ex *tomo* 1. *Summa.* Pro quo etiam videndus Passarellus *in Notandis priuilegiorum Minimorum notan.*17. & Portellus *in Dub.Regular.verbo Correctio Fratrum num.*50.

112. Quod attinet verò ad prohibitionem factam de non appellando à correctionibus, seu punitionibus Prælatorum, videnda sunt, quæ dixi *tom.*3.*verbo Appellare, & appellatio*, præsertim *num.*4. vbi dixi licitam esse huiusmodi appellationem in casu graui, & raro, in quo euidenter constaret Religioso fieri notabilem iniuriam in fama, & honore, non obstantibus hoc, & aliis similibus priuilegiis. Pro quo etiam videndus Cardinalis Lugo *supra num.* 175. dicens, solum pro hoc casu licere Regularibus appellationem, & quod de illo non intelligantur priuilegia Religionum, & quod hic modus appellationis admittatur in ipsius Religione. Ad quos autem facienda sit, vel fieri possit huiusmodi appellatio, dixi eo verbo *Appellare, & appellatio.* Notat autem Seraphinus Freitas *in Bullario Ordinis S.Mariæ de Mercede in Bulla* 4. *Benedicti XIII. Pseudopontificis* à Prælato Religionis appellari non posse ad Dominum Nuncium, sed ad Protectorem, vel sacram Congregationem, à Conseruatore autem non fieri appellationem nisi ad Papam. Sed pro primo vide dicta *tom.*1. *c.*9. *n.*4. 5. *& 6. ac* 3.*tomo verbo Appellare, & appellatio, num.*5. *&* 6. & pro secundo vide dicta *tomo* 2.*cap.*10.*num.* 75. nota quod licet Ruinus *cons.*3.*lib.*4. *num.*4. resoluat ad Nuncium appellari non posse etiamsi habeat in commissione vt agnoscat de causis à Delegato interpositis ad Sedem Apostolicam, nihilominus in praxi obseruari video in partibus Hispaniæ, vt Regulares tam in hoc, quam in aliis casibus appellent ad Nuncium, ipseque ipsorum appellationes acceptet. Pro quo vide dicta supra in Mari magno Prædic. *circa* §.17.

Quæ hic notat Peirinis circa obligationem, quam habent Prælati corrigendi, seu puniendi sibi subditos, tacta sunt *tomo* 1. *cap.*18. *num.*15.*& tomo verbo Iudex, & Iudicium Regular.num.*5. vbi de culpis, seu delictis propter quæ Prælati procedere debeant contra sibi subditos. Pro quo etiam consule dicta *tomo* 1. *cap.*27. *num.*6. Portellum *in Responsionibus moralib.to.*2.*casu* 58. & Cardinalem Lugo *sup. à num.*163. 113.

Circa §. 33.

COncedit Pontifex hoc loco, vt Fratres Minimi omnino exempti sint à quacunque exactione, vel contributione facienda Legatis, Nuntiis, aut Ordinariis locorum, Regibus, aut aliis personis ratione domorum, locorum, Monasteriorum, aut bonorum Ordinis, nec ad id posse cogi à quocunque, vel super hoc conueniri, per litteras etiam Sedis Apostolicæ, nisi expressa mentio de ipsorum Ordin. & de præsentibus litteris habeatur. Circa quæ, præter dicta in similibus aliis priuilegiis tam istius, quam aliorum Ordinum Mendicantium, solum expendenda, quæ Peirinis huius priuilegij Scholiastes animaduertit, remittendo me præsertim ad alia loca, in quibus de similibus egi. 114.

Primò enim notat, quod licet Papa tam in hoc quam in aliis priuilegiis concedat, quod ipsa non censeantur reuocata per clausulas generales; nihilominus per illas reuocati posse, quando constiterit mentem Papæ talem esse. De quo tamen latè dixi *supra* in Mari magno Minorum *circa* §.15.16. & 17.& iuxta illa moderanda præsens doctrina. 115.

Secundò notat quid sit *tributum, vectigal, gabella, telonium, guidagium, tallia, præstantia,* & similia; quod iure Ecclesiastici sint exempti ab eorum solutione; quas pænas incurrant illa imponentes, præsertim an excommunicationem Bullæ Cænæ, & an hoc priuilegium transeat ad colonos, & illo potiantur clerici coniugati. A quibus tamen mihi modo abstinendum, quia de ipsis sufficienter dixi *tomo* 1.*cap.*3.*num.*14.*& tomo* 2. *cap.*1.*n.*33.*& tom.*3. 116.

verbo

verb. Bulla Cœnæ, num. 17. 18. 46. *& 47. & verbo Gabella quoad Regulares* per totum. Idem dico de alio puncto, de quo idem author tractat, scilicet an, & quando clericus dici possit negotiator, & propterea obligari ad vectigalia, aut qualiter sit ipsi prohibita negotiatio. De hoc enim latè egi eo verbo *Gabella quoad Regulares, num.* 19. *& tom.* 4. *verbo Negatiatio quoad Regulares.*

117. Tertiò agit tam hoc loco quam 3. *tom. Priuileg. Minim. in Additam. ad Constit. Iulij II. cap. 3. à n.* 35. de iuramento à Regularibus extorto, an scilicet cogi possint ad iurandum in ciuilibus, aut criminalibus; præsertim sine licentia Prælatorum; & an obligentur ad leges ciuiles in bonum Reipublicæ ordinatas. Sed de primo egi *tom.* 3. *verbo iuramentum quoad Regulares, num.* 7. *& sequentibus*, & aliis locis ibi relatis, de secundo autem *tom.* 4. *verbo Leges Regularium, num.* 28. 29. & 30. ac aliis locis ibi etiam citatis.

118. Quia tamen tam in hoc priuilegio, quam in aliis, de quibus in præcedentibus, sæpius est sermo de litteris Sedis Apostolicæ notandum, quod iuxta dicta *tom.* 4. *verbo Litteræ Apostolicæ, num.* 1. & supra in Mari magno Prædicatorum *circa* §. 17. litteræ Apostolicæ sunt illæ, quæ expediuntur in Curia per Papam, vel ipsius Officiales; ex quibus aliæ vocantur *Bullæ*, aliæ *Breuia*; aliæ *Signaturæ*; aliæ *Mandata Apostolica.* De quibus Rebuffus, Petrus Gregorins, Graffius, & alij eo loco relati. Adde Freitam *in Bullario Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede in Scholiis ad Bullam* 7. *Clement. VIII.* Apud quos etiam, & Gomez *in Tractatu de Breuibus* de causis, propter quas, & in quibus tales litteræ expediantur. Ad intentum ergo, cùm in hoc, & similibus priuilegiis de litteris Apostolicis est sermo, nomine litterarum Apostolicarum veniunt prædicta; imo etiam litteræ, seu Breuia S. Pœnitentiariæ, iuxta dicta eo verbo *Litteræ Apostolicæ, num.* 2. Quomodo autem, & quando sint subreptitiæ, obreptitiæ, falsæ, vel falsificatæ, dixi eo loco *à num.* 3. Pro ipsarum, etiam authoritate vide *distinct.* 19. fermè per totam, & Doctores *ibidem*, ac Passarellum *in notand. ad priuileg. Minimorum notanda.*

Circa §. 34.

119. HOc loco ponit Pontifex, non obstantias huius Maris magni, derogando videlicet contrariis quibuscunque illis præsertim, per quæ Minimi excommunicari, suspendi, aut interdici possint contra tenorem, & formam istorum priuilegiorum. De qua materia sæpius dictum est in præcedentibus, aliisque locis ibi relatis.

120. Illud tamen animaduertendum, quod quamuis in hoc Mari magno non concedatur Minimis communicatio priuilegiorum aliorum Ordinum Mendicantium, provt in aliorum Mendicantium Mari magno concessa cernitur; nihilominus ea potiuntur ex eodem Iulio II. authore huius Maris magni in alia Bulla, quæ incipit *Dum ad Sacrum* Leone X. in Bulla *Dudum per nos*, & Pio V. in Bulla *Etsi Mendicantium.* Et cum tanta extensione, vt possint priuilegiis aliorum Mendicantium vti, & ea transcribi facere mutatis eorum nominibus in nomen Fratrum Minorum, ex Iulio II. in dicta Bulla *Dum ad Sacrum*, quod est singulare priuilegium huius Religionis etsi aliis Mendicantibus propter generalem communicationem priuilegiorum communicabile, provt videtur intellexisse Stephanum vsus maris Generalem Prædicatorum, qui in libro priuilegiorum sui Ordinis plura aliorum Mendicantium priuilegia instruit. Quod etiam accidisse videtur in hoc Mari magno Prædicatorum, adeo vt incongrua quædam in ipso reperiantur ex eo solum, quod in dicto Mari magno Prædicatorum reperiebantur, vt est illud §. 1. *Prædecessores tui*, & illud §. 29. de concessione ibi relata Gregorij XI. cùm tamen nec sanctus Franciscus de Paula, cum quo loquitur Pontifex, habuerit prædecessores, cum ipse fuerit primus Generalis, nec Gregorius XI. potuerit concedere aliquod priuilegium Ordinis Minimorum qui ipsius tempore nondum erat exortus. Item cum tanta etiam extensione, vt concessa vni domui intelligantur etiam aliis concessa ex Iulio II. in dicta Bulla *Dum ad Sacrum* Leone X. in Bulla *Dudum per nos* relata, & Clement. VII. in Bulla *Deuotionis augmentum*, vbi non solum ad domos susceptas, sed etiam ad suscipiendas hoc priuilegium extendit, ac Paulo III. in Bulla *Regimini.* Pro quibus omnibus videndus Passarellus *supra notan.* 4. *& 5.* ac Peirinis *super Priuilegia Minimorum circa dictas Bullas*, ac ea, quæ dixi supra in Mari magno Eremitarum sancti Augustini *circa* §. 7. *num.* 19. *& 20.*

Notandum præterea circa datam huius Maris magni, quæ est apud sanctum Petrum 5. Kalendas Augusti 1506. quod in litteris Apostolicis aliquando à Natiuitate, provt in Breuibus, & in præsenti. Quando ergo data dicitur ab Incarnatione, supputat annos à die 25. Martij, cùm verò à Natiuitate à 25. Decembris. De quibus Couatruuias *lib.* 1. *var. cap.* 12. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 11. §. 16. *littera L, & de fine hominis, c.* 23. §. 6. *littera N. Q, &* Freitas *in Bullario Ordinis B. Mariæ de Mercede in Scholiis ad Bullam* 2. *Pij V.* vbi etiam de *indictione, & Æra Cæsaris.* 121.

Viuæ vocis Oraculum pro Ordine Minimorum.

AD finem Maris magni huius Religionis placuit adiungere quoddam oraculum Viuæ vocis Pauli III. pro institutione eiusdem Monasterij Monialium de cuius valore iudicandum est, sicut in præcedentibus circa Viuæ vocis oracula aliorum Mendicantium in fine Maris magni ipsorum diximus. Hoc verò talis est tenoris. 122.

Antonius miseratione diuina tituli sanctorum quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Dilectis in Christo Religiosis *Beatis* nuncupatis, domus sub inuocatione Iesus Maria sub certa Regula Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula degentibus salutem in Domino. Iniunctum à nobis à Sede Apostolica seruitutis officium, nos admonet, & inducit, vt ad ea libenter intendamus per quæ diuinus cultus vbique suscipiat incrementum, & Religiosarum mulierum quæ virginitatem suam Deo sub professionis regularis vinculo dedicare intendunt salubribus votis gratum indebitum præstemus assensum. Sane exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat, quod cum vos à quinque annis, vel citta circa in dicta domo nobis amore Dei donata permanseritis, & clausuram seruaueritis, prætetquam quando ad confitendum peccata vestra, & Sacramentum Eucharistiæ suscipiendum ad domum Fratrum dicti Ordinis accessistis, & sub correctione & obseruantia Prælati Prouinciæ Castellæ, & Generalis dicti Ordinis, 123.

nis, quando ad dictas partes accedere contingit vixeritis. Nihilominus quia Regula vestra, & vxoratis & nuptis, cæterisque quibusuis communis existit nec tria vota solemnia emittitis. Cupitis vos (quæ omnes Virgines estis) tria vota substantialia Castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittere, vestramque domum prædictam in Monasteriorum Monialium profitentium erigi, super quibus supplicari fecistis humiliter nobis per Sedem Apostolicam de opportuno remedio prouideri. Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati authoritate D. Papæ huius Pœnitentiariæ curam gerimus, ac de eius speciali mandato super hoc viuæ vocis oraculo vobis facto, domum vestram prædictam in Monasteriorum Monialium D. Ordinis tertiæ regulæ professarum erigimus, ita vt tria vota substantialia prædicta in manibus superiorum dicti Ordinis Minimorum emittant, & quæ pro tempore Monasterium vestrum ingrediuntur Moniales post annum & vnum diem probationis elapsum (vt aliorum est moris) emittant, omnibusque & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, concessionibus, & indultis tam spiritualibus quam temporalibus quibus aliæ Moniales, quibus dicta tria vota substantialia emittentes dicti Ordinis Minimorum vtuntur, potiuntur & gaudent, seu vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere liberè & licitè possitis & valeatis, & pro tempore vestri Monasterij huiusmodi Moniales possint & valeant, veris existentibus præmissis, tenore præsentium indulgemus, & licentiam, & liberam facultatem concedimus. Non obstantibus Apostolicis ac in prouincialibus & synodalibus Conciliis editis, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus dicti Ordinis statutis, & consuetudinibus, etiã iuramento confirmata, Apostolica, vel quauis firmitate alia roborata, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ, &c. Habetur hoc viuæ vocis oraculum apud Rodriguez in Bullarium Paulo tertio circa finem.

BVLLA VOCATA,

Mare magnum Priuilegiorum, & gratiarum Ordinis sanctissimæ Trinitatis.

SVMMARIVM.

Confirmatur Ordo sanctissimæ Trinitatis. num. 1.
Nullus potest reuocare obseruantiam huius Religionis, neque id attentare neque procurare. num. 2.
Huic Religioni communicantur priuilegia concessa quatuor ordinibus mendicantibus. num. 3.
Fratres huius Religionis possunt inter infideles mutare vestem. num. 4.
Fratres huius Religionis possunt vesci carnibus in refectorio. num. 5.
Bona relicta pro anniuersariis, & alia huic Religioni oblata pro redemptione Captiuorum dispositioni Prælatorum, & diffinitorum relinquuntur. num. 6.
Fideles contribuentes eleemosynas pro redemptione captiuorum consequentur indulgentias concessas Fratribus huius Religionis. n. 7.
Portantibus deuotionis feruore habitum huius Religionis, aut in eorum Monasteriis eligentibus sepulturam, aut dantibus aliquam quantitatem designatam per huius Religionis Prælatum pro Redemptione captiuorum, aut deferentibus scapularium huius Religionis, etiam sine voti emissione de manu alicuius Prælati, nec non vtriusque sexus fratribus germanis nuncupatis præfatæ Religionis conceduntur omnia Religiosis eiusdem Religionis concessa, & quibus vti, frui, & gaudere possunt. num. 8.
Constituuntur Iudices conseruatores. n. 9.
Proponuntur clausulæ derogatoriæ. num. 10.
Hæc concessio valeat à die qua concessa fuit à Leone X. licet ab eo non expedita. num. 11.
Conseruatores Iudices cum fuerint à prouinciali requisiti tenentur conseruatoriam acceptare. num. 12.

ADrianus Episcopus seruus, &c. Venerabili Fratri Episcopo Vigoriensi, & dilectis filiis Decano Ecclesiæ Burgentij, ac officiali Burgensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Hodie à nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis. Adrianus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuã rei memoriam. Rationi congruit, & conuenit honestati, vt ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, (licet eius superueniente obitu) litteræ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum. Dudum siquidem fel. record. Leoni Papæ X. Prædecessori nostro pro parte Charissimi in Christo filij nostri, tunc sui Caroli Romanorum Regis illustris in Imperatorem electi, ac quondam Didaci de Gayanges olim ministri Monasterij Ministrum gubernari soliti, SS. Trinitatis extra muros Burgenses Ordinis eiusdem Trinitatis Redemptionis captiuorum, ac illius, & aliorum d. Ordinis monasteriorum Prouinciæ Castellæ, Legionis, & Granatæ Regnorum secundum morem eiusdem Ordinis prouincialis, magistri in Theologia, tunc in humanis agentis, exposito quod cum quatuor mendicantium Ordines, illorum domus, & fratres pluribus priuilegiis à Sede Apost. decorarentur, ac domus, & fratres Ordinum mendicantium huiusmodi eisdem priuilegiis pari modo vterentur, & fratres Ordinis SS. Trinitatis, & Redemptionis captiuorum, sub Institutis, & obseruantia regularibus degerent, ac in redimendis Christi fidelibus in Sarracenorũ manibus, aduersa fortunæ conditione detentis, pro fidei Catholicæ exaltatione quotidie versarentur, & in tam Deo accepto Charitatis obsequio, & fidelibus sic detentis (ne fidem Catholicam, quam professi erant abnegare cogerentur) necessario præsidio semper inuigilarent, vberemque in Christiana Religione fructum afferrent, conueniens existebat, vt quos par labor, pariaque merita coniungebantur, paria coniungeret priuilegia, & fauores, & ordo ipse SS. Trinitatis, & Redemptionis captiuorum, illiusque monasteria & fratres, aliis quibuscunque mendicantium ordinibus cõcessis prærogatiuis, & gratiis potirentur, & gauderent. Ac pro parte tam eorundem Caroli in Imperatorem electi, ac Didaci, quàm dilectorum filiorum aliorum ministrorum, & fratrum Monasteriorum Ordinis redemptionis captiuorum, & Prouinciæ prædictorum eidem Prædecessori humiliter supplicato, vt huiusmodi regulare obseruantiam sub qua fratres Ordinis SS. Trinitatis, & Redemptionis Captiuorum, illiusque monasteriis, ministris, superioribus, fratribus, & personis, quod huiusmodi priuilegiis,

legiis, & gratiis eisdem mendicantium Ordinibus concessis, gaudere possent, concedere, aliasque statutis eorum in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaretur, præfatus Prædecessor, qui vocantibus sub Religionis obseruantia studio piæ vitæ Apostolici fauoris præsidium libenter impendebat, & in his quæ eorum status solidationem, & profectum concernebant se eis gratiosum, & fauorabilem exhibebat, Didacum, alios ministros, & fratres præfatos, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quamuis occasione, vel causa latis si quibus, quomodolibet innodati existebant ad effectum infrascriptum dumtaxat consequendum absoluens, & absolutos fore censens huiusmodi supplicationibus inclinatus subditis videlicet 12. Kal. Augusti Pontificatus sui anno 8. Regularem obseruantiam sub qua fratres Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum Prouinciæ Regnorum huiusmodi tunc degebant, vt profertur ex certa scientia auctoritate Apostolica approbauit, & confirmauit. Ac eiusdem Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum Generali, vniuersis aliis, magistris, ac prælatis, superioribus, fratribus; & personis quibuscunque etiam si Episcopali, vel
2. alia dignitate, seu Cardinalatus honore præfulgerent, sub excommunicationis sententia, & officiorum suorum priuationis pœnis ipso facto absque alia declaratione si contra facerent incurendis districte præcipiendo inhibuit, ne fratres Ordinis sanctissimæ Trinitatis huiusmodi ad statutum(*da statum* credo debet dici) fratrum Claustralium adducere, aut obseruantiam huiusmodi, etiam auctoritate, & Decreto Romani Pontificis pro tempore existentis reuocare, seu contra huiusmodi obseruantiam aliquid procurare, aut solicitare, vllo vnquam tempore præsumerent, decernens ex tunc irritum & inane quidquid secus etiam per ipsum Romanum Pontificem pro tempore existentem desuper attentatum foret. Et insuper præfato Or-
3. dini sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum, ac illius monasteriis, ministris superioribus fratribus, & aliis quibuscunque in eisdem monasteriis pro tempore degentibus personis, vt omnibus, & singulis priuilegiis, prærogatiuis, concessionibus, antelationibus, immunitatibus, exemptionibus, fauoribus, & indultis, ac priuatorum remissionibus, & indulgentiis, etiam Mare magnum nuncupatis, & aliis quibusuis litteris Apostolicis, & quibuscunque etiam viuæ vocis oraculo eisdem quatuor mendicantium Ordinibus, & eorum singulis, etiam quoad interdicti relaxationem, missarum in eorum festiuitatibus, commemorationibus, & solemnitatibus, celebrationem, & alias quouis modo per ipsum Leonem, & alios quoscunque Romanos Pontifices nostros, tunc suos, prædecessores, ac Sedem Apostolicam in genere, vel in specie tunc, & pro tempore concessis, confirmatis, & Innocentij quorum omnium tenores idem Leo Prædecessor haberi voluit pro expressis, & quibus domus, mores, & fratres Ordinum mendicantium huiusmodi de iure, vel consuetudine, & iuxta priuilegia, & indulta prædicta vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ac vti, potiri, & gaudere in omnibus & per omnia perinde, vt si singula priuilegia huiusmodi Ordini sanctissimæ Trinitatis & Redemptionis captiuorum, ac illius monasteriis, ministris superioribus fratribus, & personis præfatis specialiter concessa fuissent. Quodque fratres Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum, Pro- 4.
uinciæ huiusmodi, superiorem vestem, capam nuncupatam, albi coloris per eos eatenus deferri solitam cuius declarationem de essentia regulæ ipsius Ordinis non existere, asserebant, dum ad partes infidelium pro redimendis captiuis se conferrent, de superiorum suorum licentia mutare. Ac prædictis, & pro tempore existentibus prouinciali, & aliis ministris monasteriorum Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuo- 5.
uorum Instituta vsus carnium in refectorio fratribus ipsis interdictus existebat, extra refectorium prædictum carnibus ipsis vesci, poterant, vt eisdem fratribus, quod etiam diebus prædictis in ipso refectorio (aduentus tamen, & aliis à iure prohibitis temporibus exceptis) carnibus huiusmodi si qualitas temporis, aut monasteriorum necessitas, id exigerent vesci possent licentiam concedere. Necnon cum (sicut Didacus, & alij ministri, 6.
ac fratres prædicti etiam asserebant) nonulli Christi fideles aliqua bona eisdem monasteriis cum onere celebrationis, & recitationis nonnullorum anniuersariorum reliquissent, & super illorum celebratione propter illorum multitudinem, & fidelium qui bona ipsa reliquerant nominum, & cognominum incertitudinem nimia esset confusio, vt ipsorum fidelium voluntates desuper commode per fratres Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis huiusmodi adimpleri non possent, & secundum d. Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum institutiones omnia, & singula mobilia, & immobilia bona pro Redemptione captiuorum huiusmodi indifferenter relicta in tres partes diuidi deberent, quarum vnam in eandem Redemptionem, ac alia in Hospitalium pauperum subuentionem, & alia pars huiusmodi in ipsum fratrum sustentationem conuerteretur, præfato Didaco, & pro tempore existenti ministro prouinciali, vt capitulo prouincialium astantibus Definitoribus super dd. anniuersariorũ celebratione etiam in singulis prouinciæ huiusmodi monasteriis facienda secundum Deum, & eorum conscientiæ disponere, ordinare, statuere, & moderare. Necnon fratribus Ordinis, & Prouidentiæ huiusmodi, si pro illorum congrua sustentatione necessitas exegerit quod ipsi fratres ex bonis monasteriis prædictis pro tempore relictis quorum diuisio huiusmodi arbitrio ipsius Didaci, & pro tempore existentis ministri prouinciali dictæ Prouinciæ relinquerentur, dummodo illa non in alios vsus, quam redemptionem, & pauperum subuentionem, ac Hospitalium reparationem, seu constitutionem, ac fratrum Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum sustentationem conuerterentur, vltra tertiam partem huiusmodi, absque alicuius conscientiæ scrupulo percipere, & leuare valerent concedere. Et insuper vt fidelium vota tanto magis circa oppressorũ in Sarracenorum manibus subuentionem concurrerēt, quãdo ex præfatæ sedis largitione cognoscerent de Ecclesiæ Thesauro, eorum animæ salutis, 7.
& spirituali consolationi consuli possit omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisus, omnibus, & singulis Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, que dicti Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum, tam virorum quam

quam monialium monasteriorum Ecclesias, illis
8. anni diebus, quibus peccatorum remissiones, & indulgentiæ per eosdem fratres consequebantur, visitarent: ac qui deuotionis feruore ducti in habitu Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum huiusmodi decederent, aut eorum corpora seu cadauera, dum ab hoc sæculo migrarent, in Ecclesiis monasteriorum Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum huiusmodi sepeliri, seu de propriis eorum bonis pro redemptione prædicta aliquam pecuniæ quantitatem per d. Ministrum Prouincialem pro tempore existentem designandam erogarent, aut etiam, qui scapularium eiusdem Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum de manu alicuius illius prælati etiam absque alicuius voti emissione, susceptum deferrent. Necnon vtriusque sexus Ordinis eiusdem sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum fratribus, Hermanis nuncupatis, vt omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones fratribus Ordinis sanctissimæ Trinitatis huiusmodi concessas consequerentur: ac suffragiorum in ipsis monasteriis pro tempore factorum participes fierent, necnon priuilegiis, indultis, prærogatiuis, exemptionibus, fauoribus, concessionibus, antelationibus, & gratiis monasteriis, & Ordini sanctissimæ Trinitatis huiusmodi in genere, vel in specie concessis, & quibus fratres Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum huiusmodi vtebantur, potiebantur, & gaudebant, seu vti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere perinde possent, ac si illa eisdem fidelibus, & fratribus nuncupatis specialiter & expresse concessa fuissent, auctoritate prædicta concessit, & indulsit. Ac voluit ali-
9. quot Iudices in partibus illis dari, qui Didaco, & pro tempore existenti Prouinciali, & aliis ministris superioribus, & fratribus Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionibus captiuorum huiusmodi, in præmissis efficacis defensionis præsidio assisterent, ac concessionem, & indultum per dicta firmiter obseruari, eosque illis pacifice gaudere facerent, nec eos desuper per quoscunque quomodolibet indebite molestari permitterent, côtradictores, molestatores quoslibet, & rebelles per cẽsuras Ecclesiasticas appellatione compescendo, nec non eisdẽ Iudicibus quoscunq; contradictores, molestatores, & rebelles constito tamen summariæ de non scito ad eos ccessio, per edicta publica locis publicis de quibus esset verissimilis coniectura quod ad eorum notitiam peruenire valeret, affigẽda; quę ipsos perinde arctarent, ac si eis personaliter intimata forent, citandi, ac eis etiam sub censuris Ecclesiasticis, & pecuniariis pœnis eorum arbitrio moderandis inhibendi, necnon legitimis desuper his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas quoties opus fieret etiam iteratis vicibus aggrauandi, & loca in quibus eos morari & ad quæ declinare contingeret. Non ob-
10. stantibus piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. similiter prædecessoris nostri, quibus inter alia cauetur, ne quis extra suam ciuitatem, vel diœcesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra dictam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocaretur, seu ne Iudices à sede præfata deputati, extra Ciuitatem, vel diœcesim in quibus deputati forent contra quoscunque procedere, aut alij, vel aliis vices committere præsumerent, & de duabus in Côcilio generali editis, & quibuslibet aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum, necnon mendicantium Ordinum prædictorum, etiam Iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, illorumque Generalibus monasteriis, domibus, superioribus, & aliis quibuscunque personis etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter tunc, & pro tempore concessis, approbatis, & iteratis vicibus innouatis, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, dictus Leo prædecessor tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habens, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat specialiter, & expresse derogauit, cæterisque contrariis quibuscunque. Ne autẽ de absolutione, approbatione, Confirmatione, inhibitione, indulto, voluntate, concessione, & derogatione prædictis pro eo quod super illis ipsius Leonis prædecessoris (eius superueniente obitu) litteræ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari; ac Prouincialis, & alij ministri & fratres prædicti illorum frustrentur effectu, volumus, & præfata Apostolica auctoritate decernimus, quod absolutio, approbatio, confirmatio, 11.
inhibitio, indultum, voluntas, concessio, derogatio Leonis prædecessoris huiusmodi perinde à dicta die 12. Calend. Augusti suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Leonis prædecessoris litteræ sub eiusdem dici datis confectæ fuissent provt superius enarratur. Quodque præsentes litteræ ad probandum plenè absolutionem, approbationem, confirmationem, inhibitionem, indultum, voluntatem, concessionem, & derogationem Leonis prædecessoris huiusmodi, vbique sufficiant ne ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & decreti ifringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datis Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1522. Prid. Calend. Septemb. Pontificatus nostri anno primo. Quocirca discretioni vestræ per 12.
Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seu alios litteras prædictas, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Prouincialis, Superiorum, & fratrum Ordinis sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum prædictorum, seu alicuius eorum desuper fueritis requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis defensionis præsidio efficaciter assistentes, faciatis auctoritate nostra obseruantiam, inhibitionem, & indultum, ac omnia, & singula alia supradicta iuxta illorum continentiam, & tenorem obseruari, necnon Prouincialem, ac fratres præfatos, ac alios, quos præmissa quomodolibet concernunt, illis pacificè gaudere. Non permittentes eos, aut eorum aliquem desuper per quoscunque quomodolibet indebitè molestari. Contradictores molestatores quoslibet, & rebelles per-

per censuras Ecclesiasticas, & pœnas pecuniarias vestro arbitrio moderandas, appellatione postposita, componendo, ac legitimis, super his (per vos habendis) seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, quoties opus fuerit, iteratis vicibus agrauando, & loca in quibus eos morari, & ad quæ declinare contigerit. Ecclesiastico interdicto subiiciendo, illud relaxando, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis, iuxta voluntatem, & concessionem Leonis prædecessoris huiusmodi. Non obstantibus omnibus supradictis, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca ad iudicium concurri non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datis Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1522. pridie Kalen Septem. Pontificatus nostri anno 1. Habetur hæc Bulla in Bullario Rodriguez in Adriano 6. Bulla 4. Et vocatur ab ipso Mare magnum, & ita placet eam appellare; quia coniuncta saltem cum alia Bulla Innocentij III. de qua infra circa §. 1. erit sermo, continet quamplura priuilegia, propter quæ hòc titulo decorari potest.

IN MARE MAGNVM Ordinis sanctissimæ Trinitatis Commentarius.

SVMMARIVM.

Institutio Ordinis SS. Trinitatis. num. 1.
Qualiter contigit. num. 2.
Regula Ordinis SS. Trinitatis. n. 3.
Alia de hoc Ordine. n. 4.
Bulla confirmatoria instituti. n. 5.
Quid de eiusmodi priuilegiis sentiendum. n. 6.
Alia de hac Religione. n. 7.
De priuilegiis, & indulgentiis ipsius. n. 8.
De Congregatione Discalceatorum. n. 9.
Quæ in ipsa obseruentur. n. 10.
Pauli V. *Constitutio. n. 11.*
Alia eiusdem. n. 12.
Vota quæ emittuntur in hac Religione. n. 13
Prohibitio transeundi ad aliam. n. 14
Eiusdem Papæ Confirmatio. n. 15.
Concessio quoad electiones. n. 16.
Concessiones quoad Officia celebranda. n. 17.
De Vestitu eiusdem Congregationis. n. 18.
Qui de ipsa scripserunt. n. 19.
Alia ex Tamburino. n. 20.
Adriani, & Leonis summorum Pontificum Bullæ. num. 21.
Qualiter intelligendæ aliquæ clausulæ ipsius. n. 22.
Mens summorum Pontificum circa reformationem Religionis. n. 23.
Sunt zelatores reformationis. n. 24.
Necesse est Regularibus reformatè viuere. n. 25.
Qui dicantur Reformati. n. 26.
Obligatio Prælatorum circa Conuentuum reformationem. n. 27.
Indulta Pontificum circa reformationem. n. 28.
Communicantur aliis. n. 29.
Quatuor bona regularis Obseruantiæ. n. 30.
Primum felicitas. n. 31.
Secundum securitas vitæ. n. 32.
Varia in Ecclesia genera gratiarum. n. 33.
Sancti Bonauenturæ doctrina. n. 34. & 35.
Spes bonæ mortis. n. 36.
Prudentia practica. n. 37.
Regula quid sit. n. 38.
Schedula de cœlo missa. n. 39.
Succus perfectionis. n. 40.
Et veluti quinta essentia. n. 41.
Vnio cum Deo. n. 42.
Stare in conspectu Dei. n. 43.
Communicatio Priuilegiorum mendicantium. n. 44.
De illa remissiuè n. 45.
Cappæ albæ mutatio. n. 46.
Causa huius concessionis. n. 47.
Historia Carmelitarum. n. 48.
Concessio hæc vtilis. n. 49.
Pro quiete conscientiarum. n. 50.
Quæ licentia ad id requiratur. n. 51.
Sufficiens licentia Generalis. n. 52.
Implicita, seu tacita. n. 53.
Priuilegium fauorabile latè est interpretandum. num. 54.
Quid de priuilegiis iuri communi contrariis. n. 55.
Habitus regularis septem priuilegia. n. 56.
Illud dimittentes sunt excommunicati. ibid.
Proprius vnius religionis non ptest gestari ab aliis. num. 57.
Illum libidinosè tractantes grauiter peccent. n. 58.
Sæculares possunt cum illo sepeliri. n. 59.
Cum eo decedentes indulgentias viuis consequuntur. um. n. 60.
Item illum osculantes. n. 61.
Quid de Scapulari Carmelitarum. n. 62.
De esu carnium. n. 63.
Quæ notanda circa hoc. n. 64. & 65.
Quid importent aliquæ dictiones huius priuilegij. num. 66.
Dictio si *importat conditionem. n. 67.*
Dictio aut *est disiunctiua. n. 68.*
Per qualitatem temporis quid intelligatur. n. 69.
De facultate disponendi super anniuersariorum celebratione. n. 70.
Decretum sacræ Congregationis sub Vrbano VIII. num. 71.
Aliud decretum. n. 72.
Quomodo intelligenda concessio. n. 73.
Tot Missæ celebrandæ sunt, quot stipendia sunt recepta. n. 74.
Decretum S. Congregationis. n. 75.
Dubium propositum. n. 76.
Fructus generalis Missæ an possit specialiter applicari, num. 77.
Resolutio affirmatiua. n. 78.
Authores pro ipsa. n. 79.
Auctoritas S. Thomæ. n. 80.
Ratione probatur. n. 81.
Ex canone Missæ. n. 82.
E memento Missæ. n. 83.
Ex quadam ratione Ecclesiæ. n. 84.
Ex alia. n. 85.
In terminis iuris. n. 86.
Taciti, & expressi idem est iudicium. n. 87.
Explicatio resolutionis. n. 88.
Voluntas specialis applicantis vtilior. n. 89.
Administratio bonorum Monasteriorum concessa Prouinciali. n. 90.
Coarctata propter decreta summorum Pontificum. num. 91.
Concessio indulgentiarum, suffragiorum, & priuilegiorum. n. 92.

De

De Indulgentiis pro visitantibus Ecclesias. numero 93.
Quæ sint istæ indulgentiæ.n.94.
An sint communicabiles.n.95.
De decedentibus cum habitu religionis. num.96. & 97.
De sepultura.n.98.
De dantibus eleemosynam.n.99.
Quid post reuocationem Gregorij XIII.n.100.
De gestantibus scapulare.n.101.
De Confratribus.n.102.
De Iudicibus conseruatoribus.n.103.
De clausulis derogatoriis.n.104.
Confirmatio Bullæ.n.105.
Facto non minus quàm verbo fit confirmatio. numero 106.
Imo plus facto, quam verbo. 107.
De confirmatione preuilegiorum remissiuè. numero 108.

Circa §.1.

1 PRæmittenda sub hoc §.1. huius Bullæ Adriani VI. recitantis aliam Leonis X. quæ *Mare magnum* ordinis sanctissimæ Trinitatis nuncupatur, institutio huius sacræ Religionis, quæ antiquitate, & aliis præeminentiis valde in Ecclesia fulget. Ea porrò contigit circa annum Domini 1198. à duobus verè piis, & sanctæ vitæ viris, Ioanne Mata, & Felice Eremitis in Galliis, ad captiuos è manibus Barbarorum redimendos sub Pontifice Innocentio III. Huiusmodi enim Re-
2 ligiosis vitam Eremiticam, cum pari charitatis feruore ducentibus, cum aliquando tale inistitutum, absque certa viuendi Regula approbata periculosum dubitarent, diuinitus reuelatum creditur, vt summo Pontifici, tunc temporis Innocentio III. tanquam Christi Vicario, normam suæ religionis peterent, qua accepta, secundum præscriptum in vinea Domini securiùs laborare potuissent. Re ergo per ipsos Pontifici delata, eisdem bonus Pastor, habitum, & institutum sibi oranti ab Angelo determinatum inducit, atque præinserto diplomate per quædam capita distribuit, videlicet.

REGVLA ORDINIS sanctissimæ Trinitatis.

3 INNOCENTIVS *Episcopus seruus seruorum Dei Dilectis filiis Ioanni Ministro, & fratribus sanctæ Trinitatis. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Operante diuinæ dispositionis Clementia, in Sedis Apostolicæ specula constituti, piis debemus affectibus suffragari, & eos, cùm à charitatis radice procedunt, producere ad effectum, præsertim vbi quod quæritur, Iesu Christi est, & priuatæ cõmunitatis vtilitas antefertur. Sane, cum tu, dilectè in Christo fili, frater Ioannes Minister, ad nostram olim præsentiam accessisses, & propositum tuum, quod ex inspiratione diuina creditur processisse, nobis humiliter significare curasses, intentionem tuam postulans Apostolico munimine confirmari. Nos, vt desiderium vnum in Christo fundatum (propter quem poni non potest stabile fundamentum) plenius nosceremus, ad venerabilem fratrem nostrum Episcopum, & dilectum filium Abbatem S. Victoris Parisien. cum nostris te duximus litteris remittendum: vt per eos, vtpote qui desiderium tuum perfectius nouerant, de intentione sua, & intentionis fructu, ac institutione Ordinis, & viuendi modo, instructi, assensum nostrum tibi possemus securius, & efficacius impartiri. Quia igitur (sicut ex eorum litteris cognouimus euidenter) Christi lucrum appetere videmini plusquam vestrum, volentes, vt Apostolicum vobis adsit præsidium, Regulam, iuxta quam viuere debeatis (cuius tenorem dicti Episcopus, & Abbas suis nobis inclusum litteris transmiserunt, cum his, quæ de dispositione nostra, & petitione tua fili Minister, duximus adiungenda) præsentium vobis, & successoribus vestris auctoritatē concedimus, & illibata perpetuo manere sancimus. Quorum tenorem, vt euidentius exprimamus, inferius duximus annotari. In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, sub obedientia Prælati Domus suæ (qui Minister vocabitur) in castitate, & sine proprio viuant. Omnes res vndecunque licitè veniant, in tres partes diuidant æquales. Et in quantum duæ partes sufficient, exequantur ex illis opera misericordiæ, cum sui ipsorum, & eis necessario famulantium moderata sustentatione. Tertia verò pars reseruetur ad redemptionem captiuorum, qui sunt incarcerati pro fide Christi à Paganis, vel dato pretio rationabili pro redemptione ipsorum, vel pro redemptione Paganorum captiuorum, vt postea rationabili commutatione, & bona fide redimatur Christianus pro Pagano, secundum merita, & statum personarum. Cum verò pecunia data fuerit, vel aliquid: semper de consensu illius, qui dederit, tertia pars separetur, & aliter non recipiatur. Exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus, ædificiis, nutrituris, & huiusmodi. Fructus enim inde exeuntes, deductis expensis, scilicet mediatè remota pro expensis in tres partes diuidantur æquales. Sed qui paucas, vel nullas recipiunt expensas omnes diuidantur. Cùm verò panni, vel calceamenta, vel minuta huiusmodi (quoties necesse sit vti, quæ vendi, nec conseruari non expedit) data fuerint, vel à seipsis habuerint, non diuidantur, nisi Ministro Domus, & fratribus visum fuerit expedire. De quibus singulis Dominicis diebus (si fieri potest) in Capitulo deliberetur. Si tamen prædicta, vt panni, terræ, nutrituræ, seu minuta venderentur, pretium inde proueniens, in tres partes (vt suprà) diuidatur. Omnes Ecclesiæ istius Ordinis, intitulentur sanctæ Trinitatis, & sint plani operis. Fratres possunt esse in vna cohabitatione, tres Clerici, & tres Laici: & præterea vnus, qui procurator sit. Qui non Procurator, sed Minister, vt dictum est, nominetur. Vt Frater N. Minister sanctæ Trinitatis. Cui Fratres repromittere, ac impendere obedientiam teneantur. Omnibus fratribus suis, sicut sibimet, Minister fideliter administret. Vestimenta sint lanea, & alba; Et liceat eis habere pelliceas, singulis singulas, & bracchas, quas iacentes non deponant. Iaceant in laneis, ita quod plumea, fulcra, vel culcitra, nisi in ægritudine laborantes in Domibus propriis minimè habeant. Ceruical verò, ad sustentationem capitis, permittantur habere. In cappis Fratrum imponantur signa, equos non ascendant, nec etiam habeant, sed asinos tantum liceat ascendere, datos, vel accommodatos, vel de propriis nutrituris susceptos. Vinum sumendum à Fratribus taliter temperetur, vt sobriè sumi valeat. Ieiunent ab Ibibus Septembris, secunda, quarta, & sexta feria, & sabbato, nisi solemnis festiuitas interuenerit, vsque ad Pascha. Sic tamen, vt ab Aduentu, vsque ad Natiuitatem Dominicam, & à Quinquagesima, vsque ad Pascha, (exceptis Dominicis diebus, in cibo quadragesimali ieiunent, & alia similiter ieiunia, quæ consueuit Ecclesia celebrare. Potest tamen quandoque Minister ieiunium cum discretione relaxare, propter ætatem, vel viam, & aliam iustam causam; vel facultate inspecta,*

etiam augmentare. Carnibus datis, ab his, qui foris sunt, vel sumptis de propriis nutrituris, vesci liceat tantum in Dominicis diebus, à Pascha vsque ad Aduentum Domini, & à Natali vsque ad Septuagesimam, & in Natiuitate, & Epiphania Domini, & in Ascensione Domini, & omnium Sanctorum. Nihil emant ad victum, præter panem, & pulmentum, scilicet fabas, & pisa, & huiusmodi legumina, & olera, oleum, oua, lac, caseos, & fructus. Sed neque carnes, neque pisces siue vinum liceat emere, nisi ad necessitatem infirmorum, vel minutorum, vel pauperum, aut in magnis solemnitatibus. Liceat nutrituras emere, & nutrire. Cum vero in itinere, seu peregrinatione fuerint, liceat eis, sed parcè, vinum emere, & pisces in Quadragesima, si necesse fuerit. Et si quid eis datum fuerit, inde viuant, & residuum in tres partes diuidant. Tamen si fuerint in via profecti ad redimendos captiuos, quidquid eis datum fuerit, totum debent ponere in redemptione captiuorum, præter expensas. In Ciuitatibus, in Villis, siue Castellis, in quibus proprias Domos habuerint, nihil omnino extra Domos illas (nisi fortè in Domo Religionis) etiamsi à quouis regentur, comedant, vel bibant, nisi fortè aquam in Domibus honestis. Nec pernoctare præsumant extra huiusmodi domos; nunquam in Tabernis, vel huiusmodi locis inhonestis habitent, comedant, vel bibant. Qui autem hoc præsumpserit, iuxta arbitrium Ministri, graui vindictæ subiaceat. Talis sit charitas inter Fratres, Clericos, & Laicos, vt eodem victu, vestitu, dormitorio, refectorio, & eadem mensa vtantur. Infirmi seorsum dormiant, & comedant. Ad quorum curam habendam, conuersus aliquis, Laicus, siue Clericus, qui ea, quæ necessaria fuerint inquirat, & ministret, sicut fuerit ministrandum. Moneantur tamen infirmi, vt lauta, siue nimium sumptuosa cibaria non requirant, commoda potius, & salubri moderatione contenti. Quia hospitum, & pauperum, omnium euntium, & redeuntium, vnus de discretioribus, & benignioribus fratribus iniungatur, qui audiat eos, & vt expedire viderit, charitatis solatium administret. Requirat tamen ab illis, quos crediderit admittendos, si eis quæ fratribus apponantur velint esse contenti. Ad lauta quidem, & sumptuosa cibaria, non oportet quemquam admitti. Quæcunque tamen præstanda sunt, cum hilaritate præstentur: & nulli maledictum pro maledicto reddatur. Si quis, & maximè Religiosus ad hospitandum aduenerit, benigne suscipiatur, & charitatiuè, iuxta posse domus, illi subministretur. Auena tamen, vel aliud in loco auenæ hospitibus non detur, si fuerint in ciuitate, vel oppido, vel vbi venalis inueniatur, nisi fortè Religiosi sint hospites, vel tales qui ad manus non habeant, & non emere possint. Si autem hospites venalem non inuenerint, & in domo, qua suscepti fuerint, inueniatur, congruenter eis præbeatur. Nullus frater Laicus, vel Clericus sit (si fieri potest) sine proprio officio. Si quis verò laborare noluerit, & potuerit, locum ipsum deserere compellatur, cùm Apostolus dicat: qui non laborat, non manducet. Silentium obseruent semper in Ecclesia sua, semper in refectorio, & semper in dormitorio. De necessariisque tamen liceat loqui, in aliis locis, temporibus aptis, & remissa voce, humiliter, & honestè. Et extra prædicta loca vbique sermo eorum sit honestus, & sine scandalo. Similiter, & eorum omnis status, gestus, vita, & actio, & omnia alia honesta in eis reperiantur. Capitulum, si fieri potest, singulis Dominicis diebus in singulis domibus, Minister cum fratribus suis teneat: & de negotiis domus, & domui, siue fratribus datis, vt ad redemptionem captiuorum, Tertia pars deputetur, fratres ministris, & minister fratribus rationem fideliter reddant, non solum fratribus, sed, & familiæ pro capacitate sua. Similiter singulis Dominicis diebus, si fieri potest, exhortatio fiat, vt quid credere, aut agere debeant, simpliciter moneantur. De omnibus rebus, & clamoribus, fratres in Capitulo iudicentur. Nullus frater fratrem suum in publico accuset, nisi bene possit probare. Qui autem hoc fecerit pœnam subeat, quam reus subiret, si conuinci potuisset, nisi minister cum eo ex causa dispensare voluerit. Si quis scandalum, vel aliquid huiusmod. fecerit, vel (quod absit) se inuicem percusserint, iuxta arbitrium ministri, maiori, vel minori vindictæ subiaceat. Si quis frater in fratrē peccauerit, scilicet contra fratrem, idem eo solo sciente, qui iniurium passus est, sustineat patienter, licet sit innocens. Et cùm quieuerit commotio animorum, benignè, ac fraternè commoneat, & corripiat eum, vsque ter, inter se, & ipsum solum, & pœnitentiam agere de commisso, & à similibus in posterum abstinere. Quod si non aud erit, dicat ministro & ille corripiat eum secreto, secundum quod viderit saluti eius expedire. Qui vero scandalum mouit, si per se emendare voluerit, totum ante pedes scandalizati, petens veniam se extendat. Et si semel non sufficit, vsque ter illud idem faciat. Si verò hoc in publicum venerit, quæcunque secuta fuerit pœnitentia, hæc sit prior, scilicet ante pedes Ministri petendo veniam, totius corporis extensione, & postea secundum eius arbitrium emendetur. Generale capitulum semel in anno celebretur, quod fieri debet in Octauis Pentecostes. Si pro necessitate domus, debitum fuerit aliquod contrahendum, prius in Capitulo fratribus proponatur, & cum eorum fiat consilio, & assensu, vt sic suspensiones, & murmurationes euitentur. Si quisque de substantia domus, violentiam fecerit, & ad Iudicem oportuerit referri, non ante hoc fiat, quàm charitatiuè ille à fratribus primo, post ab aliis vicinis similiter moneatur. Electio ministri, per commune fratrum consilium fiat: nec eligatur secundum dignitatem generis, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Ille verò, qui eligitur, sacerdos sit, vel clericus ordinibus aptus. Minister verò, siue maior, siue minor, sacerdos sit. Maior minister, confessiones fratrum omnium congregationum eiusdem ordinis audire potest. Minister verò minor, omnium fratrum suæ domus audiat confessiones, dummodo verecundia repetiti excessus, occasionem minimè præbeat tardius Prælatis suis, vel minus purè quàm deceat confitendi. Solicitè verò minister prouideat, vt præcepta regulæ, sicut cæteri fratres per omnia teneat. Postquam verò electus fuerit, si ex culpa deponi meruerit, per maiorem ministrum, conuocatis tribus, vel quatuor ministris minoribus deponatur, & alius qui dignus sit loco eius subrogetur. Si verò pro remotione terrarum, vel alia causa rationabili, maior minister hoc facere non potuerit, ministris minoribus, magisque religiosis committat, & quod illi fecerint, authoritate maioris ratum habeatur. Maior verò minister, si pro excessibus corrigendus, vel deponendus sit, per quatuor, vel quinque ministros eiusdem ordinis magis religiosos hoc fiat. Qui tamen authoritate capituli generalis eligi ad hoc debent. Si quis huius ordinis frater esse voluerit, primò per annum cum expensis suis, præter victum, habitu suo, & omnibus suis retentis, in ordine pro Deo seruiat, & post annum, si bonum, & conueniens videatur ministro domus, & fratribus, & illi, & locus vacauerit, recipiatur. Nihil tamen pro receptione sua exigatur. Si quid tamen gratis dederit, recipiatur, dum tamen tale sit, de quo non videatur Ecclesiæ litigium imminere. Si verò de cuiusque moribus visum fuerit dubitandum, prolixior de eo

probatio habeatur. Si ante receptionem aliquis se intemperanter habuerit, & impatiens disciplinæ ad arbitrium Ministri non emendauerit mores suos, tribuatur ei modestè licentia, cum omnibus, quæ attulit, recedendi. In Ordine vero aliquis non recipiatur, antequam annum videatur vigesimum compleuisse. Professio vero ad arbitrium Ministri relinquatur. Pignora non accipiant, nisi decimas, cum licentia sui Episcopi, de manu laici. Iuramenta non faciant, nisi in magna necessitate, & vel licentia Ministri, vel iussi ab Episcopo suo, vel ab alio vices Apostolicas gerente, & hoc pro honesta, & iusta causa. Si quod vitium in re, quæ venditur, notum fuerit, emptori indicetur. Depositum auri, vel argenti, vel pecuniæ, non liceat eis suscipere. Ipsa die qua infirmus venerit, vel asportatus fuerit; de peccatis suis confiteatur, & communicet, omni secunda feria, præterquam in Octauis Paschæ, & Pentecostes, & Natiuitatis Domini, & Circumcisionis, & Epiphaniæ, & præterquam in festiuitatibus, quæ ad colendum pronunciant; finita missa pro fidelibus, fiat absolutio fidelium defuntorum in cœmeterio, singulis quoque noctibus ad minus in hospitali coram pauperibus pro statu, & pace sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & totius Christianitatis, & pro benefactoribus, & pro his, pro quibus generalis Ecclesia consueuit orare, communis fiat oratio. In regularibus horis, morem B. Victoris obseruent, nisi forte pausationes, vel aliæ prolixitates, & Vigiliæ occasione laboris, & paucitatis seruientium, de consilio priorum, & Religiosor. Virorum fuerint remittendæ. Propter paucitatem etenim suam tantas pausationes in psallendo facere non tenebuntur, nec ita tempestiuè surgere. In rasura similiter Ordinem S. Victoris sequantur clerici, laici verò barbas non radant, sed eas crescere modestè permittant. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurũ. Datis Lateranæ, decimo Septimo Calendas Ianuarij anno Incarnationis Dominicæ millesimo, centesimo nonagesimo octauo Pontificatus nostri, anno primo.

Habetur hæc Regula in Bullario Laërtij Cherubini *tomo* 1. inter Bullas Innocentij. III. *num.* 1. & refertur à multis, qui de hoc Ordine scripserunt. Dicitur quoque, quod acceptis huiusmodi litteris Pontificiis prædictus B. Ioannes Ordinem suum mirum in modum propagare studuit, suosque fratres in partibus infidelium, vbi tunc maximè vigebat bellum sacrum, misit, vt in exercitu sauciatos curarent & solarentur, ac captiuos redimerent, secundum proprium institutum. Illud etiam certum eundem Innocentium hanc Regulam confirmasse, alia Bulla, etiam in eodem *tom.* 1. Bullarij inter litteras *præsidio disposuimus irrigare, quatenus Deo præstante, misericorditer intrementum, fructum properat exoptatum. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus, clementer annuimus, & præfatum Ordinem sanctissimæ Trinitatis, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, statuentes, vt quascunq; possessiones, quæcunque bona idem Ordo, in præsentiarum iustè, ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, siue aliis iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci; firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. Si quando vero loca, deserta fuerint eidem Venerabili Ordini, ab aliquo pia deuotione collata, liceat vobis ædificare villas, Ecclesias, cœmeteria ad opus hominum ibidem morantium fabricare. Ita tamen, vt illic Vicinia, Abbatia, vel Religiosorum Collegia non existant, quæ hoc valeant perturbare. Sane non alium vestrorum quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis siue de nutrimentis animalium vestrorũ hortorum, vel pomorum fructibus, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis, clericos, vel laicos, liberos, & absolutos à sæculo fugientes ad conuersationem recipere, & eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, vt nonnulli fratrum vestrorum, post factam in Ordine vestro professionem, fas sit, absque Ministri sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodem Ord. discedere. Discedentem vero absq; communium literarum cautione, nullus audeat retinere. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes Altariũ, seu Basilicarum vestrarum, Ordinationes clericorum vestrorũ, qui ad sacros Ordines fuerint promouendi, & cætera Ecclesiastica sacramenta à diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam, & communionem sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit, sine prauitate qualibet exhibere. Alioquin liceat vobis quamcunque malueritis Catholicum adire Antistitem, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatis impendat. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommucatis, & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce Diuina officia celebrare. Sepulturam præterea locorum vestrorum, liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepelire deliberauerint, nisi forte excommunicati, & interdicti sint nullus obsistat. Salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumantur. Obeunte verò, te nunc eiusdem Ordinis Ministro, vel tuorum quolibet successorum: nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilij sanioris, secundum Dei timorem, canonice prouiderint eligendum. Paci, & tranquillitati vestræ paterna in posterum solicitudine prouidere volentes, authoritate Apostolica destrictius inhibemus, vt infra clausuram locorum vestrorum, nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat, præfatum Ordinem temerè perturbare, vel eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationes fatigare, sed omnia integrè conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione, sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ authoritate, & diœcesani Episcopi canonica iustitia. Si igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere vti tentauerit, secundo, tertioque commonita reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatisque sui careat dignitate, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena sit, atque in extremo examine, & districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco suo iure seruientibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicum præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen. Amen. Datum Viterbij per manum Ioannis Mariæ Cosmedim, Diaconi Card. S. R. E. Cancellarij. 14. Calend. Iulij. Indictione 2. Incarnationis Dominicæ, an-*

no 1209. Pontif. verò Domini Inn. Papa III. ann. 12.

6. *Quamuis multa dici possent circa hæc priuilegia ab Innoc. III. huic sacro Ordini concessa, quia tamen ea similia sunt aliis priuilegiis concessis pro Ordinibus Mendicantium de quibus in proprio loco egimus, ideo ad ea, quæ ibi dicimus lectorem remittimus.*

7. De hoc etiam Ordine Tamburinus de *iur. Abb. tract. 2. disp. 24. q. 4. ait quod Clemens VII. Constit. 7. quæ incipit: Gratum, 25 Calend. Maij 1524. eisdem fratribus confirmauit priuilegium quærendi eleemosynas pro officio redemptionis. Paulus III. communicauit omnes exemptiones, & gratias, quibus gaudent in Prouincia Castellæ Legionis, & Bethicæ, fratribus Portugalliæ constit. 2. quæ incipit: inter curas. idibus Nouembris 1534. Gregorius XIII. authoritatem dedit Prælatis huius Ordinis benedicendi paramenta Constit. 31. quæ incipit: exposcit. 7. Octob. 1575. fratribusque ad redemptionem, & conuersionem infidelium euntibus, multas gratias, & priuilegia concessit Paulus V. Constit. 26. quæ incipit: Ex omnibus. die 8. Februarij, 1608. Plures alias indulgentias concessit huic Ordini Clemens VIII. constit. 79. Vbi præfinitur forma communicandi harum indulgentiarum.*

8. *Quia tamen circa priuilegia, concessiones, & Indulgentias his similia Mendicantibus concessa plura diximus in Mari magno ipsorum, ac etiam partim totam summam quæstionum Regularium, ideo ne sæpius eadem repetamus ad eis locus dicta remittimus etiam lectorem.* Hæc porro omnia hausimus & Tambur. loco relato, legendus Hieron. Rodriguez *in Comp. Resol. 123. num. 19.*

9. Præterea Barb. *de iur. Eccl. p. 1. c. 41. n. 187.* de hac Relig. hæc subiungit. *Est in hoc Ord. Cong. quædã, quã appellat, discalceator. cuius institutor fuit R. P. Ioannes. Bapt. qui considerans præfatum Ord. temporum iniuria, & hominum stupiditate à primi eius instituti regularis obseruantia deflexisse, Diuina inspirante gratia arctioris vitæ zelo deductus primus huius Ordinis instituum imitari cupiens à Clemente VIII. reformationem obtinuit,*

10. *in qua primitiua regula à fratribus reformatis, seu discalceatis obseruaretur, vt constat ex eius constit. 62. incipit. ad militantis Ecclesiæ 20. Augusti 1599. Paulus vero V. & conuentibus erectis in*

11. *Hispaniæ Regnis, duas Prouincias instituit sub plena gubernatione vnius Vicarij Generalis, qui Ministro generali totius Ordinis subesset, vt in eius constit. 59. incip. in supremo militantis Ecclesiæ. Deinde idem*

12. *Pontifex, prædictam reformam inter cæteras Religiones mendicantes adscribi voluit, vt patet ex eius constit. 60. incip. Ecclesiæ Catholicæ 15. Decembris 1609. Vltimo verò instituit, & ordinauit, vt hi Re-*

13. *ligiosi reformati, seu discalceati tempore suæ professionis, vltra tria vota substantialia, quartum aliud votum etiam emitterent non prætendendi ipse, neque per alios directè, vel indirectè Prælatiam vllam, nec intra, nec extra Religionem, vt in eius constit. 61. alias 39. incip. quæ pie 10. februarij 1610. Nouissimè S. D. N. Vrbanus VIII. per quosdam literas in*

14. *forma Breuis expeditas sub die 9. Aug. 1634. prohibuit ne vlli Religiosorum iam professorũ inter dictos reformatos, seu discalceatos ad vllum alium Ordinem sub quocunque prætextu, sub Apostasiæ, & perpetuæ infamiæ nota se transferre audeant (excepto dumtaxat Ordine Carthusianorum, petita tamen prius, & obtenta licentia suorum superiorum) declarans professionem taliumsic se transferentium irritas, & inefficaces, & nullius esse valoris, præcipiensque superioribus aliorum Ordinum, vt statim ac fuerint requisiti tales translatos ad suam primam religionem, sub excommunicationis, ac priuationis officiorum suorum pœna remittere debeant. Idem Pontifex hanc Primitiuam regulam pro fratribus discalceatis Hispaniæ motu proprio reformauit, & ad perfectiorem forma reduxit; nam cum ex peculiari dictæ reg. 'æ instituto, perfectissimum misericordiæ opus inter cætera corporalia haberent, videlicet Redemptionem captiuorum, eis etiam adiunxit contemplationem, præcipiens, vt in singulis diebus, ad minus per duas horas, communis fieret ad Deum mentalis oratio, similiter eis concessit suum maiorem, ac generalem Ministrum, cuius electio facienda esset de sexennio in sexennium, vt plenius continetur in Bulla sub Datum Romæ 7. Calend. Octob. 1631. Possunt recitare officium sanctissimæ Trinitatis, & sanctissimi Sacramenti, eo modo, & eisdem diebus, & temporibus, quibus fratres eiusdem Ordinis non reformati ex priuilegio Clementis VIII. illisque in omnibus circa huiusmodi officia se conformare, vt censuit S. Congreg. Rit. in causa sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum 14. februarij 1615. vesti-* 18.
tus est pene idem, atque alterius familiæ, sed ex panno viliori, cum aliqua tamen differentia in forma, & colore crucis, & in pallio. Habet hæc familia reformata suum Monasterium ad S. Carolum propè quatuor fontes in Regione Montium. Huius reformæ, & exemplaris vitæ suorum Religiosorum mentionem fecit D. P. Bernardus de S. Antonio in epitome Generalium 19.
Redemptionis captiuorum, frater Marcus de Gualdaxara, & Xauerius auctor 5. partis historiæ Pontificiæ, & Ægid. Condisaluus chronista catholicæ Maiestatis in compendio huius Ordinis. Hæc omnia 20.
Barbosa, superius relatus similia ferme Tamburinus de iure Abbat. *tom. 2. disp. 24. quæst. 4.* Addens etiam alia circa consimilis vestituti Congregationem in Gallia erectam authoritate Vrbani VIII. & viuæ vocis oraculo ipsius facto Cardinali Bandino.

His præmissis circa institutionem, originem, 21.
& propagationem huius Religionis, Adrianus Papa sextus *in §. 1.* huius Bullæ, Mare magnum priuilegiorum, & gratiarum Ordinis sanctissimæ Trinitatis appellatæ refert etiam aliam Leonis X. sui Prædecessoris, in qua dictus ordo à Sede Apostolica ex certa scientia approbatur, & confirmatur, circa quod plura dici possent, circa naturam confirmationis; diuisionem ipsius in confirmationem solum factam in forma communi, & in confirmationem, ex certa scientia, & motu proprio; differentiã quæ inter ipsas est, & affectus quos causẽt. Quia tamẽ de iis latè diximus. *tom. 4. q. Regu. verb.* 22.
priuil. Reg. n. 23. & circa mare magnum Prædicatorũ *in §. 38.* & in mare magno Erem. S. Aug. *in §. 38.* & in mari magno Carm. *circa § 44.* & in mari magno Seru. *cir. §. 28.* proinde ab iis modo supersedemus

Circa §. 2.

Totus hic paragraphus eò tendit, vt sanctam 23.
summorum Pontificum mentem circa obseruantiam, & reformationem huius Religionis conseruandam ostendat. Conformiter etiam ad ea quæ circa Mare magnum Carmelitarum *num. 229. & seqq.* ac in Mari magno Seruitarum, *num. 188.* diximus. Nec mirum sanè, quia summi Pontifices 24.
maximi zelatores reformationis Regularium sæpissimè noscuntur: eò quod maximè necessarium sit ipsis Regularibus reformatè viuere, iuxta ea 25.
quæ latè scripsi in opere de *Reformatione Regularium, cap. 1. & 2.* vbi plura, tum Sanctorum Patrum, tum grauissimorum Auctorum testimonia habentur, quibus id conuincitur. Plura quoque de 26.
hac materia dixi 4. *tomo Summæ. verbo Reformati Regulares.* Præsertim *num. 2.* quod tales dicuntur illi, *qui iuxta regulæ, quam professi sunt, præscriptum,* 27.
vitam constituunt. Et in *num. 3.* quod omnes Præ-

lati, Mendicantium præsertim, teneantur debitè
28. reformare Monasteria sibi subiecta. Et *num.4.& 5.*
afferens notabilia indulta Pij II. & Pauli II. in fa-
uorem dictæ reformationis. Ac *num.6.* huiusmodi
29. concessiones esse priuilegia quædam pro Raformatis
concessa, ac proinde in communicatione priui-
legiorum Religionum comprehensa. Quod præser-
tim in Religione hac sanctissimæ Trinitatis pro-
cedi, cùm iuxta inferius dicenda copiosam habeat
communicationem priuilegiorum Ordinum Men-
30. dicantium. Sed placet ad intentum Reformationis
Regularium afferre quatuor bona, quæ & doctri-
na Humberti nonnulli pij recentiores referunt,
quibus Religiosi suarum Regularum obseruato-
res, & bene Reformati potiuntur, ad maiorem
31. ipsorum ædificationem. Primum est facilitas, vt
regularis rigor disciplinæ feratur; Nam quod aliis
egerrimum est, suauissimum, & delectabile fit
obseruanti Religioso, qui liberali, & planè regio
animo in omnibus, & per omnia se tradit Deo,
voluntariis sacrificiis. Hîc dilatatum cor habens,
viam mandatorum peruolat, & consiliorum per-
currit, & quasi sine labore vehitur. Rechab etiam
32. hoc significat superuectus. Secundum bonum est,
securitas vitæ, nam gratia diuina locupletissimè
adest, obseruantibus institutum, in quo vocati
33. sunt. Varia sunt in Ecclesia Dei genera gratiarum,
& spirituum, bona, & sancta omnia; nihilominus,
qui relicta propriæ Religionis institutione, alium
sequitur spiritum, licet bonus sit, non valdè secu-
rè incedit, saltem non donabitur tot Dei fauori-
bus, & gratiis. Quare sanctus Bonauentura mo-
34. nuit. Vide igitur de qua familia velis esse, vel cuius
spiritus sis, & secundum hoc suscipe onus tibi de-
putatum, id est serua Regulas, & vias, quibus ad
perfectionem illius status possis peruenire. Im-
possibile namque est quemquam aliquam artem
plene addiscere, qui regulas eius non vult atten-
dere, vel tenere, nec spiritualis fieri poterit, qui
35. non vult spiritu ambulare. Accedit secura spes
bonæ mortis, & pignus perseuerantiæ obseruato-
ribus sui instituti. Sanctus Franciscus, Deo id re-
36. uelante, promittebat fratribus suis, neminem, qui
suam regulam obseruaret, malè moriturum, prout
refert Petrus Rodulphus *libro secundo historiarum*
37. *seraphicæ Religionis*. Tertium bonum est, quod ob-
seruator regularum non minus prudens practicè
euadat, licet simplex, & indoctus sit, quàm ipse
38. Author regularum, & Religionis fundator. Quid
est Regula, nisi sapientiæ diuinæ sententia, nisi
inspiratio patens, & quasi quædam generalis reue-
latio, atque vniuersale oraculum voluntatis diui-
næ; ideo qui secundum regulam operatur, non
39. aliter operatur, quam si iuxta inspirationem, &
reuelationem diuinam, singula opera faceret. Si
Angelus deferret nobis de cœlo in schedula aliqua
scripta, quod Deus pro nostra salute misericordi-
ter decreuisset fieri à nobis, nonne illam chartam
super caput nostrum reuerenter poneremus, humi-
liter oscularemur, diligenter custodiremus in sinu
nostro, imo in nostris præcordiis vellemus recon-
40 dere, seruaremusque quidquid in ea præscriptum
fuisset. Idem cum nostris regulis fauendum est, in
quibus conscripsit Deus quidquid pro nostra sa-
lute, & perfectione fieri oportebat, & in quibus
41 est *succus*, & quinta essentia perfectionis. Nam si
de regulis suis hoc dixerunt Iurisperiti *succum*, &
veluti Alchymistæ loquuntur, *quintam essentiam*,
iuris in eis esse, potiori ratione regulis nostris hoc
conuenit. Id certum per regulam Christus æteri-
nus Iudex nos est mensurus. Quartum bonum est
vnio cum Deo, qui enim in minimis suam infringit, 42.
& viriliter tundit voluntatem, ex detrimento amo-
ris proprij diuini emolumentum lucratur. Satbit
iraque integer instituti sui cultor in conspectu Dei 43.
cunctis diebus, iuxta Hieremiam, *& erit sanctus
Domino*, iuxta Zachariam, *cùm super frenum equi
iniecerit ornamenta consiliorum*. Verè profectò filius
Rechab; qui etiam interpretatur *Ephippium*. Hæc
ex Humberto.

Circa §. 3.

HOc loco conceditur huius Ordinis Religio-
sis amplissima communicatio priuilegiorum 44.
concessorum quatuor Ordinibus Mendicantium.
De qua materia plura latè dixi tom. 1. Summæ,
cap. 3. num. 17. & maximè tom.2.cap.1. num. 52.
53. & 54. & sequentibus, ac tom.4. verbo priui- 45.
legia Regularium, num. 24. & de simili priuilegio
Fratrum Prædicatorum in eorum Mari magno
circa §.52. & Minorum, circa §.51. Eremitarum
sancti Augustini, circa §.52. & Seruitarum, §.67.
videnda ergo quæ his locis dixi, quia ex iis plura
dubia, quæ circa hoc priuilegium Ordini sanctis-
simæ Trinitatis concessum moueri possunt decisa
manebunt.

Circa §.4.

FAcultas etiam ipsis hoc loco datur, vt cum ad
partes infidelium pro redimendis captiuis se 46.
conferunt, possint cappam albam, quam deferunt
mutare, in aliam videlicet vestem, vel alterius co-
loris cappam. Cuius concessionis causa esse potest,
quod infideles, Mahometani maximè, cappas al- 47.
bas in Christianis exosas habent. Cuius rei tertij
est Carmelitarum nostra Religio, quæ, prout hi- 48.
storiæ nostræ referunt, & nos scripsimus tertio
Tomo Annalium circa annum 642. cùm Homar
Rex Arabiæ cum ingenti multitudine Sarraceno-
rum, Terram sanctam cœpisset, & Christianos in
ea degentes suo dominio subiugasset, Sarraceni
molestè ferebant quod nostræ Religionis Profes-
sores veste alba desuper induti incederent, cùm
tunc solum eorum Satrapæ vestibus sic induti in-
cederent, pluribus ergo eorum interemptis eas de-
relinquere coegerunt, & *Barrata*, id est intermixta
albis, & nigris barris, seu partibus pallia assu-
mere.

Etsi autem huiusmodi concessio necessaria non 49.
videatur, eò quod ex communi sententia, de qua
diximus *tomo 1. cap. 13. num. 2.* quando Religiosi
sunt in Terris Infidelium, vel per illas transeunt,
si timent suæ vitæ, propter Infidelium malignita-
tem, possunt, non obstante excommunicatione
illis imposita, *cap.2. Ne Clerici, vel Monachi in 6.*
de non temerè dimittendo habit suæ Religionis,
illum dimittere, quia tunc habent iustam causam
ad id faciendum. Prout docent *Gloss. eo cap.2. verb.
temerè* & ibi Dominic. *in princip. num. 9.* Franc. *in
pincip. num.7.* Monach. *cap.1. de sentent. excom. in 6.
num. 12.* Sanchez *lib. in Decalog. cap.8. num.41.* &
alij plures: Nihilominus pro quiete conscientia-
rum, & ad sedandos scrupulos, vtilis fuit præfata 50.
concessio: quia per illam non solum eximuntur hi
Religiosi ab excommunicatione imposita in illo
cap.2. Ne Clerici, vel Monachi, sed etiam id pos-
sunt facere licitè, cùm concessio absoluta sit, &
non restricta solum ab exemptione de non incur-
renda

51. tenda excommunicatione. Quia autem Pontifices
in ista Bulla addunt clausulam illam *de Superiorum*
52. *licentia*, ideo procul dubio ea requiritur. Quia au-
tem non dicitur ibi de Superiorum licentia *speciali*.
Ideo credo sufficere generalem, eam videlicet, per
quam mittuntur Religiosi ad dictas partes Infide-
lium. Similiter quia nec ibi dicitur, quod ea li-
53. centia debeat esse *expressa*, seu *explicita*, ideo etiam
credo sufficere implicitam, seu tacitam. Nullum
enim est fundamentum ad affirmandum contra-
rium: iuxta dicta *tom.3. verb. Licentia quoad Regu-*
54. *lares, num.2.* Quod maximè procedit in hoc casu,
in quo agitur de priuilegio. Priuilegium namque
præsertim fauorabile, & nemini præiudicium af-
ferens, quale est istud, latè est interpretandum iux-
ta dicta *tom.4. verb. priuilegia Regularium, num.9.*
55. Eo quoque, quia in præsenti casu procedunt ali-
qua, quæ eo loco diximus, propter quæ etiam
priuilegia iuri communi contraria latè explicari
debent.
56. Hîc recolenda ea quæ diximus, *tom.3. verbo ha-
bitus regularis* circa priuilegium illius. Quæ sunt
septem, vt ibi diximus. Primum illud, de quo su-
pra quod illum temerè dimittentes sunt excom-
municati excommunicatione maiori, prout dixi-
57. mus. Secundum, quod habitus proprius vnius
Religionis gestari non possit à Religiosis alienis.
58. Tertium, quod sæculares ludibriosè, seu ignomi-
niosè tractantes Religiosum habitum mortaliter
59. peccent, & grauiter puniri possunt. Quartum, quod
sæculares in habitu religioso sepeliri volentes
possint id facere etiam Parochis contradicentibus.
60. Quintum, quod sæculares cum eo decedentes in-
dulgentias varias à summis Pontificibus concessas
61. consequantur. Sextum, quod illum osculantes
62. consequantur indulgentias Septimum quod Ordo
Carmelitarum fruitur de speciali protectione Dei-
paræ sanctissimæ, Fratrum, Confratrum, & Soro-
rum animas, vt à Purgatorij pœnis liberentur, ad-
iuuando, sabbatho post ipsorum mortem, iuxta
diplomata Summorum Pontificum Io. XXII. Ale-
xand. V. Clement. VII. Gregorij XIII. & decreta S.
Congregationum Inquisitionis, & Rituum. Sed
de iis, ac aliis concernentibus eo loco dictum.

Circa §. 5.

63. HOc loco conceditur Fratribus huius Religio-
nis vsus carnium in Refectorio extra Aduen-
tum, & alia à iure prohibita tempora cum condi-
tionibus ibi designatis, si videlicet *qualitas tempo-*
64. *ris, aut Manasteriorum necessitas id exigerit.* Circa
quod priuilegium videnda sunt, quæ diximus circa
Mare magnum Carmelitarum, *num.132. & seqq.*
vbi plura ad intentum. Maximè ea quæ attulimus,
num.136.137. & 138. scilicet carnium nomine in-
telligi illas, quæ iuxta communem Christianorum
vsum, aut Medicorum iudicium à piscibus contra
65. distinguuntur. Non verò oua, & lacticinia. Quid
verò dicendum de sagimine, siue pinguedine inter
varias opiniones Doctorum ibi dictum. Sicut etiam
de iure, seu pulmentis cum carne coctis.
66. Quid verò importent dictiones illæ, *si qualitas
temporis, aut Monasteriorum necessitas id exigerent,*
dubium esse potest. In quo primò dicendum, quod
cùm istæ clausulæ sint limitatiuæ, procul dubio
voluisse Pontifices in ista concessione, quod isti
Religiosi non manducent carnes in Refectorio,
tam liberè, & ad beneplacitum, sicut illas mandu-
cant alij Religiosi, non habentes talem limitatio-

nem in suis Regulis. Secundò dico quod cùm in 67.
ea apponatur dictio illa *si*, quæ regulariter impor-
tat conditionem, *vt in leg.1. vbi Doctores ff. de
cond. & demonstr. & in leg. quibus diebus. §. quidam
Titio, ff. eodem tit. & in leg. quis, ff. de verborum oblig.*
Notant Bartolus in *dicta lege 1. numero 2. & 3.*
ideo vna, vel altera ex illis conditionibus non sub-
sistente non erit licitus esus carnium in Refecto-
rio, sed censeri debet prohibitus, eo videlicet mo-
do, quo Regula, vel Religio obligat. Dixi autem 68.
vna, vel altera, quia Bulla vtitur dictione, *aut* quæ
propriè est disiunctiua, saltem regulariter loquen-
do *leg. si ex toto §.1. ff. du leg. 1. l. ille, aut ille in princ.
ff. de leg.3. leg. Titio, ff. de leg.2.* Tertiò dico per *qua-* 69.
litatem temporis intelligi posse quod tempus sit
hibernum, aut æstiuum, vel quod dies sint festiui,
& solemnes, aut feriales, & communes. Similiter
per *Monasteriorum necessitatem* notari videtur pro
huiusmodi dispensatore, an carnes carius quam
pisces, aut è contra pisces quàm carnes emantur.

Circa §. 6.

CIrca priuilegium hoc loco concessum de fa- 70.
cultate concessa capitulo prouinciali cum
Diffinitoribus ibi assistentibus ordinandi, dispo-
nendi, statuendi, & moderandi super Anniuersa-
riorum celebratione, cùm magnum, & notabile
priuilegium sit, plura dici possent; nisi illud vi-
deretur reuocatum per decretum sacræ Congre-
gationis Concilij sub Vrbano VIII. de anno 1625.
quæ retulimus *tom.1. cap 21. num.5. & tom.4. verbo
Missa, num.15.* vbi enim hæc habentur circa re-
uocationem similium priuilegiorum. *Id verò vt* 71.
*deinceps obseruetur exactius, sacra Congregatio eadem
authoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia qui-
busuis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam sæcularibus,
quàm Regularibus cuiuscunque Ordinis, Congregatio-
nis, & Instituti, quamcunque ob causam concessa, qui-
bus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuer-
sariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu ora-
tionibus plurium Missarum oneribus in futurum sus-
cipiendis satisfiat.* Præmissum autem erat: *Ac pri-* 72.
*mò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in
Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Ge-
neralibus, vel alias quoquomodo reducant onera vlla
Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium
imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omni-
bus reducendis, aut moderandis, vel commutandis,
ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter
perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire
arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, &
commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohi-
bitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque
inanes decernit.* Est quidem verum, quod isti Re- 73.
ligiosi facultate illis concessa in hoc priuilegio
vtantur non quidem moderando, reducendo, aut
commutando præfata onera Missarum, seu Anni-
uersariorum, sed circa celebrationem eorum ali-
quid alio modo statuendo, aut disponendo, quod
non sit contra *prædicta decreta*, non videtur ipsis
prohibitum. Tot tamen Missas celebrari debere, 74.
quot stipendia sunt recepta, non obstantibus hoc,
vel aliis priuilegiis, sic statuit eadem sacra Con-
gregatio: *Deinde, vbi plurimis Missis, etiam eiusdem* 75.
*qualitatis celebrandis plura stipendia, quantumcun-
que incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus
personis collecta fuerunt, aut conferentur in futurum,
Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospita-
libus, societatibus, monasteriis, conuentibus, congre-*

gationibus , domibus , ac locis piis quibuſcunque tam ſæcularibus, quàm regularibus, ſacra Congregatio ſub obſtentatione diuini Iudicij mandat , ac præcipit , vt abſolutè tot miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcripta fuerint ; itavt alioquin ij, ad quæ pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimo grauiter peccent , & ad reſtitutionem teneantur.

76. Quamuis autem plura ſpectantia ad hanc materiam de celebratione miſſarum loco relato ex 4. *t.* dixerimus , quia tamen poſtea dubium quoddam circa eandem à quibuſdam propoſitum vidi , & quia eius reſolutio vtilis erit pro inſtructione aliquorum, ideo placuit illud hic adiungere.

77. Dubium porrò tale eſt : *Vtrum ſacerdos celebrans pro aliquo ob eleemoſynam , ob id ab eo acceptam , vel alias , poſſit admittere ad ſacrificij participationem aliquos ad ſui libitum, puta, parentes, cognatos, amicos, &c. ſiue viuos, ſiue defunctos , ſic videlicet quod non tantum oret pro illis in miſſa , ſed offerat etiam pro illis ſacrificium in ſpeciali; & applicet illis in*
78. *ſpeciali valorem generalem ſacrificij ?* Ad quod reſpondeo , quod quamuis aliqui dicant ſacerdoti id non licere , ſed ſolummodo pro ipſis orare , nihilominus vera reſolutio eſt, *quod ſacerdos celebrans pro aliquo ob eleemoſynam , vel alias, poteſt in miſſa, &*
79. *orare pro ſuis parentibus , cognatis , & amicis, &c. & ſimul poteſt pro eis in ſpecie offerre ſacrificium , & applicare illis in ſpeciali valorem generalem ſacrificij.* Pro hac reſolutione ſpecialiter referri poſſũt Guilielmus Durandus *in ſuo Rationabili , lib.*4. *cap.*36. *num.*14. Ioannes Baptiſta de Rubeis *in rationali nouo, lib.*2. *cap.* 67. fauet Bonac. *de Sacram. diſp.*4.
80. *quæſt.vlt.punct.* 4.*num.*2. colligitur enim ex D.Thoma 3. *part. quæſt.*79. *art.*7. *in corpore* , ſic dicente; *Hoc Sacramentum ſumentibus quidem prodeſt, & per modum ſacramenti, & per modum ſacrificij, quia pro omnibus ſumentibus offertur. Sed aliis , qui non ſumunt prodeſt per modum ſacrificij , in quantum pro ſalute eorum offertur. Vnde , & in Canone miſſæ dicitur : Memento Domine famulorum , famularumque tuorũ, pro quibus tibi offerimus hoc ſacrificium laudis.* Hoc enim loco S. Doct. ſatis innuit quod pro illis qui commemorantur in *Memento* Miſſæ offeratur ſacrificium. Cùm ergo in *Memento* Miſſæ oretur ſpecialiter pro pluribus, etiã poterit pro illis offerri ſacrificium ſpecialiter, quoad fructum generalem.

Deinde ratione, quia iuxta dicta eo 4.*tom. verb.*
81. *miſſa, num.*7. ex triplici effectu, ſeu fructu miſſæ, ſcilicet generali, ſpeciali , & ſpecialiſſimo , quem aliqui *medium* vocant , primus ille eſt, qui ex intentione Chriſti , & Eccleſiæ applicatur omnibus fidelibus : ergo quemadmodum fructus ſpecialis, & ſpecialiſſimus, ſpecialiter applicari poteſt illis pro quibus applicatur, ita etiam fructus generalis, ſpecialiter applicari poterit iis pro quibus applicatur. Confirmatur primò ex vſu , eo praxi Eccleſiæ. Nam in Canone Miſſæ dicitur : *Quæ tibi offe-*
82. *rimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica, vna cum famulo tuo Papa, & omnibus orthodoxis.* Ibi enim clarè offertur ſpecialiter pro illis, quibus ſolum offertur Miſſa , quoad fructum generalem. Similiter in *Memento Miſſæ* dicitur : *Memento Domine famu-*
83. *lorum , famularumque tuarum , &c. & omnium circumſtantium pro quibus tibi offerimus hoc ſacrificium laudis.* Ibi enim ſimiliter offertur ſpecialiter ſacrificium, quo illis quibus non competit, niſi fructus generalis. Idem etiam conſtat ex orationibus qui-
84. buſdam approbatis ab Eccleſia pro celebratione Miſſæ. In quadam enim ſic habetur , *Ego volo celebrare miſſam , & conficere corpus , & ſanguinem pro omnibus , qui ſe commendauerunt orationibus meis in genere , & in ſpecie.* Item in illa oratione, 85.
quæ incipit , *Pater cœleſtis* , dicitur : *Suſcipe hodie per manus ſerui tui hoc ſacroſanctum ſacrificium in ſalutem , & fortitudinem animæ meæ , & totius domus meæ , & omnium illorum , quibus aliqua obligatione teneor. In refrigerium , & liberationem omnium animarum exiſtentium in Purgatorio, & maximè illarum quæ auxilium à me iure expetant.* In 86.
his enim orationibus clarè habetur quod fructus generalis applicetur ſpecialiter. Confirmatur ſecundò in terminis iuris , quia cùm fructus generalis applicetur neceſſariò ſaltem implicitè à ſacerdote in omni miſſa , pro quibus applicabilis eſt, non videtur eſſe vllo modo dubium , quin ſaltem ex beneplacito ſacerdotis applicari pro aliquibus poſſit , etiam expreſſè: eo quod generalis mentio idem operatur quoad omnia, quod ſpecialis, quoad ſingula, *leg. ſi chorus , ff. de legat.*3. *leg. ſi duo , ff. de admin.tut.* Gonzalez *ad reg.*8. *Concil.gloſſ.*8. *in prin. num.*22. Surd. *conſil.*2.*num.*44. *& conſil.*350. *num.*20. Stephan. Gratianus *diſcept. forenſ. tom.*4.*cap.*656. 87.
*num.*30. *& cap.*766.*num.* 11. Et quia *taciti , & expreſſi* idem eſt iudicium. *leg. cùm quid ff. ſi certum petatur , leg. ſi filiusfamilias , ff. eodem tit. leg. vltim. ff. de legibus* 2. *leg. item quia, ff. de pactis , leg. vltim.* (*quibus cedere poſſunt.* Federicus de Senis *conſil.*100. Nota tamen non propterea nos dicere quod fru- 88.
ctus ille generalis ſpecialiter applicatus tranſeat in ſpecialem, illum ſcilicet, qui loco relato dixi eſt proprius ſacerdotis applicantis ſacrificium : aut etiam in ſpecialiſſimum , quem aliqui medium vocant, & applicatur illis qui eleemoſynam pro miſſa obtulerunt. Sed ſolum , quod fructus ille generalis qui applicabilis eſt pro omnibus fidelibus applicari poſſit ex voluntate ſacerdotis aliquibus ſpecialiter. Quæ voluntas ſpecialis vtilior 89.
erit illi pro quo applicatur. Nam vt ait Nugno *in tertiam partem, quæſt.*83. *art.*1. *Quanto magis applicatur ſacrificium in particulari, tanto magis prodeſt cæteris partibus.*

Redeundo ad priuilegium , de quo in præſenti 90.
conceſſione , & §.6. in illo etiam conceditur Prouinciali huius Religionis , de quo ibi fit mentio , facultas adminiſtrandi bona derelicta fratribus , & monaſteriis. Pro quo videnda quæ dixi *tom.*1. *cap.*18. *num.*13. *& tom.*2.*cap.*19. *num.*52. *& tom.*3. *verb. adminiſtratio , & adminiſtrare , num.*1. Coarctari tamen debet huiuſmodi facultas iuxta 91.
decreta Clementis VIII. & ſacræ Congregationis ſub Vrbano VIII. quæ habentur *tom.*4. *Bullarij*, inter Conſtitutiones Vrbani *num.*26. Sic enim ibi habetur, *Nullus ex ſuperioribus locorum adminiſtrationem bonorum, aut aliorum rerum , diſpenſationemq; pecuniarum, & redditiuum ſui Conuentus, etiam nomine Conuentus per ſe ipſum habere, ſiue exercere poſſit, ſed vniuerſum id onus tribus fratribus eiuſdem Conuentus à Generali ita demandetur & vnus rerum , & bonorum, reddituumq; colligendorum, & exigendorum curam habeat , alter tanquam depoſitarius pecunias, ac cætera ab illo collecta , & exacta fideliter aſſeruet, alius de pecuniis, & rebus à depoſitario acceptis, Priori, & fratribus , ac conuentui vniuerſa de neceſſarijs, mandante tamen ipſo Priore, non ſecundùm proprium affectum , ſed iuxta charitatis regulam veluti bonus diſpenſator prouideat, officiorum huiuſmodi confuſione, penitus interdicta. Cæterum hi tres tam impenſi, quàm accepti ſingulis menſibus ſuperiori locali , adhibitis etiam duobus, vel tribus fratribus eiuſdem Conuentus probatioribus , rerumque vſu peritis , rationem reddant;*

dant; deinde ipsemet rursus, præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, vel Visitatoribus, cum aduenerint. Denique ipse Generalis, vel Visitatores in quolibet proximo Capitulo Generali, coram tribus Iudicibus ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, vniuersæque suæ administrationis, tam publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneantur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli extrahatur, ad hoc vt ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

Circa §. 7. *&* 8.

92. HOc loco conceduntur huiusmodi Religioni, & intuitu illius; omnes, & singulæ indulgentiæ, & peccatorum remissiones, quæ ipsis Fratribus concessæ sunt; & participatu suffragiorum in Monasteriis ipsorum pro tempore factorum: necnon priuilegia, indulta, prærogatiuæ, exemptiones, fauores, concessiones, antelationes, & gratiæ Monasteriorum, & fratrum diuersis personis. Primò quidem omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, visitantibus Ecclesias istorum Religiosorum illis anni diebus, quibus peccatorum remissiones, & indulgentiæ per ipsos fratres consequebantur. Secundò, in habitu huius Ordinis decedentibus. Tertiò, in eorum Ecclesiis sepulturam eligentibus. Quartò, dantibus aliquam quantitatem pecuniæ designatam per Prouincialem pro tempore existentem pro redemptione captiuorum. Quintò, scapulare eiusdem Ordinis de manu alicuius ipsius Prælati susceptum deferentibus. Sextò, fratribus ipsius ordinis *Hermanis* vocatis.

93. Circa quas concessiones aliquæ animaduertenda occurrunt. Primò quidem circa illum de visitantibs Ecclesias horum Religiosorum, quod, cùm, iuxta dicta *tom.1.cap.3.num.19.& tom.3. verbo Indulgentia quoad Regulares, num.8.* Indulgentiæ concessæ à Summis Pontificibus pro visitantibus Ecclesias Regularium, non sint reuocatæ, neque à Paulo V. vt diximus eis locis; neque ab alio Pontifice, ideo istæ indulgentiæ videntur modo in suo vigore
94. manere. Quæ porrò sint istæ indulgentiæ, quibus fratres huius Religionis potiuntur, & quæ communicantur visitantibus eorum Ecclesias, non exprimitur in hac Bulla: quia tamen in communicatione priuilegiorum generali, de qua supra §.3.
95. huic Religioni conceditur non solum communicatio priuilegiorum quatuor Ordinum Mendicantium, sed etiam indulgentiarum ipsis concessarum, vt patet illis verbis huius Bullæ *peccatorum remissionem, & indulgentiis*, ideo de huiusmodi indulgentiis aliorum Mendicantium intelligi debet hæc concessio. Quales porrò hæ sint, & dictis eo verbo indulgentia quoad Regulares, & aliis locis no-
96. stræ summæ constare poterit. Deinde circa illam concessionem pro decedentibus in habitu huius Ordinis consulenda quæ diximus eo *3.tract. verbo Habitus Regularis, num.5 & 6.* & applicanda ad hoc
97. intentum, maxime illud *num.5.* adductum, quod videlicet fideles sæculares in habitu religioso sepeliri volentes possint id facere, etiam Parochis contradicentibus, etiam sub pœna excommunicationis Papæ reseruata. Per quo videnda quæ diximus eo loco *num.6.7. & 4. tom.verbo sepult.quoad Regulares.* Præterea circa illud de sepulturã eligenti-
98. bus consulenda sunt, quæ adduximus eo verbo *sepultura quoad regulares, num.4.* vbi diximus sepulturam in Ecclesiis Mendicantium liberam esse debere, & in quo consistat huiusmodi libertas, de quo multa eo verbo, & practicabilia, maximè propter indeuotionem quorundam.

Illud autem quartum de dantibus quantitatem 99.
aliquam primæ designatam per Prouincialem huius Religionis, pro redemptione Captiuorum, cùm, iuxta dicta *3.tom.verbo Indulgentia, quoad Regulares, num.14.* Pius V. reuocauerit omnes indulgentias pro quibus consequendis manus adiutrices porriguntur, ideo in præsenti vacat hæc concessio quoad indulgentias. Quia etiam, vt ibidem 100.
notauimus Gregorius 13. in Bulla, *vt ad laudes*, confirmans indulgentias concessas visitantibus Carmelitarum Ecclesias, confirmauit etiã illas quæ clausulam cõtinebant prædictas manus adiutrices, seu porrigendi, cõmutando tamẽ illas manus adiutrices, seu eleemosynas in alia pia opora, quæ ex verbis ipsius Pontificis retuli *tomo 2. capite 15. num.39.* Ideo hæc religio per communicationem priuilegiorum, quam habeo cum nostra, poterit vti commutatione ista Gregorij XIII authoritate 101.
facta. Pro quinto illo de gestantibus scapulare huius Religionis consulenda quæ diximus *tom.3. verbo habitus regularis.* Pro sex eo voto confra- 102.
tres illi *Hermani* nuncupati iidem sint, ac *confratres:* Ita enim vocantur confratres in partibus Hispaniæ, pro quibus hæc Bulla concessa est: propterea iuuant ad intentum, quæ de confratribus confraternitatum Religionum dicta sunt latè *t.2. Summ.cap.15.per totum.*

Circa §. 9. *&* 10.

IN §. 9. constituuntur Iudices Conseruatores in 103.
illis partibus, qui eisdem Religiosis assisterent pro sua defensione. De qua materia latè egimus *tom.2. cap.10. ff.per totum*, afferendo limitationes 104.
aliquas à Pontifice factas similibus priuilegiis. Pro clausulis derogatoriis, quæ in hac Bulla continentur, videnda, etiam quæ diximus *tom.3. verbo Clausula*, & sparsim sæpius in hoc tomo.

Circa §. 11. *&* 12.

HOc loco implicitè approbat, & confirmat 105.
Pontifex Adrian. 6. Bullam istam à suo prædecessore Leone X. concessam pro Ordine SS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum. Decernens vt habeat suum effectum à die qua concessa est ab eodem Leone, scilicet 11. Kalend. Augusti: & destinans Conseruatores Iudices pro executione illius. Vnde etiam ex hoc vltimo censeri debet hæc Bulla ab hoc Pontifice confirmata, & ratificata. Siqui- 106.
dem certa res est, quod facto non minus, quam verbo consensum elicitur, & ratificatio, *leg. Paulus leg. non tantum, ff. rem ratam haberi, leg. de quibus circa fin. de legibus.* Imo plus est facto ratificare, 107.
quàm verbo, cap. dilecti filij 1. de appellat. & DD. plures apud Barbosam in axiomat. axiom.93.n.6. & seq. De hac porro materia de confirmatione 108.
priuilegiorum plura diximus circa Mare magnum Eremitarum sancti Augustini *num.100. & seqq.* Carmelitarum *num. 299.* & Seruitarum *num. 69. & 98.*

BVLLA Clem. VII.

Quæ est veluti Mare magnum Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptoris Captiuorum.

SVMMARIVM Bullæ.

Bullæ exordium. n. 1.
Confirmat concessa à Bonifacio VIII. Alexandr. IV. Clem. VI. Gregor. XI. Martino V. Eugenio IV. & & Calixto III. Generali, & fratribus Ordinis. num. 2.
Etiam Indulgentias pro animabus concessas à Nicolao III. num. 3.
Et Sixti IV. approbationes, & concessiones. n. 4.
Item Iulij II. concessiones. n. 5.
Similis concessio facta fratribus Ordinis SS. Trinitatis. num. 6.
Pro tempore Interdicti. n. 7.
Pro ingredientibus Confraternitatem. n. 8.
Indulgentiæ concessæ manus adiutrices præbentibus. num. 9.
Aliæ ferè similes. n. 10.
Indultæ pro fratribus. n. 11.
Pro legatis recipiendis. n. 12.
Leonis Papæ concessio. n. 13.
Quoad communicationem priuilegiorum Mendicantium. n. 14.
Extensio concessionis Papæ Nicolai. n. 15.
Pro indulgentiis stationum. n. 16.
Pro dantibus eleemosynas pro redemptione Captiuorum. n. 17.
Fideliter expendendæ in Captiuorum redemptionem. num. 18.
De tertia parte insumenda in necessitatibus. numero 19.
Declaratio circa prædicta legata. n. 20.
Facultas publicandi indulgentias. n. 21.
De non impediendis fratribus in hoc munere. numero 22.
Taxantur pecuniæ dandæ Ordinariis. n. 23.
Derogantur contraria. n. 24.
Supplicatio Papæ facta circa præfatas concessiones. num. 25.
Illa approbat, & confirmat Papa Clemens VII. num. 26.
Explicat indulgentias. n. 27.
Non obstantiæ ponuntur. n. 28.
Iudices Conseruatores assignantur in alia Bulla eodem anno, & die. n. 29.

CLEMENS

1. Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriã Redemptoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos ad pietatis cultum, & charitatis zelum misericorditer exercendum suis exhortatus exemplis, vices (licet immeriti) gerentes in terris, Romanorum Pontificum præsertim Regularium locorum fælici statu, & personarum in illis sub suaui Religionis iugo altissimo famulantium, ac fidelium captiuorum libertati continuo studio vacantium commoditate, ac animarum salute gesta; cum à nobis petitur, approbamus, & nostri patrocinij præsidio commonimus, illaque de nouo concedimus, & alias desuper prouidemus, prout huiusmodi captiuorum liberationi, & animarum saluti conspicimus in Domino plenius expedire.

Dudum siquidem, postquam felicis recordationis Bonifacius VIII. Alexander IV. Clemens VI. Gregorius XI. Martinus V. Eugenius IV. & Calixtus III. Romani Pontifices, prædecessores nostri, tunc generali magistro, & fratribus Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum certas erga locorum ordinarios, & alias tunc expressas monitiones: necnon peccatorum relaxationes, atque alia indulta, & gratias per diuersas suas literas concesserant. Et piæ memoriæ Nicolaus Papa III. etiam prædecessor noster animabus defunctorum, qui in sinceritate fidei, ac veritate S. Romanæ Ecclesiæ, ac sua suorumque successorum Romanorum Pontificum obedientia, constitutione, & confessione integra, si tempus, & confitendi facultas afforet, ab hac luce migrassent, & pro quibus duo floreni aurei Aragoniæ, vel prætium æquiualens ad opus Redemptionis Christi fidelium apud infideles captiuorum Fratribus dicti Ordinis erogarent, omnem pœnam, quam post eorum discessum pro suorum expiatione peccatorum pati deberent, per modum suffragij, misericorditer in Domino per alias suas relaxauer... 2. 3.

Ac recolendæ memoriæ Sixtus Papa IV. Similiter prædecessor noster Bonifacij, Alexandri, Clementis, & Gregorij, necnon Martini, & Eugenij Calixti prædecessorum literas huiusmodi cum illarum de verbum insertione per reliquas suas literas approbauerat, & nonnulla alia de nouo concesserat. 4.

Nec non sanctæ memoriæ, Iulius Papa II. etiam prædecessor noster Sixti, & aliorum prædecessorum huiusmodi literas, quantæcunque essent, cum authoritate Apostolica approbauerat, & innouauerat, illasque perpetuæ firmitatis robur obtinere decreuerat; & pro potiori cautela omnia, & singula in dictorum prædecessorum literis contenta eisdem Generali Magistro, & fratribus de nouo concesserat. Quodque confessor idoneus sæcularis, quem confratres cuiusque sexus confraternitatis eiusdem B. Mariæ Canonicè institutæ pro tempore existentes, & eorum quilibet cuiuscunque dignitatis, status, gradus, Ordinis, vel conditionis forent, ducerent eligendum, ipsos ab omnibus, & singulis eorum excessibus, peccatis, criminibus, & delictis, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, semel in vita, in aliis verò semel singulis annis, quemadmodum fratribus confraternitatis Ordinis sanctissimæ Trinitatis captiuorum ab eadem Sede concessum, eisque pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere posset. 5. 6.

Et si prædicti confratres confraternitatis Beatæ Mariæ ad loca Ecclesiastico interdicto, ordinaria authoritate, supposita declinare contigerit, si tamen interdicto huiusmodi causam non dedissent, in illis, clausis ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce missis, & aliis diuinis officiis interesse; Ac qui ex dictis confratribus confraternitatis Beatæ Mariæ Presbyteri forent eas celebrare; necnon eorundem fratrum tempore interdicti huiusmodi decedentium cadauera absque aliqua pompa solemni Ecclesiæ sepulturæ tradi liberè, & licitè valerent. 7.

Quod si confratres dictæ confraternitatis Beatæ Mariæ 8.

Mariæ tempore eorum in eadem confraternitate ingressus coniugati forent, solutis per virum, & vxorem triginta, & deindè annuatim septem denariis monetæ Iacensis, tam vir, quam vxor huiusmodi confratres dictæ confraternitatis Beatæ Mariæ, esse, ac omnibus, & singulis concessionibus, indulgentiis, & remissionibus supradictis gaudere censeantur. Vel si iidem, & alij fideles prædicti eandem confraternitatem Beatæ Mariæ pro tempore ingredientes, in eorum ingressu tres solidos cum dimidio dictæ monetæ, siue 42. denarios similes, seu aliam æquiualentem monetam soluere mallent, ad dictorum septem denariorum, vel aliquam aliam solutionem ratione confraternitatis huiusmodi faciendam obligari vlterius non possent, perpetuò statuerat, & ordinauerat.

9. Et vt eisdem Ordini, & fratribus Beatæ Mariæ vberiora prouenirent subsidia, vniuersis, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui aliquam Ecclesiarum domorum dicti Ordinis Beatæ Mariæ in Natiuitatis, & Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, ac Pentecostes, nec non omnibus, & singulis B. M. totius anni festiuitatibus à primis vesperis vsq; ad occasum solis dictarum festiuitatum, ac in omnibus diebus Dominicis quadragesimæ deuotè visitarent, & inibi manus adiutrices porrigerent, pro singulis festiuitatibus, & diebus prædictis, quibus id facerent, decem annos, & totidem quadragenas.

10. Et qui tempore quo dicti captiui redempti forent per diuersa loca ad misericordiã Domini propalandam, sub eius Crucis vexillo ducerentur, triginta denarios similes ipsis fratribus ducentibus erogarent, triginta annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxauerat.

11. Et insuper vt generalis Magister, & fratres prædicti, ac eorum quilibet omnibus, & singulis gratiis, concessionibus, indulgentiis, & remissionibus, quibus confratres Beatæ Mariæ pro tempore existentes, ac illam ingredientes, & Ecclesias visitantes, & manus adiutrices porrigentes, cœterique benefactores huiusmodi vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ac vti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, vterentur, & gauderent, indulserat.

12. Nec non eidem, & pro tempore existenti Generali Magistro, & ad id de expressio eius consensu pro tempore deputatis fratribus, quæcunque legata ad Redemptionem captiuorum huiusmodi pro tempore facta à quibusuis personis, & locis in Hispania, & Regis Hispaniæ toto Dominio exigendi, & recipiendi plenã, & liberã facultatem.

13. Etiam alias per suas concesserat fæl. recor. *Leo Papa X.* etiam prædecessor noster: per reliquas suas litteras ad tunc Generalis Magistri, & qui septuaginta captiuos è manibus infidelium redemptos ad Vrbem tunc deduxerant, certorum fratrum, dicti Ordinis supplicationem emanatas singulas prædecessorum huiusmodi literas: nec non etiam & singula alia, immunitates, exemptiones, priuilegia, indulta, & alias gratias dicto Ordini Beatæ Mariæ, & illius fratribus, & locis, & personis de illo benemeritis concessas, quatenus essent in vsu, authoritate Apostolica ex certa scientia approbauit, & innouauit, ac illa eidem Ordini Beatæ Mariæ, & eius fratribus, locis, & benefactoribus de nouo.

Nec non omnia, & singula, gratias, & priuilegia, & indulta Mendicantium ordinibus, & eorum personis, & locis per Sedem prædictam concessa, indulsit. 14.

Ac voluit quod dicta relaxatio pœnarum Purgatorij animabus defunctorũ, pro quibus duo floreni Aragoniæ per Nicolaum prædecessorem, vt præfertur concessa eisdem animabus, alias iuxta ipsius Nicolai prædecessoris literas qualificatas, etiam singulis defunctis, pro quibus nisi vnum florenum similem ad dictæ redemptionis opus erogari contigerit, suffragari. 15.

Statuit insuper, & Ordinauit, quod prædicti Ordinis Beatæ Mariæ fratres, quadragesimalibus, & aliis anni temporibus, & diebus, quibus nonnullæ vrbis, & extra illius muros, consistentes Ecclesiæ pro stationibus consequendis à Christi fidelibus visitabantur, vnum, vel duo altaria in Ecclesiis Domorum dicti Ordinis Beatæ Mariæ sita deuotè visitando, omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones consequerentur, quas consequi possent, si singulis diebus, & temporibus huiusmodi vrbis, & extra illius muros existentes Ecclesias prædictas personaliter visitauerint, & omnium, & singulorum sacrificiorum, ieiuniorum, peregrinationum, etiam vltra mare, & aliorum operum, quæ tunc, & pro tempore in sacrosancta vniuersali Ecclesia, & omnibus eius membris fierent participes existerent. 16.

Et quod singuli vtriusque sexus Christi fideles in ciuitatibus, & diœcesibus in quibus dicti Ordinis Beatæ Mariæ aliqua domus constiterit, viro & vxore pro vna persona computatis, qui eidem Ordini, & fratribus ad id pro tempore deputatis triginta denarios monetæ ibidem cursum habentis, seu eorum valorem, pro redemptione huiusmodi erogarent, vltra alias gratias, & indulta benefactoribus ipsius Ordinis Beatæ Mariæ dicta auctoritate Apostolica concessa, semel in vita, & in mortis articulo plenariam indulgentiam omnium peccatorum suorum de quibus corde contriti, & ore confessi forent, & remissionem consequerentur. 17.

Et quod quæuis pecuniarũ summa, aut res alia pro redemptione alicuius personæ specifice pro tempore oblata, & per dictos fratres Ordinis Beatæ Mariæ accepta, in redemptionem eiusdem personæ: aliæ verò eleemosynæ, & pia suffragia à Christi fidelibus pro Redemptione captiuorum pro tempore erogatæ, & ex prouentuum partibus, quæ à singulis dicti Ordinis Beatæ Mariæ domibus, seu eorum præceptoribus ad redemptionem eandem assignarentur in ipsum redemptionis opus dumtaxat fideliter exponi deberent, & in alia pietatis opera commutari non possent, ipsaque omnia in arca ad hoc per dictum Magistrum specialiter deputandam sub quatuor clauibus apud quatuor ex principaliter eiusdem Ordinis Beatæ Mariæ fratribus deponendis custodiendam congererentur, & conseruarentur. 18.

Atque liceret dicto pro tempore existenti Generali Magistro de tertia solum parte pecuniarũ & rerum pro redemptione in genere coniunctarũ in suorum, & ipsius Ordinis Beatæ Mariæ domorum pauperum, & eorum, qui in hoc opere viuerent, & se exercerent ingruentium pro tempore necessitatum subsidium disponere. 19.

Declarauit etiam scientia, & Apostolica auctoritate similibus, quæcunque ad redemptionem huiusmodi pro tempore legata, relicta, & donata 20.

sub

sub quibusuis ad pias causas relictorum, & legatorum applicationibus, etiam in fauorem fabricæ Principis Apostolorum de vrbe, vel subsidium expeditionis contra infideles, etiam in specie de bonis ad idem redemptionis opus pertinentibus factis, & faciendis nequaquam comprehendi sed esse ab illis perpetuis temporibus prorsus exempta.

21. Demum dictis fratribus Ordinis Beatæ Mariæ, & commissariis ab eis super negotio redemptionis huiusmodi pro tempore deputatis, indulgentias & peccatorum remissiones, cæteraque priuilegia, & indulta ipsis, & aliis Christi fidelibus eorum pia suffragia ad præmissa exhibentibus pro tempore concessa, vbi, & quando, quoties eis opportunum videretur per se, vel alium, seu alios in Ecclesiis, vel locis, etiam solemniter, publicandi, & publicari faciendi, plenam, & liberam licentiam elargitum fuit.

23. Nec non omnibus, & singulis locorum ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ sub interdicti ingressus Ecclesiæ, latæ sententiæ pœna ipso facto incurrenda, ne dicti Ordinis Beatæ Mariæ fratres, aut commissarios, vel alios ab eis, etiam ad prædicationis, siue publicationis huiusmodi opus pro tempore deputatos, aut eorum aliquem, directè, vel indirectè, quæsito quouis colore impedirent.

24. Nec ratione singularum literarum, quas ipsis pro publicatione huiusmodi in eorum Ecclesiis, ciuitabus, & diœcesibus commodius, faciendis concedere solebant, vltra quinque florenos similes pro se, ac secretariis, aut aliis ministris acciperent, præcepit.

Ac literas suas desuper confectas sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus per eum, & Sedem prædictam pro tempore factis, nullatenus subiacere decreuit, provt in singulis literis prædictis plenius continetur.

25. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum filiorum Hieronymi Perez, & Dominici de Clauería, & Augustini de Molina fratrum dicti Ordinis modernorum pro redemptione, ac liberatione fidelium captiuorum huiusmodi, provt per fratres dicti Ordinis de triennio in triennium fieri consueuit, deputatorum petitio continebat: quod cum ipsi cupiant omnia, & singula præmissa, pro eorum subsistentia firmiori, etiam per nos approbari; pro parte Hieronymi, & Dominici, ac Augustini prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt præmissis omnibus, & singulis nostræ approbationis robur adiicere: Et vt Christi fideles ad tam necessarium charitatis officium suffragia promptius exhibeant, quo ex merito maxima præmia consecuturos spetauerint, eleemosynas pro consequendis indulgentiis prædictis, vt præfertur, ordinatas moderni; aliasque in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

26. Nos igitur, Hieronymum, & Dominicum, ac Augustinum prædictos, nec non eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet inclinati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendi, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula priuilegia, qualiacunque sint in vsu, ac immunitates, exemptiones, & gratias; nec non post finitum præsentis iubilei annum, indulgentias prædicta auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & scripti præsentis patrocinio communimus, *illaq; omnia de bono concedimus.*

Et insuper vt Christi fideles indulgentias prædictas consequi, & relaxationem pœnarũ Purgatorij, per Nicolaum prædecessorem animabus defunctorum concessas huiusmodi procurare facilius valeant volumus, quod indulgentiæ, & relaxatio huiusmodi, tam viuentibus, quam singulorum defunctorum prædictorum animabus, pro quibus singulis eos solidos monetæ Regni Aragoniæ, seu æquiualeus summa in alia moneta in partibus illis cursum habente ad dictæ Redemptionis opus erogari contigerit, similiter post finitum tempus præsentis Iubilei annum suffragetur. 27.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ in singulis literis prædictis concessum fuit non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. 28.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, absolutionis, communicationis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datis Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1525. decim. calend. Octobris Pontificatus nostri anno 2.

Eodem etiam die, & anno aliam Bullam dedit idem Pontifex huius tenoris. Clemens Episcopus seruus, seruorum Dei, venerabili fratri Episcopo Vigorniensi, & dilectis filiis Abbati Monasterij de Baynolas Gerundensis Diœcesis, ac Priori Prioratus Beatæ Mariæ del Pilari Cæraugustanæ, salutem, & Apostolicam benedictionem. Hodie à nobis emanarunt literæ tenoris sequentis. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam Redemptoris Domini nostri, &c (Hic intrat Bulla eiusdem Clementis VIII. superius relata) in fine autem sic additur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seu alios, literas prædictas, & in eis contenta, quæcunque vbi, quando, quoties opus fuerit, ac pro parte Generalis Magistri, & Fratrum pro tempore existentium dicti Ordinis Beatæ Mariæ, seu alicuius eorum fueritis requisiti solemniter publicantes, ac eis efficaces defensionis præsidio assistentes faciatis auctoritate nostra, eosdem Magistrum, & fratres omnibus, & singulis in eisdem literis contentis, pacificè frui, & gaudere non permittentes eos, seu aliorum aliquos per ordinarios præfatos, seu quoscunque alios quomodolibet desuper indebitè molestari, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita compescendo, non obstantibus omnibus supradictis, seu quod ordinariis prædictis, vel quibusuis aliis communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datis Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domini, mellesimo quingentesimo, vigesimo quinto, decimo calend. Octobris Pontificatus anno 2. 29.

Habetur hæc duplex Bulla in Bullario Ordinis sanctæ.

sanctæ Mariæ de Mercede per P.Seraphinum de Freitas collecto fol.151.& 158.

MARE MAGNVM Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum nuncupatam.

COMMENTARIVS,

SVMMARIVM.

Commendatio huius Ordinis.num.1.
Commendabilis valde.n.2.
Institutio ipsius, ex relatione viri doctissimi. numero.3.
Religiosi sunt testes legitimi in rebus spectantibus ad suam Religionem.n.4.
Tempus fundatoris huius Religionis.n.5.
Reuelatio pro ipsa.n.6.
A beatissima Virgine Dei matre.n.7.
Authenticatio. n.8.
Cur facta tribus insignibus viris.n.9.
Opere impletur.n.10.
Modus institutionis.n.11.
Habitus religionis.ibid.
Qui primo induti.n.12.
Quæ domus.n.13.
Quarto voto astringuntur à Sancto Petro Nolasco fundatore.n.14.
Forma huius voti.ibid.
Copiosus numerus virorum huius religionis sanctitate insignium.n.15.
Quanto tempore à sancto Petro Nolasco gubernata num.16.
Obitus tempus.n.17.
Egregia facta ipsi.n.18.
Aliorum relatio.n.19.
Fundatio, ex reuelatione. n.20.
Denominatio Ordinis.n.21.
Progressus.n.22.
Constitutio Gregorij IX.n.23.
forma processionis.n.ib.
Oppignoratio plurium.n.24.
Pontificum concessiones.n.25.
Authores, qui de hoc Ordine agunt.n.26.
Congregatio alia Discalceatorum.n.27.
Confirmata à Paulo V.n.28.
Qui statuerint Gregorius XV. & Vrbanus VIII. num.29.
Indultum recitandi Officium de S.Raimundo Nonnato.n.30.
An reuelata hæc Congregatio sancto Petro Nolasco. num.31.
Qui agunt de hac Reformatione.n.32.
Concessiones Bonifacij VIII. & aliorum.n.33.
Specialiter Bonifacij VIII.n.34.& 35.
Indulgentia, & gratia pro tempore interdicti.num.36. & 37.
Receptio Ordinis sub protectione Sedis Apostolicæ. num.38.
Commendatur ab Alexand.IV.n.39.
Indulgentiæ ab ipso concessa.n.40.
Alia priuilegia.n.41.
Alia Bulla.n.42.
Alia quoque.n.43.
Insuper alia.n.44.
Priuilegia multa in ea concessa.n.45.
Quæ Clemens VI.concesserit.n.46.
Quæ Gregorius XI.n.47.
Quæ Martinus V.n.48.
Alia Bulla ipsius.n.49.
Item alia.n.50.
Eugenij IV.concessio.n.51.
Calixti III.n.52.
In alia etiam bulla.n 53.
Notatio circa has concessiones.n.54.
Opus Redemptionis Captiuorum valde priuilegiatum. num.55.
Est causa pia.n.56.
Præfertur à Sixto Papa expeditioni contra Turcas, num.57.
Alia quæ concedit.n.58.
Votum speciale huius religionis.n.59.
Quæ notanda circa illud.n.60.
Commendatur à Bonifacio VIII.n.61.
Est licitum, & commendabile.n.62.
Qua forma emissum.n.63.
Qualiter ad illud obligentur Religiosi.n. 64.
De indulgentiis pro eleemosynam tribuentibus. numero 65.
An sint reuocatæ hoc tempore.n.66.
An commutatæ. n.67.
Probabile id videtur.n.68.
De aliis concessionibus.n.69.
De concessione Bonifacij VIII.n.70.
De solutione legatorum.n.71.& 72.
De priuilegiis confratrum.n.73.& 74.
Authores qui id tenent.n 75.
Oppositum etiam probabile.n.76.
Quid de aliis concessionibus.n.77.
De receptione sub protectione Domus Barchinonensis num.78.
Quid de concessione Alexandri IV.n.79.
Quid circa aliam eiusdem.n.80.
Circa legata Religiosis relicta.n.81.
Quando sint contra votum paupertatis.n.82.
Circa supplendos defectus in officio diuino.n.83.
Circa alia remissiuè.n.84.
Pro quæstoribus, seu quæstuariis.n.85.
De concessionibus Martini V.n.86.
De officiis huius ordinis.n.87.& 88.
Quid si contrarium habeatur ex statuto, consuetudine, &c.n.89.
De concessoribus Eugenij IV.n.90.
De Indulgentia Nicolai III.pro defunctis.num.91. & 92.
Quæ circa illam notanda. n.93.& 94.
Quo pacto accipienda.n.95.
Facultas absoluendi an sit indulgentia.n.96.
An comprehendatur sub reuocatione Pij V.n.97.
Saltem prout extenditur ad animas defunctorum. num.98.
De concessione Sixti IV.n.99.
De confirmatione facta à Iulio II.n.100.
Concessio alia ipsius pro confratribus.n.101.
De priuilegio concesso Ordini sanctissimæ Trinitatis. num.102.
De alio pro tempore interdicti.n.103.
De dantibus aliquam pecuniæ summam in ingressu confratriæ.n.104.
De concessione eleemosynæ pro indulgentia quadam. num.105.
Pro visitantibus Ecclesias.n.106.
Viuæ vocis oraculum Pauli V.ibid.
Commutatio manuum adiutricum.n.107.
Communicantur fratribus indulgentiæ confratrũ.n.108

De

*De legatis recipiendis.n.*109.
*Concessiones Leonis X.n.*110.
*Causa harum concessionum.n.*111.
*Priuilegia concessa approbantur.n.*112.
De clausula Ex certa scientia.*n.*113.
*De communicatione priuilegiorum.n.*114.
*An extendatur ad priuilegia concedenda.n.*115.
*Quorundam opinio.n.*116.
*Reiicitur.n.*117.
*Probabilis sententia.n.*118.
*Papæ Leonis declaratio.n.*119.
*De indulgentiis stationum, & participatione bonorum operum.n.*120.
*De alia indulgentia pro dantibus certam eleemosynam.n.*121.
*Annotatio circa ipsam.n.*122.
*De applicatione legatorum.n.*123.
*De tertia parte ipsorum.n.*124.
*Congruentia.n.*125.
*Præsentatio legatorum pro Redemptione.n.*126.
*Notatio circa illam.n.*127.
*De contentis in aliis locis Bullæ.n.*128.
*Alia Bulla Clem.7.n.*129.
*Dubia alia proposita.n.*130.
*Primum de extensione indulgentiarum.n.*231.
*Secundum de oratoriis confratrum.n.*132.
*Tertium de portantibus habitum Ordinis SS.Trinitatis.n.*133.
*Quartum de benedictione habitus parui.n.*134.
*Quintum de facultate concessa ordini SS.Trinitatisnum.*135.
*Sextum de communicatione indulgentiarum.n.*136.
*Septimum de indulgentiis portantium scapulare paruum. n.*137.
*Octauum de visitantibus Ecclesias.n.*138.
*Solutio ad primum.n.*139.
*Solutio ad secundum.n.*140.
*Declaratio S.congregat.n.*141.
*Solutio ad tertium.n.*142.
*Solutio ad quartum.n.*143.
*Solutio ad quintum.n.*144.
*Declaratio S.Congregationis Rituum.n.*245.
*Solutio ad sextum.n.*146.
*Ad septimum, & octauum.n.*147.

Circa §.1.huius Bullæ.

1. IN §.1.huius Bullæ commendare videtur Pontifex Clement 7. Religionem hanc sanctæ Mariæ de Mercede, eo quod ad limitationem Redemptoris Domini nostri Iesu Christi, Captiuorum libertati continuo studio vacet. Quæ nobis occasionem præbent, vt aliqua de ipsius instituto dicamus. Eo
2. libentius, quod Religio ista sub titulo Beatissimæ Virginis Mariæ, sicut & Cermelitana nostra, in Ecclesia fulget: Et quia non satis cognita extra Hispaniæ, & Indiarum partes, vbi Religiosorum multitudine, illustrium Conuentuum numero, Ecclesiarum, Prælatorum copia. & plurimorum virorum litteris, & doctrina celebrium gloria præfulget. Institutionem ergo huius Religionis ex Reuerendo admodum Patre Magistro Fratre Mi-
3 chaële Alcantara in hac Curia Romana Vicario, & Procuratori Generali, Viro doctissimo, & propterea in aliquibus Congregationibus sacris, & pro grauissimis negotiis Consultore ascito, acceptam hic apponere placuit. Nec prudens aliquis eum suspectum habere porest, quod eiusdem Ordinis alumnus sit, cùm pro comperto, & in hac Curia etiam praxi,& stylo receptum sit,quod Regulares in causis suarum Religionum pro idoneis, & legitimis testibus habeantur, quando non agitur de singulari eorum interesse, sed de sua communitate solum, prout firmant Baldus *in cap. insuper, num.*3. & Felinus *num.*1. *de testibus gloss. in authentica de Monachis §. cogitandum* Mascardus 4.
*de probat.concl.*3. *num.*12. & alij relati per Farinac. *de testibus, quæst.*60. *num.*463. & Rota *decis.*204. *à n.*1. *vsque ad* 6. post secundum volumen consiliorũ Farin.ex alibi.Relato porro illa talis est tenoris.

DE FVNDATIONE SACRI Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.

TEmpore Honorij III.vt ipsius Pontificatus tot sacratum Religionum erectionibus gloriosior 5.
existeret, accidit simul fœlicissima institutio Redemptionis Captiuorum ex Reuelatione eiusdem Beatissimæ Virginis Barchinonæ 4. Nonas Augusti anno 1218. tribus selectissimis testibus facta, videlicet Sancto Petro Nolasco nobili Franciæ Principi, qui hæresim Albigentium fugiens Bar- 6.
chinonem venerat, & in pauperes, ac præcipuè Captiuos dura seruitute ab Infidelibus detentos propensissimus suas copias, & opes ad illos alendos, hosque maximè ex Barbarorum vinculis redimendos magna cum alacritate, ac libenti animo conferebat; serenissimo Iacobo Primo Aragonum Regi, cognomento Debellatori, qui Nolascum sibi sanguine iunctum ob eximiam animi pietatem, & candorem maxime diligebat; ac sancto Raymundo de Peñafort tunc temporis Canonico Barchinonensi, Iacobique, & Nolasci à confessionibus, postea Ordinis Prædicatorum professori. Quibus omnibus vna ipsa nocte, ea scilicet, quæ festum, Sancti Petri ad vincula immediatè subsecuta est, omnibus vna ipsa nocte, ea scilicet, quæ festum 7.
Beatissima Virgo Dei Mater serena fronte se conspiciendam dedit, ac acceptissimum sibi, ac vnigenito suo fore dixit, si suum in honorem institueretur Ordo Religiosorum, quibus cura incumberet Captiuos Christianos è tyrannide Turcarum liberandi; quæ quidem verba desumpta sunt ex litteris, qui- 8.
bus sanctus Raymundus de Peñafort à Clemente VIII Pontifice maximo Sanctorum Catalogo adscribitur, & ex Lectionibus propriis secundi nocturni pro officio Diei festi huiusmodi reuelationis sub titulo festi beatæ Mariæ de Mercede huic sacræ Religioni pro Dominica proximiori Kalendis Augusti à Paulo V. concessis. Extatque Barchinonæ in archiuio huius Ordinis celeberrima epistola eiusdem sancti Raymundi ad Sanctum Petrum Nolascum, in qua disertissimis verbis de hac Reuelatione Virginis loquitur. Superna autem Prouidentia his tribus tam egregiis viris hæc apparitio facta est, Nolasco quidem, vt super ipsum, seu solidissimam, ac firmissimam petram nouus, ac cœlestis erigeretur Ordo, vtque primus habitu 9.
sanctæ Religionis indutus, vti parens, & fundator à Virgine electus, illiusque in tanto munere coadiutor Marianam familiam regeret, ac propagaret, cuius ipsam beatam Virginem primam, ac veram institutionem extitisse Paulus V. in Bulla, quæ incipit *Inter omnes vitæ regularis Ordines*. Expresse affirmauit, Iacobo, vt Regia, qua pollebat, auctoritate tantum patrocinaret opus:Et denique Raymundo vtpore, quia vtriusque Confessarius eos de diuina voluntate securos redderet,ac noui Ordinis

dinis fundationem dirigeret. Remque optimè
probauit euentus, sicut enim Domino placuit, &
beatissima Virgo suum, ac filij sui intimauit Bene-
10. placitum.ita factum *est*: hi namque collatis inter
se consiliis, & consentientibus animis prædictum
Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede fundauerunt
die 9. à Reuelatione prædicta; videlicet in die
sancti Laurentij Martyris eiusdem anni,in qua
in Ecclesia Cathedrali Barcinonæ missam illu-
strissimo Domino Berengario Barchinonensi Epis-
copo solemniter celebrante, & sancto Raymundo
contionem habente,atque è suggestu admirabilem
apparitionem ,ac reuelationem Virginis publi-
cante coram ipso serenissimo Rege Iacobo, cun-
ctoque populo solemnissimè post offertorium in-
11. stitutus est Ordo prædictus,ac sanctus Petrus No-
lascus religioso habitu, tunica scilicet, scapulario,
cappa, & caputio iuxta Virginis præscriptum om-
nino albis, inductus; cui statim pro se vniuerso-
que Ordine Rex Iacobus sua regia insignia con-
cessit, scutum nempe cum Carreis Aragonum
rubei, croceique coloris, quibus, rogatu Episcopi.
superposita est alba crux in memoriam prædictæ
Ecclesiæ, quæ sub titulis sanctæ Crucis, & sanctæ
Eulaliæ Virginis,& Martyris Deo est dedicata.
12. Post Sanctum Petrum Nolascum immediatè alij
duodecim fratres ad habitum noui Ordinis sunt
deputati alij militiæ, & redemptioni Captiuorum
recepti, quorum alij choro, ac diuinis officiis sunt
adscripti: quos omnes Iacobus Rex in palatium
suum secum adduxit. Vbi in perpetuum habita-
tionem competentem cum oratorio prædictæ san-
13. ctæ Eulaliæ dicato donauit. Et hæc prima huius
sacri Ordinis Domus, ex qua & fratres, ad primas
redemptiones faciendas sunt egressi, & aliæ Do-
mus, quibus per orbem dilatatus est, originem
duxerunt, quæ vsque in hodiernum diem in pos-
sessione Religionis perseuerat, quamuis in ipsa
primatum habeat regale Cœnobium, quod post
aliquot annos in eadem ciuitate propè Arenariam
magnificè erectum est. Vt autem,perfectius,mu-
nus cælitus sibi iniunctum exerceret Nolascus,se
suosque fratres quarto, ac solemni voto adstrinxit;
quod eximiæ charitatis signum est,& sub hac for-
14. ma ab initio Ordinis emitti consueuit:*Et in Sarra-
cenorum potestate in pignus [si necesse fuerit ad re-*
15. *demptionem Christi fidelium] detentus manebo.* In
cuius adimpletione quamplurimos habet Marty-
res hæc Religio, necnon intra claustra beatissimos
Confessores. Rexit autem ordinem suum sanctus
16. Petrus Nolascus per 31. annos, posteaque offi-
cium Magistri Generalis, quo titulo ab Apostolica
Sede fuerat insignitus, ætate, & infirmitate graua-
tus, renunciauit, & reliquum vitæ tempus soli
Deo dedit, obiitque post septem annos de in-
stante morte à sancto Raymundo Nonnato san-
ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, iam apud Su-
17. peros degenti, quem ipse ad Ordinem receperat,
admonitus; in eaque à Christo Domino,& bea-
tissima Virgine confortatus, in vigilia Natiuita-
tis Domini hora mediæ noctis anno Domini
1256. cùm Psalmum *Confitebor tibi Domine in toto*
18. *corde meo*, deuotissimè diceret, ad illa verba: *Re-
demptionem misit Dominus populo suo.* Pluribus
mirabilibus operatis, quamplurimis Captiuis è
Barbarorum potestate redemptis, necnon multis
ex Mahometana secta ad fidem Christi con-
uersis.
19. Hæc in præfata nobis data relatione huius Or-
dinis quibus magna saltem ex parte accedunt alij

scriptores dum dicunt, quod fratrum Beatæ Mariæ
de Mercede Redemptoris captiuorum ordo, circa
annum Dominici 1218. ortum habuit Barcinonæ
in Aragoniæ Regno, cui initium ipsa cælorum
Regina suis reuelationibus tribuit.Cum enim tunc
temporis tota Hispania à Mauris oppressa quam
maximas calamitates pateretur, Christique fide-
les in duram seruitutem, crudelitate Barbarorum
sæuiente, redigerentur, ipsa pia, ac misericors
Mater Regina nostra, singulari quodam misera-
tionis affectu sanctis Petro Nolasco, & Ray- 20.
mundo Peñafort, & claræ memoriæ Iacobo Ara-
gonum Regi; reuelauit, sibi gratissimum fore si
Ordinem instituerent, cuius fratres ad hoc po-
tissimum redemptionis opus totam mentem, ac
vires conuerterent. Annuerunt inspirationibus
diuinis S. Viri,& ab ipsa gloriosa Virgine reuelā-
te, & fine huius instituti,fundatam Religionem *B.* 21.
M. Redemptionis captiuorum voluerunt appellari.
De progressu huius Congregationis satis, super-
que loquuntur historiæ, quin etiam quodammo- 22.
do admiratus ipse Iacobus Rex,ad perpetuam con-
tinuationem illius in honorē Gloriosæ Virginis,
& vtilitatem Christianorum erecti, prædictum
Raymundum à confessionibus Regis ad Summum
Pontificem Gregorium IX. misit, vt narrata ne-
cessitate, & modo institutionis huius Ordinis, ab
eodem Pontifice confirmationem peteret.Cui be-
nigne annuit Pontifex hac constitutione edita an-
no 1235. *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei,
Dilectis filiis Magistro, & fratribus domus S.Eccle-
siæ, Barchinonens. Salutem, & Apostolicam bene-
dictionem. Deuotionis vestræ precibus inclinati, præ-
sentium vobis auctoritate concedimus, vtcum nondum
aliqua sit à vobis ex Religionibus approbatis assum-
pta, B. Augustini possitis Ordinem profiteri. Datum
Perusij 16. Calend. februar. Pontificatus nostri, an-
no* 8. Confirmato Ordine, in dies magis augeba-
tur fidelium feruor in operibus pietatis, & mise-
cordiæ instituto huius Ordinis præscriptis: immò
in forma professionis tanquam quartum votum
addunt professores: *Et in Sarracenorum potestate in
pignus (si necesse fuerit ad redemptionem Christi fi-
delium) detentus manebo.* Quod, obseruare osten-
dit Syluester Marulus *in Oceano Relig. lib.5.p.336.* 23.
vbi refert quam plures viros insignes huius Ordi-
nis seipsos oppignorasse, vt alios captiuos redi-
merent, & propter hoc sæpe sæpius vexatos, &
vltimis suppliciis ab ipsis crudelibus Barbaris ob
delationem pecuniæ in eorum redemptione pro- 24.
missæ affectos fuisse, ex quibus B. Petrus Armen-
gaudus diuinitus in ipso supplicio conseruatus
fuit, donec reportata pecunia, fratres eum libera-
runt. Ad huiusmodi autem munus promptius
exequendum Summi Pontifices varia priuilegia
huic Religioni concesserunt; circa legata, seu 25.
eleemosynas pro Redemptione captiuorum; eo-
rum receptionem, & alia concernentia. Agunt de 26.
illa præter citatos, Bzouius. *Annal. Eccles.tom.* 13.
anno Christi 1273. *num.* 10. Francisc. Salazar. *in
Chron. Mercen. & alij Chronici huius Ordinis, ac
Barbosa de iur. Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 127.
Est insuper in hoc Ordine Congregatio alia Dis-
calceatorum quæ initium habuit Matriti anno
1603.Sollicitante R.P.Ioan. Baptista à sanctissimo
Sacramento,eiusdem Ordin.Religioso,huic enim,
& aliis quatuor Religiosis concessit Pater Magi-
ster Ildephonsus de Monroy Ordinis Generalis,vt
reformationem fratrum discalceatorum B. M. de
Mercede inducerent. Quæ primum radices egit
in

in Capella Beatissimæ Virginis de remediis nun-
cupata in Monasterio fratrum Calceatorũ Ordinis
sita, eodem anno 1603. in festo apparitionis S.
Michaelis Archangeli die octaua Maij; quo anno
in eundem diem incidit festum Ascensionis Domi-
ni nostri Iesu Christi. Hanc reformationem con-
28. firmauit Paulus V. sua Constit. *inter omnes* 10.
Calend. Septembris 1606. à calceatis separauit,
& Vicarium generale confirmandum à Generali
Ordinis ipsi dedit Gregorius X V. Constit. *Apo-
stolici muneris* 26. Nouembris 1621. Quod etiam
idem Gregorius confirmauit alia sua constit. sub
29. dat. 20. Augusti 1622. & Vrbanus VIII. in const.
in sede. S. Iulij 1627. Et in alia *iniuncti nobis*
pro 19. Ianuar. 1628. prohibuit, ne fratres refor-
mati huiusmodi transirent ad fratres calceatos
eiusdem Ordinis absque Domini Pontificis ex-
pressa licentia ex concessione etiam Vrbani VIII.
tam hæc Congregatio, quam tota Religio celebrat
officium, & Missam S. Petri Nolasco, sui funda-
30. toris, & S. Raimundi Nonnati Cardinalis eius-
dem Ordinis, videtur demonstrata hæc noua re-
31. formatio S. Petro Nolasco totius Ordinis Pa-
renti in quadam reuelatione sibi facta, quam re-
fert vir doctissimus eiusdem Religionis Franci-
scus Zumel in ipsius vita, & habetur in constitu-
tionibus illius.

32. Agunt de hac insigni Religione varij Scripto-
res, specialiter Illescas, Arnaldus Vinon, Sylue-
ster Marulus, Azor, Mariana, Pineda, Garibai,
Zurita, Ferdinandus de Castillo, Vterq; Rodriguez,
Miranda, Salazar, Bargas, & Remon, quos refert
Barbosa *supr. an.* 131.

His positis circa fundationem, & reformatio-
nem ipsius, authoresque qui de ipsa loquuntur,
nunc accedimus ad expositionem Bullæ Clementis
VII. quam diximus esse veluti Mare magnum eius.

Circa §. 2.

33. IN hoc §. commerat Papa Clemens concessio-
nes factas huic Religioni per Bonifacium VIII.
Alexandrum IV. Clementem VI. Gregorium I I.
Martinum V. Eugenium I V. & Callixtum III.
Prædecessores. Ex quibus Bonifacius VIII. in
Bulla *querelam grauem* sub datis apud Vrbem vete-
rem Idibus Octob. anno 3. Pontificatus, Bullario
huius Ordinis fol. 37. præcipit sub pœna officij, &
Beneficij, ne fratres huius Religionis impedian-
tur prædicare ea quæ spectant ad Redemptionem
captiuorum; & quod trangressores punitioni sub-
34. iaceant præcipit etiam, quod legata ipsi relicta
sine vlla dilatione soluantur, & impedientes iu-
beat puniri. In alia autem Bulla *Si iuxta* apud
Vrbem veterem 13. Kalend. Nouembris Pontifi-
catus sui anno 3. in Bullario Ordinis fol. 39. idem
Bonifacius vniuersos Christi fideles sic admonet.
Cum igitur dilecti filij Magister, & fratres B. Eu-
35. *laliæ Barcinonensis, Ordinis S. Augustini pro Redem-
ptione captiuorum, totis viribus elaborent, & ad
transmarinas partes (pro captiuis Christianis, qui à
Sarracenis diuersis tormentis, vt negent fidem Catho-
licam cruciantur redimendis) migrent, ibique se im-
pignorent pro illis, & tam graui periculo se exponant.
Vniuersitatem vestram ad instar fælicis recordationis
Innocentij, Alexandri, Vrbani, Clementis Prædece-
ssorum nostrorum Romanorum Pontificum, mone-
mus, & hortamur in Domino, ac remissionem vobis
iniungimus peccatorum quatenus vt cooperatores sitis
operum pietatis, accedentes ad vos, eorumque nun-
tios, benignè recipere, & honestate tractare curetis,
eis grata subsidia, & pias eleemosynas conferentes, vt
quod captiuis contuleritis, per manus eorum, in ter-
ris, vobis per manus captiuorum thesaurizetis in cœ-
lis, cum Apostolo sentientes; quoniam qui parcè se-
minat, parcè & metet, & qui seminat in benedictio-
nibus, metet vitam æternam. Nos enim de omnipo-
tentis Dei misericordia, & Beatorum Apostolorũ Pe-
tri, & Pauli auctoritate, ac ea quam Dominus nobis* 36.
*indulsit potestate confisi, omnibus, qui de facultati-
bus suis ipsis captiuis subuenerint annuatim, septi-
mam partem iniunctæ pœnitentiæ relaxamus, aucto-
ritate Apostolica statuentes, vt his qui eorum fra-
ternitatem assumpserint; si Ecclesiæ ad quas pertinent
fuerint interdictæ, ipsosque mori contigerit, nisi ex-
communicati, vel nominatim interdicti fuerint, ac
etiam publici vsurarij sepultura Ecclesiastica non
negetur. Statuentes insuper, vt siquis fratrum ipsorum,
qui ad easdem fraternitates missi fuerint, vel colle-* 37.
*ctas in quamlibet ciuitatem, Castellum, vicum inter-
dictum aduenerint, in eorum iucundo Aduentu semel
aperiantur Ecclesiæ annuatim, & Campanæ pulsentur,
& excommunicatis eiectis diuina officia celebrentur.*
Idem præterea Bonifacius VIII. in Bulla *Cum à
nobis* data Lateram nonis Martij Pontificatus anno 38.
5. in Bullario Ordinis *fol.* 40. personas, & locum
S. Mariæ Barcinonensis de misericordia cum om-
nibus bonis suis sub S. Petri, & sua protectione
suscepit, & ea confirmauit.

Deinde Alexander IV. Bulla *Quoniam vt ait*
dat. Neapoli 5. Idus April. Pontific. ann. 1. in Bul-
lario huius Ordine *folio* 7. commendat hanc 39.
Religionem appellando ipsos Religiosos *nouos
Mansabicos sub tempore gratiæ.* Concedit etiam
Indulgentias tribuentibus eleemosynas dictis Re- 40.
ligiosis, & indulget *peccata oblita, & venialia tum
generali confessione, offensas patrum, & matrum siue
manuum iniectione, transgressionem fidei, & iura-
mentorum, in quibus proximus non læditur, vota fra-
cta si ad ea non redierint.* In alia etiam Bulla *si iux-
ta* sub dat. Anagniæ 2. non. Septembr. Pontific. 41.
ann. 1. *in Bullar. Ordin. fol.* 9. Eleemosynam, &
opera Hospitalitate commendat; laudat institu-
tum huius Religionis; fideles ad eleemosynas ero-
gandas Religiosis hortatur; & ad instar Innocent.
IV. prædecessoris eleemosynas illis tribuentibus,
& fraternitatem ingredientibus septimam partem
iniunctæ pœnitentiæ relaxat; & concedit sepul-
turam tempore interdicti; ac quod Ecclesiæ inter-
dictæ aperiantur in aduentu collectorum eleemo-
synarum; ac etiam receptores ipsorum sub prote-
ctione Apostolica suscipit. Similiter in alia *Cum*
dilectis dat. Neapolis V. Idus April. Pontific. ann. 42.
1. in Bullar. fol. 10. præcipit quod fratres, cum ve-
niunt pro eleemosynis quærendis, benigne reci-
piantur; nec ipsis alij præponantur; nec excom-
municentur, aut interdicantur; quin puniantur
Parochiani illi, qui ipsis aliquam molestiam infe-
runt; & quod habeant liberam sepulturam; ac
ipsorum corpora cum decedunt sine pretio sepe-
liant; nec decimas ab ipsis exigantur; oratoria, vel
cæmeteria benedicantur; desertores Ordinis ad
ipsum reuocentur; aliaque concedit similia iis,
quæ in præcedenti Bulla? in alia quoque incipit
Querelam grauem data eodem loco, & die præci-
pit vt iniungatur Presbyteris sub pœnis priuatio-
nis officij, & beneficij, quod fratres prædicatores
de Redemptione captiuorum, & eleemosynas quæ-
rentes permittant; vt legata sine dilatione soluan-
tur; ac Prælatis, seu clericis, qui dictis fratribus
consilium

consilium, vel auxilium præbuerint, relaxat quidquid in horis debitis dimiserint; ac denique *Quadragenas duodecim Cardinalium, & Archiepiscopi S. Iacobi omnibus benefactoribus prædicti Ordinis generaliter confirmat.* Denique in alia Bulla quæ in-
44. cipit *Prout scripturæ*, Dat. Perusij 5. Non. Maij Pontific. anno 5. in Bullar. *fol.* 16. satis benignum se erga hanc Religionem ostendit. Eius autem Bullæ Summarium tale appositū est in principio ipsius. *Ordinem nostrum egregiis pietatis operibus, & martyriis commendat, & Fratres nostros benignè recipi*
45. *iubet, & fideles in Ecclesiam ad Bullas Apostolicas audiendas conuenire. In aduentu fratrum nostrorum Ecclesias aperiri iubet, & ibi diuina officia recitari, & mortuos sepeliri, donec Bullæ Apostolicæ legantur, quia nos quæstores non sumus. Concedit benefactoribus singulis diebus, quibus eleemosynam præstiterint vnum annum, & quadraginta dies, necnon eosdem participes facit in dedicatione, & statione Matris Ecclesiæ, & in peregrinatione Terræ sanctæ. Item dimittit Clericus sæcularibus, & regularibus, qui nos adiuuent, quidquid in horis Canonicis, & diuinis officiis omiserint. Remittit omnia vota, præter castitatis, religionis, & peregrinationis Terræ sanctæ dispensantibus, & commutantibus fratribus, vel nuntiis pro Redemptione Captiuorum. Item peccata venialia, & & oblita, offensas parentum, iuramenta falsa, pœnitentias non factas, rapinas, & omnia mala, cum quodam moderamine, festa malè celebrata præcipuè Captiuis. Concedit quod quilibet benefactor possit eligere Confessorem, qui possit absoluere eum, exceptis à Papa reseruatis, & in mortis articulo plenariè sit absolutus. Interdicit Ecclesias impedientium nos, & benedicit adiuuantes, & participes facit omnium benefi-*
46. *ciorum, & missarum Ecclesiæ catholicæ.*

Præterea Clemens VI. relatus etiam in Bulla Clementis VII. in alia data Auinione 5. Nonas Octobris, Pontificatus anno 4. in Bullario *fol.* 48. declarat fratres huius Religionis non intelligi nomine quæstuorum, quos Clemens V. prohibuit: imo benefactoribus concedit singulis diebus, vsque ad vnum mensem, & vnum annum, & qua-
47. draginta dies.

Insuper Gregorius XI. etiam relatus in Bulla Clementis 7. in alia quæ incipit, *dum salubria*, in Bullario *fol.* 54. eximit hos Religiosos à decimis, Regibus, & aliis quibuscunque soluendis, ad instar Religionum Militarium Sancti Ioannis
48. Hierosolymitani, de Calatraua, & Montesia.

Pariter etiam Martinus V. relatus quoque à Clement. VII. in Bulla relata *sinceræ deuotionis affectus*, *fol.* 74. sub dat. Florentiæ 3. Kalend. Iunij Pontificatus anno 2. Religiosos ad opus Redemptionis petere sine illa contradictione etiam in Ecclesiis sæcularium, & regularium, tam exem-
49. ptorum, quàm non exemptorum disponit; quodque à nullo molestentur, districtius inhibet. Et in alia, quæ incipit, *sacræ Religionis obseruantia*, sub eadem data in Bullario *fol.* 76. statuit, vt nullus frater, qui in huiusmodi Ordine professionem emi-
50. serit, ad alium Ordinem sine Apostolicæ Sedis licentia transferri queat. Ac in alia, quæ incipit *sacræ Religionis* sub datis Florentiæ secundo Idus Aprilis, Pontificatus, anno 3. in Bullario *fol.* 77. declarauit officia Ordinis annualia, sine manualia
51. esse impetrari à Sede Apostolica prohibuit, & impetrationes habitas reuocauit.

Eugenius quoque IV. relatus similiter in Bulla Clementis VII. in Bulla *cum à Nobis* sub datis Florentiæ 1434. idibus Augusti in Bullario *fol.* 8. hæc concessit huic Religioni, & iis verbis. *Personas vestras, & loca in quo diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus quæ in præsentiam rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub Beati Petri protectione suscipimus, atque nostras, omnesque libertates, & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue priuilegia, vel alias indulgentias, vobis, & Ordini vestro indultas; nec libertates, & exemptiones sæcularium exactionum, à Regibus, & Principibus, ac aliis Christi fidelibus rationabiliter, vobis, & dicto Ordini concessas: specialiter autem decimas, possessiones, iura, iurisdictiones, priuilegia, & alia bona vestra, sicuti ea iustè, & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem Ordini vestro auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Salua in prædictis Decimis moderatione Concilij Generalis.* 52.

Demum Calixtus III. pariter relatus in dicta Bulla Clementis VII. in ea quæ habetur in Bullario *pag.* 94. sub datis Romæ apud sanctum Petrum anno 1457 6. Idus Iulij Pontificatus anno 3. vniuersis Ordinariis mandat, & præcipit, vt omnes, & singulos Religiosos eiusdem Ordinis, aliosque tam Clericos, quàm Laicos, seu cuiuscunque alterius Religionis professores absque licentia Magistri Generalis, seu eiusdem Ordinis alicuius ex superioribus relicta, & legata, quæstas, & eleemosynas pro Redemptione quandocunque perpetuo in futurum petentes, indulgentiasque prædicantes, seu prædicari facientes, excommunicent, carceri tradant, processumque absque strepitu, & figura iudicij fabricent, & ad eundem Magistrum Generalem, seu superiores prædictas cum delinquentibus, omnibusque pecuniis, & rebus, etiam per huiusmodi quæstas, & indulgentias acquisitis remittant. Auxiliantes verò, consilium, vel fauorem supradictis falsis quæstoribus quouis modo præstantes, cuiuscunq; dignitatis, etiam pontificalis Regalisq; fuerint, excommunicent, seu anathematisent, ac pro talibus excommunicatis, & anathematizatis publicè denuncient. In alia etiam, quæ incipit super gregem Dominicum Romæ apud S. Petrum anno 1457. pridie Kalendas Nouembris 53.
Pontificatus anno 3. in Bullario, *fol.* 95. decreuit nullum, qui in hoc Ordine professionem emiserit ad quemcunque alium transferri posse. Idemque statutum extendit ad iam translatos: itavt Magister Generalis eos repetere debeat. Translatis ipsis sub præcepto obedientiæ imponit, vt redeant. Vniuersos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & quoscunque in dignitate Ecclesiastica constitutos Conseruatores deputat, eisque mandat; vt etiam cum excommunicationis sententia, & carceratione compelleret eos qui ad alios Ordines transierunt, ac in posterum transieriut, & extra obedientiam manentes, ad eam reuocare. Addit plenissimas non obstantias. 54.

Circa quas horum Pontificum concessiones, etsi multa dici possent, plura tamen ex illis permitti debent, quia de illis in variis locis nostræ summæ egimus; & quia de ipsis doctè tractat Seraphinus à Freitas huius Ordinis alumnus, & harum Bullarum Scholiastes. Nihilominus aliqua ex illis magis elucidanda.

Et primò, quod generaliter attinet ad tot priui- 55.
legia huic Ordini concessa à summis Pontificibus, mirandum id non est, cùm opus Redemptionis Captiuorum, ad quod est institutus, valde priui-

legiatum sit, vt constat ex iis, quæ diximus in Mari magno Carmelitarum *circa* §.59. Propterea enim his priuilegiis decorari meruit. Quibus addendum quod Barbosa *in Collectan.DD. ad cap.aurum 12. quæst.3. num.5.* dicit causam redemptionis Captiuorum vere esse causam piam, & valde fa-
56. uorabilem, ex Tiraquello, Menochio, Mantica, & Stephano Gratiano; ac esse summam pietatem, Reipublicæ Christianæ maximè vtilem, & præclarum munus iustitiæ, & Tiraquello; ac præterea à pari procedere cum causa alimentorum, ex Surdo *consil.367. num.41.* videndus Gregorius Lopez *lib.4. verbo de piedad.tit.11. part.6.* ac Freitas *in Scholiis ad Bullam 1. Alexandr.4.* & ea quæ generaliter diximus de priuilegiis piæ causæ *tom. 4. verbo lagata Regularibus, num.29.* Addendum quo-
57. que quod Sixtus IV. in Bulla *Prouidentia Sedis* in Bullario huius Ordinis, *fol.113.* opus Redemptionis Captiuorum præferre videtur expeditioni contra Turcas, vt notat ibi præfatus Freitas. Insuper Leo X. in Bulla *Dum grata Deo* in eodem Bullario *fol.135.* declarauit ex certa scientia, & Apostolica authoritate *hæc. Quæcunque ad Redemptionem huiusmodi pro tempore legata relicta, & donata sub quibusuis rerum ad pias causas relictarum, vel donatarum applicationibus, etiam in fauorem fabricæ Prin-*
58. *cipis Apostolorum de Vrbe, vel subsidium expeditionis contra infideles, etiam in specie de bonis ad eandem Redemptionem pertinentibus, per nos, & Sedem prædictam factis, & faciendis nequaquam comprehendi, sed esse ab illis perpetuis, futuris temporibus prorsus exceptas.* Hæc Pontifex, quæ etiam ampliat idem Freitas *supra fol.139.*

59. Secundò animaduertendum huiusmodi, & alia priuilegia à Summis Pontificibus concessa esse huic Religioni, maximè propter speciale votum, quod Religiosi ipsius emittunt in sua professione, modo quo retulimus *tom.4. verbo Votum pro Regu-*
60. *laribus, num.4.* Circa quod votum præter ibi dicta, vlterius dicendum, illud satis, valdeque commendari à Bonifacio VIII. in Bulla *Si iuxta* in superioribus relatam, vbi propterea istos Religiosos sic mirificè collaudat. *Licet autem indigentibus vniuersis aperire teneamur viscera charitatis: illis tamen specialius, & abundantius quodam modo debemus li-*
61. *beralitatis gratiam exhibere, qui cum sint pauperes spiritu, sponte subeunt onera paupertatis, vt pauperibus, & Captiuis possint copiosius subuenire, dum tanquam nihil habentes, & omnia possidentes, volunt penuriam pati, & abundantiam habere. Vnde dum abundant pauperibus, sibi egent, & in se aliorum egestatem assumunt, vt ex indigentia liberalius ministrent hospitibus, Captiuis, & egenis. Hoc verò quamuis multi laudabiliter exequantur, illi tamen student laudabilius adimplere, qui hospitalitati vacantes, non solum recipiunt hospites, sed & subeunt, illud propheticum exequentes: frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque indue in domum tuam. Hi enim cùm pascunt esurientes, sitientes potant, colligunt hospites, nudos vestiunt, & non solum infirmos visitant, imo (quod laudabilius est) student quod dicit B. Ioannes in Euangelio adimplere: Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro*
62. *amicis suis, illa omnia exequuntur.* Deinde illud esse licitum, & valde commendabile: Etsi enim sit de re valde ardua, non tamen impossibili, ex Dei gratia, quam impetrant ab ipso sancti Fundatores huius Religionis. Pellizarius *in Man.Regular. tom.1. tract.4. cap.5. sect.2. num.30.* Qui *num.27.* ait esse votum solemne, & emitti hac formula in professione. *Ego frater N. facio professionem, & promitto obedientiam, paupertatem, & castitatem obseruare, Deo, & Beatæ Mariæ, & tibi Commendatori huius* 63.
Domus, &c. Et paulo post: *Ergoque obediens tibi, & successoribus tuis vsque ad mortem, & in Sarracenorum potestate in pignus (si necesse fuerit ad redem-*
ptionem Christi fidelium) detentus manebo. Vnde ad 64.
illud adimplendum obligantur Religiosi huius ordinis quoties à Superioribus id ipsis præcipitur, nisi valde rationabilis, & non dolosa, seu affectata causa, illos excuset. Hoc enim commune est omnibus votis, præsertim solemnibus. Suarez *tom.4. de Relig. tract.10. lib.6. cap.4.* loquens de voto Societatis Iesu ad obedientiam Papæ circa missiones Pelizarius *supra num.36.* Apud quem multa in sequentibus circa modum, & obseruantiam huius voti, quæ omittimus, quia plura eorum dependent ex stylo, & praxi Religionis, intentione vouentium, & similibus circunstantiis, de quibus latè egimus suis locis. 65.

Tertio quoque animaduertendum circa indulgentias concessas tam in prædictis Bullis Summorum Pontificum, quam in aliis infra referendis, pro illis, qui aliquam eleemosynam tribuunt pro Redemptione Captiuorum, eas scilicet, quæ ante Pium V. concessæ fuerunt, reuocatas esse ab hoc Pontifice in Bulla *Etsi Dominici* de anno 1567. in 2. *tom.* Bullarij, Bulla 30. ibi enim Pontifex sic 66.
habet: *Omnes & singulas indulgentias etiam perpetuas, & remissiones peccatorum, fabricæ, & Ecclesiæ huiusmodi; necnon S. Ioannis Ierosolymitani, etiam pro constructione, & ædificatione illius nouæ Ciuitatis prædictis, in quibuslibet aliis Hospitalibus, Monasteriis, Ecclesiis, domibus, militiis, Ordinibus etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, & vniuersitatibus, & piis locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conuentibus, Magistris, Superioribus, & tam sæcularibus, quàm quorumuis etiam Mendicantium Ordinum, Regularibus personis, tam singulariter, quàm vniuersaliter, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam Nos, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac ex quibusuis etiam vrgentissimis causis, etiam causa Redemptionis Captiuorum, & alias quomodolibet concessas: pro quibus consequendis manus sunt porrigendæ adiutrices, & quæ quæstuandi facultatem quomodolibet continent, illarum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præsentibus pro expressis habentes auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, ac viribus vacuamus.* 67.

Quia tamen Gregorius XIII. in Bulla, *Vt laudes* confirmans indulgentias concessas visitantibus Carmelitarum Ecclesias, confirmauit etiam illas, quæ clausulam continebant prædictas manus adiutrices porrigendi, commutando tamen illas manus adiutrices, seu eleemosynas in alia pia opera, quæ ex verbis ipsius Pontificis retuli *tom.2. cap.15. num.39.* videlicet, quod visitando Ecclesias Ordinis *sint contriti, & confessi, ac loco eleemosynæ prædictæ iuxta prædecessorum prædictorum voluntatem erogandæ septies orationem Dominicam, itidemque salutationem Angelicam, recitent, vel habitum dicti Ordinis sicuti in litteris Apostolicis piæ memoriæ Ioannis Papæ XXII. ac Alexandri V. necnon Pij V. prædecessorum nostrorum continetur, gestent, vel vesperas pro defunctis recitent, aut ante SS. Domini nostri Iesu Christi corpus, terram osculentur, & pro hæresum extirpatione, & sanctæ Matris Ecclesiæ tranquillitate,*

te, Christianorumque pace, & vnione ad Deum preces effundant, & alias, iuxta dictorum nostrorum prædecessorum literarum seriem orent, aliasque peragant.
68. Ideo probabiliter existimo hac concessione, seu commutatione eleemosynarum, seu manuum adiutricum posse vti respectiuè, & seruata pro portione, hunc Ordinem, & visitantes eorum Ecclesias. Prout dixi 3. *tom. Summæ verbo indulgentia quoad Regulares, num.* 14. & in Mari magno Ordinis SS. Trinitatis propter communicationem priuilegiorum cum Mendicantibus. Pro quo tamen, & qua moderatione intelligendum legenda quæ dixi eo *verbo Indulgentia quoad Regulares, num.* 8.

69. Nunc iam specialiter dicendum de concessoribus factis huic Religioni à prædictis summis Pontificibus Bonifac. VIII. Alexand. IV. Clement. VI. Gregorio XI. Martino V. Eugenio IV. & Calixto III. relatis à Clem. VII. in hac Bulla; quam diximus esse veluti Mare magnum eius Ordinis.

70. Et primò quod attinet ad concessionem Bonifacij VIII. qua prohibet ne fratres huius Religionis impediantur prædicare ad opus Captiuorum, & eleemosynas quærere *sub pœna officij, & beneficij*, quia, vt notat Pontifex, prædicti fratres *diuersis cruciaminibus in vltra marinis partibus cruciantur*, in suo robore, vt credo permanet, tum propter æquitatem huius concessionis, tum propter honestatem finis ipsius, qui est adiuuare ad redemptionem Captiuorum. Faciunt etiam ad intentum ea quæ dixi *tom.* 1. *Summæ, cap.* 6. *num.* 43. & 44. ac maximè *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. & 35. de libera voluntate, quam habent Mendicantes ad quærendum eleemosynas, propter priuilegia, & Bullas Summorum Pontificum, & declarationes SS. Congregationum.

71. Quoad illam verò concessionem eiusdem Bonifacij VIII. de solutione legatorum relictorum huic Religioni, legenda quæ dixi *tom.* 4. *Summæ, verbo legata Regularibus.* Quia etiam talia legata sunt *pia*, & ad *pias causas* instituta, ideo maximè animaduertenda quæ eo loco *num.* 29. dixi Vlterius
72. quoque, quod huiusmodi legata habent hypothecariam, dominiumque ipso iure in Ecclesiam, piumque locum transfertur, *leg. vlt. in fin cap. de sacros. Eccles.* Tiraquellus *de priuileg. piæ causæ priuileg.* 39. *num.* 1. Couarruuias *lib.* 1. *variar. cap.* 14. *num.* 14. Valascus *de iur. emphyteut. quæst.* 4. *num.* 19. Pro aliis autem priuilegiis huiusmodi legatorum ad pias causas, videndus Freitas in Scholiis ad hanc Bullam Bonifacij VIII. ex prædictis, & aliis Doctoribus. Plura etiam de similibus legatis dicta manent variis in locis huius 5. *tom.*

73. Circa concessionem illam eiusdem Bonifacij VIII. pro confratribus huius Religionis, videlicet, prout hic Pontifex habet in Bulla *Si iuxta* in Superioribus relata, *si Ecclesiæ, ad quas pertinent, fuerint interdictæ, ipsosque mori contigerit, nisi excom-*
74. *municati, vel nominatim interdicti fuerint, ac etiam publici vsurarij, sepultura Ecclesiastica non negetur*, notat Freitas *in Scholiis ad istam Bullam*, hoc priuilegium non competere omnibus Confratribus, sed solum illis, qui sunt oblati, mutato habitu sæculari, vel qui bona sua dederant inter viros eisdem Regularibus, retento sibi quaudiu vixerint vsufructu. Quod probet *ex cap. vt priuilegia de priuilegiis*, & ex aliquibus authoribus. Ego tamen oppositum probabiliter tenui loquens de simili priuilegio concesso confratribus Carmelitarum *tom.* 2. *Summæ, cap.* 15. *num.* 37. & 61. ac in libro de Maria Patrona, *cap.* 12. *num.* 12. & 14. Non solum quia Confratres, de quibus loquitur dictum *caput, vt priuilegia* non videntur esse ij, de quibus loquimur in præsenti, sed oblati, & Tertiarij, vt notat Bordonus *tom.* 2. *Resolut.* 72. *num.* 2. & colligitur ex textu capitis, & Glossa in figuratione casus, sed etiam, ex eo quod non videtur reuocatum à Concilio Tridentino. Etsi enim *sess.* 25. *cap.* 12. iusserit interdicta omnia à Regularibus obseruari debere, tamen nec ibi, nec *cap.* 22. vbi reuocantur priuilegia contraria, loquitur de Confratriis aut Confratribus, sed solum de Religiosis. Et ita ex nostris authoribus, qui post Concilium scripsere, supponitur à Petro Lucio *in Compend. histor.* Thoma de Iesu *lib.* 2. *de Confraternit. Carmelit. cap.* 5. §. 1. 75.
(vbi dicit ita practicatum fuisse in insigni Salmanticensi Academia, annuentibus Doctissimis Doctoribus Mancio, Sancio, Medina, & Rodriguez eiusdem Gymnasij Magistris) & Theodorus Stratius in instructione pro fratribus Carmelitis *cap.* 5. *num.* 4. Quibus etiam modo adiungo Mirandam *in Manuali Prælatorum, tom.* 2. *quæst.* 38. *art.* 12. *conclus.* 15 Enriquez, Rodriguez, Sayrum, & Ioannem de Cruce, quod refert Pelizarius *in Manuali Regularium, tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 6. *num.* 292. ac Hieronymum Rodriguez *in Compend. Resol.* 80. *num.* 25. plures etiam referens. Esto oppositum 76.
probabiliter etiam teneant idem Pelizarius, & Bordonus *tom.* 2. *Resolut.* 72. *num.* 18. post Nauarrum, & alios, & faueat illis declaratio quædam S. Congregationis, quam affert Garzia *de Beneficiis, part.* 5. *cap.* 8 *num.* 87. *ad* 8. & quam videtur habere pro authentica. Et sanè si talis sit; ei stare debemus. Illud autem quod idem Bonifacius in eadem Bulla concessit de apertione Ecclesiæ, & pulsatione campanarum tempore interdicti in iucundo aduentu Redemptorum, ac celebratione diuinorum excommunicatis eiectis, an reuocatum modo sit, tractat idem Freitas in Scholiis ad hanc Bullam, & ad aliam Innocentij IV. Ego autem solum animaduertam, in iis maximè considerandum esse ex vsu, & praxi sint recepta huiusmodi priuilegia, & an contraria sint *cap. vt priuilegia de priuileg.* iam relato. 77.

Quantum quoque valeat illud priuilegium de susceptione Domus sanctæ Mariæ Barchinonensis huius Ordinis, cum eius bonis, sub beati Petri, & Papæ protectione, prout idem Bonifacius in alia Bulla concessit, colligi potest ex dictis circa Mare magnum Ordinum Mendicantium, præsertim Eremitarum sancti Augustini, *num.* 24. vbi etiam ad alia loca me remisi. De quo etiam Freitas *in Sholiis ad Bullam* 1. *Innocentij IV.* 78.

Porro circa concessionem Alexandri IV. in Bulla *Quoniam vt ait* adducta in præcedentibus, quod attinet ad Indulgentiam propter manus adiutrices, iam constat ex dictis quid sit dicendum. Quod verò spectat ad concessionem eiusdem de peccatis oblitis, venialibus, offensis patrum, & matrum, & aliis designatis in ea Bulla, quibus similia concessisse Ioannē XXIII benefactoribus Ordinis Prædicatorum tenet Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo indulgentia, num.* 15. notandum, id non debere intelligi de remissione istorum quantum ad culpam, quia hoc non potest à Papa extra confessionem sacramentalem concedi; sed solum quoad pœnam temporalem debitam pro istis peccatis. De concessionibus autem eiusdem Alexandri IV. in alia Bulla *Si iuxta* constat quid sentiendum ex dictis in superioribus. 79

Circa aliam Bullam *Cum dilectis* eiusdem Alexandri 80.

xandri IV. nihil occurrit specialiter dicendum, præter dicta superius, & alia, quæ circa similia priuilegia diximus in Mari magno Mendicantium. Sed circa legata relicta Religiosis præter dicta *tom* 4.
81. *verbo legata Regularibus relicta*, vlterius nota, quod legata relicta Religiosis censentur relicta Monasterio: propter commune illud *Quidquid Monachus adquirit Monasterio adquirit.* Mantica *de coniect. lib.*8. *tit.*6. *num.*26. Freitas *in Scholiis super*
82. *hanc Bullam.* Itavt in contrarium non valeat consuetudo, eo quod est contra naturam, & essentiam voti paupertatis. Calderin. *conf.*4. *de consuetud.* Freitas *ibid.* vnde consequenter legatum Monacho relictum, acceptari potest à Prælato, etiam iniusto tali Monacho. Baldus *num.*1. *in leg. ex repudiatione,* Mantica *supra num.*27. Freitas *supra*, vbi etiam alia circa concessionem huius Pontificis ad supplendum defectus commissos in recitatione officij diuini, pro quo affert aliqua priuilegia. Pro illis ta-
83. men, & hoc puncto legenda quæ dixi *tom.*1. *Summæ, cap.*12. *& tom.*4. *verbo officium diuinum.* Tractat etiam quid importet verbum *Quadragena*, de quo etiam dixi *tom.*3. *verbo Indulgentia quoad Regulares, num.*3. sed pro illa Quedragena 12. Cardinalium, & Archiepiscopi S. Iacobi consulendus ipse Freitas.

84. Ea quoque quæ idem Alexander concedit in alia Bulla *Prout scriptura* fere sunt exposita in præcedentibus, & aliis locis nostræ Summæ. Præsertim illud de participatione bonorum spiritualium explicatur quomodo intelligendum 3. *tract. verbo Bulla Cruciatæ, num.*17.

85. Circa Bullam Clementis VI. vbi agit de quæstoribus declarans Fratres Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede non esse Quæstores illos damnatos à Clement. V. in Concilio Viennensi, notanda quæ dixi in Mari magno Carmelitarum. *num.*406. similiter circa Bullam Gregorij XI. in qua Religiosos istos eximit à Decimis, plura dicta sunt in Mari magno Mendicantium.

86 Quod attinet ad concessiones Martini V. huic Ordini factas, & in superioribus relatas, concessio illa in Bulla *Sinceræ deuotionis*, nullam videtur continere difficultatem. Concessio verò facta in alia Bulla *Sacræ Religionis obseruantia*, etsi difficultatem continere possit, temittimus tamen Lectorem ad ea quæ scripsimus *tom.*1. *cap.*22. *& tom.*4, *verbo transeuntes Regulares.* Pro eo autem, quod huiusmodi Pontifex declarat in alia Bulla *sacræ*
87. *Religionis*, nempe officia huius Ordinis annualia, siue manualia esse, notandum ex hoc colligi posse auferri à Prælatis huius Religionis ad nutum Prælatorum eiusdem. Quia hoc est proprium beneficiorum, seu officiorum manualium. Prout diximus *tom.*2. *cap.*17. ex Federico *in tract. permutationum, quæst.*16. & Sanchez *lib.*7. *in decalog. cap.*29.
88. *num.*107. Etiamsi sint collata à Superiore pro toto tempore vitæ, imo quod promiserit se non reuocaturum, ac ad istam reuocationem validè fauendam non requiri aliquam causam: Esto quod ad hoc, quod licitè, & prudenter fiat ea requiratur.
89. Prout ex aliis dixi loco relato. Notandum tamen quod si oppositum habeatur in hac Religione ex suis constitutionibus à Sede Apostolica approbatis, vel ex consuetudine legitimè præscripta, ita obseruari debet. Pro prohibitione autem facta ab hoc Pontifice de non impetrandis huiusmodi officiis, consulenda quæ diximus in Mari magno Seruitarum, *num.*61.

90. Pro concessionibus ab Eugenio IV. Papa factis, de quibus suprà consulenda etiam dicta in superioribus, & aliis locis Summæ, vbi de ea materia agitur. Idem dico de concessionibus Calixti III. in Bullis relatis.

Circa §. 3.

REfert Pontifex in hoc §. concessionem quandam Nicolai III. in qua concedit quandam 91.
indulgentiam pro animabus defunctorum. In hac ergo Bulla, quæ sub datis Viterbij Nonis Augusti Pontificatus sui anno primo, commendat valdè hanc Religionem, eo quòd Religiosi ipsius in Ecclesia laborent quotidiè ponendo corpora sua in periculo mortis, & etiam, quia iuxta illud Christi, *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Propterea dantibus duos florenos auri Aragoniæ, vel pretium æquiualens dicto Ordini, si contriti fuerint, & censessi, *quod possint eligere idoneum Confessorem, qui authoritate nostra Apostolica ipsos absoluat ab omnibus peccatis suis, semel in vita, & in mortis articulo toties, quoties fuerint coustituti.* Deinde hæc subiungit Ponti- 92.
fex; *Volumus etiam, quod si fortè aliquis prædictam quantitatem dicto Ordini contulerit, pro animabus patris, & matris, qui in sinceritate fidei vnitatis S. Romanæ Ecclesiæ, ac obedientiæ nostræ, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum, contritione vera, & confessione integra, si tempus affuerit, & possibilitas confitendi ab hac vita migrauerint, nos omnibus huiusmodi in Christo decedentibus de misericordia Dei confidentes, de qua magis, ac magis confidimus in cœlis, ipsis auctoritate relaxamus in terris omnem pœnam, quam post lucem huius sæculi pro peccatis purgandis pati merentur, auctoritate prædicta Apostolica misericorditer in Domino relaxamus, pariter, & dimittimus.*

Circa quas concessiones aduertit primò Frei- 93.
tas, quod Florenus Aragonius octo ferè valet nummos regales argenteos Castellanos. Couarruuias *de nummis, cap.*3. *num.*8. Secundò notat, quod relata hæc taxatio sufficiens causa est huius concessionis propter bonum commune Redemptionis, Enriquez *lib.*7. *cap.*14. *in fin.* Sanchez *lib.*8.
*de matrim. disput.*33. *num.*10. Tertiò notat quod ab- 94.
solutio hæc concessa concernit etiam peccata reseruata, vt constat ex particula generali, ibi: *ab omnibus*, & ex verbis adiunctis, ibi: *semel in vita, &*
in articulo mortis. Ego tamen, quoad hoc vltimum 95.
animaduerto, quod cùm in hac concessione solum detur facultas absoluendi à peccatis, nulla facta mentione de peccatis reseruatis, solum pro non reseruatis intelligi debet. Sicut etiam non intelligitur de absolutione à censuris; quia peccatorum nomine non veniunt censuræ. Excipio tamen tempus articuli mortis; quia pro eo nullus casus reseruatus est, neque quoad peccatum, neque quoad censuram. Vide dicta *tom.*3. *verbo casus reseruatus.*

Vlterius animaduertit idem Freitas quod ista 96.
facultas absoluendi à peccatis non est indulgentia. Quod est verissimum, siquidem, iuxta dicta, *tom.*3. *verbo Indulgentia quoad Regulares, num.*2. Indulgentia est, *remissio, seu relaxatio pœnæ temporalis debitæ propter peccata actualia:* non ergo est facultas absoluendi à peccatis.

Id autem quod vlterius animaduertit, videlicet 97.
quod in reuocatione facta à Pio V. indulgentiarum, quæ habent manus adiutrices, qualis est ista, de qua in præsenti, non comprehendantur Mendican

dicantes, ex declaratione eiusdem Pij V. in alio motu proprio, ex Enriquez *lib. 7. cap. 15. §. 1. in fin.* non subsistit, quia, vt video, ita tenet cōmunis sententia, & præter notatos à me dicto verbo *Indulgentia quoad Regulares*, *num. 14.* Id etiam docent Naldus *in Summa, verbo Indulgentia, num. 1. & 13.* Pelizarius *in Man. tom. 2. tract. 8. cap. 5. num. 243.* Id etiam comprobat Gregorius XIII. in Bulla, *vt laudes* relata in præcedentibus, vbi supponit talem reuocationem, & propterea Indulgentias nostro Ordini concessas propter manus adiutrices commutat in alia obera pia. Nec video talem declarationem Pij V.

98. Probabilius dici potest hanc concessionem indulgentiæ Nicolai Papæ propter manus adiutrices, quatenus extenditur ad animas defunctorum, non esse reuocatam, sed manere in sua vi, non obstante Bulla reuocatoria Pij V. generaliter omnes indulgentias eiusmodi reuocantes. Eo quod indulgentiæ pro mortuis sunt valdè fauorabiles, & quia ita creditur de benignitate Summorum Pontificum iuxta dicta *tom. 1. Summæ, cap. 3. num. 19. & tom. 3. verbo Indulgentia quoad Regulares, num. 11. & 12.* Sed & in hoc etiam vellem audire aliorum sententiam.

Circa §. 4.

99. IN hoc loco refert Papa Clemens Bullam aliam Sixti IV. in qua approbat concessiones Bonifacij, Alexandri, Clementis, Gregorij, Martini, Eugenij, & Calixti prædecessorum, & nonnulla alia de nouo concessit. Nempe extendendo indulgentiam concessam ab Alexandro IV. itavt sit plenaria. Et quod concessio illa Nicolai III. pro animabus patris, & matris sit generalis pro omnibus defunctis. Et quod fratres possint arbitrari circa pretium illud. Insuper hos Religiosos, & bona ipsorum sub B. Petri, & Apostolica protectione suscipit. De iis tamen iam est dictum in præcedentibus.

Circa §. 5.

100 SVb hoc §. continetur qualiter Iulius II. approbauerit, & innouauerit concessiones factas huic Ordini à Sixto IV. & aliis prædecessoribus. Quia tamen idem Iulius approbauit eas cum ista clausula *Quatenus sunt in vsu*, ideo pro illa videnda sunt quæ diximus *tom. 2. cap. 15. n. 17. & tom. 4. verbo Priuilegia Regularium, num. 15. & seqq.*

Circa §. 6.

101. IN hoc loco continetur aliud priuilegium eiusdem Iulij II. videlicet quod Confessor eligendus à Confratribus huius Religionis ipsos possit absoluere ab omnibus, & singulis excessibus, & casibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis semel in vita: in aliis verò singulis annis. *Quemadmodum* (inquit Pontifex) *Confratribus Ordinis SS. Trinitatis ab eadem Sede est concessum.* Pro quo priuilegio videndum est aliud concessum Confratribus Carmelitarum à Clement. VII. simul cum moderationibus ipsius per Clement. VIII. De quo diximus

102. *tom. 2. Summæ, cap. 15. num. 16.* Quale porro sit priuilegium illud concessum *Confratribus Confraternitatis Ordinis SS. Trinitatis*, Pontifex non declarat. Sed quodcunque illud sit repetendum est ex dictis aliis locis, & ex Clement. VIII. quia ibi Pontifex generaliter loquitur de Confratribus institutis per Regulares.

Circa §. 7.

CVm hoc loco agatur de facultate concessa huiusmodi Confratribus pro tempore interdicti, consulenda quæ diximus suprà *num. 73.* circa priuilegium quoddam Bonifacij VIII. Imo aduertendum quod quamuis Feitas ibi relatus non admittat hoc loco istud priuilegium quod attinet ad sepulturam tempore interdicti pro omnibus Confratribus, sed solum de illis, pro quibus id admittitur *cap. vt priuilegia de priuileg.* quoad alia verò id admittit pro omnibus *ex regul. leg. præcipimus, cap. de appellat.* De quo alibi. 103.

Circa §. 8.

HOc etiam loco refertur aliud priuilegium eiusdem Iulij II. circa solutionem cuiusdam pecuniæ soluendæ à Confratribus dictæ Confraternitatis pro fruendis gratiis, & indulgentiis illum. A quo facile me expedio dicendo, huiusmodi contributionem pecuniæ nihil suffragari dantibus illam pro consequutione indulgentiarum Confraternitatis; quia, vt dictum est in præcedentibus, omnes indulgentiæ, pro quibus dantur manus adiutrices, id est, aliqua pecunia, sunt inualidæ. Pro aliis tamen priuilegiis Confraternitatis, quæ non sunt indulgentiæ posse suffragari; cum dicta pecunia non detur, vt pretium talis ingressus in Confratriam, vt priuilegiorum ipsius, sed alio titulo honesto, eleemosynæ videlicet, vel subsidij ad sustinendam ipsam cum debito decore. Vide dicta eo *cap. 15. num. 30. & 56.* 104.

Circa §. 9.

DE hac indulgentia concessa à Iulio II. pro visitantibus Ecclesias huius Ordinis, & inibi manus adiutrices porrigentibus iam constat ex dictis in superioribus quomodo permaneant modo in suo vigore, commutatis illis manibus adiutricibus in illa pia opera in quæ Gregorius XIII. commutauit similes indulgentias concessas pro visitantibus Ecclesias Carmelitarum, iuxta dicta *suprà num. 67. & 68.* Eo etiam quod indulgentiæ concessæ Religionibus pro visitantibus eorum Ecclesiis non sunt reuocatæ his temporibus per Paulum V. iuxta ea quæ diximus *tom. 1. cap. 3. num. 19. & tom. 3. verbo Indulgentia quoad Regulares* 105.
Et id constat ex viuæ vocis oraculo eiusdem Pauli V. quod retulit Eminentissimus Cardinalis Borgia huius Religionis Protector die 25. Augusti 1616. in eo namque habetur, eundem Paulum V. declarasse quod per Breue suæ sanctitatis quo renouauerat omnes indulgentias Regularibus concessas non fuisse suæ mentis reuocare illas, quæ erant concessæ quibuscunque Christi fidelibus Ecclesias Ordinis B. Mariæ de Mercede visitantibus. 106.

Circa §. 10.

SImiliter hæc eadem commutatio manuum adiutricem probabiliter deseruire potest pro consequutione eius indulgentiæ, de qua in hoc §. est sermo, propter dicta superius eo *num. 68.* De conuenientia porrò, & honestate quæ est in elargien- 107.

do eleemosynam Captiuis cùm iam redempti sunt, & deferuntur ad terras Christianorum agit Freitas in Scholiis ad hanc Bullam.

Circa §. 11.

108. INdulget hoc loco idem Iulius II. Generali, ac Fratribus huius Ordinis omnes gratias, indulgentias, & remissiones concessas Confratribus: propterea idem dicendum quoad hoc de ipsis Fratribus, ac dicta sunt de Confratribus. Sed notandum quod omnes indulgentiæ concessæ Regularibus reuocatæ, & moderatæ sunt à Paulo V. vt dixi *tom.1.cap.3.num.19.& tom.3. verbo Indulgentia quoad Regulares,num.9.*

Circa §. 12.

109. IN hoc §. est sermo de facultate concessa per eundem Iulium Generali, & Fratribus per ipsum designatis ad exigendum, & recipiendum legata pro Redemptione Captiuorum in locis, & domibus Hispaniæ. De qua etiam in superioribus dictum.

Circa §. 13.

110. AB hoc loco incipit Papa Iulius referre concessiones factas huic Religioni à Leone X. suo Prædecessore in quadam Bulla, quæ habetur in Bullario huius Ordi nis *fol.135.*& vocatur nobilissima, & dicitur quod causa eius concessionis fuerit,quod cum anno 1516.Ioannes Lupus Commendator Oscæ, & Arnaldus de Duce Commendator Tholosæ 158. Christianos magnis sumptibus, & laboribus è durissima Paganorum seruitute liberassent,& 70. ex illis Romam perduxissent,
111. Pontifex Leo ad pietatem commotus hanc Bullam dederit gratiis, & fauoribus plenam, quam propterea aliqui *Mare magnum* applicari posse volunt, cùm tamen hoc nomen potius conueniat Bullæ Clement. VII. quam in præsenti exponimus, cum posterior sit illa,eamque referat,& confirmet, aliaque adiungat. Igitur Papa Leo, prout
112. in hoc §. refertur priuilegia à prædecessoribus concessa huic Ordini, quatenus essent in vsu, ex certa scientia approbauit, & innouauit.

113. Circa quæ cùm in superioribus indicatum sit quid importet clausula illa *quatenus sunt in vsu*, solum in præsenti expendenda illa *Ex certa scientia.* Et remittendus Lector ad ea quæ variis in locis de ea diximus; præsertim *tom.3.verbo Clausula, num.29.*& in Mari magno Prædicatorum, *num.* 114.& 115. Eremitarum sancti Augustini, *num.* 105.Carmelitarum, *num.299.*& Seruitarum,*n.98.*

Circa §. 14.

114. IN hoc loco refertur concessio eiusdem Leonis X.qua Ordini præfato S. Mariæ de Mercede indulget *omnia, & singula gratias, & priuilegia,& indulta Mendicantium Ordinibus, & eorum personis, & locis per Sedem Apostolicam concessa.* Circa quam concessionem videnda quæ de simili communicatione priuilegiorum diximus sæpius in nostra Summa; præsertim *tom.1.cap.3. num.17. & tom.2. cap.1.num.52. & sequentibus,& tom.4. verbo Priuilegia Regularium, num.24.* & in Mare magnum Prædicatorum *num.166.* Minorum §.51. Eremita-
115 rum sancti Augustini §.52. Carmelitarum §.105. & Seruitarum §.67. solum video dubitatum, an hæc communicatio priuilegiorum Mendicantium facta per Leonem X. huic Religioni extendatur, an solum ad concessa. In qua difficultate Tamburinus de Iure Abbatum, *tom.1. disp.17. quæst.1. num.34.* referens se ad Rodriguez *tom.1. Quæst. Regul.quæst.55.art.12.* ait huiusmodi concessionem 116.
Leonis non extendi ad priuilegia Mendicantium concedenda, sed tantum ad concessa; ac proinde virtute illius solum gaudere hanc Religionem priuilegiis concessis Mendicantibus ante datam huius Bullæ Leoninæ, non verò post datam:ex vi tamen Constitutionis Sixti V. de anno 1589. pro die 26. Aprilis gaudere priuilegiis non solum concessis, sed etiam concedendis Mendicantibus. Verumtamen, quamuis id quod dicit de Bulla ista
Leonis X.verissimum sit; quia in ea expresse loquitur solum de concessis; id tamen quod ait de 117.
Bulla Sixti V. non videtur verum; non solum quia hæc Bulla Sixtina nihil habet de communicatione priuilegiorum aliarum Religionum, sed solum innouat, & de nouo concedit concessiones huic Ordini factas:sed etiam, quia solum videtur loqui de concessis; cùm nullum verbum habeat de concedendis.

Est quidem verum quòd cùm in illa innouentur omnes concessiones factæ huic Religioni,& 118.
inter eas sit ista de communicatione priuilegiorum concessorum Mendicantibus; & Mendicantibus essent concessa tempore datæ huius Bullæ Sixti V. priuilegia etiam concedenda, prout constat ex his quæ diximus *tom.1. cap.3. num. 17. & tom.2. cap.1.num.62.* Ideo etiam, saltem indirectè videntur concessa huic Religioni priuilegia concedenda Mendicantibus: ac proinde in hoc sensu probabilis est sententia Rodriguez, & Tamburini.

Quæritur etiam an hæc communicatio gratiarum, priuilegiorum, & indultorum Mendicantium facta per Leonem Papam huic Religioni hoc loco extendatur etiam ad indulgentias. Ad quod, præter dicta *tom.3. verbo Indulgentia quoad Regulares, num.* 8. & in Mari magno Seruitarum *num.* 178.& 179. dico, quod cum nomine *gratiarum* non improbabiliter intelligi possint indulgentiæ, vt colligitur ex Mandosio *in tract. de priuileg.ad instar, quæst.10.gloss.9.* & Leo Papa in hac concessione vtatur nomine *gratiarum*, ideo videtur, etsi res sit incerta, per illud intelligi etiam indulgentias; itavt hæc communicatio sicut extenditur ad priuilegia, sic etiam ad indulgentias.

Circa §. 15.

IN hoc §.15.declarat Pontifex Leo quod illa relaxatio pœnarum Purgatorij concessa per Papam Nicolaum suffragetur dantibus vnum florenum pro Redemptione Captiuorum. Circa quod nihil occurrit dicendum præter dicta in superioribus. 119.

Circa §. 16.

HOc loco statuit idem Pontifex quod Fratres huius Religionis possunt lucrari indulgentias stationum, vnum, vel duo altaria in suis Ecclesiis visitando. Insuper, & participare fructum bonorum operum, quæ fiunt in Ecclesia. Et quidem circa primum istorum standum est reuocationi indulgentiarum stationum respectu Regula- 120.
rium-

rium, & modificationi factæ per Paulum V. iuxta dicta *tom. 3. verbo Indulgentia quoad Regulares, num.* 21. Quoad secundum verò de participatione bonorum operum, quæ fiunt in Ecclesia videnda quæ dixi eodem *tom.* 3. verbo *bona*, & verbo *Bulla Cruciata, num.* 17.

Circa §. 17.

121. IN hoc loco conceditur indulgentia quædam plenaria dantibus certam eleemosynam, pro Redemptione Captiuorum. Quæ quidem indulgentia, cùm importet manus adiutrices videtur reuocata per Pium V. iuxta dicta sæpe in præcedentibus, nisi forsan, iuxta ibidem etiam dicta, tales manus adiutrices commutentur in pia illa opera as-
122. signata à Gregorio XIII. vlterius etiam videtur dici posse, quod quamuis hæc indulgentia pro tempore vitæ sit reuocata; non tamen pro articulo mortis; eo quod, iuxta notata eo 3. *tom. verbo Indulgentia quoad Regulares, num.* 10. articulus mortis est speciali nota dignus, maximè supposita benignitate paterna Summorum Pontificum, & ita si non exprimatur, non videtur comprehendi in generali locutione: in Bulla autem reuocatoria huiusmodi indulgentiarum non cernitur nominata expresse indulgentia pro articulo mortis.

Circa §. 18. & 19.

123. HIs locis statuit Pontifex qualiter pecuniæ, aut res aliæ datæ huiusmodi Religiosis pro Redemptione Captiuorum solum ad id opus applicari possint Et meritò sanè, quia, vt in Clement. *Quia contingit in princip. de Religios. domibus* habetur: *Quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salua quidem Sedis Apostolicæ authoritate) conuerti.* Baldus in *leg. si testamenta in princip. cap. de testament.* Couatruuias *cap. tua de testament. num.* 7. Barbosa *in Collectan. DD. suprà hanc Clement. num.* 11. & 13. cum pluribus aliis per ipsum allegatis.
124. Concedit tamen illis facultatem disponendi de tertia parte dictarum pecuniarum, & rerum pro Redemptione Captiuorum in genere congestarum in subsidium necessitatum suarum, & suarum domorum, & aliorum, qui in hoc sancto opere versabuntur. Id enim æquitas, & ratio recta postular. Prout ex aliis Doctoribus affert Freiras *in*
125. *Scholiis ad hanc Bullam Leonis.* Quibus etiam adiungitur, quod, vt affert Collector huius Bullæ, hæc Religio, seu Primi Patriarchæ B. Petri Nolasco consilium secuta plura bona mobilia, & immobilia in Redemptionem Captiuorum consumpserat, vt propterea Monasteria in magnam penuriam deuenerint. Nihilominus tamen iis temporibus, propter decretum Ordinis de anno 1603. & confirmationem ipsius factam à Clement. VIII. anno sequenti, huic priuilegio renunciauit, & bona pro Redemptione Captiuorum, solum ad illam, non verò ad alios vsus applicare potest.

Circa §. 20.

126. DEclarat hoc loco Leo Papa scientia, & authoritate Apostolica, quæcunque data, seu legata ad præfatam Redemptionem Captiuorum non comprehendi sub quibusuis rerum ad pias causas donatarum applicationibus, etiam in fauorem fabricæ Ecclesiæ S. Petri de Vrbe, vel alias; sed semper esse ab illis exempta. Ad quod deseruiunt ea quæ adduximus suprà de pietate operis Redemptionis Captiuorum, & priuilegiis illius: & quæ in variis locis diximus de exemptione bonorum Regularium ab oneribus, exactionibus, imposi- 127.
tionibus, &c. & quæ affert idem Freitas *suprà.* Vbi etiam quod hoc priuilegium etiam extenditur ad recipienda in futurum, sicut priuilegium suscipiendi iura, & redditus comprehendit impositos, & imponendos, ex Brunone, Cauedo, Menochio, & Natta.

Circa §. 21. & *seqq. vsque* 28.

EA quæ in his §§. ab isto 21. vsque ad 28. conti- 128.
nentur, non continent nouam difficultatem, quæ ex dictis in superioribus, ac aliis locis nostræ Summæ explicata non sint, & idcirco ab ipsorum expositione abstinendum censemus, ad alia proponentes.

Circa §. 29.

HOc loco ponitur alia Bulla eiusdem Clemen- 129.
tis VII. eodem die, & anno data, vbi etiam inseritur Bulla relata: & pro ipsius executione nominantur à Papa Iudices Conseruatores, cum clausulis ordinariis. Circa quæ etiam nihil occurrit notandum præter ea quæ variis in locis Summæ, & in hoc maximè tomo, vbi agitur de Mari magno Mendicantium notata manent.
Tandem quia dubia aliqua mihi proposita sunt 130.
à viro valde graui huius Religionis, ideo præter dicta in superioribus, placuit eorum solutionem hoc loco apponere.

DVBIA ALIQVA CIRCA præfatam Bullam Clementis VII. Mare magnum *à nobis appellatam.*

PRimum est, an indulgentiæ, siue perpetuæ, si- 131.
ue ad tempus concessæ alicui Ecclesiæ huius Ordinis extendantur ad omnes eiusdem Religionis Ecclesias. Secundum est an Ecclesiæ, Orato- 132.
ria, & Capellæ, vbi sunt erectæ, aut aggregatæ Confraternitates Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede sint membra eiusdem Religionis, ita vt Confratres, seu gestantes habitum paruum Religionis, aut alij fideles consequantur indulgentias concessas visitantibus Ecclesias eiusdem Ordinis. Ter- 133.
tium, an indulgentiæ concessæ fidelibus portantibus habitum paruum Ordinis sanctissimæ Trinitatis extendi possint ad portantes habitum Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede, aut aliorum Or- 134.
dinum. Quartum an fundatores sæculares, aut Regulares Capellani Confraternitatum Ordinis de Mercede in terris, vbi non sunt Conuentus eiusdem Ordinis, possint benedicere habitum paruum eiusdem Ordinis. Quintum an facultas concessa 135.
Ordini sanctissimæ Trinitatis faciendi semel in quolibet mense processionem sui scapularij, intelligatur etiam concessa aliis Ordinibus, qui similiter distribuunt scapularia suarum Religionum. Et an dicta processio possit exire ex Ecclesia, & per quod spatium. Sextum quas indulgentias 136.
possit Ordo de Mercede communicare suis Confrates

fraternitatibus tam erectis, aut erigendis, quam
137. aggregatis, seu aggregandis. Septimum quales
sint illæ indulgentiæ, quas possunt lucrari portantes habitum paruum Ordinis de Mercede. Octa-
138. uum quæ sint indulgentiæ quas lucrantur fideles visitantes aliquam Ecclesiam supradicti Ordinis.

139. Ad quæ sic respondeo. Ad primum quidem, quod indulgentiæ concessæ alicui Ecclesiæ propter particularem, aut specialem rationem, quæ in ipsa est; vt puta propter aliquam imaginem Beatissimæ Virginis, aut alterius sancti, magnæ deuotionis, corpus alicuius sancti, quod ibi requiescit,) vel similem aliam; tunc tales indulgentiæ non extenduntur ad alias Ecclesias etiam eiusdem Ordinis; propter dicta *tom.2. cap.1. num.52. & tom.3. verbo Indulgentia quoad Regulares, num.8.* Quando verò istæ indulgentiæ solum sunt concessæ propter causam aliquam communem toti Religioni, verbi gratia deuotionem habitus, Redemptionem Captiuorum, &c. tunc probabile est communicari omnibus Ordinis Ecclesiis; quia hîc intrat illud commune Iuristarum *vbi est eadem ratio est eadem dispositio:* quod maximè intelligendum in rebus fauorabilibus, & nemini præiudicialibus.

140. Ad secundum dico quod si in ipsis Ecclesiis Religiosorum, aut ita coniuncta, & vnita cum ipsis, vt sint partes, aut veluti partes ipsarum, tunc illas visitantes consequentur indulgentias concessas visitantibus Ecclesias fratrum. Propterea enim eo 3. *tom. verbo Indulgentia quoad Regulares, num.8.* ex Suarez, & Laimano dixi, quod visitantes cœmeteria illarum Ecclesiarum consequantur indulgentias visitantium eas Ecclesias. Secus verò, si sint separata, aut disiuncta, ita vt non censeantur partes dictarum Ecclesiarum: Eo quod tales indulgentiæ solum sunt concessæ visitantibus Ec-
141. clesias Fratrum. Vnde S. Congregatio Episcoporum, teste Gauanto *in Man. verbo Confraternitates,*
142. *num.8.* declarauit facultates concessas Dominicanis pro Societate Rosarij locum non habere in Societatibus eiusdem extra eorum Ecclesias.

143. Ad tertium respondeo negatiuè: non enim video hanc communicationem indulgentiarum sæcularium fundatam in aliqua Bulla Pontificia; & quia ex illa oriri posset non solum magna confusio, sed etiam contemptus indulgentiarum. Est quidem, verum, quod si hæ indulgentiæ sint, aut censeantur concessæ Religioni ipsi, iudicandum est de illis quoad communicationem aliis Religionibus iuxta modum, quo ipsæ Religiones habuerint talem communicationem, & iuxta ea, quæ dixi *tom.3. quæst. regular. verbo habitus regularis, num.9.*

Ad quartum etiam respondeo negatiuè; nisi hoc ipsis concedatur à Prælatis Religionis, ad quos spectat benedicere tales habitus. Et ita credo praxi esse receptum. 144.

Ad quintum, consequenter ad dicta in responsione ad tertium, dico, quod cùm inter Confratrias non sit communicatio facultatum, aut priuilegiorum fundata in aliqua Pontificia concessione, propterea facultas, aut priuilegium vnius non extenditur ad aliam. Casu autem quod esset talis extensio fieri posset talis processio non solum intra Ecclesiam, sed etiam extra ipsam, circa muros tamen eiusdem Ecclesiæ. Sic enim video declaratum à sacra Congregatione, prout ex Gauanto *in Man. Episcopor. verbo processio, num.49.* dixi *tom.2. cap.15. num.25.* Vide etiam alias declarationes S. Congregationis apud eundem Gauantum suprà, *num.* 45.46.47. & 48. Et nota quod licet ex ista declaratione ex Gauanto desumpta, processiones Confraternitatum fieri possent circa muros Ecclesiæ, id tamen intelligendum est quando Ecclesia non habet claustrum: nam si illud habet, talis processio solum potest fieri intra ipsum. Prout patet ex recentiori alia declaratione S Congregat. Rituum de anno 1628. apud Ioannem Mariam Nouarium *in lucerna Regularium, verbo Processiones, num.25.* 145.

Ad sextum dico ex Clement. VIII. in Bulla *Quæcunque à Sede* de anno 1604. in 3. *tom.* Bullarij *constit.*115. quod suis Confraternitatibus *ea tantum priuilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, quæ ipsi Ordini, Religioni, instituto, erigenti, instituenti, ac communicanti, &c. nominatim, & in specie, non autem quæ per extensionem, vel communicationem sibi quouis modo concessa sunt: & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresse, & in specie, communicare valent.* Pro quo videnda quæ dixi *tom.2. cap.15. num.*10. & 11. Et etiam *num.*40. de specialibus indulgentiis concessis per Paulum V. Confraternitati Ordinis Carmelitarum, reuocatis omnibus aliis antea concessis. 146.

Ad septimum, & octauum dico, consulenda in hoc esse Bullaria, summaria, & alias collectiones Indulgentiarum huius S. Religionis, & secundum illa iudicandum. 147.

INDEX

INDEX RERVM MAGIS NOTABILIVM,

quæ in hoc Tertio Tomo Summæ, in priori & posteriori Parte ipsius continentur.

Vbi Prædic. *notat Mare Magnum Prædicatorum*, Minor. *Mare Magnum Minorum*, Eremit. *Eremit. S. Augustini*, Carmel. *Carmelitarum*, Seruit. *Seruitarum*, *&* Minim. *Minimorum*, *ac* Bull. Aur. *Bullam dictam* Auream. Ord.Trin. *Ordinis SS. Trinitatis*, S.M.de Mer. *Ord. S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.*

A

ABSOLVTIO plenaria conceditur semel in vita, & in morte à Confessore idoneo. *Seruit*. 326. num. 168. A quibus casibus tunc absoluantur. ibid. n. 169.

Absoluunt aliqui Prælati suos subditos ab omnibus casibus, paucis exceptis. *Minim*. p. 340. n. 28 p 352. n. 99. 100. & 101. *Seruit*. p. 320. n. 118 & 119. *Minor*. p. 77. n. 109. An teneantur propterea illorum confessiones audire. p. 60. n. 10. An similiter ipsi possint ab eisdem casibus absolui. p. 78. n. 111. Facultas hæc an restringatur solùm ad forum internum. p. 77. n. 110. An sit delegabilis. p 78. n. 113. Quomodo non obstet *Cap fin. de offic. & potestate Iudic. delegat*. p. 78. n. 114. Priuilegium Minimorum circa hoc. *Minim*. p. 340. n. 28. & seqq. Eremitarum S. Augustini quoad hoc. *Eremit*. p. 134. n. 123. Carmelitarum. *Carmel*. p. 244. n. 326. & seq. A quibus casibus non absoluant. ibid. n. 328. Prælati ipsi à quibus absoluantur. p. 246. n. 335. & 336. An habeant tantam authoritatem ad absoluendum, sicut Pœnitentiarij minores. p. 251. n. 369. An absoluant peccantes in contemptum clauium. ibid. n. 370

Abstinentia carnium qualiter præscripta Carmelitis in ipsorum Regula. *Carmel*. p. 208. n. 132. & 133. Qualiter in aliis Regulis. ibid. n. 133. Licita est & honesta. p. 209. n. 134. An per illam abbreuietur vita. ibid. n. 135. Carnium nomine quæ veniant. ibid. n. 136.

Accusatio Religiosorum à se, vel ab aliis, an & quomodo admittenda in Capitulis culparum. *Carmel*. p. 206. n. 121. & 122.

Administratio bonorum monasteriorum concessa Prouinciali. *Ord. Trin*. p. 396. n. 40. Coarctata propter decreta Summorum Pontificum. ibid n. 91

B. Albertus Regulæ Carmelitarum Auctor quis fuerit. *Carmel*. p. 190. n. 26. Quare id fecerit. p. 192. n. 42

Alienatio bonorum Regularium prohibita. *Eremit*. p. 122. n. 66. Arborum. ibid. num. 67. & seqq. An nomine alienationis veniant hypotheca, distractio, permutatio. *Minim*. p. 350. & seq. n. 90. & seqq.

Altaria Regularium Ecclesiarum non visitantur ab Episcopis, nisi ibi adsit cura animarum. *Minor*. p. 84. n. 139

Altaris portatilis vsus pro Mendicantibus. *Prædic*. p. 16. n. 23. In locis congruentibus. p. 33. n. 117. An Priuilegia quoad hoc sint reuocata per Concilium Tridentinum. ibid. num. 118. Priuilegiorum pro Frattibus Minoribus. *Minor*. p. 77. n. 104. & 106. Pro Eremitis S. Augustini. *Eremit*. p. 132. n. 113. Pro Carmelitis. p. 236. n. 272. & p. 268. n. 463. & seqq. Pro Seruitis. *Seruit*. p. 326. n. 170

Alteratio Regulæ per correctionem, seu mitigationem non arguit distinctionem, aut mutationem Religionis. *Carmel*. p. 191. n. 30. Ex Rotæ decisione ibid.

Animalium vsus ad vecturam, seu laborem, an licitus ex Regula. *Carmel*. p. 204. n. 106. Quid de animalibus pro nutrimento. ibid.

Anni completi an requirantur pro vacatione officiorum. *Seruit*. p. 307. n. 38

Anniuersariorum super celebratione facultas. *Ord. Trin*. p. 365. n. 70

Appellatio à correctionibus Prælatorum an liceat. *Minim*. p. 354. n. 112

Apostatæ non possunt recipi ab Episcopis sub eorum protectione. *Minim*. p. 344. n. 53. Quid de cooperantibus ad eorum apostasiam. ibid. n. 55. Quomodo subiaceant excommunicationi. *Prædic*. p. 23. n. 58. An ipso facto excommunicati. p. 23 n. 59. Procedunt contra illos Prælati. p. 24. n. 66. Quo pacto procedere debeant. p. 25. n. 67. Non prædicant, docent, aut audiunt-

audiunt confessiones. p.25.num.79. Priuantur bonis, quæ habent. *Minim.* p. 344. num.54. Impertinenter se haber ad illos dimissio, vel retentio habitus. *Minor.*p.68.num.59. Meritò in Religione Minorum denuntiantur excommunicati apostatæ certis anni diebus. p. 69. num. 61. Priuilegia ad istos capiendum. *Carmel.* p. 228. num. 242. Etiam in Romana Curia inuentos.p.271.num.481. Compelluntur ad redeundum ad Ordinem vbicunque reperti. *Seruit.* p. 325. num. 158. An debeant quæri à *Prælatis*.ibid. num.159. Non audiunt confessiones, nec docere debent. ibid.n. 160. An validè ministrent Sacramentum Pœnitentiæ. ibid.num. 161. Quid si id faciant cum approbatione Ordinarij, sed sinè præsentatione suorum Superiorum.ibid.

Arbores in duplici differentia, aliæ fructiferæ *Eremit.* p. 122. num. 68. Quarum arborum alienatio prohibita sit Regularibus p. 123. n.69. In quibus casibus permissa.ibid. n.70. & seqq. Arbores cæduæ, quæ dicantur. ibid.n.74

Arctitudo Religionis non est idem quod perfectio. *Carm.*p.224.n.219. Vnde sumenda. ibid.

Arma spiritualia Religiosorum, quæ sint. *Carmel.* p.211. num. 145. An illis vti sit sub præcepto, an solùm sub consilio. ibid. num.127

Articulus mortis quid importet. *Min.* p.348.n.78

Auditor Cameræ procedit in multis casibus in fauorem Religiosorum. *Carmel.* p. 256. 257. num 400.& 404

Auxilium quid importet *Minor.* p.87.num.160. Auxilium diuinum regulariter conceditur mediante Oratione. *Carmel.* p.200.num.86

B.

BAccalaureatus quomodo suscipiendus in Ordine Seruitarum. *Seruit.* p.326. n. 166

Baptismus quando administretur à Regularibus. *Erem.* p.135. n.129. An extra casum necessitatis. ibid. Incurrendo aliquam pœnam Ibid.

Benedictiones, quas Regulares possunt dare in in suis Ecclesiis, & quarum rerum. *Erem.*p.137. num.141

Beneficia an possint à Regularibus obtineri. *Carmel.*p.23.num.258. Alia in titulum, alia in commendam.Ibid.

Beneficiati Regulares non possunt habere residentiam, aut cameras, seu vocem in Conuentibus, seu Capitulis. *Bull. aur.* p. 97. n. 12. Nec assumi possunt in Capitulis ad aliqua officia sine Generalis consensu. *Minim.*p.342. n.42. *Carm.*p.231.n.257. Sub excõmunicationis pœna.ibid.& p.277.n.258.519.& seq. Ad quos extendatur hęc excõmunicatio.Ib. An ad illos qui intra Monasteria beneficiis deseruiũt. ibid. An incurrant irregularitatem.p.232.num. 259. Quibus priuantur in Religione illi qui habent beneficium. *Seruit.* p. 332. n.205. Ex Priuilegio Iulij III. ibidem num.208.& 209

Bona incerta danda pauperibus quomodo censeantur data etiam si non adsit memoria id faciendi. *Minim.*p.346.n.67

Bona incerta nouitiorum quibus applicanda. *Minim.* ibid.n.65.& 66. *Carmel.* p.273. n.496 & 497. An idem dicendum de bonis incertis Tertiariarum. ibidem. num.497

Bona Fratrum discedentium ab Ordine ad Ordinem deuoluuntur. *Seruit.* p. 324. num.157.

Quorum bonorum sint capaces particulares Religiosi.p.331.n.202

Bona Mendicantium quomodo ad Sedem Apostolicam spectent. *Minor.* p.75.n.92. Fratrum Minorum præsertim. Ibid. Sedi Apostolicæ immediatè subiecta. *Eremit.* p. 128. n. 94. In ius, & proprietatem B.Petri. Ibid. An ex hoc probetur eorum exemptio.p.128.n.95. Non propterea comprehenduntur decisione Concil. Trid. Sess. 25. de Regul. cap.8.& 9.p.129. n.98. Pertinent immediatè ad Sedem Apostolicam. *Carmel.*p.275.n.508

Bona Monasteriorum desertorum quibus applicanda. *Carmel.* p. 275. n. 506. *Minim.* p.352. n. 95.96.& 97. *Minor.*p.75.n.92. *Prædic.*p.31. num.98. Non possunt ea sibi vendicare Ecclesiarum Prælati. ibid.n.98. & 99. An id sit ius commune. ibid. n. 100. Bona incerta Nouitiorum quibus applicanda. *Minor.* p.71.n.73. Bona Monasteriorum Monialium desertorum quibus applicanda. p.83. num.133. Bonorum nomine veniunt tam mobilia, quam immobilia. ibid. num.134. An etiam pecunia. ibid. Ad quem spectant talia bona in iure communi stando.ibid.num.135. Monialium nomine, quæ veniant. *Eremit.* p.136.n.132. Bona Monasteriorum Monialium quibus applicand. *Carmel.* p. 253. n. 382. Bona Monasteriorum an transferri possint de vno ad aliud sola licentia Prædicatorum. *Minim.* p.350.num.88. An possint subhastari sub prætextu hypothecæ generalis ipsorum. p.351.n.9.1. & 92. An commutari cum bonis alterius Monasterij. ibid. n. 93. An transferri cum fratribus. ibid. n. 94. Quoniam non vendenda. p 352. n. 95. Bona Monasteriorum suppressorum cui cedant. ibidem n. 98. Bona concessa Religiosis an subiecta sint solutioni decimæ. *Seru.*p.330. num.194. Non de illis, quæ conceduntur, vt eleemosynæ.ibid. n.195

Bulla aurea quæ dicatur. *Bull. Aur.* p.95.n.1. Vbi reperitur. ibid. Bulla Pij V. quæ incipit: *Etsi Mendicantium* non fuit reuocata, sed reducta ad terminos Concilij Tridentini per aliam Gregorij XIII. quæ incipit: *In tanta* ex Rotæ etiam decisione. *Eremit.*p.132.n.116

Bulla *Mare magnum* Prædicatorum vocata à quibus referatur. *Prædic.* p. 12. n. 1. Quæ est Mare magnum Minorum, à quibus. *Minor.* p.57.n.1. quæ est Eremitarum S.August. *Eremit.* p.110. n. 1. Quæ est Mare magnum Carmelitarum. *Carmel.* p.183. n.1. Vbi habeantur authenticæ.Ibid.

Bullarum data quotuplex. *Minim.* p.354. n.121. Bullæ habent vim legis, *Seruit.*p.313.num.74. Bullæ geminatæ habent vim motus proprij. p.315.n.81.

C.

CAlixtus tertius quid prouiderit pro Conuentibus reformatis. *Carmel.* p. 228. n. 241. Confirmat statuta Capituli Generalis Parisiensis.ibid.

Campanarum vsus pro Relig. *Carm.*p.218.n.285. An pro Oratoriis.ibid. Quãdo pulsandæ.ibid.

Cãpanile concessũ Religiosis. *Carm.*p.218.n.185

Canna quid sit *Carmel.* p.225.n.227. Quot cannarum spatium requiratur ad fundandum loca iuxta Carmelitas. ibid. & p.262. num.430. Sub pœna excommunicationis. ibid.

Canonic-

Canonica portio quando soluenda, vel non soluenda à Mendicantibus. *Prædic.* p. 30. n. 94. & seq. Quarum rerum debita p.32. num. 110. Quid concordatum in Regno Maioricæ. *Minor.* p.74.n.90. Quid pro Carmelitis. *Carmel.* p.221. 203. & 204. Quid pro Minimis. *Minim.* p.349.n.83

Cantus est conformis Regulæ. *Carmel.* p. 205. num.114

Cappa an portanda à Tertiariis. *Carmel.* p. 265. num.452

Cap. *Volentes* derogatum pro Mendicantibus. *Carmel.* p.188.num.21.& p.257.n.407.& seq. ac p.275. n.509. Cap. *Quia propter* forma seruanda in electionibus. *Carmel.*p.193.num.46. Quid ex consuetudine, & Constitutionibus Ordinis.p.194.n.47

Cappella non erigitur in domibus Mendicantium ipsis inuitis. *Eremit.*p.121.n.61

Cappellani Papæ, & Principum quibus subsint. *Minimi.*p.342.343.n.43.& 44. Cappellani inter Regulares quibus bonis Religionis priuentur.*Seruit.*p.332.n 207

Cappellanus instituendus in Ecclesiis Parochialibus Mendicantium.*Seruit.* p.32. n. 1127. & 128..*Prædic.*p.40.n.158.Quis debeat esse.ibid. n. 160. Quem ritum seruare debeat in Celebratione Officiorum Diuinorum. *Seru.*p.321. num. 140. A quo eligendus,vel approbandus. *Minor.* p.84. n. 140. Quibus fruatur priuilegiis. *Carmel.*p 255.n.393.& seqq.

Capitulum culparum ex Regula habendum.*Carmel.* p.205.n.115. & seq. Eius vtilitas ex Patribus.ibid.num.117. Modus.p.206.num.119. Quæ in eo tractanda.ibid.n.120.& seqq.

Carmelitarum Ordinis excellentiæ, & prærogatiuæ. *Carmel.*p.183.n.2. Duæ inter alias,scilicet Patronatus Deiparæ, & Prophetarum Eliæ,& Elisei.p.184.num.3.& 4. Sunt Mendicantes ex vi Regulæ. p.203.n. 103. An habere possint aliquas possessiones. ibid. n.102. & 104. Non possint transire ad alios Mendicantes. p. 222. num. 209. Nec ad Monachos. ibid.n.211

Carnium Nomine quæ veniant. *Carmel.* p.209. n.236.& seq.Quomodo supra mare illis vesci liceat. p.210.n.142. Quomodo permissæ Carmelitis p.215.n.173

Choro destinati quomodo ad horas Canonicas teneantur. *Carmel.* p.201.n.93. Chori vsus est secundum Regulam nostram.p.205.n.113. Et secundum Ecclesiæ consuetudinem. ibid.

Carthusiani cur admittunt alios Ordines. *Carmel.* p.223.n.215

Cathedraticum subsidium quid sit.*Eremit.*p.130. num.108

Causæ Regularium piissimè tractandæ. *Carmel.* p.185.n. 9. Illis non committendæ causæ extraneorum. p.235.n.270. Causa quid, & quotuplex.ibid.n.271. Causa interdicti quis dicatur.*Minim.*p.348.n.75

Celebrari an possit in domibus sæcularium. *Carmel.* p.237. n. 276. An in Oratoriis Episcoporum, aut aliorum Prælatorum. *Ibid.*

Cellularum distributio quomodo facienda *Carmel.* p.196.n. 56. Cellulæ Fratrum quales futuræ. ibid. n.58. & seq. Quales antiquitus in Carmelo. ibid. n.60. An separatæ,vel coniunctæ esse debeant.*Ibid.* Non mutandæ,nec permutandæ.p.198.n.69.Cellula Prioris quo loco tenendæ. ibid. n. 71. & seq. In cellulis quomodo manendum ex vi Regulæ.ibid.& p.199. num.74.75.& 76. Quid ex Patribus circa hoc habeatur. *Ibid.* Quomodo iugis oratio, seu meditatio in illis habenda. p.199.n.77. & 78. Quid dispensatum circa mansionem in cellulis p.215. num.173. an sit vera dispensatio,an potius declaratio.p.216.num.175.Vide verbo *Conuentus.*

Census impositio supra bona Regularium quomodo prohibita.*Minim.*p.359.n 89

Chrisma à quo Episcopo recipiendum à Regularibus.*Eremit.*p.120.n.56

Cibi particulares in Refectorio prohibiti. *Carmel.66*

Circa Montani appellantur, Itali, Siculi, Sardi, & qui circa Alpes commorantur.*Seruit.*p.326. num.165

Clausula *Inuocato brachio sæculari* implicitè continetur in litteris Apostolicis *Præd.*p.25.n.68. Clausula *salua tamen iustitia Ecclesiarum* quomodo accipienda. p. 32. n.109 & p.35.n.133. Clausula,*motu proprio.*p.32.n.112.& 113.Clausula,*ex certa scientia.*p.33.n.114.& 115. Clausula, *Mentio specialis*, vel *expressa mentio*,quæ solet poni in Priuilegiis Regularium quam vim habeat. *Minor.* p.65.n.43. Clausula, *irritum, & inane*, quid significet.p.76.n.97.Clausula, *Haberi volumus pro expressis.* ibid.n.101. Clausula, *ac proportiori cautela*, p. 77.n. 102. Clausula. *Sicut accepimus.* p.ibid.n.105.Clausula *In omnibus, & per omnia*, quam sit vniuersalis.p.87.n.153. Clausula *Pacifica possessione*, vel *quasi*, quid importet. p.88. n.162. De Clausula, *authoritate nostra*, ibid. n.163. Clausula *Sub protectione Beati Petri*, & *Sedis Apostolicæ*, quam exemptionem tribuat. *Eremit.* p.115. n. 24. Clausula, *Et præsentis scripti patrocinio communimus.* ibid. n. 25. Clausula, *Salua Sedis Apostolicæ authoritate* ad quid seruit. p. 127. n. 91. Clausula, *Et à Sacratissimo Corpore,& Sanguine Domini aliena fiat*,& alia. *Communione careat Christiana*, quam vim habeant. p.128. n.93. Quæ Clausulæ importent ad exemptionem Regularium. ibid.n 95.& 96. De Clausula, *Motu proprio*, & *ex certa scientia*, iterum, ex Rotæ decisione. p.130. n.105. Clausula *iniunctarum pœnitentiarum*, &c. ad quid deseruit. p. 131. n. 110. Clausula, *Indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum*, &c. arguit culpam mortalem. *Carmel.* p.187. n.13. Clausula, *in ius, & proprietatem B. Petri,& Apostolicæ Sedis,quid denotet*, p.188.num.18. Clausula, *Tam in spiritualibus, quam in temporalibus*, quid. ibid. n.19. Clausula,*Ac personis degentibus in eisdem*,quid.ibid. n. 20. Clausula, *De consensu*, seu *De assensu aliorum.* p.196. num.61. Clausula, *Conscientiæ suæ arbitrium*, quid notet. p. 217. num. 181. Clausula, *Propter quæ Sedes Apostolica consulenda est*, quos casus includat. p 220.n.199. Clausula, *Ad vsus proprios*, quam vim habeat. p.222. num. 28. Clausula *Sine iuris præiudicio alieni* intelligitur de alio præiudicio, quam expresso. p. 224. num. 213. Clausula. *Cum libro ingressu,& exitu* quid denotet. p.228.num. 244. Clausula, *Motu proprio* quomodo non infirmetur propositione, aut petitione gratiæ. p. 240. num. 296. Quos effectus producit. *Ibid.* Clausulæ. ibid. *Ex certa scientia* quanta

quanta sit vis. p. ibid. n. 297. Clausulæ. *Supplentes defectus*, vis. p. 241. n. 301. Clausula. *Sicut accepimus* an egeat iustificatione. ibid. n.303. Clausula *Ita tamen, vt satisfaciũt*. p.246. n. 341. Clausula *eo ipso incidant in sententias*, &c. ibid. n. 342. Clausula, *Gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ*, quid denotet. *Minim*. p. 339. n. 23. Clausula, *Ab omni iurisdictione, potestate, & dominio*, quam vim habeat. *Seruit*. p.309. n.48.49. Ex Rotæ decisione. *Ibid*. Clausul. *Aliaque iuris opportuna remedia*, quid importet. p.319. n. 116. Clausula *Quoties oportuerit*. n. 117. Clausula, *Sub protectione B.Petri, & Sedis Apostolicæ*; quam vim habeat ex Rotæ decisione. p. 323. n.143. Clausula, *In genere vel specie*, quam vim habeat. p. 327.n.178. Clausula, *Salua tamen refectione consueta in prandio*, p.331.n.199. Clausula, quæ apponi solet in aliquibus priuilegiis Religionum, scilicet: *Quacunque alia quæ in futurum per Nos, vel Sedem Apostolicam quomodolibet concedit, & statui, vel ordinari contra præsentium litterarum tenorem*, &c. *irrita, & inanis*, &c. quomodo non inutilis. *Seruit*. p.333. n.218. Clausula, *Volumus, & decernimus*, an inducat nouum ius. p.334.n.220

Clemens VIII. transcribi fecit Mare magnum Carmelitarum. *Carmel*. p. 183.n.1

Clerici siue in minoribus, siue in maioribus possunt ad Religionem admitti. *Eremit*. p.116. num.33. Excipe Episcopos sine Papæ licentia. *ibid*. Quid de Clericis beneficiatis, Abbatibus, & aliis habentibus iurisdictionem, quasi Episcopalem. *ibid*. Clericorum nomine qui veniant. *Carmel*. p.201.n.91

Cœmeteria Fratrum in eo priuilegiata, vt in illis nullus sepeliri possit ipsis Fratribus inuitis, *Eremit*. p. 112. n.9. Nomine Cœmeterij an veniat Ecclesia. *Carmel*. p.243. n. 319

Commissariorum designatio spectat ad Generales. *Seruit*. p.303.n.9

Commissarum personarum priuilegia. *Eremit*. p.112.n.12

Communicare cum Iudæis quomodo prohibitum. *Minim*. p.340. n.27

Communicatio cum excommunicatis quomodo licita, Mendicantibus præsertim. *Prædic*. p.17. n. 30. An ab eis postulari possit eleemosyna. *Carmel*. p.244.n.325

Communicatio priuilegiorum Carmelitarum cum aliis. *Carmel*. p. 277. n.522. & seqq. Extenditur ad priuilegia concedenda. ibid.n.523. An per eam concessa vni Conuentui concessa censeantur aliis. *Minim*. p.354.num.120. An etiam concedenda. *Seruit*. p.311.n.58. & p.332. n.211. Inter Prædicatores, & Minores. *Prædic*. p. 24.n.66. Est veluti noua concessio illorum. p.41.n.167. Extenditur ad priuilegia cõcedenda. ibid. n. 168. extenditur etiam ad priuilegia aliorum Mendicantium. *Bull. Aur*. p. 97. n. 15. Canonizata est hæc communicatio à S. Rota. *ibid*. Etiam quoad exemptionem à gabellis. *Eremit*. p.130.n.108

Compelli non possunt Regulares ad Synodos Episcoporum. *Prædic*. p.29.n.91. An ad Constitutiones Synodales. *ibid*. An ad processiones. *ibid*. Non ad onera præstanda pro Legatis Sedis Apostolicæ. p.31.n.101

Concionatores in Ordine Minorum à quibus approbentur. *Minor*. p.61.n. 14. Quid modò tenendum ex Concil. Trident. ibid. n. 15. An quando prædicant extra Aduentum, & Quadragesimam. *ibid*. Generales Eremitarum S.Augustini an ipsos instituãt. *Erem*. p.112.n.7

Confessi Mendicantibus quando recipiant ab illis Eucharistiam, & Vnctionem. *Minor*. p.82. num.129. An debeant habere schedulas attestatrices confessionis. *Prædic*. p. 38.n.152. Non tenentur postea parochis confiteri. p.41. num. 162. Oppositum tenentes puniuntur vt hæretici. *ibid*.

Confessiones Regularium solùm ab ipsorum Prælatis audiendæ. *Prædic*. p.29.n.87. *Minor*. p.74.n.87. *Minimor*. p.348.n.76. An hæc authoritas competat Prælatis iure diuino. *Prædicat*. p.29. n. 88. Possunt Superiores Prælati illam limitare inferioribus. *ibid*. Possunt eam delegare etiam extraneis. ibid. n.89. Ecclesiarum Prælati prohibentur audire talium confessiones. ibid. num. 91. Inualidè id faciunt. *Minor*. p. 74. n.88. Superiores Regulares, quibus hoc competit sunt tam Prælati inferiores, quam superiores. *Minor*. p. 73. n. 82. Quæ licentia ad hoc sufficiat. ibid.n.83

Confessores fratrum sunt solùm ipsorum Superiores. *Carmel*. p.273. n.498. Quid quando morantur fratres extra Monasteria, & non possunt aliis confiteri sua peccata sine aliqua infamia. *Minim*. p.348.n.79. A suis Superioribus solùm approbantur. *Minor*. p. 72. n.81. Quid pro confessione venialium, p.73.n.85.

Confessores Regulares approbantur ab Ordinariis. *Eremit*. p.111.n.4. An Ordinarij solùm habeant in hoc nudum ministerium nullam illis tribuentes iurisdictionem propter *Clemen. Dudum*. *Ibid*. Quæ est forma præscripta in dicta *Clem*. *Ibid*. Eorum approbatio pro vno Episcopatu an sufficiat pro aliis. ibid.n.5. An sit perpetua, vel restringibilis. *Ibid*. An prohibere possint, ne audiant Confessiones in domibus ægrotantium. *Ibid*. Non possunt cogere Superiores Regulares, vt quando præsentant ipsis Fratres pro confessionibus attestentur sub iuramento de sufficientia præsentatorum. *Ibid*. Confessores Regulares an audiant sine approbatione Episcoporum confessiones secularium, qui sunt de ipsorum familia. p.112. n.6. An priuilegia Mendicantium alicui Conuentui, vel Monasterio concessa extendant ad Monasteria eiusdem Ordinis p.114.n.18. Iure communi pars negatiua est vera. ibid.n.19. Ex Priuilegiis autem aliquibus suadetur pars affirmatiua. ibid. n.20. Qua limitatione. *Ibid*. An audiant cõfessiones fidelium alterius Diœcesis. *Carmel*. p.220.n.198. An notoriè idonei examinari debeant. *Seruit*. p.311.n.55. An approbati sine examine possint sine causa amoueri. *Ibid*.

Confessores Monialium. *Carmel*. p.251.& seqq. n.371.& 372. Pro tempore Iubilæi. *Ibid*. Qui sint tales. p.274.n.499

Confirmatio Generalis Prædicat. fit eo ipso quod est electus. *Prædic*. p.13.n.5. Authoritate Apostolica. *Ibid*. Quorundam aliorum Generaliũ *Ibid*. Casu quo non subsistere hoc priuilegium à quo petenda esset confirmatio. ibid. num. 6. Confirmationis forma, quæ sit. *Minor*. p.57. num. 4 Quo tempore danda. *Seruit*. p. 306. n.29. & 30. Quid si nõ detur, vel nõ perueniat ad manus electi. p.306. & seq.n.31.32.& 33

Confirmatio Ordinis Carmelitarum. *Carmel.* p.187.num.15,& seqq. Quomodo intelligendum, quoad hoc Lugdunense Concilium. ibid. num. 16. Quid ex Clemente VI.p.188. n.21.& 22

Confirmatio priuilegij in forma communi,quæ. *Eremit.* p. 129.num. 100. In forma specialia, ibid. n. 101. Quos effectus habeat vtraque confirmatio. ibid.n.102.& seqq. Confirmatio *ex certa scientia*, aut *motu proprio*, quæ.ibid. n.103. & 104. & *Carmel.* p.240. n.299. Confirmatio ad instantiam quos effectus pariat. *Seruit* p.316.n.96.Confirmatio ex certa scientia plures habet.p.317.n.98

Confirmatio Regulæ Carmelitarum. *Carmel.* p. 192.n.42

Confratres Confraternitatum Religiosorum an admitti possint cum illis tempore interdicti. *Minor.* p.77.n. 108. Eorum confessiones an audiantur à nostris. *Carmel.* p.220. num. 199. Antiquitas eorum.Ibid.

Consecrationes altarium, seu Ecclesiarum à quo Episcopo habeant Religiosi. *Eremit.*p. 119.n. 48.& p.120.n.56.Gratis faciendæ.*Car.* p.261. n.426. Alioquin, quid faciunt Religiosi. Ibid.

Consensus alterius quando requisitus, an sine illo aliquid fieri possit. *Carmel.* p.196. n.61

Conseruatores vide verbo *Protectores.*

Consilium quid importet. *Minor.* p.87.n.160. Consilia, quæ ponuntur in Regula an obligent ad culpam. *Carmel.* p.192.n. 35. Consilium particularium Religiosorum à Prælatis inquirendum. *Carmel.* p.196. n. 61. Quando teneatur quis sequi consilium alterius. Ibid.

Constitutiones Sanctorum Patrum, quæ dicantur. *Carmel.* p.201.n.92.Constitutiones *Carmel.*p.268.n.462

Constitutio *Super Cathedram* extensa ad Carmelitas. *Carmel.* p.218. num.187. Inserta in iure communi. p.218. n.188. An vacet his temporibus. Ibid.

Constitutiones à Papa confirmatæ an mutentur à Religione.*Seruit.*p.304.n.15

Contemptus in transgressione præceptorum Religionis quantum peccatum. *Carmel.* p. 192. n.37.In quo consistat. p.214.n.167

Contractus contra bona Ecclesiarum illegitimè initi, rescindi possunt. *Carmel.* p.263.n.437

Conueniri an possint Mendicantes per litteras Apostolicas. *Prædic.*p.20.n.41

Conuentus Forenses qui dicantur. *Eremit.*p.118. num.43

Conuentus quomodo non mutandi sine licentia. *Carmel.*p.198.n.70

Conuentus Reformati quibus fruantur Priuilegiis.*Carmel.*p.226.num.235. Non visitantur à Prouincialibus, nisi per se ipsos, & cum sociis, qui sint ex eisdem *Conuentibus.* p.227. n. 238. Non potest imponi ipsis maior taxa quam aliis. ibid.n.239. An si ad illos veniant Religiosi aliorum Conuentuum non Reformatorum astricti aliquibus pœnis, eis remittantur.p.228.n.241. An statuta facta pro Conuentibus reformatis alterari possint à Religione. ibid. n.243. Conuentus habentes n.12. Fratres eligunt suos Superiores in Ordine Seruitarum. *Seruit.* p. 307. num. 35. Quid de aliis Conuentibus.ibid.n.36

Cruciata quid sit *Carmel.*p.270.n.476.An ad illā assumpti Fratres subiaceant ipsorū Prælati.ib.

Cruciatæ Commissarij quam authoritatem habeant in Religiosos.*Prædic.*p.22 n.52

Cubicularij Principum an possint esse Religiosi. *Carmel.*p.269.n.473

Culparum correctio in Capitulo facienda. *Carmel.*p.205.n.115. & 116

Custodes in Ordine Minorum, qui sint. *Minor.*p.60.n.10

D

Debet, aut *debeat* an inducat necessitatem seu præceptum. *Seruit.* p.308.n.42

Debilitas corporis excusans à præcepto Regulæ de abstinentia à carnibus qualis debeat esse. *Carmel.*p.210.n.140

Debita incerta Nouitiorum quibus applicanda. *Minor.* p.71.num.73.Quæ talia censeantur. *Ibid.* An inuenta, seu reperta, quorum dominus ignoratur. ibid. n. 74. Quid de debitis alicui personæ absenti, vel quæ ignoratur,vbi habitat. ibid. n. 75. Quando applicentur aliquibus personis,vel Religionibus Sanctissimæ Trinitatis, & Sanctæ Mariæ de Mercedæ.ibid. num.76

Decimarum exemptio pro Regularibus. *Prædic.* p.26.n.75.De noualibus iure communi exempti. ibid.num.77. Non de terris alienis postea acquisiti, iuxta *cap. Nuper de Decimis.* ibid. n.78.An propter aliqua priuilegia.*Ibid.*Etiam de fructibus suorum bonorum. p.37.n.142.& seqq. An potiantur Religiosi similibus priuilegiis casu, quo habuerint redditus, seu prouentus. *Minor.*p.70.n.70. Petdanturne similia priuilegia si Religiosi irreligiosè, & laxè viuant.p.71.n.71.A decimarum solutione exempti Fratres Minimi. *Minim.*p.346. num.64.& p.353.10.& 106. Eremitæ S.Augustini. *Erem.* p.115.n.29. Quomodo accipiendum hoc priuilegium. *Ibid.* Ampliatur.p.130.n.106.Quid pro Carmelitis. *Carmel.* p. 221. n.206. Transeat-ne hoc priuilegium ad colonos. *Minim.* p 353.n. 107. Decimandi ius an pertineat ad Capellanum Ecclesiæ Parochialis Regularium. *Seruit.* p.321.n.130

Declarationes S. Congregationis circa Confessarios.*Seruit.*p.311.n.55

Decretum electionis mittendum confirmatori quid sit.*Eremit.*p.138.n.143.Qualiter necessarium. *Ibid.* Decretum de non celebrando in domibus sæcularium, aut particularibus Oratoriis sine licentia, &c. *Carmel.* p.237. n.276. Quomodo intelligendum. n. 277. Decretum de studio linguarum in Religionibus.*Minim.* p.338. & n.19. & 20. Decreta D.Episcopi Pisaurensis circa Confessarios suæ Diœcesis.*Seruit.* p.310. num. 52. & 53. Quomodo moderata à S.Congregat. Episcopor.& Regul.ibid. num.52.54

Defectus,qui supplentur per clausulam supplentes defectus. *Carmel.*p.241.n.301

Derogatio Priuilegiorum requirentium ad id specialem mentionem quomodo fiat. *Minor.* p.63. num.43. Quid in Constitutionibus spectantibus ad officium S. Inquisitionis. p. 66. num.44

Detinentes fratres decedentes ex Religionibus sine licentia subiacent excommunicationi. *Prædicat.* p. 23.num. 57. Quomodo ea excommunicatio intelligenda. ibid. num.60

Dictio *continuo*, seu *continuè*, quid importet. *Prædic.* p.17.n.28. Dictio *Subiaceat*, an importet. censuram ipso facto. p. 23. n.60. Dictio *Sine* quid importet. *Minor.* p.87. n.155. & *Prædicat.* p.38.n.152. Dictio *quandoque* quid significet. p. 39. n. 154. Dictio Attentatum *quid. Minor.* p.76.n.98. Dictio. *Quomodolibet* idem ac *quocumque modo. Minor.* p.79.n.119. Dictio *prorsus* quid excludat. p.87. num. 154. Dictio *Perinde* denotat omnimodam similitudinem. ibid. n. 156. Dictio *Insolidum* quid significet. p.88. n.161. Dictio *Contradictores* notat contradictorem de facto. ibid. n.164. Dictio *liberè*, quam vim habeat. *Bull. aur.* p.97.n.16. Dictio *Si* est conditionalis. *Eremit.* p. 120. n.56. Dictio *Rationabiliter* quid denotat. p.127. n.88. Dictio *A.* & *Ab.* quomodo sumenda. *Carmel.* p. 207. n. 127. Dictio *Et* aliquando sumitur disiunctiuè. p.237. n.278. Dictio *Indulgemus*, quid importet. *Minimor.* p. 337. n. 7. Dictio. *Quicunque*, quam sit vniuersalis. *Seruit.* p.322. n.137

Dies termini an claudatur in termino. *Carmelit.* p.190. n.27

Diffinitores quando eligant Priores. *Carmel.* p. 193. n.46. Quos Priores. Ibid. Quomodo deponere possint Generalem. p.230. n.250. Propter quæ delicta. ibid. n. 250. & 251. Eorum officium quale. *Seruit* p.306.n.26. & 27

Dimissoriæ pro Sacris Ordinibus conceduntur à Prælatis Regularium. *Prædic.* p.15. n.18. Ad quos Episcopos, & cum quibus conditionibus. ibid. Sub quibus pœnis. ibid. Quando non incurrentur. p.16.n.19. Priuilegium Carmelitarum quoad hoc an reuocatum *Carmel.* p.225. n.224

Discalceati Carmelitæ sunt verè Mendicantes, & Ordinis Carmelitarum. *Carmel.* p.225.n.227. Priuilegia, quæ habent ad fundandum Monasteria. ibid.

Discedentes à Conuentibus sine licentia, & eos retinentes qualiter puniantur. *Carmel.* p. 260. n. 415. & 416. Retineri non possunt ab aliis. p.270. n.477. & 478. & *Minim.* p.343.n.47. & 48. An gaudeant priuilegiis Religionum. ibid. n. 48

Discretione semper vtendum. *Carmel.* p. 214. n. 169

Dispensantur in ieiunio Regulæ ab Exaltatione S Crucis vsque ad Pascha Resurrectionis Carmelitæ obseruantes. *Carmel.* p.208.n.131. Non qui profitentur Regulam Innocentij IV. ibid. Quomodo dispensentur Fratres Seruitæ in ieiuniis, abstinentiis ac esu Carnium, &c. *Seruit.* p.331. n.200. An hæc facultas sit delegabilis, ibid. n.204

Doctoratus an licitè recipiantur à Religiosis. *Carmel.* p 220. n.195. Verba egregia S. Bonauenturæ de Religioso Magistro *Damno pomposum, sed commendo studiosum.* Ibid.

Domini temporales monentur assistere Prælatis ad reformationem Religionis. *Carmel.* p.226. num 231. & 232. Etiam à Concilio Tridentino. Ibid.

Dominicis diebus an habendum Capitulum culparum. *Carmel.* p.206. num.118. An ieiunandum. p.207. num. 125. In Dominica Resurrectionis Domini nequaquam. ibid. numero 128

Dominium bonorum quomodo competat Monasteriis. *Carmel.* p.222.n.208. An singulis Religiosis pro indiuiso. ibid.

Domus Fratrum Eremitarum S. Augustini sunt sub protectione B. Petri, & Sedis Apostolicæ. *Eremit.* p.115.num.24. Nullum illis damnum inferendum. p.127. n. 90. Circa domos Carmelitarum non fundandæ, aut recipiendæ aliæ. *Carmel.* p.262.num.430. Domus fratrum Seruitarum, qua exemptione fruantur. *Seruit.* p.311.n.46. Ea qua Eremitæ S. Augustini. ibid. n.57. Recipiuntur cum dote p.312. n.65. & p. 315. n.80

Donare suis Superioribus non possunt Religiosi. *Seruit.* p.308.n.44

Dos an requiratur pro fundatione Ecclesiarum. *Seruit.* p. 312. & seq.n.65. & 66

Discoli quomodo reprimendi. *Carmel.* p.230. n. 252. & seqq. An possint cogi ad transeundum ad aliam Religionem casu quo damnari possent ad triremes, carceres, &c. *Minim.* p.345. num. 58.

E.

Ecclesiasticæ personæ quæ dicantur. *Carmel.* p.263.n.433

Ecclesia non fundanda in loco qui præiudicet alij prius fundatæ. ibid.n.434

Ecclesiis violentiam facientes Papalem excommunicationem incurrunt. *Carmel.* p.263. numero 440. Quid ex priuilegiis Fratrum S. Mariæ de Mercede. ibidem numero 441. Quid ex priuilegio Sixti IV. p. 264. num. 446. & 447

Ecclesiæ Metropolitanæ nomine quæ veniat. *Prædic.* p.42. n.175. Ecclesiæ Cathedralis nomine quæ etiam veniat. Ibid. Ecclesiæ Parochiales Regularium, seu Regularibus annexæ quibus priuilegiis fruantur. *Carmel.* p 255. n. 393.394. & seqq. De Ecclesiis solum dedicatis an fieri possit quotannis officium diuinum. p.277. n.518

Ecclesiæ Regularium quomodo, & in quibus exemptæ ab Ordinariis. *Minim.* p.349. n.84. quæ nequeunt facere in illis. Ibid.

Eiecti à Religionibus non prædicant, neque docent, nec audiunt Confessiones. *Carmel.* p.271. n.484. & seqq. *Minim.* p. 344. num. 56. & seq. *Prædic.* p. 25. num.70. Sunt suspensi ab exercitio Ordinum. Ibid. Licentiari possunt, vt eant ad alias Religiones, licet non id ipsis præcipiendo. ibid. nu. 71. An ad laxiores Religiones. p.26. num.72. Processus pro illorum eiectione an comburendi. ibid. num.73. Meritò prohibentur prædicare, docere, &c. eo quod sunt infames infamia facti. *Minor.* p.69. num. 63. An transire possint ad quoscunque Ordines etiam Monachales. *Minim.* p. 344. & seq. num.56. & 60. *Carmel.* p. 223. n. 216. Quomodo id faciendum. Ibid. Possunt cogere Religionem vt illos admittat quando sunt emendati. p.291. n.485. Quomodo sint infames. Ib. Ad quos Ordines, vel Religiones licentiari possint. p.272.n.487. & 488. An ipsi id possint facere propria authoritate. ib.n.489. Ita vt valeat talis transitus. ib.n.490. Litteræ testimoniales circa hoc videri possunt ab Ordinariis. ib.n.491. Quid si emendati redeant ad Relig. & ea nolit eos recipere. *Minim.* p.345.n.58. An cogi possunt ad transeundum ad aliã Relig. ib.

Electiones Regularium quorundam possunt fieri sine obseruantia plurium regularum iuris. *Minim.*p.337.n.12. & *Prædic.*p.15.n.17. Quæ sint istæ regulæ iuris.ibid. An confirmari possint, etiam si habeant aliquem defectum.ibid. n.15.& 16. Regulæ iuris à quibus eximuntur non intelliguntur nisi solum solemnitates accidentales. *Minor.* p.60.n.8. In quorum Superiorum electionibus id intelligendum. ibid. n. 9. Electiones Monasteriorum ad ipsos Fratres spectant iure communi. *Minor.*ibid.n. 11. Electiones Generalium ad quos spectant. *Eremit.* p. 123. n.79. An fieri debeant secundum Regulam, vel iuxta *Cap. Quia propter de elect.* Electionis decretum præsentandum confirmatori quid sit. p.138.n.143. An sit de substantia electionis. ibid. Plenam fidem facit. ibid. An post electionem debeat electus accipere possessionem solemniter. ibid. num.145. Forma electionis ex Regula. *Carmel.* p. 193. n. 46. Electio an sit necessaria pro Prouincialibus, aut Prioribus, an verò sine electione institui possint. p.256. n. 398. *Minim.* p.338. n.13. & 14. An in electionibus possint nominari aliqui, vt eligantur. *Seruit.* p.306. n. 28. Electus legitimè, sed non confirmatus sine causa legitima appellare potest. p.307. n. 34. An interim exercere possit suum officium. ibid. Electiones Prouincialium, & Priorum vbi faciendæ. p.322.n.133. & 134. An solemniùs fiant in Capitulis, ibid.n.135

Eleemosyna an peti possit ab excommunicato. *Prædic.* p.18.n.31. Non possunt impediri Religiosi Mendicantes ab ea postulanda. *Bull. aur.* p. 96. n. 8. Prohibentes dare ipsis eleemosynam quomodo puniantur vt hæretici. *Eremit.* p. 139. n. 150. Eleemosynæ datæ pro habitu nostro an impediant Indulgentias. *Carmel.*p. 255. n. 392. Non impedienda dari fratribus nostris, etiam sub excommunicationis pœna. p.257.n.404.405 & 406. Eam inhibentes excommunicationem incurrunt, & ab Inquisitoribus puniuntur. *Seruit.*p.322.n.138. & 139. Ex eis nulla portio solui debet. p.330. n.192. & seqq.

Episcopalis authoritas diuiditur in legem diœcesanam, & legem iurisdictionis. *Prædic.*p.38. n. 148. A prima eximuntur Religiosi etiam iure communi; à secunda verò ex priuilegiis. Ibid.

Episcopalia iura, quæ sint. *Prædic.*p. 38.n.147.

Episcopi ex Regularibus non assumuntur nisi consentientibus Prælatis. *Carmel.*p.270.num. 480

Episcopi quomodo possunt vbique celebrare cum altari portatili. *Minor.*p.77.n. 107. An hoc priuilegium reuocetur per Concilium Tridentinum. ibid. An possint id concedere Regularibus. ibid. Quomodo reuerendi, & honorandi à Religiosis etiam exemptis. *Carmel.* p. 261. n. 425. A quo puniendi Religiosi non reuerentes ipsos. Ibid. Incarcerari an possint ab Episcopis Religiosi delinquentes notoriè extra Claustra. p.275. n.510. Episcoporum priuilegium quòd non comprehendantur in quibusdam censuris. *Minimi.* p. 343. n. 48. Quomodo non possint censuras ferre in Religiosos priuilegiatos. *Prædic.* p. 38. n. 149. Etiamsi possint contra quoscunque alios id facere. ibid.n.150. Non audiunt Confessiones Regularium. *Minor.* p.74.n.88. Quid pro casu, quo Superiores Regulares iniustè negarent illis absolutionem. ibid. Aut consenserint in hoc. ibid. n.89. Censuræ latæ ab Episcopis contra Religiosos priuilegiatos sunt iure communi nullæ ex *cap.1.de priuileg. in 6.* vbi id habetur. *Minor.* p.76. n. 99. Non visitant Domini Episcopi altaria Regularium, quibus cura animarum non incumbit. p. 84. n. 139. Nec loca vbi seruatur sanctissima Eucharistia, vel audiuntur confessiones. ibid. Nec impediunt vsum priuilegiorum Mendicantium. p.87. n.158. Qualiter peccent aliter facientes. ibid.n.159. An possint Ordines celebrare in domibus Regularium. *Eremit.* p. 118. n. 44. Possunt in illis prædicare. p. 119. n.45. Non verò iurisdictionem contentiosam exercere. ibid. n. 46. Aut se intromittere in electionibus Prælatorum. ibid. n.47. Qui dicantur habere gratiam, & communionem S. R. E. *Eremit.* p. 121. n. 57. Ad quæ nequeunt cogere Regulares. *Carmel.* p. 260. n. 418. *& seqq.* Possunt conuocare processiones ad illorum Ecclesias. p. 261. n. 423. Nihil accipere possunt pro Consecrationibus Ecclesiarum, &c. *Seruit.* p.331.n.197

Essenorum institutum viros, & fœminas habebat. *Carmel.*p.232.n.262

Examinantur Regulares ab Episcopo ad Ordines recipiendos. *Prædic.* p.16. n.20. Non obstantibus priuilegiis. Ibid. Quid quando sunt notoriè litterati; aut eorum Prælati specialiter restantur de eorum sufficientia ibid. Quomodo, practicandum hoc priuilegium. Ibid. An Religiosus Doctor debeat examinari. *Minor.* p.62. n. 19. Semel reprobatus, & reiectus admitti potest ad examen. Ibid. Examinandi ad Confessiones audiendas an notoriè sufficientes. *Seruit.*p.311.n.55

Excommunicatio propter iniectionem manuum in Clericum an tollatur à Prælatis Regularib. *Carmel.*p.239 291.& seqq.

Excommunicati sunt Papali excommunicatione, qui impediunt reformationem Conuentuum. *Carmel.* p.226.n.233. Quomodo intelligenda hæc excommunicatio. ibid. Confirmata etiam postea. ibid. n. 235. Est perpetua, & extenditur ad hæc vsque tempora. p. 227. n. 237. Excommunicantur etiam qui seruientes beneficiis Ordinis officia prætendunt. p. 231. n. 258. An qui ea ipsis concedunt. Ibid. Excommunicantur etiam impedientes dari eleemosynam fratribus, p.157. n. 404. & sequentibus.

Exempti habentur pro extraneis, *Carmel.* p.237. num.280. An possint renunciare exemptioni. Ibid.

Exempta loca sunt quasi extrà diœcesim. *Carmel.* n. 280

Exemptio quid, & quotuplex sit. *Carmel.* p.250. n.361. Quomodo eam tueri possint Religiosi. p. 233. n. 263. Qualis competat Seruitarum Ordini. *Seruit.* p. 308. n. 45. A portione soluenda de legatis, p.317.n. 102.& p.318.n.105. An debeat allegari. p. 318. n. 107. A iurisdictione Inquisitorum an subsistat hoc tempore, p. 319. n. 113. A collectis, seu subsidiis, p. 322. n. 140. & 141. Regularium in ciuilibus, & criminalibus. *Prædic.* p.30.n.93. A canonica portione. Ibid.n.94.& seqq. A constitutione

Cap. Volentes. p. 31. n. 105. Quomodo id intelligendum. p. 32. n. 106. & 107. Exemptio Regularium antiqua valdè in Ecclesia Dei. p. 36. n. 136. A quibus Summis Pontificibus concessa. Ibid. Exemptio à subsidiis, exactionibus collectis, &c. *Minor.* p.75. n.93. Exemptio triplex, personalis, localis, & vniuersalis. p.82. num. 125. Conueniunt istæ omnes exemptiones Mendicantibus. Ibid. Exemptio Eremitarum S. Augustini amplissima ex Vrbano VI. Eremit. p. 112. n.12. Et Alexandro IV. p.113. num. 13. Ab exactionibus, oneribus, &c. p. 122. n.64. A sæcularium exactionibus iure communi. p.127. num. 89. Quibus verbis, aut clausulis denotetur exemptio. p. 128. n.95. & 96. Exemptio loci, & personæ in quo differant. p.134. n. 120. Ea non potest vti priuilegiatus extra proprium locum, bene tamen ista. Ibid. Exemptio à solutione collectarum. *Carmel.* p. 241. n. 304. A Decimis de Noualibus. Ibid. n.306. Amplissima exemptio Carmelitarum. p. 250. n. 360. & seqq. Comparere an teneantur ad illam comprobandam. p.251. n.364. & seqq. & p.274. 501. Ampliatio huius exemptionis. p.257. n.407. & seqq. Quoad decimas. p.258. n.410. Quid pro casu quo Ordinarij essent in possessione iudicandi de Religiosis. p.261. n.420. Ab aliis negotiis, seu causis. p.269. n.467. & seqq. Quid si Ordinarij dicant se habere priuilegium ad procedendum. p.274. n.501. Exempti à Regulari obedientia Superioribus debita non suffragatur Religiosis à quocumque concedatur. *Seruit.* p.324. n.155

Extrauagans *Super Cathedram* in fauore Prædicatorum, & Minorum concessa extenditur ad Eremitas S. Augustini. *Eremit.* p.112. n.10. Et ad Seruitas. *Seruit.* p.309. n.50. Quid contineat hæc Extrauagans. n.51

F

FActum non dicitur quod non durat factum. *Seruit.* p.313. n. 74. Factum quid denotet. p.317. n.103

Facultas procedendi contra impedientes vsum Priuilegiorum Mendicantium. *Prædic.* p. 42. n. 174. Facultas ad redimendum hortos, & syluas ad fratres Eremitas S. Augustini spectantes. *Eremit.* p. 122. n. 66. Facultas absoluendi Fratres prodest etiam ignorantibus illam. *Carmel.* p. 244. n. 329. Facultas administrandi Eucharistiam, & Extremam vnctionem non includitur in facultate ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ. p.253. n.380. Facultas commorandi in excommunicatorum terris. *Minim.* p.340 n.26. & 27

Famuli, seu familiares Mendicantium recipiunt ab illis Sacramenta, & sepulturam. *Prædic.* p. 17. n. 25. Non comprehenduntur sententia generali. ibid. n.27. Audiunt diuina tempore interdicti. Ibid. Familiarium nomine, qui veniant. *Minor.* p. 62. n. 24. An absoluantur à casibus reseruatis à Confessoribus Religiosorum. ibid. n.25. An ligentur casibus reseruatis à Prælatis. p. 63. n. 26. Exempti ne sint à censuris generaliter promulgatis ab Ordinariis. ibid. n. 27. An hoc tempore possint illis administrari Sacramenta, & tribui sepultura. *Carmel.* p.220. n.197. Qui dicantur immorari nostris obsequiis. p. 243. n. 318. & p.245. n. 332. An subiaceant communibus censuris. p. 243. n.321.322

Fauor quid importet. *Minor.* p.87. n.160

Festiuitates an annunciandæ à Regularibus in suis Ecclesiis. *Carmel.* p.269. n.468

Festum Natalis Domini an sit exclusum à ieiunio Regulæ. *Carmel.* p. 207. num. 126. An à præcepto abstinentiæ à carnibus. p.210. num. 144

Feudalia loca non recipienda. *Carmel.* p. 217. n. 183. Quare ibid. num.184. An ex concessione Sixti IV. ibid.

Finis Regulæ Carmelitarum est viuere in obsequio Iesu Christi. *Carmel.* p.192. n.40. Et totius vitæ Religiosæ. ibid.

Forma canonica seruanda in absolutione à censuris, quæ sit. *Prædic.* p.20. n. 40. An ad eam teneantur Mendicantes. Ibid. Forma eligendi Prælatos. *Carmel.* p.193. & seq. num.46. & 47. Quid ex consuetudine, & Constitutionibus Ordinis. Ibid. Forma professionis faciendæ. p.195. n.50

Fructus vberes Ordinum Mendicantium. *In ipsorum Mari magno.*

Fugitiui Regulares an sint excommunicati. *Prædicat.* p.23. n.58. An eos detinentes. ibid.

Functiones Parochorum, quas Regulares possunt facere in suis Ecclesiis. *Eremit.* p.136. n.135. & seqq. Maximè n.141

Fundatio Monasteriorum. *Carmel.* p.185. n.8.

G

GAbellarum exemptio. *Eremit.* p.130. n.106. Etiam pro vendentibus, & contrahentibus cum Religiosis. ibid. n.108

Geminatio verborum maiorem deliberationem, & enixam voluntatem indicat. *Carmel.* p.232. num.259

Generalis Prædicatorum eo ipso quod est electus censetur confirmatus. *Prædic.* p.13. n.5. Quæ aliæ Religiones habeant idem priuilegium. Ibid. Absolui, & amoueri possunt à Diffinitoribus Capituli Generalis. ibid. num.8. Propter quos defectus. Ibid. Quæ aliæ Religiones fruantur eodem priuilegio. Ibid. Generales Minorum legitimè electi sunt confirmati, & exercent suum officium. *Minim.* p.336. num.3. *Minor.* p.57. n.3. Absoluuntur, & amouentur à Prouincialibus, & Custodibus. Ibid. Ob quos defectus. ibid. n.5. & 6. Generalis Eremitarum S. Augustini designat Confessores, & Concionatores. *Eremit.* p.111. n.4. An subsistat hoc priuilegium his temporibus. Ibid. An saltem pro casu raro, quo Episcopi ex odio, vel mala voluntate, aut sine iusta causa noluerint eam facultatem concedere. Ibid. Saltem grauiter peccarent sic facientes. Ibid. Et credendum iustè fecisse, nisi clarè constet contrarium. Ibid. An audiant confessiones Monialium sine approbatione Episcoporum. *Carmel.* p.251. n.371. Eorum electio non indiget confirmatione. *Seruit.* num.24. *Carmel.* p. 255. n. 397. & 398. Generalibus defunctis qui substituendi in eorum officiis. p.263. nu. 438 An expediat esse perpetuos. *Seruit.* p.305. n.22. Ætas, & professio pro illis requisita. ibid. n. 25. An opponi possit contra Generalis electionem. p.321. n.132

Generales ſine Capitulis Generalibus non poſſunt de nouo erigere, fundare, vnire, aut ſeparare Prouincias. *Prædic.* p.13. n.10. An cum Capitulis id facere poſſint. ibid. Quando fieri debeat ſeparatio. p. 14. n. 11. An poſſint, & quando ſine electione inſtituere Priores. *Carmel.* p.193. n.46. Generalium licentia requiritur ad tranſeundum ad Religionem paris, vel minoris arctitudinis. p.223. n.216. Cum primùm ſunt electi cenſentur confirmati. p.230. n.248. Quomodo deponi poſſint. ibid. n.249. Quibus de cauſis. ibid. n.250. Habent omnimodam authoritatem in ſubditos. *Seruit.* p. 303. n.8. Delegant illam. ibid. n. 9. Generales an ſint exempti à Iuriſdictione Inquiſitorum. *Seruit.* p. 319. n. 113. Facultas, quam habent ad diſpenſandum cum ſubditis in ieiuniis, obſeruantiis, &c. an ſit delegabilis, p.331. num. 204

Generale Capitulum qua facultate celebretur inter Mendicantes. *Seruit.* p. 304. n.11. Quo tempore celebrandum. ibid. n. 17. Qui veniunt ad illud. num. 18. Eſt ſupra Generalem. num.23

Generi per ſpeciem an derogetur. *Carmel.* p.224. num.222

Graduati in Capitulis Generalibus, qui ſint. *Seruit.* p.326. n.164. An poſſint legere in Vniuerſitatibus ſicut veri Doctores. ibid. n.165. Graduati in Religionibus inſufficientes, aut ignari repelluntur, etiam ſi Indultum à Papa obtinuerint ſine Generalis licentia. ibid. num. 166. & 167

Gradus Magiſterij, & Doctoratus licitè tenentur in Religionibus. *Carmel.* p.220. num. 195. An etiam Doctoratus in Iure Ciuili, & Medicina. Ibidem Pulchra verba S. Bonauenturæ *Damno pompoſum, ſed commendo ſtudioſum*, id eſt, Magiſtrum in Religionibus. Ibid. Gradus conferendi priuilegia. *Seruit.* p.312. num. 62. & ſeqq. An gradus collati, ſeu recepti contra Ordinum ſtatuta ſint valdi. ibid. numero 64

Grangiæ fratrum liberæ eſſe debent à rapina, furto, ignis appoſitione, &c. *Carmel.* p. 264. num.449

Guardiani in Ordine Minorum, qui ſint. *Minor.* p.60. n. 10

H

Habitus vnius Religionis non portandus ab aliis. *Carmel.* p.272. n.492. & 493. *Minim.* n.61. *Prædic.* p. 26. n.74. A quo eſt concedendus ſepeliri volentibus cum illo. *Bull. Aur.* p.96. n.11. & *Prædic.* p.23. n. 59. Impertinenter ſe habet ad Apoſtaſiam. *Minim.* p. 345. n. 59. An poſſit ſuſcipi alterius Religionis ab eo, qui ad illam tranſit antequam admittatur. ibid. n. 60. Habitus eſt ſignum Religionis, & profeſſionis. p. 347. n. 68. Illum concedere ſpectat ad Sedem Apoſtolicam. ibid. n.69. An illi, qui deuotionis, aut humilitatis cauſa habitum nouum portant, incidant excommunicationem. *Cap. Vnic. de Relig. domib.* in 6. ibid. n. 69. Sepeliri volentes cum habitu Religioſorum non poſſunt impediri. *Carmel.* p.209 n.136. An poſſint alibi eligere ſepulturam. Ibid. Quid de ſecularibus commorantibus in Monaſteriis. Ibid. Sepeliri volentes cum habitu noſtro, vbi debeant ſepeliri. *Carmel.* p. 254. n. 389 & ſeqq. Habitus perſonarum Tertiariarum Ordinis Carmelitarum p. 265. n. 452. Habitus Carmelitarum qualis ſit. p.272. n.494. Quomodo ſaluetur diſtinctio habitus Carmelitarum de Obſeruantia, & Diſcalceatorum. ibid. n. 493. Viuentes extra clauſtra an debeant geſtare diuerſum habitum à viuentibus intra illa. *Minim.* p. 346. n. 63. Cum habitu Seruitiarum ſepeliri volentes vbi ſepeliendi. *Seruit.* p.321. n.125. & 126. Habitus Religioſorum neque vanus, neque vilis debet eſſe. Ibid. Habitus regularis ſeptem priuilegia. *Ord. Trin.* p.364. n.56. Illum dimittentes ſunt excommunicati. ibid. n.57. Illum libidinoſe tractantes grauiter peccent. ibid. n. 58. Sæculares poſſunt cum illo ſepeliri. ibid. n.59. Cum eo decedentes indulgentias viuis conſequuntur. ibid. n. 60. Item illum oſculantes. ibid. n. 61. de portantibus habitum Ordinis SS. Trinitatis, *S. M. de Mer.* p.381. n.133. De benedictione habitus parui. ibid. n.134. & 135

Hæreditaria ſucceſſio Competit Carmelitis, & aliis Religionibus. *Carmel.* p.258. n.411. Siue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato. Ibid. Quomodo id accipiendum. Ibid. Quid de Seruitis. *Seruit.* p.331. n.203

Hæreſis cauſa non pertinet ad Prælatos Regulares. *Carmel.* p.230 n.250. Nec hæreſis ſuſpicionis. Ibid. Deferenda ad S. Officium Inquiſitionis. Ibid. Qui deferunt non poſſunt inquietari, ſeu moleſtari. Ibid.

Hæreticorum communicatio qualis liceat Religioſis. *Prædic.* p. 18. num. 32. Qui ſint vitandi. Ibid. An nominatim denunciati. p. 19. num.33. An liceat Religioſis ire ad terras hæreticorum ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. p. 19. n.34. An prædicare illis. *Carmel.* p. 244. num.325

Hieroſolymam adire ſine licentia Sedis Apoſtolicæ non licet. *Prædic.* p.19 n.34

Honorare Prælatos qualiter debeant ſubditi. *Carmel.* p.213. n.164 Ex Regulis Fundatorum. p. 214. n. 165. In quibus exhibendus hic honor. Ibid. An & quomodo ſit hoc ſub præcepto. ibid. n.166

Horæ Canonicæ quomodo in Regula præcipiantur. *Carmel.* p. 201. num. 88. An in aliis Regulis Religionum. ibid. num. 89. Quid per horas Canonicas intelligatur. ibid. num. 90. Qui ad illas teneantur. ibid. num.94 An profeſſi, qui non ſunt in Sacris Conſtituti. ibid. num. 95

Hortorum, & Syluarum redemptio de manibus eorum quibus à Religioſis vendita fuerunt. *Eremit.* p.122. n.67. & p.123. n.78

Hoſpitalariorum Religioſorum nomine, qui veniant. *Minor.* p.69. n.66

Hoſpites Religioſi cui debeant confiteri ſua peccata. *Minor.* p.73. n.84

Hoſpites ſæculares commorantes in domibus Religioſis an recipere poſſint Sacramenta à Religioſis. *Carmel.* p.188. n.20

Humilitas Prælatis commendatur. *Carmel.* p. 213. num.162. Item in aliis Regulis. Ibid. numero 163

Hypotheca generalis bonorum Eccleſiaſticorum permiſſa; etſi non ſpecialis. *Minim.* p. 350. num. 90. An ratione illius deueniri poſſit ad

executionem

executionem bonorum immobilium. p. 351. n.91.& 92

I

Ieiunia an annuncianda à Regularibus in suis Ecclesiis. *Carmel.* p.271.n.486

Ieiunium Regulæ quale, & quantum. *Carmel.* p.207. n.123. & seqq. Commendatur in aliis Regulis Religiosorum. Ibid, n. 124. Quare non pro tempore Paschali. ibid. Quare non pro Dominicis. ibid.n.125. An in Dominicis ieiunare sit peccatum.Ibid.Quid de festo Natalis Domini. ibid. n. 126. Quid de ipso die Exaltationis S. Crucis. ibid.n.127.In die Dominicæ Resurrectionis non ieiunatur. ibid. n. 128. Obligatio ad ieiunium Regulæ solum est sub veniali, secluso scandalo, contemptu, &c. p. 208. n. 129. Obligantur ad ieiunium Regulæ Religiosi etiam ante vigesimum primum annum.ib.Facilius cum illis dispensatur. Ibid.in ieiunio Regulæ obseruandæ sunt conditiones ieiunij Ecclesiastici.Ib.An in illis debeat esse abstinentia à lacticiniis. ibid. Obligat ieiunium Regulæ etiam extra Monasteria existentes. Ibid. Causæ excusantes à tali ieiunio. ibid. n. 130. Ieiunium vnius anni in Regula Carmelitarum an sit pro potiendo priuilegio mitigationis, an pro indulgentia in articulo mortis. p. 216. n. 178. Ieiunium an obliget diebus, quibus carnes eduntur.p.217. n. 180. Ieiunia, quæ obseruant Carmelitani. ibid.n.182

Illegitimi à quibus dispensentur. *Carmel.* p.252. n.374.& p.253.n.376

Immunitas Ecclesiarum pro reis ad eas confugientibus an illis suffragetur qui violenter extrahuntur è manibus satellitum. *Eremit.* p. 126. num. 86. Qualis reperiatur in Ecclesiis Seruitarum. *Seruit.* p.328. num. 181. An hac immunitate fruantur Religiosi delinquentes. Ibid.

Incarcerari Religiosi delinquentes iure possunt. *Carmel.* p. 231. n. 256. Quomodo carcer habendus in conuentibus.ibid.

Incisio arborum, quæ prohibita Regularibus. *Eremit.*p.121. n.59. Quæ permissæ.ibid.n.60. & seqq.

Incorrigibilitas quid sit. *Carmel.* p. 230. n. 251. Propter eam deponi possunt Generales. ibid. Quomodo puniendi incorrigibiles. p.271. n. 486

Induciæ quid importent in Priuilegiis Religionum. *Minor.*p.65.n.39

Indulgere quid importet in Bullis. *Minim.* p. 337. n.7

Indulgentiæ concessæ visitantibus Ecclesias Prædicatorum, & Minorum manent in sua vi. *Bull. aur.* p.95.n.4. An illæ, quæ concessæ sunt exhibentibus manus adiutrices. ibid. Indulgentiæ quomodo deseruiant pro relaxatione iniunctarum pœnitentiarum. *Eremit.* p.131. n. 110. Indulgentiæ pro articulo mortis Religiosorum. *Carmel.* p.217. n.179. Quæ indulgentiæ concessæ Regularibus sunt reuocatæ à Paulo V. p.264. n. 444. Indulgentiæ concessæ Regularibus aliquibus an communicentur aliis. *Seruit.* p. 327. n. 178. & 179. Maximè Indulgentiæ Plenariæ. ibid. Indulgentiæ pro Missis dicendis pro animabus Purgatorij propter priuilegium concessum Minimis. ibid. n. 179. An subsistant hoc tempore. p. 328. n. 180. An communicentur per generalem communicationem Priuilegiorum Indulgentiæ Altaris Priuilegiati. ibid.num.181. Concessio Inulgentiarum suffragiorum & Priuilegiorum. *Ord. Trin.* p.367.n.92

De indulgentiis pro Visitantibus Ecclesias. ibid. n.93

Quæ sint istæ Indulgentiæ. ibid.n.94

An sint communicabiles. ibid. n.95

Infirmitas, vel debilitas corporis quomodo excuset à ieiunio Regulæ. *Carmel.* p. 208. num. 130

Ingredientes Religionem quibus priuilegiis fruantur quantum ad absolutionem. *Minim.* p.341. n.36. *Carmel.* p.246. num.338.An ante susceptionem habitus. ibid. num.339.An respectu Prælatorum immediatorum. ibid. num. 340

Innocentius VIII.Compilator Maris magni Seruitarum Meorum priuilegia confirmat. *Seruit.* p.316. n.97

Inquisitores S. Officij ex Regularibus assumpti à quibus constituendi, deponendi, puniendi, &c. *Carmel.* p.270. n.476. & *Prædic.* p.22. n. 53. & 54. Inquisitores procedunt contra dicentes quòd confessi Mendicantibus teneantur iterum confiteri Parochis. p.41.num.162. Olim eligebantur ad id munus à suis Prælatis. *Bull. aur.* p. 97. n. 13. Procedere possunt etiam contra suos Prælatos. ibid. An Inquisitores vnius Religionis procedant contra Inquisitores alterius. ibid. n. 14. Procedunt Inquisitores contra Ordinarios prohibentes dari eleemosynas Mendicantibus. *Eremit.* p.139. n.150.& 151.An etiam contra Dominos Episcopos. ibid.

Instrumenta stipulata à Notariis Regularibus, quam vim habeant. *Seruit.* p.334.n.221

Interdicti tempore celebrant Mendicantes, & recipiunt Sacramenta. *Prædic.*.p.17.n.24. Admittunt etiam Tertiarios suos. p. 33. n. 119. Conformiter ad *cap. Alma Mater* Bonifacij VIII. *Eremit.* p. 120. n. 55. Item oblatos, & Commissos. p.132. n. 113. In Monte Carmelo. *Carmel.* p. 186. n. 10. Et aliis locis. ibid. numero 11. Quomodo id faciendum. p. 242. n.314.Quid de Procuratoribus Ordinum SS. Trinitatis,& S. Mariæ de Mercedæ.ibid.num. 316.Pro Ordine Minimorum. *Minim.* p. 347. n.73

Ioannes Papa XXIII. tempore schismatis. *Seruit.* p.315.n.81

Ioannis de Poliaco errores circa confessiones facta Mendicantibus. *Prædic.* p.41. n. 163. A quibus damnati. ibid.& num.164. Fundamenta Poliaci. *Carmel.* p.219. num.191. Eneruantur. ibidem num. 192. & 103. Ipsius sententiæ etiam his temporibus damnata. ibid. numero 194

Irregularitas an etiam ab homine, Papa scilicet, imponi possit. *Carmel.* p.232.n.259. Quomodo tollatur. p.252. n. 375. A quibus Prælatis. p.253. n.377

Irregularitates in quibus dispensant Prælati aliqui Regulares cum suis subditis. *Prædic.* p.34. n.127. Non in homicidio, bigamia, & mutilatione membrorum. ibid. & p.35. n. 128.129. & 130.Quomodo id intelligendum. ibid. Quibus

bus Prælatis id competat. *Minor.* p.85.n.141. An etiam dispensent cum illegitimis. Ibid. num. 142. Non in illis irregularitatibus, quæ procedunt ex aliquo enormi corporis, vel etiam animi vitio, quod posset scandalum fieri generare. Ibid.n.143. Non cum sodomita notorio. Ibid. n. 144. Nec cum carente vsu rationis, vel similibus, aut etiam omnino illiteratis.ibid.n.145. An cum infamibus.p.86. n.146. An cum damnatis ad triremes.Ibid. An cum lunatis,vel similibus.*Minim.*p.353.num. 103.Facultas Prælatorum Ordinis Seruitarum circa dispensationem in irregularitatibus. *Seruit.*p.320.n.121.& 122

Itinerantes Religiosi an excusentur à præcepto Regulæ de abstinentia à carnibus. *Carmel.* p. 210. n.141

Iubilæi tempore quis audire possit Confessiones Monialium.*Carmel.*p.252.n.372

Iudices Conseruatores pro priuilegiis Mendicantium,qui sint. *Eremit.*n.156. *Seruit.*p.333. n.218

Iuramentum à Generali Seruitarum in principio sui officij.*Seruit.*p.308.n.39. Diuersum à professione fidei.n.40.Quomodo intelligendum. ibid.n.41.Iuramentum an præstandum à Prioribus Conuentuum Reformatorum Carmelitarum.*Carmel.*p.227.n.240

Iura Episcopalia Episcopis competentia, quæ sint.*Prædic.*p.38.n.147.Iura Parochialis Ecclesiæ quæ sint.*Carmel.*p.236.n.273.& 274.*Maximè.*p.268.n.464

Iuris apices num obseruari debeant in iudiciis Religiosorum. *Minimor.* p.354.n.110.& 111. Iuris regulæ an obseruandæ in electionibus. *Minim.*ibid.n.12.An saltem si fuerint præscriptæ in Constitutionibus.Ibid.

Ius cum quo coquuntur carnes nomine carnium venit in præcepto abstinentiæ carnium. *Carmel.*p.210.n.138

Ius quid denotet.*Seruit.*p.317.n.103.Ius commune quid sit.ibid.& p.318.n.103 & 104

L

Labor mannalis an,& quomodo præcipiatur in Regula. *Carmelit.* p.211.n.149.& seqq. Conformiter ad doctrinam Patrum.p.212. n. 150. An solum sub consilio. ibid. n.151. Quo labore adimpleatur hoc præceptum. ibid. n. 152.Quid ex Constitutionibus Ordinis. ibid. n.153

Lacticiniis an vtendum in diebus ieiunij Regulæ. *Carmel.* p.208. n.129. Consuetudini standum.ibid.

Laici liberi, & absoluti recipi possunt in Religionibus. *Eremit.*p.116.n.34.Vnde non serui, nec coniugati. n.34. An qui habent filios, vel parentes in graui,aut extrema necessitate constitutos.p.117.n.35

Lectores Religionum non possunt impediri à suo munere legendi, *Minim.* p.338. num. 15. & 16. *Prædic.* p. 14. num. 12. Etiam in Vniuersitatibus legentes.ibid. Possunt à Religionibus institui. ibid. & *Carmel.* p. 268. numero 460. Idem in Ordine Minorum. *Minor.* p. 60. num. 12. An id extendatur ad Lectores Logicæ, Philosophiæ, vel Metaphisicæ. ibid. Lectoratus munus quid importet. p.61. num.13

Legata Legnlaribus an transferri possint.*Prædic.* p. 30. n. 96. Non soluitur de ipsis aliqua portio. p. 36. n. 140 Falcidia, Trebellianica, aut alia pars. ibid. n. 141. *Eremit.* p. 133. n. 117. *Carmel.* p. 221. n. 202. Aut portio canonica. p. 274. n. 502. An conuerti possint in alios vsus. ibid. n.504. & *Minimor.* p.350.num.87. Quid in Regnis Hispaniæ ratione subsidij impositi à Pio V. & Gregorio XIII.*Minor.*p.79. n.120.Quomodo Fratres Minores capaces sint vel non sint legatorum. ibid. n. 121. Maximè ex S Rotæ decisione. ibid.Legata ad pias causas, quæ dicantur. *Eremit.* p.133.n.117.Maximè pro redemptione captiuorum. ibid.An de legatis ad pios vsus aliquid applicari possit Religiosis. *Carmel.* p.238. & seq. n.285. 286. & 287. De illis nulla portio detrahenda. p. 249. n. 354. & 355. De legatis pro Fratribus Ordinis B.Mariæ de Mercede. ibid.n.356. De relictis particularibus Religiosis pro studiis, &c. p. 250. n. 357. Pro redemptione captiuorum. ibid.num.358. Pro Fratribus Minoribus. *Minim.* p.349.n.86. An legata Religioso, qui renunciauit omnia bona sua in fauorem alicuius sæcularis cedant sæculari, an Religioso. *Seruit.*p.318.n.106

Legatorum Sedis Apostolicæ litteris, an teneantur Mendicantes. *Prædic.* p.21.n.43.Legati in triplici differentia. ibid. n.45.An possint assumere Fratres ad sua negotia. *Carmel.* p.269.n. 471. & 472. An possint tribuere Fratribus exemptionem ab obedientia debita Superioribus.*Seruit.* p.324.n.155

Liber Nicolai Gallici contra Monasteria in Vrbibus sita.*Carmel.*p.195.n.54. Licentia quando requiratur petita,& obtenta.*Carmel.*p.222 n.210

Licentia Papæ an requisita pro Monasteriorum fundatione,*Carmel.* p.277.n.518

Linguarum studia in Religionibus habenda.*Minim.*n.18.& 19

Litteræ Apostolicæ quæ dicantur. *Minim.*p.354. n.118. *Prædic.* p. 21. n.42. Habent viam exequutiuam. p.43. n. 181. An pro illis sufficiant verba Papæ, vel requiratur scriptura. ibid. n. 182.Litteræ ex propria scientia,vel motu proprio quomodo magis qualificatæ. *Eremit.* p. 131.n.109

Litteræ commendatitiæ Papæ. *Carmel.* p. 185. num.8

Litteræ testimoniales pro eiectis à Religione. *Carmel.* p.272.n.487. & seqq. Videri,& recognosci possunt ab Ordinariis. ibid. n. 291. & *Minim.*p.345.n.60

Loca feudalia, seu censualia an recipi possint à Religiosis.*Carmel.*p.276.n.515

Loca pro construendis Monasteriis qualia esse debent. *Carmel.*p.295.n.52.& seqq. An solùm in Eremis. ibid. n.54. Apta ad vitam actiuam, & contemplatiuam. p.196.n.55.Noua non recipienda, aut ædificanda ab aliis Mendicantibus iuxta loca Carmelitarum infra spatium 140. cannarum. p.225. n.226. Loca exempta sunt quasi extra Diœcesim. *Carmel.* p. 237. num. 280

M

Magistri an legant sine licentia Rectoris. *Minim.* p.338. n. 16. Magistri creantur

à Generali Seruit.rum cum priuilegiis Magistrorum Parisiensium. *Seruit.* p.312. num.62. An communicetur aliis Mendicantibus hoc priuilegium. ibid. Ampliatio huiusmodi Priuilegij ad duos Magistros. p. 326. n. 164. An Magistri in Capitulis creati legere possinin Vniuersitatibus. ibid. num. 165

Mantellatarum Priuilegia confirmantur. *Eremit.* p. 134. num. 119. An ipsarum habitus gestari possit ab aliis. *Seruit*.p.325.n.162

Maior pars in electionibus, quæ censeatur.*Carmel.*p.194.n.48

Malè adquisita, an applicari queant Religiosis. *Carmel.*p.238.n.285. & 286

Marchæ centum argenti quomodo de v..., rapinis, aut malè adquisitis accipi possint. *Carmel.* p.238.nnm. 285. An etiam de legatis ad pios vsus relicta. ibid.

Mare magnum Prædicatorum à quibus refertur *Prædic.* p. 12. num. 1. Quare hæc Bulla dicatur *Mare magnum*. num. 2. Sixtus IV. Auctor illius. ibid. num. 4. Quis hic Pontifex. *Ibid.* Mare magnum Fratrum Minorum vbi habeatur. *Minor.*p.57.num.1. Eremitarum S. Augustini Mare magnum, vbi exter. *Eremit.* p.110.n.1. Mare magnum Minimorum à quo, & cur datum. *Minim.*p.336.n.1

Matrimonio an assistere possint Regulares. *Eremit.* p. 135. num. 130. Præsertim pro casu, quo parochi id nollent facere. ibid. An incurrant excommunicationem, qui aliter facerent.ibid.

Medicorum iudicio an semper standum, cum dispensant cum Religiosis in Regula. *Carmel.* p.210.num. 139

Mendicantes commorari possunt inter excommunicatos, & ab eis vitæ necessaria postulare. *Prædic.* p. 17. n. 30. Cum quibus excommunicatis. *Ibid.* Quomodo, aut quando possint ministrare Eucharistiam, & sacram Vnctionem. p. 38. num. 151. An possint hoc priuilegio vti cum sibi confessis pro casu, quo Parochi nollent dare illis communionem,nisi ostenderint schedulas attestatrices confessionis factæ cum ipsis. ibid. num. 152. Mendicantes non assumuntur in socios à quocunque sine licentia suorum Superiorum.*Minor*.p.67. n. 50. Mendicantium exemptio notoria. p.75. num. 94. An teneantur, & quomodo illam allegare. ibid. Quid facere debeant, si Domini Ordinarij agere velint contra eorum Priuilegia, & exemptionem. ibid. & p.76.94. & 95. Ipsorum etiam loca exempta sunt ab Ordinariorum iurisdictione. p. 81. 123. Non solum ratione personarum. ibid.n.124. Mendicantes non possunt transire ad Ordines Monasticos. *Carmel.*.212. Ad quos extendatur hæc prohibitio. ibid. num. 213. Mendicantes sunt cooperatores Prælatorum Ecclesiæ, p. 226. num. 231. Coadiutores, seu cooperatores Episcoporum. p. 237. num. 282. Ex Clementina *Dudum*. ibid. Habent sermones in Cappella Papæ. *Seruit.* pag. 330. num. 196. Quo ordine.ibid.

Metus an excuset à transgressione præcepti Ecclesiastici. *Eremit.* p.140.n.155

Minimorum Ordinis laudes. *Minim.* p.336.n.2. Exemptio. p. 342. num. 39. 40. 41. & p.348. num.80.& p. 352. num.98.& p.354.num.108. ac ibid. num. 114. strictio. p. 343. num. 50.

Communicatio priuilegiorum. pagina 354. num. 120

Minorum Ordinis excellentiæ. *Minor.* p. 57. num.2

Missæ præcepto satisfaciunt eam audientes quocunque loco, in quo est facultas celebrandi. *Eremit.* p. 132. num. 113. Missa quotidiæ audienda ex vi Regulæ. *Carmel.* p. 204. n. 109. An sub mortali, aut solum sub veniali. ibid. num. 111. Sacerdotes celebrantes satisfaciunt huic præcepto. ibid. An Missa solemnis ibi præcipiatur. p. 205. num. 112. Missa in Oratoriis priuatis sæcularium an dicenda. p.237. num. 276. & 277. An casu quo dicatur ipsi assistere possint familiares habentis priuilegium.ibid.num.278. Missarum reductio quomodo facienda. *Seruit.* p. 314. num. 78. Pro illa non deseruit communicatio priuilegiorum Religionum. ibid. Ex decreto S. Congr. Concilij. ibid. De Missæ Celebratione quoad tempus, & locum Seruitarum Priuilegiorum. p.326.num. 170.& seq.

Tot Missæ celebrandæ sunt quot stipendia sunt recepta *Ord. Trin.* p. 365. num. 74. Decretum S. Congregationis ibid. num. 75. Dubium Propositum. *Ord. Trin.* p. 366. num. 76. Fructus generalis Missæ an possit specialiter appplicari ibid. num. 77. resolutio affirmatiua. ibid.78. Authores pro ipsa. ibid. num.79. Authoritate S. Thomæ. ibid. num. 80. Ratione Probatur. ibid.n.81. Ex Canone Missæ. ibid. num. 82. Ex Memento Missæ. ibidem num.83. Ex quadam ratione Ecclesiæ. ibidem num. 84. Ex Alia. ibid. num. 85. In terminis iuris. ibid. num. 86. Taciti, & expressi idem est iudicium.ibid. num. 87. Explicatio resolutionis, ibid. num. 88. Voluntas specialis applicantis vtilior.ibid. num.89

Moderatio Regulæ Carmelitarum facta ab Eugenio IV. *Carmel.* p. 215. num. 173. In abstinentia à carnibus continua. ibid. In mansione continua in cellis ibid.

Monachi nigri qui dicantur. *Carmel.* p. 222. num. 211. Quinque ipsorum Congregationes. ibid. An ad illos transeant Carmelitæ. ibid. & p.223.num.112

Monasteria, Mendicantium præsertim, exempta sunt à Dominis Episcopis.*Minor*.p.82.n.126. An delinquens in illis subiiciatur pœnis impositis ab eisdem Episcopis.ibid. Monasteriorum nomine quid intelligatur. ibidem.In illis prohibita rapina,furtum,ignis appositio, sanguinis effusio, hominis captio, aut violentia. *Eremit.* p. 126. num. 84. Quomodo antiquitus in Carmelo, & aliis locis erant. *Carmel.* p. 204. num. 109. Monasteriorum reformatorum priuilegia. p.226. num. 235. & seq. Monasteria tam virorum, quam fœminarum iure communi Ordinariis subiecta. *Carmel.* p.253.num.383. Non sic ex priuilegiis.p.254. num. 384.Intra quod spatium cannarum fundari non possint. p. 262. num. 432. Quid de Monasteriis Seruitarum. *Seruit.* p. 328. num. 182. An extendatur hoc priuilegium ad possessiones, seu loca separata à Monasteriis. ibid. num. 183. Priuilegium Iulij III. de non fundando intra spatium 300.cannarum p.329. num. 184. Ipsorum Monasteria ab aliis non procurantur. ibid. num. 185. Nec à Reformatis istius Religionis. ibid. num. 186. Prohibitio

hibitio non inferendi iniuriam, seu grauamen ad effectum quod amoueantur à suis Conuentibus. ibid. n. 189
Monastici Ordines qui dicantur. *Carmel.* p.223. num. 214. Ad illos non transeunt Mendicantes. p. 222.& seq.n. 211. & 212
Monachatus an sit dicendus beneficium. *Seruit.* p.312. num.61
Monasteria Monialium, & Pinzocherarum destituta, quibus cedant in Ordine Seruitarum. *Seruit.* p.320. num. 123. & 124. Cum quibus conditionibus *Ibid.*
Monialium nomine, quæ fœminæ veniant. *Eremit.* p. 136.num.132. Recipiuntur in Ordine Carmelitarum, sicut in Ordinibus Prædicatorum, & Eremitarum sancti Augustini. *Carmel.* p. 232. num. 261. & seq. A temporibus antiquis. ibid num.262. Id competit iure communi Religionibus. *Ibid.* Ex Essenis ortum habent. *Ibid.* An bene faciant Prælati Religionibus earum gubernium tradendo sine causa Ordinariis. p. 233. num. 263. An validè id fiat. ibid. num. 264. An absoluantur sicut Fratres à Prælatis. p. 351. num. 371. Earũ Confessarij à quibus approbandi. p.352. n. 352. Gaudent Priuilegiis suarum Religionum.p.254.n.385. Subiiciuntur legibus ipsarum.ibid.num. 386
Mutare Fratres de vno Monasterio in aliud, qualiter facere possint Prælati. *Carmel.* p. 228. num.245.Quibus Prælatis id competat.p.229. num.246
Mutilationis membrorum irregularitas à quo dispensetur. *Minim.*p.353.num.102

N

NIcolaus Gallicus Ordinis Generalis librum scripsit contra Religiosos nostros in vrbibus habitantes. *Carmel.* p.195. num.54
Nomina eligentium exprimi non debent in decreto electionis, quod mittitur Confirmatori. *Eremit.*p.118. num. 143
Non obstantiæ positæ in Priuilegiis Mendicantium quam vim habeant. *Prædic.* p.42.n.177. An per illas derogentur generalibus Conciliis.p.43. num.178.& *Carmel.*p.279.num.532. Quid de Concilio Tridentino. ibid.
Notarij munus est scribere decretum electionis, quod mittitur Confirmatori. *Eremit.* p. 118. num.143. An illud exercere possint Religiosi pro seruitio S. Officij Inquisitionis. *Carmel.* p.270.n. 474. Notarij publici nomine, an intelligatur Notarius. Regul. *Seru.*p.334.n.221. An Notarius Apostolicus dumtaxat. ibidem, num.222
Notorium probatione non eget. *Seruit.* p. 318. num. 108 Exemptio notoria an alleganda. ib.
Nouitiorum bona incerta applicanda in pios vsus à Prælatis. *Carmel.* p.273.n.496. *Prædic.* p.2-.n. 79. An id contineat priuilegium, vel ius commune. ibid. num. 80. Nouitij grauati debitis incertis an admittendi. ibid.n.81. Nouitios tam Clericos, quam laicos liberos, & absolutos recipere possunt Eremitæ S. Augustini, & Fratres S.Mariæ de Mercede. *Eremit.* p. 116.n. 31. De iure communi competit hæc facultas cuilibet Religioni approbatæ. ibidem, n. 32. Quomodo id limitatum. ibid. An solis Prælatis sine Conuentibus.ibid. Aliud est recipere ad habitum, aliud ad Religionem. ibid. Priuilegia circa hoc. *Carmel.*p.229.num.247. Quibus Prælatis, & quomodo. ibid Nouitius moriens in Ecclesia sui Ordinis sepultus an debeat quartam funeralem p. 247. n. 349. Nouitiorum recipiendorum authoritas. *Carm.* p.260. n. 413. An liceat contradicere ipsorum receptioni. ibid. n. 414. Quibus casibus id liceat. ibid. Nouitiorum absolutio, & an sit irrita, si è Religionibus exeant. *Minim.* p.341.n.34.& 35
Nudum ministerium, quando censeatur concessum. *Minor.*n.114
Nunciorum Apostolicorum authoritas in Regulares. *Prædic.*p 21.n.44. An ad illos appellare possint *Minim.* p.354.num.112

O

OBedientia non petenda aut recipienda à Religiosis exemptis per Ordinarios. *Carm.*p 237.n.279.& seq.Quam obedientiam illis præstare debent.p.261.n.424
Oblata efficiuntur eius Ecclesiæ cui offeruntur. *Carmel.*p.233 n.164
Oblatarum personarum priuilegia. *Erem.* p.132. n.112. & *Carmel.* p.242.n.312.& 313.Ac *Seruit.* p. 323 num. 146. & 147. An suscipiant habitum Religionis,ibid.n.148. An transeant ad aliam Religionem,ibid.Quæ bona debeant offerre ex Decreto S.Congreg.ibid.n.150.An gaudeant immunitate si sint in procinctu ad faciendam oblationem.p.324.n.151
Oblationes quæ offeruntur tempore Missæ cui cedunt. *Carmel.* p. 268. n. 465. De illis nihil omnino exigi potest ab Episcopo, vel Parocho.p 274.n.503
Obligatio ad Regulæ obseruantiam vnde proueniat. *Carm.*p.191.n.31.32.& seq.Ex professione, confirmatione à Sede Apostolica, & decreto Ecclesiæ. ibid. n. 32. Quantitas obligationis istius vnde etiam petenda. ibid. n. 33. Quædam obligant sub præcepto communi, quædam vt vota, quædam vt obseruantiæ Regulares.p.192.n.34
Obseruantia regulæ an dispensentur à Generalibus. *Seruit.*p.331.n.200.& 201.Tolli an possit hæc facultas per Capitulum Generale. ib.
Officia diuina, quæ dicantur. *Prædic.* p. 16. num. 23. Fieri possunt etiam de Ecclesiis non consecratis, sed tantum dedicatis. *Carmel.* p.277.n.518
Officia Religionis solum à Prælatis eius concedenda, præterquam à Sede Apostolica faciente mentionem de hoc priuilegio. *Seruit.*p.312. n. 60. & 61. An communicentur aliis Religionibus.ibid.
Officiales qui dicantur in Priuilegiis Regularium. *Minor.* p.65.n.42
Oleum Sanctum à quo Episcopo habeant Religiosi. *Eremit.* p.119.n.48.& 49. In qua quantitate. ibid.num 49. An liceat addere aliquid oleo Sancto, ita vt illud etiam maneat benedictum. ibid.
Operandum assiduè ex vi Regulæ. *Carmel.*p.211. num. 149. Conformiter ad doctrinam Patrum.p.212 n 150.An sit hoc præceptum, vel solum consilium. ibidem, num. 151. An sit intelligendum de labore manuum. ibidem num.152

Oracula viuæ vocis concessa per communicationem Seruitis. *Seruit.* p.333.n.212

Orationis mentalis exercitium quomodo in Regulis præscriptum. *Carmel.* p.198.n.74.& seq. Quomodo in cellulis. p.199.n.77.& 78. An & qualiter debeat esse iuge, seu continuum. ibid. num.78.& 79. Hoc præceptum qualiter obliget. ibid. n. 80. & seq. Quomodo adimpleatur. ibid. An detur præceptum diuinum Orationis mentalis. ibid. n.80. & 81. Saltem ex vi Religiosi status. ibid. n. 85. In quibus casibus detur præceptum diuinum Orationis. ibid num. 86. Regula non est dispensata quantum ad continuam orationem. p. 216. num. 175. Quomodo id intelligendum. ibid.

Oratoria habere possunt Mendicantes cum altari portatili. *Prædic.* p.16. n.23. *Minim.* p.339. n.24. & 25. *Minor.* p.77. n.104. & 106. Non eriguntur in domibus Mendicantium ipsis non consentientibus. *Eremit.* p.121.num.61. Oratorium in medio cellularum habendum ex vi Regulæ. *Carmel.* p. 204. n. 108. Quale debeat esse. ibid. n. 110. An in illo celebrari possit cum altari portatili. p. 236. n. 273. de Oratoriis confratrum S. M. de Mer. p. 381. num. 132

Ordinarij non se debent intromittere in iis, quæ spectant ad instituta Religionum. *Prædicat.* p.14. n.14. Ordinariorum nomine an veniant legati. p.21. n.44. An nuncij Apostolici. ibid. Qui alij. p. 42. n. 171. Non possunt impedire dari eleemosynam Regularibus. *Bull. Aur.* n.8. Nec vsum Priuilegiorum Mendicantium. p.97. n.16. Nec habent iurisdictionem in Regulares exemptos etiam pro casu quo ipsorum Prælati negligentes fuerint in eis corrigendis. *Seruit.* p. 308. n. 46. Quando visitent Regulares, & quando non possunt id facere. p.309. n.47

Ordinati Regulares an maneant casu quo Episcopus Ordinans dixerit se non habere intentionem ordinandi habentem tale, vel talem defectum. *Prædic* p.16.n.19

Ordines à quo Episcopo recipiendi à Regularibus. *Prædic.* p. 16. n. 19. *Minor.* p 62. n. 18. Quas qualitates habere debeant ordinandi. p. 62. num. 21. Quomodo callere latinam linguam. ibid. num. 20. An è quocunque Antistite. *Minimor.* p. 339. num. 21. & seqq. *Carmel.* p.224. num. 221. & sequentibus. An sine examine, aut promissione aliqua. p. 261. num. 429

Ordo S. Augustini ad quem non permittitur transitus aliorum Religiosorum in Priuilegiis Mendicantium quis sit. *Minor.* p.69.num.66. Ordinis Eremitarum S.Augustini prærogatiuæ. *Eremit.* p.110.n.2. Auctus, & multiplicatus ex variis Monasteriis Regulam S. Augustini profitentibus. p. 114 n.17. Ordo Canonicus ibi semper conseruandus p.115.n.26. Quis sit Ordo canonicus. ibid.

Ordinis SS. Trinitatis institutio *Ord.Trin.* p.360. n.1. Qualiter contigit. ibid. n. 2. Regula ordinis SS. Trinitatis. ibid. n.3. Alia de hoc ordine. ibid. n. 4. Bulla confirmatoria instituti. p.362. n.5. Quid de eiusmodi Priuilegiis sentiendum. p. 363. n. 6. Alia de hac Religione. ibid. n.7. De priuilegiis & indulgentiis ipsius ibid. n. 8. De congregatione Discalceatorum. ibid. n.9. Quæ in ipsa obseruentur. ibid. n. 10. Pauli V. constitutio. ibid. n. 11. Alia eiusdem ibid. n. 12. Vota quæ emittuntur in hac Religione. ibid. n. 13. Prohibitio transeundi ad aliam. ibid. n.14. Eiusdem Papæ confirmatio ibid. n.15. Concessio quoad Electiones. ibid. n. 16. Concessio quoad officia celebranda. ibid. n.17. De vestitu eiusdem Congregationis ibid. n.18. Qui de ipsa scripserunt. ibid. n.19. Alia ex Tamburino. ibid. n. 20. Adriani, & Leonis summorum Pontificum Bullæ. ibid. n. 21. Qualiter intelligendæ aliquæ clausulæ. ibid. n.22. Mens summorum Pontificum circa reformationem Religionis. ibid. n. 23. Sunt zelatores reformationis. ibid. n. 24. Necesse est regularibus reformatè viuere ibid. num.25. Qui dicantur reformati. ibid. n. 26. Obligatio Prælatorum circa conuentuum reformationem. ibid. n.27. Indulta Pontificum circa reformationem. p. 368. n. 28. Communicantur aliis. ibid. n.29

Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum commendatio *S. M. de Mer.* p. 372. n. 1. Commendabilis valdè. ibid. n.2. Institutio ipsius, ex relatione viri doctissimi ibid. n.3. Tempus fundationis huius Religionis. ibid. n.5. Reuelatio pro ipsa. ibid. n. 6. An beatissima Virgine Dei matre. ibid. n. 7. Authenticatio. ibid. n. 8. Cur facta tribus insignibus viris. ibid. n.9. Opere impletur. p. 373. n.10. Modus institutionibus. ibid. n. 11. Habitus Religionis. ibid. ibid. Qui primo inducti. ibid. n.12 Quæ domus. ibid. n.13 Quarto voto astringuntur à Sancto Petro Nolasco fundatore. ibid. n.14. Forma huius voti. ibid. ibid. Copiosus numerus virorum huius religionis sanctitate insignium. ibid. n.15. Quanto tempore à Sancto Petro Nolasco gubernata. ibid. n. 16. Obitus tempus. ibid. n. 17. Egregia facta ibsis. ibid. n.18. Aliorum relatio. ibid. n.19. Fundatio ex reuelatione. ibid. n.20. Denominatio Ordinis. ibid. n. 21. Progressus. ibid. n. 22. Constitutio Gregorij IX. ibid. num.23. Forma processionis. ibid. ibid. Oppigneratio plurium. ibid. n.24. Pontificum concessiones. ibid. n.25. Authores, qui de hoc ordine agunt. ibid. n.26. Congregatio alia Discalceatorum. ibid. n. 27. Confirmata à Paulo V. p. 374. n. 28. Quid statuerint Gregorius XV. Et Vrbanus VIII. ibid. n.29. An reuelata hæc Congregatio Sancto Petro Nolasco. ibid. n. 31. Qui agunt de hac reformatione. ibid. n.32. Concessiones Bonifacij VIII. & aliorum. ibid. n.33. Specialiter Bonifacij VIII. ibid. n. 34. & 35. Indulgentia, & gratia pro tempore interdicti. ibid. n.36. & 37. Receptio Ordinis sub protectione Sedis Apostolicæ. ibid. n. 38. Commendatur ab Alexand. IV. ibid. n.39. Indulgentiæ ab ipso concessæ. ibid. n.40. Alia priuilegia. ibid. n. 41. Alia Bulla. ibid n. 42. Alia quoque. ibid. n. 43. Insuper alia. p.375. n. 44. Priuilegia multa in ea concessa. ibid. n. 45. Quæ Clemens VI. concesserit. ibid. n.46. Quæ Gregorius XI. ibid. n.47. Quæ Martinus V. ibid. n.48. Alia Bulla ipsius. ibid. n.49. Item alia. ibid. n. 50. Eugenij IV. concessio. ibid. n.51. Calixti III. ibid. n. 52. In alia etiam Bulla. ibid. n.53. Notatio circa has concessiones. ibid. n. 54. Opus Redemptionis captiuorum valde priuilegiatum. ibid. n.55.

n. 55. Est causa pia. p. 376. n. 56. Præfertur à Sixto Papa expeditioni contra Turcas. ibid. n. 57. Alia quæ concedit. ibid. n. 58. Votum speciale huius religionis. ibid. n. 59. Quæ notanda circa illud. n. 60. Commendatur à Bonifacio VIII. ibid. n. 61. Est licitum & commendabile. ibid. n. 62. Qua forma emissum. ibid. n. 63. Qualiter ad illud obligentur Religiosi. ibid. n. 64. De indulgentiis pro eleemosynam tribuentibus. ibid. n. 65. An sint reuocatæ hoc tempore. ibid. n 66. An commutatæ. ibid. n. 67. Probabile id videtur. p. 377. n. 68. De aliis concessionibus. ibid. n. 69. De concessione Bonifacij VIII. ibid. n. 70. De solutione legatorum. ibid. n. 71. & 72. De Priuilegiis confratrum. ibid. n. 73. & 74. Authores qui id tenent. ibid n. 75. Oppositum etiam probabile. ibid. n. 76. Quid de aliis concessionibus. ibid. n. 77. De receptione sub protectione domus Barchinonensis. ibid. n. 78 Quid de concessione Alexandri IV. ibid. n. 79. Quid circa aliam eiusdem. ibid. n. 80. Circa legata Religiosis relicta. p. 378. n. 81. Quando sunt contra votum paupertatis. ibid. n. 82. Circa supplendos deffectus in officio diuino. ibid. n. 83. Circa alia remissiue. ibid. num. 84. Pro quæstoribus seu quæstuatiis. ibid. n. 85. De concessionibus Mattini. ibid. n. 86. De officiis huius ordinis. ibid. n. 87. & 88. Quid si contrarium habeatur ex statuto, consuetudine, &c. Ibid. n. 89. De concessionibus Eugenij IV. ibid. n. 90. De indulgentia Nicolai III. pro defunctis. ibid. n. 91. & 92. Quæ circa illam notanda. ibid. n. 93. & 94. quo pacto accipienda. ibid. n. 95. Facultas absoluendi an sit indulgentia. ibid. n. 96. An comprehendatur sub reuocatione Pij V. p. 379. n. 97. Saltem prout extenditur ad animas defunctorum ibid. n. 98. De concessione Sixti IV. ibid. n. 99. De confirmatione facta à Iulio II. ibid. n. 100. Concessio alia ipsius pro confratribus. ibid. n. 101. De damibus aliquam pecuniæ Summam in ingressu confratriæ. ibid. n. 104. de concessione eleemosynæ pro Indulgentia quadam. Ibid. n. 105. Pro visitantibus Ecclesias. Ibid. n. 106. Viuæ vocis oraculum Pauli V. Ibidem, Ibid. Commutatio manuum adiutricum. ibidem n. 107. Communicantur fratribus Indulgentiæ confratrum. p. 380. n. 108. De legatis recipiendis. ibid. n. 109. Concessiones Leonis X. ibid. n. 110. Causa harum concessionum. ibid. n. 111. Priuilegia concessa approbantur. ibid. num. 112. De clausula ex certa scientia. ibid. n. 113. de communicatione Priuilegiorum. ibid. n. 114. An extendatur ad Priuilegia concedenda. ibid. n. 115. Quorumdam opinio. ibid. n. 116. Reiicitur. ibid. n. 117. Probabilis sententia. ibid. n. 118. Papæ Leonis declaratio. ibid. n. 119. De alia Indulgentia pro dantibus certam eleemosynam. p. 381. n. 121. Annotatio circa ipsam. ibid. n. 122. De applicatione legatorum. ibid. n. 123. De tertia parte ipsorum. ibid. n. 124. Congruentia. ibid. n. 125. Præsentatio legatorum pro Redemptione. ibid. n. 126

Otium vitandum ex vi Regulæ. *Carmel.* p. 211. n. 149. Conformiter ad doctrinam Patrum. p. 212. n. 150. Quibus operibus. Ibid n. 151. & seqq.

Ossa non veniant nomine Carminum. *Carmel.* p. 209. n. 137

P

Papa protector Mendicantium. *Carmel.* p. 186. n. 10. Maximus Zelator reformationis Regularis. p. 125. nu. 230. Defensor Mendicantium. p. 237. n. 282. Quia sub speciali ipsius protectione sunt. ibid. Ipsorum veluti immediatus Prælatus. Ibid. Ipsius licentia an requiratur pro fundatione Monasteriorum p. 277. num. 518. Reformat Religiones. *Seruit.* p. 304. n. 13. & 14

Parentibus subuenire quomodo de iure naturæ. *Eremit.* p. 117. n. 36. An illis constitutis in extrema necessitate validè, vel licitè filij ingrediantur Religionem. Ibid. n. 35. & 36. In quibus casibus licitè id facere possunt. Ibid. n. 37

Parochiales Ecclesiæ concedi possunt Mendicantibus. *Prædic.* p. 40. n. 159. Quibus conditionibus. Ibid. Qua exemptione tunc gaudeant. *Minor.* p. 84. n. 137. & 138. Quæ dicantur Parochiales Ecclesiæ. *Carmel.* p. 236. n. 274. An recipi possint à Carmelitis. p. 276. n. 514 & 516

Parochorum sanctiones, quas Regulares possunt facere in propriis Ecclesiis. *Eremit.* p. 137. n. 141. An ab ipsis conuenientius recipiantur Sacramenta, quam à Religiosis. p. 136. n. 147. & 148. Parochi admonendi de confessionibus ægrotorum. *Seruit.* p. 311. n. 55

Paschæ tempore an Mendicantes administrent Eucharistiam sæcularibus. *Minor.* p. 82. n. 130. An ratione absentiæ Parochi, vel quia ipse non vult illam administrare. ibid.

Patriarcha quid importet. *Carmel.* p. 184. n. 41. Patriarcharum priuilegia. ibid. Quot sunt in orbe Christiano. ibid.

Paupertatis Religiosæ modus. *Carmel.* p. 202. n. 98. & 99. Est in vita communi. Ibid. In quo consistat. ibid. n. 100. Arctissima paupertas præscripta Carmelitis in sua Regula. p. 203. n. 102

Pedagium, seu pedatium quid denotet. *Eremit.* p. 130. n. 107

Peculium an permitti possit Religiosis. *Carmel.* p. 203. n. 101. An saltem in aliquibus casibus particularibus. ibid. Quid de Seruitis. *Seruit.* p. 331. n. 202

Pensiones an imponi possint à Prælatis Regularibus super beneficia Regularia. *Eremit.* p. 132. n. 114 Ex Rotæ decisione. p. 113. n. 15. Habentes pensiones quibus priuentur in Religionibus. *Seruit.* p. 332. n. 205. An illis sint incapaces Religiosi. ibid.

Personarum Ecclesiasticarum nomine quæ veniant. *Carmel.* p. 263. n. 433

Pertinentiarum nomine quæ veniant. *Prædic.* p. 40. n. 161. *Carmel.* p. 187. n. 17

Pinzocheræ recipiendæ. *Carmel.* p. 235. n. 268

Plenaria absolut. quid importet. *Bull. aur.* p. 95. n. 5

Pœnæ impositæ contrauenientibus priuilegiis Mendicantium. *Eremit.* p. 128. n. 93. & 140. n. 154. Carmelitarum. *Carmel.* p. 278. n. 526. Seruitarum. *Seruit.* p. 333. n. 214. Pœnæ priuationum, inhabilitatis, &c. an dispensentur ab aliquibus Prælatis. p. 335. n. 124. An tollantur per absolutionem, an verò per dispensationem. ibid. n. 125. & 126. An tempore visitationum, ibid. n. 127. Pœnæ arctiores quæ sint. *Carmel.* p. 230. num. 253. Pœnæ inhabilitatum

litatum ad officia an tollantur per Prælatos Mendicantium. *Seruit*. p.320.n.119

Pœnitentiarum iniunctarum relaxatio ad quid valeat *Eremit*.131.n.110

Pœnitentiarij Papæ audiunt confessiones Regularium *Minor*. p.73. num. 84. An Pœnitentiariorum minorum Curiæ facultas communicetur aliquibus Prælatis. *Carmel*. p.220. & seq. n.200. 201. p. 251.n.368. & 369. Pœnitentiarij Maioris authoritas circa transitum Fratrum, vel exemptionem illis concedendam. *Seruit*. p.324.n.154.& 155

Possessio quorumcunque bonorum confirmatur Eremitis S. Augustini. *Eremit*. p. 115. n. 27. Possessionis appellatione, quæ possessio veniat. ibid. Quem effectum habeat dicta clausula. ibid. n.28. Possessio an sit accipienda ab eo, qui est electus ad aliquod officiũ. p.136. num. 145. Possessiones nullas habere possunt Carmelitæ ex vi Regulæ. *Carmel*. p. 203. num. 102. Bene tamen post Concilium Tridentinum. ibid. num. 104. Possessiones Fratrum liberæ esse debent à violentiis. p. 264. num.450

Praxis procedendi contra Apostatas. *Præd*.p.25. n. 67. Praxis se defendendi Regulares contra Prælatos, vel Dominos tẽporales illos ad aliqua contra suam exemptionẽ, vel priuilegia, *Minor*. p.75. n. 94. Circa reos confugientes ad Ecclesias Regularium. *Eremit*. p.126.n.85. Circa electionem excommunicatorum, seu interdictorum ab Ecclesiis. *Minim*. pag. 347. num.74

Præcepta Regulæ quam obligationem inducant. *Carmel*. p. 192. n. 35. & 36. An ad mortale, vel veniale. ibid. Præceptum diuinum orationis mentalis an detur pro Religiosis. p. 200. n. 84. & 85. An orationis in genere, & in quibus casibus. ibid. n. 86. Quomodo possit dari præceptum humanum de oratione mentali p.201.n.87

Prædicationis officium an in Regula Carmelitis præceptum. *Carmel*. p.211. num. 148. Prædicare an liceat in locis publicis sine licentia. p.268.n.466

Præfatio, seu prooemium in priuilegiis attendi maximè debet. *Bull.aur*.p.95. num.3. etiam in Regula. *Carmel*. pag.192.num.40

Prælati aliqui Religionum subsunt immediatè Papæ *Carmel*. pag.271.num.482. Possunt confirmare electiones habentes aliquem defectum *Prædic*. pag. 15. num. 15. Quas electiones, ibid.& num.16. Prælati Ordinum debent in ipsis esse professi. *Carmel*. pag.193.num.44. An consuetudine possit introduci contrarium ibid. Non possunt esse plures pro vno Monasterio, seu conuentu. ibid. num. 45. Quomodo eligendi. num.46. An teneantur sub mortali facere capitulum culparum, seu corrigere defectus subditorum. p.206. num.118. Quibus priuilegiis fruantur pro regimine Religionis, p.228.num.243. Quibus quantum ad absolutionem, p. 246. num. 335. & seqq. Eorum potestas in subditos, p.256.num.399. An possit dici ex iure diuino, ibid. Circa concionatores, Confessores, & Lectores. p.267. num.456. & seqq. Circa punitionem, *Seruit*. num.114. Absoluunt sibi subditos à censuris, & dispensant in irregularitatibus aliquibus *Prædic*. p.19.n. 37. Etiam volentes intrare Religionem, ibid. numero 38. An etiam pro foro externo. ibid. numero 39. Corrigunt, & deputant, ac reuocant Religiosos pro seruitio extraneorum p. 21. & seq. num. 47. & 48. An possint illos permittere vi vera extra claustra. p. 22. num. 49. An possint reuocare illos, qui deseruiunt S. Inquisitioni, vel Cruciatæ. ibidem num. 51. Promulgare possunt censuras contra decedentes ab Ordine. ibid. num. 56. Etiam si sint extra loca, vbi sunt Monasteria, aut ipsi Prælati p. 24. num. 61. Procedunt contra Religiosos exeuntes cum licentia transeundi ad alias Religiones, & non id facientes. ibid. num. 62. & 63. Et contra Apostatas. num. 66. Absoluunt suos subditos ab omnibus casibus paucis exceptis. pag. 34. num. 121. Non ab hæresi, schismate, falsificatione litterarum Apostolicarum, delatione prohibitorum ad infideles, aut aliquo casu Bullæ cœnæ. ibidem num. 122. 123. & seqq. Prælati aliter, quàm per electionem instituti exercere possunt suum officium. *Minor*. pag. 60. num. 10. A quibus censuris absoluant ingredi volentes Religionem. p. 64. num. 36. & seqq. Possunt Religiosos beneficiis seruientes corrigere, remouere, & reuocare. pag. 66. num. 47. Quid si illa habeant ex dispensatione Sedis Apostolicæ, ibid.num.48. Quid de Cappellanis Papæ. ibid. num. 49. Dispensant plures Prælati cum sibi subditis in irregularitatibus aliquibus. *Eremit*. p. 134. num. 123. An in pœnis priuationum, inhabilitatum, &c. ibid. num. 124. Prælati Carmelitarum an habeant authoritatem minorum Pœnitentiariorum Curiæ in subditos. *Carmel*. p. 220. & seqq. num. 200. & 201. Habent Prælati Regulares tantum authoritatem in subditos, quantam Episcopi in suas oues. p.270.num. 479. quo pacto. ibid.

Præsumptionis nomen quid denotet in pœnis. *Eremit*. p. 140. num.154.& 155. An excludat metum. ibid.

Priores quomodo in Ordine Carmelitarum instituendi, *Carmel*. p. 193. num. 46. Quæ ex consilio Fratrum agere debeant. p. 196. num. 61. Eorum cellæ vbi debeant esse. pag. 198. num. 71. Sine ipsorum arbitrio nihil agendum. ibid.num.72. Priores Conuentuum reformatorum à quibus eligendi. 226. & seq. num. 235. & 236. Promittant obseruare, & obseruari facere Regulam. p.227. num.240

Priuilegia Religiosorum laborantium pro conuersione infidelium. *Prædic*. p. 19. num. 35. Indorum. ibid. num. 36. Pro decimis. p.26.n.78. An non obstante. *cap. nuper de Decim. ibid.* An Priuilegia Regularium illis suffragentur etiam si agant contra sui Ordinis instituta. p. 31. num. 103. Priuilegia Confessariorum quomodo interpretanda. p.41. num.164. Priuilegiorum communicatio inter Prædicatores, & Minores. ibid.num 166. Priuilegiorum vsus non potest impediri ab Ordinariis. ibid. num. 170

Priuilegiorum transumptis fides adhibenda. pag. 43. num. 183. & seqq.

Priuilegia suscipiendi ordines à quocunque Episcopo vacant his temporibus. *Minor*. pag. 62. num. 22. Priuilegia an cessent quando cessat causa finalis, aut impulsiua concessionis ipsorum. p.63.n.30.& seqq.

Priuilegia

Priuilegia concessa Prædicatoribus, & Minoribus extenduntur ad Moniales,& personas eisdem annexas. *Bull. aur.* p. 96. n. 7. Priuilegia horum Ordinum,siue originalia,siue authenticè transumpta habenr eandem authoritatem, ac si propriis eorum Ordinibus concessa essent. p. 97. n. 15. Ex Papæ mandato. ibid. Etiam Principes sæculares possunt Religiosis priuilegia concedere. *Eremit.* p.112. num.12. An possint postea ipsa reuocare. ibid. confirmata à Sede Apostolica maiorem vim habenr. ibid. Et à pluribus Ponrificibus confirmata difficilius tolluntur. ibid. Priuilegia contra statuta Religionum impetrata à particularibus Religiosis quomodo moderanda. p. 127. n.88.Quomodo per aliqua priuilegia derogetur Regulæ de iure tertio quæsito non tollendo. p.134. n.121. Priuilegium aliud reale, aliud personale. *Carmel.* p.187. n.12. Priuilegium suscipiendi Ordines à quocunque Antistite an reuocatum. p. 224. n. 222. Priuilegium de non fundando Monasteria infra spatium aliquarum cannarum an maneat in sua vi. p.225. n.227. Priuilegia conuentuum Reformatorum. p.226. n. 235. Quomodo intelligenda. p.227. num. 236. Æqualia sunt. ibid. num.238. Priuilegia exemptionis Monialium subiectarum Religionibus. *Carmelit.* p. 251. n.366. Ad celebrandum in locis congruentibus, & honestis. p.237. n. 275. &.seqq. Pro Pynzocheris, & Tertiariis p. 241. n. 307. pro ministrandis sacramentis eisdem.p.242.n.308. & 309. Pro tempore interdicti. ibid. n. 314. & 315.Pro Procuratoribus Ordinum SS.Trinitatis, & S. Mariæ de Mercede. ibid. n. 316. Pro famulis, seu familiaribus. p. 243. n. 318. Pro Ecclesiis conseruandis absque violentia, &c. p.264. n.446. & 447. Priuilegiorum concessio virtualis est confirmatio Religionis,& Regulæ. *Seruit.* p. 304. n.12.Pro conferendis gradibus Magisteriis in Capitulis Generalibus.p 312.n.62.& seqq.

Processus pro eiectorum expulsione an comburendi.*Prædic.*p.26.n.73

Processiones conuocari possunt ab Episcopis in Ecclesiis Regularium. *Carmel.* p.261. numero 423

Procurationes quæ dicantur. *Prædic.* p. 31. numero 102

Procuratores Religionum possunt vocari syndici. *Seruit.*p.333.n.216. An syndici Sedis Apostolicæ. ibid.

Professio filij cuius parens est in extrema necessitate constitutus, an sit valida. *Eremit.*p.117. num.36.Professionis inter Carmelitas forma. *Carmel.* p.195. n.50. An ad illam sufficiat expressio solum voti obedientiæ. ibid. Quid in aliis Religionibus.ibid.

Professi non possunr discedere à Religionibus sine licentia, &c. *Eremit.* p. 118. n. 40. Professi non constituti in Sacris an teneantur ad Officium Diuinum recitandum.*Carmel.*p.201. num.95

Prologus Regulæ Alberti. *Carmel.*p.192. n.39

Promissio quam facere debent Priores Conuentuum reformatorum de obseruantia Regulæ qualis sit. *Carmel.* p.22.n.240. Qualiter obliger. ibid.

Propositio male sonans, quæ dicatur. *Minor.* p.87. n.150

Proprium quomodo non habendum à nostris Religiosis ex vi Regulæ. *Carmel.* p. 202. & seq. n. 98. & 102. An Religiosus dicens esse aliquid sibi proprium peccet.p.204.num. 105. De Iudicibus conseruatoribus *Ord. Trin.* p.367. n.103

Protectores procedunt contra asserentes quod Confessi Fratribus Mendicantibus teneantur eadem peccata Parocho confiteri. *Carmel.* p. 256. n. 400. & seqq. Quanta sit eorum authoritas. ibid. n. 402. Quomodo moderata à Sanctissimo D.N. Innocentio. ibid.num.403. Procedunt etiam contra inhibentes dari eleemosynam Fratribus. p. 257. n. 404. Benedicuntur qui rectè exercent suum munus.p.278. n.527. Sunt Iudices Conseruatores pro priuilegiorum executione. ibid. num.528.An procedere possint per censuras. ibid.n.528

Prouinciales an approbent concionatores. *Minor.* p.61.n.16. *Carmel.* p.238.n. 284. An fieri possint sine electione. *Carmel.* p. 256. n. 398. Quanto tempore durent in Ordine Seruitarum.*Seruit.*p.307.n.37

Prouincias Religionum an fundare,erigere, vnire, seu separare possint Generales saltem cum Capitulis Generalibus. *Prædic.* p.13. num.10. Quando debet fieri separatio.p.14.n.11

Prouinciale Capitulum quando, & quomodo celebrandum.*Seruit.*p.305.n.19.& 20

Pulmenta cocta cum carnibus quibus permittuntur comedere Carmelitæ extra domos suas, quid importent.*Carmel.*p.210.n.141.Quando vtantur hoc priuilegio. ibid.

Q

Quæstores non esse fratres Ordinis S. Mariæ de Mercede declarauit Clemens VI. *Carmel.*p.257.n.406

Quæstuarij Regulares quomodo non impediendi ab Ordinariis. *Bull. Aur.* p.96.n.9. Quæ licentia ad id requiratur.Ibid.

Qualificantur litteræ Apostolicæ per clausulas. *Ex certa scientia, Motu proprio, &c. Eremit.* p.131. n.109

Qualitates admittendorum ad prædicationem verbi Dei. *Minor.*p.61. n.17. Qualitates Tertiariorum Ordinis Seruitarum. *Seruit.* p. 316. n.89. & seqq. Qualitates Oblatorum. p. 323. n.150

Quantitas obligationis Regulæ ex quatuor capitibus sumitur, scilicet ex parte materiæ, ex institutione legislatoris, ex verbis quibus vtitur,& ex acceptione Religionis.*Carmel.*p.191. num.33

Quarta funeralis quomodo non soluenda à Regularibus. *Prædic.* p.35. n. 134. Non de Candelis, quæ Fratribus dantur. p.36. n.136. 137. & 138. Pacta circà ipsius solutionem seruanda. ibid. n. 138. An debeatur ex relictis pro maritandis seu monachandis puellis, vel similibus causis piis, ex Rotæ decisione. p. 37. n.144. Priuilegium Eremitarum S. Augustini circa quartam.*Eremit.* p.132.n.115. Rotæ decisio circa illam. Ibid.n.116. Quando & quomodo, & de quibus debeatur. *Carmel.* p.247. n.349. Conuentiones circa illam quando debeant obseruari. p. 248. n. 350. Quid si Religiosi renunciauerint sua priuilegia, aut soluerint quartam illam non debentes.Ibid.n.351.

Quid ex Pauli V. Breui pro Carmelitis. ibid. num.352. & 353
Quota quid sit. *Eremit.* p.130.num. 107

R

Recedentes à Religionibus puniuntur à suis superioribus. *Minor.* p.67. num.52. Non detinentur ab aliquo absque cautione litterarum suorum superiorum. ibid. num.53. Etiam prætextu alicuius priuilegij. ibid. num. 54
Rectores Ecclesiarum, qui dicantur. *Prædic.* p.42. num.172. & *Minor.* p.83. num.131
Redemptio captiuorum valde priuilegiata. *Carm.* p.149 num. 358
Redimere possunt Religiosi de manu laicorum res spectantes ad eorum Ecclesias. *Carmel.* p.263. n. 435. & 437
Reductio Missarum quomodo facienda. *Seruit.* p.314. num. 78. Pro ea non deseruit communicatio priuilegiorum, ex Decreto S. Congregationis Concilij. ibid.
Refectorium pro communi omnium refectione. *Carmel.* p. 197. num. 62. & seq. Nihil extra ipsum comedendum, sed in ipso. ibid. n. 64. & 65. Lectio S. Scripturæ in ipso habenda. ibid. num.67. Ad quam culpam obliget totum hoc. ibid. n.68
Reformati Fratres an possint Conuentus Reformatorum procurare. *Seruit.* p. 329. n.187. Prohibentur nomina iniuriosa imponere non Reformatis. ibid. num.189
Reformare Monasteria præcipitur Generali Seruitarum. *Seruit.* p. 329. n. 188. Debent Fratres acquiescere Reformationi. p.330. n.190. Hoc munus pertinet ad Generalem, vel Prouincialem. *Carmel.* p.225. n. 229. Impedientes reformationem incidunt in excommunicationem Papæ reseruatam. ibid. Domini temporales monentur auxilium ferre reformationi. p.226. num.231. & 232. Reformatorum Conuentuum priuilegia. ibid. n. 335. Non visitantur à Prouincialibus nisi per ipsos, & cum sociis eorundem Conuentuum. p. 227. n. 238
Regimen Religionis an monachicum, vel mixtum. *Carmel.* p.196. num. 56. Quod magis aptum. ibid.
Regula Fratrum, & Sororum de consortio Seruitarum approbata per Martinum V. *Seruit.* p.315. num 82
Regula Fratrum Minorum per extensum. *Minor.* p.57. num.7
Regula S. Augustini etiam per extensum. *Eremit.* p.124. num.83. Regula primitiua, seu primæua Carmelitarum similiter per extensum. *Carmel.* p.188. n. 25. Author, tempus, & confirmatio, ac cui data. p.190. num. 26. Qui obseruent illam modo. p.276. n.513. In quo differat hæc Regula ab ea quam confirmauit Innocentius IV. p.190. & seq. num.27. 28. & 29. In quibus alterata. ibid. & p.276. num. 511. & 512. Ipsius alteratio non arguit distinctionem Religionis. p. 191. num. 30. Obligatio ad Regulam quanta. ibid. num. 32. & seqq. Finis ipsius Regulæ est viuere in obsequio Iesu Christi. p. 192. num. 40. Ipsius præcepta an obligent ad culpam. num. 147. Ipsius conformitas cum vita Beatiss. Virginis. p. 214. num. 171. Ipsius moderatio per Eugenium IV. pag. 215. num. 173. Tertiariarum Ordinis Carmelitarum Regula, & modus viuendi. p.265. n.453. Tertiariorum. p.266. n.454
Quatuor bona regularis obseruantiæ *Ord. Trin.* p.364. num.30. Primum felicitas. ibid. n. 31. Secundum securitas vitæ. ibid. num. 32. Spes Bonæ mortis *Ord. Trin.* p. 364. num. 36. Prudentia practica ibid. num. 87. Regula quid sit. ibid. num. 38. schedula de cœlo missa ibid. num. 39. succus perfectionis. ibid. num.40. & veluti quinta essentia. ibid. num. 41. Vnio cum Deo. ibid. num. 42. stare in conspectu Dei. ibid. num. 43. communicatio Priuilegiorum mendicantium. ibid. num. 44. de illa remissiue. ibid. num.45. Cappæ albæ mutatio. ibid. num. 46. causa huius concessionis. ibid. num.47
Regulæ de iure tertio quæsito non tollendo derogatur per priuilegia exemptionis. *Eremit.* p.134. n.121
Regulares siue Religiosi itinerantes cui possint confiteri sua peccata. *Minor.* p. 73. n. 84. Regulares hospites. ibid. A quibus Episcopis possint petere Episcopalia, præsertim an ab hæreticis, & chismaticis. *Eremit.* p.121. n.59. Quæ possint facere in suis sine licentia Parochorum. p. 136. num. 135. & seq. Administrare Sacramentum pœnitentiæ si ab Ordinariis approbati fuerint. ibid. num.136. Quid si ab illis acceperint hanc facultatem dependenter à consensu Parochorum. ibid. Quid de Sacramento Eucharistiæ. p. 137. n.137. Quid de extrema Vnctione. ibid. n. 138. Quid de Matrimonij solemnizatione. ibid. n. 139. De aliis Parochorum functionibus. ibid. n. 141. An Religiosi obligentur ex Præcepto diuino ad orationem mentalem. *Carmel.* p. 200. n.84. & 85. Prouisi ad assistendum Archiepiscopis, &c. subsunt Prælatis Ordinis. p.269 num.470. & seq. An possint esse Cubicularij Principum. ibid. n.473. An Notarij pro S. Officio. p.270 num.474
Regulares sententiæ quæ dicantur. *Erem.* p.118. num. 41. & *Carmel.* p.205. n. 117
Reliqua an mitti possint extra Romam. *Seruit.* p.327. num. 174
Religiosorum vita militia quædam spiritualis est. *Carmel.* 211. n. 146. Quæ sint arma huius militiæ. ibid.
Remissio peccatorum in articulo mortis Carmelitis concessa quid importet. *Carmel.* p.216. num.176. An sit abrogata. ibid. num. 177. Pro illa an requiratur ieiunium in Regula iniunctum. ibid. & p.217. num.178. & 179
Romam non veniunt Religiosi etiam anno Sancto Iubilæi sine suorum Superiorum licentia. *Minor.* p.67. num.54
Rotæ decisio pro libertate sepulturæ in domibus Regularium: *Prædic.* p.28. num. 86. Pro obligatione assistendi ad Synodos. p. 30. n.92. Pro exemptione à quarta funerali. p. 35. num. 134. Pro exemptione à solutione alicuius portionis de legatis relictis. p.37. n. 144. Pro capacitate Fratrum Minorum ad aliqua legata. *Minr.* p.79. num.121. Pro pensionibus imponendis super beneficia Regularia. *Erem.* p.113. num.15. & 16. Pro clausula: *Ex certa scientia.* p. 130. n. 105. Pro communicatione Priuilegiorum. ibid. num. 108. Pro non solutione quartæ funeralis propter communicationem Priuil. p.132. n.116. Pro identitate Religionis non

non obstante alteratione in Regula. *Carm.* p. 191. n. 30. Pro Monialibus subiectis Religioni non tradendis Ordinariis. p. 233. n. 265. & seqq. Circa vim clausulæ: *Ex certa scientia.* p. 240. n. 299. Circa vim clausulæ: *Ab omni iurisdictione, potestate, & dominio. Seruit.* p. 309. num. 49. Circa exemptionem, & priuilegia Seruitarum, p. 318. & seqq. numero 110. 111. & 112. Circa vim protectionis B. Petri, & Sedis Apostolicæ. p. 323. numero 143

S

Sacerdotij dignitas in Religiosis maximè pluris habenda. *Carmel.* p. 238. n. 283

Sacramenta à quibus recipiant Regulares. *Eremit.* p. 119. & seqq. n. 48. 50. & 52. An ab Episcopis hæreticis, vel schismaticis. p. 121. numero 57. 58. & 59. An à Simoniacis. ibid. numero 60

Sacramenta Eucharistiæ, & extremæ vnctionis quando administrant Regulares aliqui iis qui sibi confessi sunt. *Eremit.* p. 135. n. 128. An quando curati malitiose ea nollent administrare. ibid. A quibus conuenientius recipiuntur. p. 138. num. 147. Quomodo vtendum ea facultate. *Carmel.* p. 253. num. 378. & 379. & 381

Sagimen, seu pinguedo an veniat nomine carnis in præcepto abstinentiæ à carnibus. *Carmel.* p. 209. n. 137

Sanior pars in electionibus, quæ censeatur. *Carmel.* p. 194. n. 49

Sanguis nomine carnis, venit in præcepto abstinentiæ à carnibus. *Carmel.* p. 209. n. 137

Satisfactio pro debitis quomodo facienda à volentibus ingredi Religionem. *Prædic.* p. 20. num. 38

Scapulare Tertiariarum. *Carmel.* p. 265. num. 452. Quid de Scapulari Carmelitarum *Ord. Trin.* p. 365. n. 62. De gestantibus Scapulare. *Ord. Trin.* p. 367. n. 101. De indulgentiis portantium Scapulare paruum. *S. M. de Mer.* p. 382. num. 137

Schedulæ attestatrices confessionis an iure exquirantur à Parochis pro communione administranda. *Prædic.* p. 38. n. 152

Schismatici qui dicantur. *Eremit.* p. 121. num. 57. Quot sint genera schismaticorum. ibid.

Scripturæ antiquæ non egent recognitione. *Prædic.* p. 45. n. 187. S. Scripturæ lectio in Refectorio habenda. *Carmel.* p. 197. n. 67

Semel in vita, & semel in morte absolutio concessa Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus. *Bull. aur.* p. 95. n. 5

Sententiæ datæ contra exemptionem Religiosorum quomodo nullæ. *Carmel.* p. 250. n. 362

Sepeliri volentes cum habitu Mendicantium vbi debeant sepeliri. *Prædic.* p. 39. n. 156

Septa quid denotent. *Carmel.* p. 213. n. 156

Sepulturæ libertas in Ecclesiis Regularium. *Minim.* p. 347. n. 68. *Seruit* p. 303. n. 5. & p. 318. n. 110. *Prædic.* p. 28. n. 83. An non expectato Parocho defunctorum. p. 28. n. 84. Quid in Regno, & Insula Maioricæ. ibid. An eam eligant parentes pro filiis impuberibus. ibid. n. 85. Quid propter declarationes Sacræ Congregationis confirmatas per Breue sanctissimi D. N. Innocentij. p. 27. n. 79. Non possunt Regulares sub excommunicatione reseruata Papæ inducere ad vouendum, vel iurandum de sepultura eligenda. *Minor.* p. 78. n. 116. Qui possint sepulturam eligere. p. 79. n. 117. & *Eremit.* p. 112. n. 8. An prohibiti sepulturam eligere possint id facere in Regularium domibus. ibid. Priuilegium de sepulturæ libertate. p. 122. n. 65. Sepultura pro casu necessitatis quæ. p. 136. n. 131. Sepultura concessa pro Cœmeterio an etiam concedatur pro Ecclesia. *Seruit.* p. 303. n. 6. & 7. *Carmel.* p. 243. n. 319. Quanta sit sepulturæ libertas. p. 247. n. 343. & seqq. An extendatur ad Sacristiam, Capitulum, Claustrum, &c. *Minim.* p. 347. n. 71. *Carmel.* ibid. num. 345. Notanda circa ipsam. ibid. n. 345. Libertati sepulturæ annexa est Celebratio Officij. *Minim.* p. 347. n. 70. In Ecclesiis Regularium nullus est sepeliendus contra voluntatem ipsorum. ibid. n. 72. Nec faciendæ exequiæ. ibid.

Seruitarum Ordinis laudes. *Seruit.* p. 302. num. 2. Priuilegia. n 3. Institutio. p. 303. n. 4. Commendatio. ibid. & p. 304 n. 10. Regula, & constitutiones confirmatæ. ibid. n. 10. Reformatio. ibid. n. 13. & 14. Capitula quando, & quomodo celebranda. ibid. n. 16. & seqq. Quæ illis agenda. p. 305. n. 21. Mendicare permittuntur. p. 313. n. 75. An propterea Mendicantes. p 314. n. 76. Quid quando eorum Monasteria habent reditus sufficientes. n. 77. Suffragia petere possunt. ibid. n. 78. Seruitarum exemptio quomodo canonizata à Sacra Rota. p. 318. & seq. n. 110. & 111. & 112. Eos recipientes, vel retinentes tenentur ad restitutionem ipsorum, & illorum bonorum sub excommunicatione. p. 324. n. 156. Ipsorum habitus, aut illis consimilis deferri non potest à quocunque alio. p. 325. n. 162. An aliter faciens puniatur à Prælatis Seruitarum. ibid. n. 163. An extendatur hoc priuilegium ad portantes habitum Tertiariarum. ibid.

Sigillus quid sit. *Prædic.* p. 45. n. 188

Silentij obseruantia ex Regula. *Carmel.* p. 213. n. 155. Ex Patribus, & Doctoribus. Ibid. n. 156. Obligat ad culpam. ibid. n. 157. Obligat omnes. ibid. n. 158. An frangatur submissa locutione. ibid. n. 159. Pœna frangentium silentium. Ibid. n. 160

Simoniæ pœna an absoluatur à Regularibus. *Minim.* p. 352. n. 101

Sixtus IV. Compilator Maris Magni Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini; & Carmelitarum. *Prædic.* p. 12. num. 1. *Minor.* p. 57. num. 1. *Eremit.* p. 110. num. 1. *Carmel.* p. 183. n. 1. & p. 239. n. 294. Quibus encomiis. ibid.

Solemnitates, an quibus dandæ absolutiones, & dispensationes generales. *Carmel.* p. 245. numero 332

Stationes Almæ Vrbis quas Indulgentias contineant. *Seruit.* p. 327. n. 177. An reuocatæ pro Regularibus. ibid.

Statuta approbata authoritate Papæ an alterari possint. *Seruit.* p. 315. n. 85

Statuta facta pro Conuentibus reformatis alterari non possunt. *Carmel.* p. 228. n. 242

Stola ad collum habenda à Confessariis. *Seruit.* p. 311. n. 55

Studia generalia, quæ dicantur. *Minim.* p. 338. n. 17

Subiacere

Index Rerum notabilium.

Vicarij Eccleſiarum qui dicantur. *Minor.* ibid. num. 131

Vicarij Generales etiam Apoſtolici quomodo nihil facere poſſint contra regimen Conuentuum reformatorum. *Carmel.* p. 228.n.241

Victualium nomine quæ veniunt quando Epiſcopus viſitat. *Seruit.* p.331. num. 199

Vigiles qui dicantur. *Minor.* 337. num.8

Violentia prohibita fieri in Monaſteriis Mendicantium. *Eremit.* p. 126. num. 84. An etiam comprehendat illam, quæ contingeret ſi impedirentur fabricare in illis. p.127. n.87

Viſitantes domos, ſeu Eccleſias Seruitarum quibus gratiis fruantur. *Seruit.* p.327.n.176

Viſitationum tempore an diſpenſent Prælati aliqui Regulares in pœnis priuationum, inhabilitatum, &c. *Eremit.* p. 135. num. 127. & *Carmel.* p. 244. n. 330. Forma abſolutionis, & diſpenſationis, quæ tunc conceditur. ibid. Quantum valeant ſimiles abſolutiones, & diſpenſationes. p.245. n.331. An oblatis cenſuris per illas maneant peccata reſeruata. ibid. An valeant pro tollendis pœnis inhabilitatis, &c. An extendantur etiam ad abſentes. ibid. Dubia circa ipſarum praxim. ibid. n.333. Viſitatores Conuentuum Reformatorum quales eſſe debeant. *Carmel.* pag. 227. num. 238. Quam taxam habere. ibid. num. 239 Quam amplam authoritatem habeant. p.228.n.243. & ſeq.

Vita actiua quomodo finis Regulæ Carmelitarum. *Carmel.* p.196.n.55

Vita contemplatiua quomodo finis ſit Regulæ Carmelitarum. *Carmel.* p. 196.num.55. An in Vrbibus extra Eremos haberi poſſit. ibid.

Vita communis Religioſorum in quo conſiſtat. *Carmel.* p.202. num. 100. Quomodo ad illam teneantur. p.203. num.101

Vltra Montani vocantur Hiſpani, Germani, Galli, &c. *Seruit.* p.326.n.165

Vnctionis Sacramentum quando adminiſtrari poſſit à Regularibus. *Carmel.* p.253.n.381

Vnio beneficiorum quid ſit. *Seruit.* p.323. n. 142. Tripliciter fit. ibid.

Vota commutari an poſſint in vtilitatem Religioſorum. *Carmel.* p.239.n.288

Vſusfructus quid ſit. *Carmel.* p.222

Vſus quid, & quotuplex ſit. *Carmel.* ibid. n.208. Alius vſus iuris, alius vſus facti. ibid. Qualis prohibitus, aut permiſſus Religioſis. ibidem

Laus Deo, & B. Virginis Carmelitarum Patronæ.

Subiacere censuræ an sit illam ipso facto incurrere. *Prædic.*p.23.n.60
Subsidium charitatiuum quid denotet. *Eremit.* p.130.n.107. Quid pro Regnis Hispaniarum. *Carmel.*p.241.n.305. An ab illo exempti Religiosi. *Seruit.*p.313.n.70.& seqq.
Succedunt plures Regulares in bonis temporalibus parentum, & aliorum. *Prædic.* p.27. numero 79
Suffragiorum nomine quæ veniant. *Seruit.*p.314. num.78
Supererogationis opera quomodo permissa Religiosis. *Carmel.*p.214.n.168
Suspecti de hæresi denuntiandi S. Officio. *Minor.* p.86.n.149
Synodales Constitutiones qualiter obligent Religiosos. *Minim.*p.73.n.83
Synodis Episcopalibus assistere, qui Regulares cogantur, & quomodo. *Prædic.* p.30.n.92. *Carmel.*p.261.n.419
Syndicus qui sit. *Prædic.*p.42. num.175. Est Procurator in causis ab vniuersitate seu Collegio electus. ibidem. Præsertim reperitur in Ordine Minorum. *Minor.* p. 88. numero 165. An Procuratores Religionum Syndici Sedis Apostolicæ vocari possunt. *Seruit.* p. 333. numero 216

T

TAxa aliqua pecuniarum an danda visitatoribus, Prouincialibus, &c. *Carmel.* p. 227. n.239. Ad quem finem. Ibid. Quid si non visitant per se ipsos.ibid.
Templarij qui fuerint. *Minor.*p.69.n.66
Tertiarias personas admittunt Eremitæ S. Augustini. *Eremit.* p.114. n.21. Cum communicatione priuilegiorum fratrum. ibid. n.22. Maximè fæminæ. *Carmel.* p. 235. n. 268. & 269. Ipsarum priuilegia. p.241. n. 307. Quoad Sacramenta eis administranda. nu. 308. & 309. Quoad sepulturam. Ibid. facultas recipiendi illas. p. 264. n.451. Habitus ipsarum. p. 265. n.452. Regula. ibid. & p.266. n. 453. & 454. Priuilegia. p. 266. n. 455. Tertiariarum bona incerta quibus applicanda. p.273. n.497. Tertiarij Seruitarum quæ statuta habeant. *Seruit.* p. 315. n. 83. An possint mutari. ibid. n. 84. Saltem possunt declarari. ibid. n. 85. Quid si essent inutilia, vel illicita, ibid. Quæ sint talia Statuta, ibid. n. 86. Tertiariorum Institutum valde diuersum à Confraternitatibus. p. 316. n. 88. Conditiones pro illis recipiendis. ibid. n.89. & seqq. Expelli an possint, & quomodo. ibid. n. 92. Eorum exemptio à iurisdictione Ordinarij, & subiectio Generali ex Rotæ decisione. p.319. num.112. Tertiariarum priuilegia. p.323. n.144. & 145. Ex Rotæ decisione. ibid.
Tortura an, & quomodo applicari possit Religiosis delinquentibus. *Carmel.* p.231. numero 255. Quid ex Constitutionibus Carmelitarum. ibid.
Transeuntes ex vna Religione ad aliam qualiter vagari non possint. *Prædic.* p.24. n. 62. 63. & 64. Ire debent cum habitu Religionis à qua decedunt. Ibid. num.64. Qua licentia transire possint ad aliam Religionem. *Minor.* p.68.nu. 56. Quorum Prælatorum. ibid. An requiratur consensus Monasterij. Ibid. n.57. An quando transeunt sine legitima licentia eorum receptio, aut professio sit nulla. p.70. n. 67. Carmelitæ non transeunt ad alios Mendicantes. *Carmel.* p. 222. n. 209. & 210. Nec ad monachos nigros, aut Cistertienses. ibid. num.211. An ad Cistertienses reformatos. Ibid. Mendicantes quomodo non transeant ad Monachales. p.223. n.212. & 213. Quomodo Carmelitæ non transeant ad Ordines æqualis, vel minoris arctitudinis. p.224. n.218. An cum licentia Superiorum. Ibid. n. 220. An sit permissus transitus ad laxiorem Religionem. *Minimor.* p. 345. n. 60. Transitus quomodo permissus Seruitis. *Seruit.* p.324. num.152. & seqq.
Translatio Monasteriorum de vno loco ad alium in eadem ciuitate quomodo fieri possit. *Carmel.*p.262.n.432
Transumptis Priuilegiorum Mendicantium fides adhibenda. *Prædic.* p.43. n. 180. Eadem, quæ originali quando in transumptione obseruatæ fuerunt solemnitates requisitæ. Ibid.num.183. Etiam si casu dato non reperiantur in Registris. p. 44. n.184. & 185. Quid quando producuntur ex Archiuiis Monasteriorum. p. 45. n.186. Etiam Maris Magni aliorum Mendicantium. *Seruit.*p.334.n.219. *Erem.*p.140.p. n.157. Præsertim subscriptorum per Protectorem. *Carmel.*p.280 n.534
Tridentino Concilio an derogetur solum per generalem, & non per expressam derogationem. *Carmel.*p.279.n.532
Triremium pœna infamiam inducit. *Minor.* p.86. n.147. An irregularitas ex ea procedens dispensabilis sit propter priuilegia Mendicantium. ibid. An imponi possit, aut debeat Religiosis. *Carmel.*p.231.n.254. Quomodo id faciendum. ibid. Ad triremes damnandi an possint cogi ad transeundum ad aliam Religionem. *Minim.*p.345.n.58

V

VAsa Sacra à quibus benedicenda. *Eremitarum.* pagina 120. numero 53. Maximè cum non est copia Episcoporum. ibid. numero 54
Velum in capite an portent Tertiariæ. *Carmel.* p.230.n.252
Venialis transgressio Regulæ est in suo genere grauis. *Carmelitarum.* pagina 192. numero 36. Venialia peccata non corrigere in subditis an sit mortale in Prælatis. pagina 206. numero 118
Verba generalia an sufficiant ad derogationem Priuilegiorum Mendicantium. *Minor.* p. 66. num.45. Verba narratiua Papæ quam vim habeant. *Eremit.* p. 128. n. 95. *Carmel.* p. 185. num. 5. Verborum idem significantium multiplicatio quid denotet. pagina 187. numero 16. Verborum geminatio maiorem deliberationem indicat. pagina 232. numero 259
Verbum Dei quo sensu dicatur in Regula Carmelitarũ debere abundanter habitare in ore, & corde. *Carmel.*p.211.n.148. An solum id intelligatur pro communibus colloquiis, an verò pro officio prædicationis. ibid.
Vicaria perpetua est quasi parochia. *Minor.* p.83.n.131